PONTIFICALE ROMANUM

IN TRES PARTES DISTRIBUTUM

CLEMENTIS VIII. AC URBANI VIII.

AUCTORITATE RECOGNITUM

NUNC PRIMUM PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS ILLUSTRATUM,

in quo

varii manuscripti Ritus Pontificales non modo sparsim in ipsis Commentariis sed et integri in Appendicibus Titulorum referuntur ac notis illustrantur.

AUCTORE

JOSEPHO CATALANO

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS.

NOVA EDITIO

RECOGNITA ET NOVIS COMMENTARIIS ET ANNOTATIONIBUS LOCUPLETATA,

Accurante aliquo sacrorum rituum cultore.

TOMUS III,

PARTEM TERTIAM ET POSTREMAM COMPREHENDENS.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON JUNIOREM,

SUMPTIBUS J. LEROUX ET JOUBY, SUCCESSORUM,

FACULTATIS THEOLOGICÆ BIBLIOPOLARUM,

7, via vulgo Majorum Augustinianorum.

M DCCC LII

Digitized by Google

Digitized by Google

PONTIFICALE ROMANUM.

Digitized by Google

EXCUDEBAT BEAU, SANCTI-GERMANI-IN-LAYA.

Digitized by Google

108831

PONTIFICALE ROMANUM

IN TRES PARTES DISTRIBUTUM

CLEMENTIS VIII. AC URBANI VIII.

AUCTORITATE RECOGNITUM

NUNC PRIMUM PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS ILLUSTRATUM,

in quo

varii manuscripti Ritus Pontificales non modo sparsim in ipsis Commentariis sed et integri in Appendicibus Titulorum referuntur ac notis illustrantur.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

AUCTORE

JOSEPHO CATALANO

PRESBYTERO CONGREGATIONIS ORATORII S. HIERONYMI CHARITATIS.

NOVA EDITIO

RECOGNITA ET NOVIS COMMENTARIIS ET ANNOTATIONIBUS LOCUPLETATA,

Accurante aliquo sacrorum rituum cultore.

TOMUS III,

PARTEM TERTIAM ET POSTREMAM COMPREHENDENS.

F. DE LA

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON JUNIOREM,

SUMPTIBUS J. LEROUX ET JOUBY, SUCCESSORUM,

FACULTATIS THEOLOGICÆ BIBLIOPOLARUM,

7, via vulgo Majorum Augustinianorum.

M DCCC LII

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEDICTO XIV

PONTIFICI MAXIMO

GENERE, DOCTRINA, PIETATE
AC REBUS GESTIS
CLARISSIMO
BONORUM STUDIORUM FAUTORI
UNANIMI SACRI COLLEGII CONSENSIONE
CLERI UNIVERSI AC POPULI PLAUSU
IN APOSTOLORUM PRINCIPIS LOCUM
NUPER SUFFECTO
TERTIAM ET POSTREMAM PARTEM
PONTIFICALIS ROMANI
NUNC PRIMUM
PROLEGOMENIS ET COMMENTARIIS
ILLUSTRATI
CORONAM OPERIS ET COMPLEMENTUM

JOSEPHUS CATALANUS
DEDICAT.

Digitized by Google

LYON

Quod Romani, quod pii, quod docti homines omnes, quod universa diu, Beatissime Pater, repetitis votis ac fusis precibus exoptabat atque expetebat Ecclesia, videre tandem jam contigit summa Dei benignitate, Te virum eximium, nobilitate, doctrina, pietate ac rebus gestis clarissimum, per omnia Ecclesiastica officia promotum, et in divinis administrationibus Dominum sæpe promeritum, ad Sacerdotii sublime fastigium, ad Summi Pontificatus apicem, ad Apostolorum Principis Cathedram, cunctis Religionis gradibus evectum, et quidem de Dei et Christi ejus judicio, ac de bono totius Cleri et populi testimonio, qui Te formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, Fidei defensorem, aliisque ornatum virtutibus, per universum Catholicum orbem prædicabant. Hæ quidem, et aliæ complures Romani Pontificis dotes, quas longo agmine libro quarto *De Consideratione* ad Eugenium III, Pontificem Maximum, recenset S. Bernardus, nemo est, Beatissime Pater, qui ignoret quantum in Te, vel dum adhuc in minoribus esses, præfulserint. Est quod sibi merito gratulari possit Ecclesia, datum sibi divinitus Te Pontificem Maximum in multis ante muneribus exploratum, ac quotidie clariorem illustrioremque compertum, qui in omnibus Temetipsum exemplum bonorum operum præbuisti in doctrina, in integritate, in gravitate, adeo ut vel qui ex adverso est, præsertim vero heterodoxus, qui diabolo actus in Romanos Pontifices linguam et calamum acuit, omnino jam vereatur, nihil mali dicere habens de Te, ac de purpuratis Patribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Te unanimi consensione in Christi Vicarium, Petri successorem, ac Pontificem Maximum elegerunt : *Talis enim decebat*, ut Apostoli verbis utar, *ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus;* qui scilicet Christi vices in terris ageret, ejusque virtutes ad regendam

Digitized by Google

Christianam rempublicam imitaretur. Constans est, Beatissime Pater, omnium judicium, Te Pontifice Maximo, Ecclesiasticam disciplinam, pietatem ac bona studia, diu neglecta, ubique in Orbe Catholico resurrectura. Hoc quippe sperare nos licet ex omnium plausu, ac festivis vocibus, qui Sanctitatis Tuæ exaltationem ad Summi Pontificatus apicem commendabant : hoc item ex ipso Benedicti nomine, quod assumpsisti, sanctissimam Benedicti XIII memoriam renovans, cui etiam e vivis sublato, ac veluti in Cœlis regnanti, uti ob eximias ejus virtutes, ac gesta illustria pie credimus, in tui erga tantum Pontificem grati animi monumentum libros dedicasti : hoc tandem ex iis quæ verbo et exemplo, atque egregiis operibus editis præstitisti. Una, et perpetua, et maxima omnium oblectatio atque eruditio, scripta Sanctitatis Tuæ, et elucubrationes; isque eruditus ac doctus censetur, qui tuos libros in manus sumit, lingua versat, auribusque Christiani gregis instillat : satis enim superque omnium loco sunt studiosis animarum Pastoribus ad pietatem et Christianam eruditionem, ac rem liturgicam comparandam. Sed quid alia memorem? Certe aurea illa ac magna volumina, rei Theologicæ atque Ecclesiasticæ antiquitatis plena, quæ de Sanctorum apotheosi admirabili studio exarasti, tantum hodie apud homines doctos ponderis habent, ut Te veluti omnium scriptorum magistrum atque oraculum esse fateantur. Hinc ductus, Beatissime Pater, ubi primum accepi, Te in hoc supra omnes mortales fastigio, qualis est Romanæ Ecclesiæ Pontificatus, inscrutabili Dei judicio locatum, nulli hominum, nisi tibi, Ecclesiasticæ disciplinæ ac sacrorum rituum peritissimo, tertiam et postremam partem Romani Pontificalis, a me primum Prolegomenis et Commentariis illustrati, inscribendam arbitratus sum, præsertim cum primam Christo Domino Sacerdotii institutori ac Unigenito æterni Patris, *a quo omne datum optimum et omne donum perfectum descendit,* alteram vero ejus in terris Vicario, prædecessori tuo, cujus memoria in benedictione est, Clementi XIII, dedicarim. Jure itaque ac merito tibi, Beatissime Pater, tertiam hanc et postremam Pontificalis Romani partem, quæ est corona totius suscepti operis et complementum, genibus Sanctitatis Tuæ provolutus offero, enixe rogans, atque hoc unum obtestans, ut meos hosce labores, ad Ecclesiæ et sacrorum hominum utilitatem susceptos, benigne aspicias, ac gratanti animo excipias, quo cætera mea opera tuo patrocinio fretus prosequi valeam, præsertim Commentarios in œcumenicas Synodos, quarum quatuor priores annis superioribus

Digitized by Google

publici juris feci. Faxit Deus Optimus Maximus, ut quod ab omnibus speratur et creditur, SANCTITATEM TUAM ad rei Christianæ, Ecclesiasticæ et Litterariæ incrementum, atque ad mortalium omnium felicitatem sospitem servet quamdiutissime. Quæ autem hactenus scripsi, vel in posterum sum producturus in lucem, tuo, BEATISSIME PATER, irrefragabili judicio, tuæque Ecclesiæ Romanæ auctoritati, cui Vicaria supremi Numinis potestate præsides, cuncta subjicio; paratus protinus emendare quod emendatione dignum censueris : semper enim illud mihi in animo fixum fuit, quod aliquando scripsit in Epistola sua 174 magnus ille Claræ-vallensis abbas S. Bernardus, cujus verba ad contestandum meum erga Romanum Pontificem Maximum Christi Vicarium, et Romanam Apostolorum Principis Cathedram obsequium, etiam alias usurpavi : « Quæ autem dixi, absque præjudicio sane dicta » sint sanius sapientis. Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati, atque » examini totum hoc, sicut et cætera, quæ hujusmodi sunt, universa » reservo : ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare. »

Digitized by Google

PONTIFICALIS

PARS TERTIA.

TITULUS I.

DE PUBLICATIONE FESTORUM MOBILIUM IN EPIPHANIA DOMINI.

I. Tametsi et adversus festorum usum in Ecclesia introductum hæretici complures adlatrent, ritus nihilominus est pervetustus ut a Christianis religiose observentur; probantque id fuse nostri theologi passim. Dicuntur quædam festa mobilia, quia, ut docet Gavantus, ad motum Paschatis moventur; cujusmodi sunt Ascensio Domini, Pentecostes et alia, de quibus inferius erit sermo. Olim antequam Martyrologia publice in Ecclesia legerentur, morem fuisse ut etiam festa Sanctorum denuntiarentur, docet vir clarissimus Hugo Menardus in *Notis et Observationibus ad librum Sacramentorum* Sancti Gregorii Papæ, pag. 208, ubi hunc locum describit ex antiquo Remensi codice : « Denuntiatio Natalis unius Martyris. » Noverit vestra devotio, sanctissimi Fratres, » quod B. Martyris *illius* anniversarius dies in- » trat, quo, diaboli tentationes exsuperans, » universitatis Creatori gloriosa passione con- » junctus est » *Per pluralitatem* (id est si solemnitas plurimorum sit denuntianda) : « quo dia- » boli tentamenta vincentes, universitatis Crea- » tori gloriosa passione conjuncti sunt. Ideoque » Dominum collaudemus, qui est mirabilis in » Sanctis suis, ut, qui illis victoriæ coronam » contulit, nobis eorum meritis indulgentiam » largiatur. In illo igitur loco, vel in villa, illa » feria hanc eamdem festivitatem sollicita de- » votione celebremus. » Hæc est antiqua formula festi alicujus annuntiandi, antequam publice in Ecclesia Martyrologia legerentur. Cujus lectionis mentio fit in Additione prima *Capitularis Ludovici imperatoris*, tit. LXIX : « Ut ad Capitulum primitus Martyrologium le- » gatur, et dicatur Versus, deinde Regula aut » Homilia quælibet legatur : deinde *Tu autem* » *Domine* dicatur. »

II. Quoniam vero in hoc titulo Epiphaniæ mentio fit, abs re non erit de ejus festo aliquid dicere. Fuit enim unum e præcipuis Christi Domini festis, etiam cum vigilia et jejunio multis in locis celebratum, ut late ostendit Edmundus Martene, lib. III *De antiquis Monachorum Ritibus*, cap. III, num. VII; et in opere *De antiqua Ecclesiæ Disciplina in divinis celebrandis Officiis*, cap. XIV, num. III. Celeberrimum semper habitum est ipsum Epiphaniæ festum ob triplicem Christi apparitionem seu manifestationem, adorationem scilicet ejus per SS. Magos, baptismum, et primum miraculum, quod in Cana Galilææ contigit. Triplicem hanc Christi manifestationem semper hac die recoluisse videtur Ecclesia Latina, ut patet ex Hymno Prudentii quem ad divina Officia solet adhibere; itemque ex S. Paulino, carmine IX de S. Felice; ex S. Gregorio Turonensi, lib. II *De Miraculis S. Martini*, cap. XXVI, et *De Gloria Martyrum*, cap. LXXXVII; ex S. Isidoro Hispalensi episcopo, libro II *De divinis Officiis*, cap. XXVI; et ex aliis. Vetus Ordo Romanus hac die etiam quinque millia hominum a Domino

Digitized by Google

refecta fuisse adjungit. Id quod etiam tradit auctor nomine Alcuini, in libro *De divinis Officiis*, cap. *De baptismo Domini*. In Ecclesia Orientali Græci baptismum Christi potissimum in Epiphania celebrant, et quidem ex antiqua majorum suorum disciplina, ut constat ex S. Gregorio Nazianzeno in celebri illa Oratione de eadem solemnitate habita, quam diem Luminum vel Illuminationis nuncupat.

III. Quanta demum tum apud Latinos, tum apud Græcos habita fuerit hæc festivitas, addiscere licet ex variis sermonibus quos prisci Ecclesiæ Patres ac Præsules de eadem solemnitate ad gregem suum habuere. Certe, ut ipsos omittam, Ammianus Marcellinus memoriæ prodidit, lib. XXI, Julianum Augustum, qui a Christiana postea Religione defecit, ad Ecclesiam contendisse, dum Epiphania celebraretur: « Et dum hæc interim celarentur, feriarum die » quem celebrantes mense januario Epiphaniam » dictant, progressus in ecclesiam, solemniter » Numine adorato discessit. » Valens quoque imperator se minime Christianum esse arbitrabatur, nisi sacris Epiphaniæ in templo adfuisset, ubi, teste Gregorio Nazianzeno, oratione XX, de laudibus Basilii, cœtum populi innumerabilem stupore perfusus admiratus est, rectumque ordinem quo ipse Basilius Pontificali munere fungebatur : « Templum cum » omni satellitio ingressus (erat porro Epiphaniorum dies, atque hominum frequentia celebris) ac populi pars factus, ita perfunctorie » cum ipso in gratiam redit. » Tum addit : « Postquam enim introiit, atque ipsius auribus » Psalmorum cantio intonuit, populique pelagus, omnemque eam concinnitatem, quæ tam » circa sacrarium quam prope sacrarium eluebat, angelicam potius quam humanam aspexit, atque ipsum quidem ante populum, » recto corpore stantem, qualem Scriptura Samuelem describit, nec corpore, nec oculis, » nec animo, perinde ac si nihil novi contigisset, ullam in partem se moventem, sed Deo, » ut ita dicam, et altari affixum : eos autem a » quibus cingebatur, cum timore quodam ac » reverentia stantes : hæc, inquam, simul atque » perspexit, nec ullum unquam exemplum tale » conspicatus esset, humanum quiddam passus » est, ac vertigine oculorum tenebrisque totus » corripitur. »

IV. Hæc Nazianzenus. Qui autem plura scitu digna de ipsa solemnitate desiderat, legat laudatum Martene, et Thomassinum, lib. II *De dierum festorum celebratione*, cap. VI et VII. Varios ritus in eadem festivitate in Ecclesia tum Latina tum Græca celebrari solitos exhibebimus infra ad tituli hujus finem, postquam scilicet ritum a nostro Pontificali præscriptum explicaverimus.

§ I.

In Epiphania Domini, cantato Evangelio, Archidiaconus sive aliquis Canonicus vel Beneficiatus, aut alius juxta consuetudinem loci, pluviali paratus ascendit ambonem vel pulpitum, et ibidem, vel in alio loco ubi cantari solet Evangelium, e vetusto Ecclesiæ sanctæ instituto, publicabit festa mobilia anni currentis juxta infrascriptam formulam; et diem Synodi diœcesanæ suo loco promulgabit, licet, in formula infrascripta, Dominica secunda post Pascha notata sit.

PRO ANNO 1740.

Noveritis, Fratres charissimi, quod, annuente Dei misericordia, sicut de Nativitate Domini nostri Jesu Christi gavisi sumus, ita et de Resurrectione ejusdem Salvatoris nostri gaudium vobis annuntiamus. Die 14 februarii erit Dominica in Septuagesima, secunda martii dies Cinerum, et initium jejunii sanctissimæ Quadragesimæ. Decima septima die aprilis sanctum Pascha Domini nostri Jesu Christi cum gaudio celebrabimus. Dominica secunda post Pascha diœcesana Synodus ha-

Digitized by Google

bebitur. Vigesima sexta die maii erit Ascensio Domini nostri Jesu Christi. Quinta die junii, festum Pentecostes. Decima sexta junii, Festum sacratissimi Corporis Christi. Vigesima septima die novembris, Dominica prima Adventus Domini nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

I. Antiquissimus est Ecclesiæ mos, ut die festo Epiphaniæ quotannis Paschatis dies in Ecclesiis tam Occidentis quam Orientis denuntietur. Constat id primo quidem ex Concilio Aurelianensi IV, can. I, cujus verba hæc sunt : « Placuit itaque, Deo propitio, ut sanctum » Pascha secundum laterculum Victorii ab om- » nibus Sacerdotibus uno tempore celebretur. » Quæ festivitas annis singulis ab Episcopo » Epiphaniorum die in Ecclesia populis denun- » tietur. » Celebratum fuit hoc Concilium anno Christi 541, in ejusque canonem adnotandum est, Victorii laterculum fuisse quasi mobilium festorum ad plures annos indicem. Aiunt porro Victorium hunc indicem edidisse anno 457, Hilarii jussu, qui Romanæ Ecclesiæ archidiaconus erat sub consulatu Constantini et Rufi, ut ex præfatione Victorii liquet. Editus est autem ab ipso novus cyclus seu canon occasione Paschatis anni 455, de quo magna Orientales inter et Occidentales contentio fuerat. Jam enim, ut ex S. Leonis Epistolis patet, non semel ipsemet Leo observarat canonem Paschalem, quem Theophilus Alexandrinus pro centum annis ordinari curaverat, in aliquo claudicare, cum, ex Prosperi Aquitani, quem pro omnibus consiliis acciverat, sententia, errorem anno ipso 455 occurrentem detexit, Paschate juxta Theophilum cadente in diem 25 aprilis, cum, juxta Prosperi calculum, decima ejusdem mensis die debuisset eo anno celebrari.

II. Emendando huic in posterum errori Victorius Aquitanus seu Lemovix suum canonem duobus post annis edidit, id est anno 457, suasu, uti dictum est, Hilarii Apostolicæ Sedis archidiaconi, qui deinde anno 461 Leoni Magno in Pontificatu successit. Canonem illum Paschalem promulgatum habes ab Ægidio Bucherio in opere *De Doctrina temporum*, notisque ab eodem expositum. De eo etiam doctissime disserit cardinalis Norisius in dissertatione *De Paschali Latinorum cyclo*, annorum octoginta quatuor. Legenda insuper quæ de eodem cyclo in *Critica Annalium cardinalis Baronii* leguntur, cum inter alia scripserit Hilarium, anno 463, novum cyclum annorum quingentorum triginta duorum per Victorium Aquitanum componi curasse. Male etiam Victorius ille ab aliquibus existimatur idem qui Victorinus Pictaviensis, cujus opus falsum et anathemate dignum in Romana Synodo declaratur.

III. Exstant et de eadem disciplina denuntiandi Epiphaniæ festo Paschatis diem alii canones in variis Conciliis editi. Antissiodorense, anno Christi 475 habitum, can. II, statuit, « Ut omnes » Presbyteri ante Epiphaniam missos suos diri- » gant, qui eis de principio Quadragesimæ nun- » tient, et in ipsa Epiphania ad populum indi- » cent. » Idipsum clarius habetur in Concilio Bracharensi III, quod celebratum fuit anno 572; canone siquidem IX, ita Patres statuunt : « Pla- » cuit ut, postquam omnia in Concilio Sacer- » dotum fuerint ordinata, illud omnibus modis » observetur, ut superventurum ipsius anni » Pascha, quoto kalendarum die, vel quota » luna debet suscipi, a metropolitano Episcopo » nuntietur; quod cæteri Episcopi vel reliquus » Clerus breviculo subnotantes, unusquisque in » sua ecclesia, adveniente Natalis die Domini, » adstanti populo post lectionem Evangelicam » annuntient, ut introitum Quadragesimæ nul- » lus ignoret, etc. »

IV. Plura sunt in hoc canone observanda : 1° quidem debuisse in Hispaniis diem Paschatis a metropolitano Episcopo nuntiari; 2° cæteros Episcopos ac reliquum Clerum diem ipsam in breviculo adnotare, id est in indiculo seu compendio; est enim breviculus diminutivum a *breve*, occurritque ea vox passim apud S. Augustinum et alios a Carolo Ducange in suo *Glossario*, verbo *Breviculus*, relatos : 3° unumquemque Episcopum aut Parochum debuisse in sua Ecclesia festum Paschatis *adveniente Natalis die Domini adstanti populo* nuntiare, quia

Digitized by Google

fortasse alicubi olim uno eodemque die Nativitas Domini et Epiphania celebrabatur, uti videre est apud Cassianum, lib. x *Collationum*, c. II; nisi dicamus, quod probabilius mihi videtur, fuisse hunc peculiarem Hispanorum morem, saltem ex præscripto memorati Concilii Bracharensis : 4° denique, ipsam denuntiationem fieri solitam post lectionem sancti Evangelii.

V. Servatum religiose hunc ritum fuisse ut Diaconus, post solemnem Evangelii recitationem in Missa, festa mobilia populo denuntiaret, docent nos antiqua manuscripta Pontificalia : « Diaconus autem », inquit in manuscripto Ordinario suo Lucas Consentinus, in nostra citeriori Calabria episcopus, qui vivebat initio sæculi XIII, « perlecto Evangelio, prænuntiat » Pascha Domini in hunc modum : *Noveritis,* » *Fratres charissimi, quod vigesimo quinto die* » (vel *illo*) *qui est mensis januarii* (sive *februarii*), » *erit Septuagesima; illo tali die mensis martii* » *erit initium sanctæ Quadragesimæ; illo tali* » *die mensis martii* (sive *aprilis*), *sanctum Pa-* » *scha, concedente Domino, celebrabimus.* » Hactenus Lucæ Consentini episcopi Ordinarium, cui consonat Missale Ambrosianum, sic inquiens : « Lecto Evangelio, Diaconus annuntiat » Pascha resurrectionis : *Noverit charitas vestra,* » *Fratres charissimi, quod, annuente Dei et Do-* » *mini nostri Jesu Christi misericordia, die tali* » *mensis talis, Pascha Domini celebrabitur.* »

VI. Puto equidem sæculo XIII vix extra Italiam servatum fuisse hunc ritum, cum Gulielmus Durandus, episcopus Mimatensis, lib. VI sui *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. XVI, aperte id quidem testetur his verbis : « Non est » etiam prætermittendum quod in Italia, in » Missa hujus diei (loquitur de festo Epiphaniæ) » futurum Pascha populis post Offertorium an- » nuntians, dicit alta voce : *Annuntio charitati* » *vestræ gaudium magnum, quod erit omni* » *populo, quia Septuagesima erit tali die, et* » *Pascha tali.* » Refellit hunc Durandi locum Edmundus Martene in lib. *De antiqua Ecclesiæ Disciplina*, cap. XIV, num. XI, dicens, « non in » Italia tantum, sed etiam in Gallia hanc con- » suetudinem obtinuisse, ex Concilio Aurelia- » nensi IV, can. I, et Antissiodorensi, can. II. » Verum non videtur Martenius intelligere Durandum loquentem de more qui suo tempore servabatur, non autem de antiqua Gallorum consuetudine, quam licet a VI sæculo, quo ipsa Concilia fuerunt celebrata, repetere.

VII. At vero quantum ad hujus institutionis originem, est illa plane VI sæculo antiquior, utpote suam ducens originem a Concilio Nicæno I; in quo, cum decretum fuisset contra Quartodecimanos festum Paschatis uno eodemque die, eoque Dominico, celebrandum esse, quæstio deinceps agitari cœpit de ratione diei Paschatis inveniendi. Cum enim, uti ad annum 325 docet cardinalis Baronius, non omnes eamdem inirent computi rationem, ac inde periculum immineret, ut, licet fideles omnes die Dominico celebraturi Pascha forent, tamen diversis id facturi essent diebus Dominicis; cumque omnibus præterea constaret, ex antiquissimo tempore Ægyptios hanc sibi vindicasse scientiam ut anni tempora, solis et lunæ cursum pervestigarent, placuit sanctæ Synodo in Alexandrum, tunc Ecclesiæ Alexandrinæ episcopum, ejusque successores Antistites, curam cyclorum Paschalium conficiendorum conjicere, ut, quo potissimum die singulis annis celebrandum Pascha foret, Romanæ Ecclesiæ episcopis primum significarent, a quibus reliquæ omnes Ecclesiæ certiores redderentur. Testatur id quidem expresse S. Leo Magnus in Epistola LXIV, ad Marcianum imperatorem : « Studuerunt itaque » sancti Patres occasionem hujus erroris auferre, » omnem hanc curam Alexandrino episcopo » delegantes : quoniam apud Ægyptios hujus » supputationis antiquitus tradita esse videba- » tur peritia, per quam, quamvis singulis dies » prædictæ solemnitatis eveniret, Sedi Aposto- » licæ indicaretur, ut hujus scripti ad longin- » quiores Ecclesias indicium generaliter per- » curreret. » Perseveravit mos iste in Ecclesia Alexandrina, quandiu Catholicæ communionis ibi sederant Episcopi; postquam enim hæresiarchæ intrusi sunt, interceptum quoque hujusmodi fuit officium, cum, licet illi darent litteras, nemo tamen ab eis acciperet, quibus in fide minime communicarent. Qualesnam vero esse solerent ejusmodi Paschales Epistolæ, quæ adhuc supersunt, Theophili episcopi Alexandrini, a S. Hieronymo in Latinum versæ, docere possunt, exstantque tom. III *Bibliothecæ Patrum.*

VIII. Cum autem Epistolas ipsas Romæ, in die Epiphaniæ Domini, Diaconorum præconio inter sacra promulgari antiqui esset moris,

Digitized by Google

utique non eodem anno cujus Pascha indicebatur, sed superiori, Alexandria mitti oportuit : quin et ante annum, ipsum Romanum Pontificem consuevisse illud aliis Ecclesiis significare, ea adhibita modestia, ut, si quis contra adjicere vellet, audiretur, Epistola x Innocentii Papæ I ad Aurelium Carthaginensem episcopum data significat : « Jam prudentiæ tuæ erit, consors » mihi Frater, cum unanimis et consacerdotibus » nostris hanc ipsam rem in Synodo religiosis- » sima tractare, ut, si nihil dispositioni nostræ » resultat, nobis plenissime aperteque rescri- » bas, quo deliberatam Paschalem diem jam » litteris ante, ut moris est, præscribamus. » Floruit S. Innocentius I ineunte sæculo v, quo nempe tempore Ecclesiis Africanis mos erat ut dies Paschatis celebrandus a Romana Ecclesia imperaretur. Sed et ante ipsum Nicænum Concilium, celebratum anno 325, viguisse antiquum Ecclesiæ usum ut a Romano Pontifice, ut alias omittam, Paschalem diem Ecclesiæ Gallicanæ quærerent, aperte deducitur ex canone I Concilii I Arelatensis, quod celebratum est anno Christi 314, ubi ita Patres S. Silvestro Papæ inquiunt : « De observatione Paschæ, ut uno » die et tempore per omnem orbem obser- » vetur, et juxta consuetudinem litteras ad » omnes tu dirigas. » Idipsum post Nicænam Synodum liquet ex canone I Concilii Aurelianensis IV, cujus verba superius descripsimus. A Primatibus autem, subscriptione Formatarum, cæteris inferiorum Sedium Episcopis eumdem diem esse nuntiandum, Carthaginenses Synodi III, anni 397, can. I et XLI, et V, anni 358, can. XII, atque Milevitana anni 416, can. XX, monuere. Sic enim inquit ipsa Synodus III Carthaginensis : « Placuit ergo in principio, » propter errorem qui sæpe solet suboriri, ut » omnes Africanæ provinciæ Episcopi observa- » tionem Paschalem ab Ecclesia Carthaginensi » curent accipere. » Quinta vero Carthaginensis Synodus hæc habet : « Placuit ut dies venera- » bilis Paschæ Formatarum subscriptionibus » omnibus intimetur. » His adde canonem II Concilii III Cæsaraugustani, ubi ita cautum legimus : « Cuncti confinitimi Episcopi annua » recursione de Festivitate Paschali tempore » congruo Primatem suum, sub cujus pote- » statis manserint regimine, inquirant, ut quo » die et tempore illis Paschæ festum pro- » nuntiaverit, sollicita veneratione peragant. »

IX. Ergo, ut uno eodemque die per totum orbem Pascha celebraretur, dirigebantur ad omnes Episcopos litteræ, quæ id potissimum indicarent, quemadmodum ex recitatis canonibus liquet, quibus adde canonem V Concilii IV Toletani, anni 633 : « Placuit ut ante tres men- » ses Epiphaniorum metropolitani Sacerdotes » litteris se invicem inquirant, ut communi » scientia docti diem resurrectionis Christi » comprovincialibus suis insinuent, et uno » tempore celebrandum annuntient. » Porro, tametsi a Sede metropolitana aliis Ecclesiis Paschæ dies indicaretur, certum est tamen, non modo Gallis et Afris, verum etiam Hispanis Episcopis consuevisse Pontifices Maximos eumdem Paschatis diem significare. Id enim nos docet Epistola XLV S. Leonis Magni ad Episcopos per Galliam et Hispaniam constitutos, quam lubet ex parte hoc loco describere, quod nobis antiquam Paschalium litterarum formulam exhibeat : « Cum in omnibus, inquit, divino- » rum præceptorum regulis exsequendis Sacer- » dotalem observantiam oporteat esse concor- » dem, maxime nobis principaliter providendum » est, ne in Paschalis festi die vel ignorantia » vel præsumptio peccatum diversitatis incur- » rat. Unde, quia tempus sacratissimæ solemni- » tatis ita dispositos habet limites suos, ut salu- » tare Sacramentum nunc citius nunc tardius » oporteat celebrari : non desinit Apostolicæ » Sedis sollicitudo prospicere ne devotio Eccle- » siastica aliquo turbetur incerto, etc. » Aliæ id genus litteræ habentur apud Bucherium in Victorii *canonem Paschalem*, pag. 72, 78, 82, 469, et seqq. itemque in *Spicilegio* Dacheriano, tomo VI, pag. 8, et apud alios scriptores complures. Epistolas ipsas quas sacri canones Formatas vocant, Synesius, Epistola XIII ad Petrum Presbyterum, πανηγυρικὰ γράμματα, *panegyricas litteras*, appellat, ut quæ in publico Ecclesiastico conventu legerentur, uti notat eruditus Filesacus in suo opusculo *Quadragesima Christiana* inscripto, cap. XVI.

X. Tradit insuper cardinalis Baronius, ad annum ipsum Christi 325, quod, cum quæstio de Paschate in I Nicæno Concilio discuteretur, ea occasione, ad facilius inveniendum cujuslibet anni Paschalem diem, ibidem constitutum esse *Numerum aureum* dictum, novemdecim anno-

Digitized by Google

rum periodum continentem, probatque celebri auctoritate sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi. Cujus sententia cum reddatur exploratissimum, haud quempiam alium quam eos quibus a Synodo delegatum est hujusmodi negotium, fuisse ejus Numeri inventores, et ad opus conficiendum requisitam præcipue industriam Episcopi Alexandrini, non videtur admittendum quod Beda, in lib. *De Ratione temporum*, cap. XLII, et alii, eum secuti, docent, auctorem nempe circuli novennalis fuisse Eusebium Pamphili. Deceptos siquidem hos esse putat laudatus Baronius, quod constet Eusebium scripsisse librum de Paschate, quem Constantino imperatori obtulit. Verum, ex litteris ejusdem imperatoris, apud Eusebium ipsum, lib. IV *De vita Constantini*, cap. XXXV, tunc ad eum redditis, perspicue declaratur cujusnam argumenti fuerit Commentarius ille; tractasse nimirum de antiquo ritu diei Paschatis celebrandi, non autem de Paschali computo.

XI. Hactenus de antiquo more nuntiandi diem Paschatis, et quidem in Festo Epiphaniæ; ex eo enim alia Festa mobilia quibus diebus celebrari deberent, facile erat adinvenire; unde non mirum si, in pervetustis Ecclesiæ monumentis, solum de nuntiando die Paschatis mentio fiat. Cæteri quidem dies festi mobiles progressu temporis additi sunt, præsertim vero dies festus Corporis Christi, qui longe post annum millesimum celebrari cœpit in universa Ecclesia, Urbano IV Pontifice Maximo, uti passim auctores docent. Porro quæ causa sit cur anniversarius celebrandi Paschatis dies non ad eumdem anni diem redeat, sicut dies Natalis Christi? respondet ad hanc quæstionem S. Augustinus, in Epistola CXIX, in Nativitate Christi unum coli diem, quo Christus est ortus; in Paschate vero verni æquinoctii et lunæ pleno orbe fulgentis rationem haberi, quæ neque ita statis diebus contingunt, neque negligi ab Ecclesia possunt ob mysteria complura : « Hoc primum, » inquit, oportet, ut noveris diem Natalis Do- » mini non in Sacramento celebrari, sed tantum » in memoriam revocari, quod natus sit; ac per » hoc nihil opus erat, nisi revolutum anni diem, » quo ipsa res acta est, festa devotione signifi- » cari. Sacramentum est autem in aliqua cele- » bratione, quum rei gestæ ita rememoratio fit, » ut aliquid etiam significari intelligatur, quod » sancte accipiendum est. »

XII. Fuit etiam aliquando mos variis in locis, ut Pascha annotinum celebraretur, tametsi non una sit scriptorum sententia, quid proprie illud fuerit, et quo tempore celebrari consueverit. Teste Micrologo in libro *De Ecclesiasticis Observationibus*, cap. LVI, « Romani annotinum » Pascha, quasi anniversarium Pascha dicunt, » quia antiquum apud illos, qui in priori Pascha » baptizati erant, in sequenti anno, eadem die » ad ecclesiam convenere, suæque regeneratio- » nis anniversarium diem cum oblationibus ce- » lebraverunt. » Eadem habet Honorius Augustodunensis, lib. III, cap. CXXXVII, ab eoque minime dissentit Joannes Belethus in libro inscripto *Explicatio divinorum Officiorum*, capite LXXXIV, ubi ita inquit : « Vocatur autem Pa- » scha annotinum, quando aliquis diem quo » baptisma suscepit, annuatim celebrat : atque » eo tum ipsius diei Paschæ officium integre » cantari debet præter *Alleluia*, si accidat tem- » pore Quadragesimæ. » Ita etiam Gulielmus Durandus loquitur lib. VII, cap. I, num. XXXVIII, ubi addit, desumptum forte fuisse hunc ritum « a Gentilibus, qui diem, in quo ad miseriam » nascebantur, natalitium observabant. » Ex quibus addiscere licet, non semper statum ac fixum fuisse cuilibet Paschatis annotini diem propter Paschatis diversos in singulis annis dies, sed celebratum ipsomet die recurrente quo quis priori anno baptizatus fuerat, quod annotinum vox suadet, ut scite observat eruditus Ducange in suo Glossario, verbo *Pascha annotinum*. Atque ita Pascha annotinum incidere in Quadragesimam, vel post Quadragesimam poterat, uti laudati auctores, Belethus et Durandus, docent.

XIII. Ab aliis Pascha annotinum videtur collocari in sabbato ante Dominicam in albis, idque colligitur ex Vita S. Petri Martyris, inclyti Ordinis Prædicatorum, apud Bollandianos die 29 aprilis, num. XXXVIII, ubi hæc legimus : *Igitur sabbato, qui est Septuagesimæ finis, quodque* sabbatum in Albis, *et* annotinum Pascha *vocatur, etc.* Sabbato quippe ante octavas Paschæ, quo alba tolluntur vestimenta a novis baptizatis, dicitur finire Septuagesima, in Ordine quidem Romano. At in manuscripto *Martyrologio* Victorino Pascha annotinum dicitur Dominica quæ

Digitized by Google

Paschalem subsequitur. Negat id quidem Hugo Menardus in *Notis ad librum Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, pag. 150, quia scilicet in quibusdam suis manuscriptis codicibus ejus Missa assignatur duntaxat post prædictam diem. Quidquid de ea opinionum varietate sit, testatur in Epistola sua VII Ruodbertus, magister Sancti-Galii, in ejusmodi festivitate fieri convivia consuevisse : « Quæris, inquit, a me quid sit Pascha » annotinum? Est conventus compatrinorum » ad Missas ejusmodi per omnes octavas Sabbati » sancti, id est baptismi, per annum et per or- » dinem, cujuscumque cum cæteris convivium. » Quod vidimus, hoc testamur. Presbyter sym- » bolum super infantem dicit, et mensæ parti- » cipat aquam sapientiæ, etc. » Vide eruditum Martene in libro *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis Officiis celebrandis*, cap. XXVI. num. VI et sequenti.

XIV. His insuper ita expensis, quoniam in hoc nostro I titulo facta est de Epiphania mentio, abs re non erit nonnullos hoc loco ritus exponere, in ipso Epiphaniæ festo peragi sositos. Ex Decreto Concilii IV provincialis Mediolanensis, cui S. Carolus præfuit, Constitutionum parte III, ubi de Synodo diœcesana agitur, debuit illa in festo Epiphaniæ indici. Id quod expressius cautum est in ejusdem S. Caroli diœcesana Synodo IV, decreto XLV, his verbis : « Certam illam Synodi ineundæ atque habendæ » constitutam diem in calendarium anniversa- » rium loco suo referri, synodalemque diem » notari decernimus; eamdemque diem in Epi- » phania Domini ab Archidiacono in metropo- » litana ecclesia, cum in Missæ sacro solemni » populus frequens est, post Evangelii recitatio- » nem, de suggestu, ut moris est, una cum » Paschæ resurrectionis Domini denuntiatione » indici, significari et denuntiari jubemus. »

XV. Præter morem indicendæ dici Paschatis, et habendæ diœcesanæ Synodi, consuevit jamdiu in ipso Epiphaniæ festo consecratio virginum celebrari, ex Decreto Gelasii Papæ in Epistola IX ad Episcopos Lucaniæ, cujus meminimus nos nostro I tomo hujus operis, ad titulum XIX ubi de virginum consecratione egimus. Rursus, quod olim Baptismus non modo apud Græcos in Oriente, verum etiam in variis Occidentis partibus et maxime in Galliis frequentaretur, fuse ostendit eruditus Martene, lib. I *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. I, art. I. Hinc in nonnullis etiam hodieque Ecclesiis remansit benedictio solemnis aquæ in Epiphania, quæ, uti et Baptismus generalis, in tota viget Orientali Ecclesia, ut patet ex Codino Curopalata, *De Officiis*, cap. VIII, ubi eruditus Goar observat, aquam iterato benedicere Ecclesiam Græcam, *semel in pervigiliis Vesperæ, et in Missa secundo*. Plura de hac re diximus nos in opere nostro, *De codice sancti Evangelii, etc.*, lib. III, cap. VII. Porro servatum hunc ritum in nostra Calabria citeriore, maxime vero in Consentina diœcesi, addiscimus ex manuscripto antiquo Ordinario Lucæ episcopi Consentini, qui vivebat initio sæculi XIII. Mandat enim ut in Epiphania, « completis Laudibus, et pronuntiato ex » more Martyrologio, mox Dominus, vel Sa- » cerdos qui Laudes celebravit, faciat solitum » exorcismum salis et aquæ, et circumstantes » aspergat cum fasciculo hysopi : Capellani » quoque civitatis aspergant inde fideles omnes » die ipsa, tam in ecclesia, quam ubicumque » possunt, in memoriam et reverentiam baptis- » mi Dominici. » Capellani, quorum ipsum Lucæ Ordinarium meminit, sunt in nostra Calabria et in multis nostri Neapolitani regni partibus Parochi, qui etiamnum, ut alibi notavimus, eo nomine appellitantur.

XVI. Reliquum est ut alium prosequamur ritum in festo Epiphaniæ celebrari solitum : denuntiato siquidem Paschatis die, sequebatur alicubi oblatio, in qua olim Francorum reges exemplo Magorum aurum, thus et myrrham ad altare offerebant, ex Nangii Gallico continuatore ad annum 1378. In Ordinario vero Ecclesiæ Lemovicensis hic ritus præscribitur : » Cantato Offertorio, eant ad offerendum tres » chorarii induti vestibus sericis, habentes sin- » guli coronam auream in capite suo, et » scyphum deauratum seu aliud jocale pretio- » sum in manibus suis, adinstar trium regum » qui venerunt adorare Dominum, ingrediuntur » per portam majorem chori, incedentes cum » gravitate, cantantes sequentem prosulam :

» O quam dignis celebranda
Dies ista laudibus,
In qua Christi genitura
Propalatur gentibus!
Pax terrenis nuntiatur,
Gloria cœlestibus.
Novi partus signum fulget,

Digitized by Google

Orientis patria;
Currunt reges Orientis
Stella sibi prævia :
Currunt reges, et adorant
Deum ad præsepia.
Tres adorant reges unum,
Triplex est oblatio.

» Primus dicit elevando scyphum : *Aurum* » *primo;* deinde secundus dicit : *Thus secundo;* » item tertius : *Myrrham date tertio.* Ordine » prædicto primus dicit : *Aurum regem*; se- » cundus : *Thus cœlestem;* tertius : *Mori notat* » *unctio.* Deinde existentes circa medium chori, » unus eorum elevat manum ostendentem stel- » lam pendentem in filo, quæ antecedit eos, » cantando altiori voce : *Hoc signum magni* » *Regis.* Tunc tres simul pergunt versus majus » altare, cantantes : *Eamus, inquiramus eum, et* » *offeramus ei munera, aurum, thus et myr-* » *rham.* Et vadunt ad offerendam, relinquentes » ibi sua jocalia. Post hæc unus puer psallit » retro majus altare, adinstar Angeli alloquendo » reges, cantat : *Nuntium vobis fero de super-* » *nis, natus est Christus dominator orbis in* » *Bethlehem Judæ, sic enim Propheta dixerat* » *ante.* Qua visione attoniti reges, et admini- » strantes redeant per portam quæ ducit ad » sacristiam, cantando Antiphonam : *In Beth-* » *lehem natus est Rex cœlorum.* » Hactenus ritus in Ordinario Ecclesiæ Lemovicensis descriptus. Qui alios scire ritus desiderat in festo Epiphaniæ usitatos, legat laudatum Edmundum Martene, lib. *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis Officiis*, cap. XIV, et lib. III *De antiquis Monachorum ritibus*, cap. VI; itemque Joannem Grancolas in Breviarium Romanum, cap. XXX; et Thomassinum, lib. II *De dierum festorum celebratione*, cap. VI et VII.

TITULUS II.

DE EXPULSIONE PUBLICE POENITENTIUM AB ECCLESIA IN FERIA QUARTA CINERUM.

I. Ut ea facilius intelligantur quæ inferius explicanda sunt, nonnulla de pœnitentia publica ejusque origine atque antiquo usu et variis gradibus præmittere consentaneum est : plura siquidem de eadem a nobis jam dicta fuere nostro tomo I. *Conciliorum*, in Appendice ad canonem XI Concilii I Nicæni. Ergo publice pœnitentes dicebantur quibus publica pœnitentia erat imposita non modo ob publica crimina, verum etiam aliquando propter occulta. Quod enim veteres aliqua laicorum occulta crimina pœnitentia publica castigarint, fuse ac erudite ostendit Joannes Morinus in celebri *De Pœnitentia* opere, lib. V, cap. VIII et seq.; itemque Jueninus, dissertatione VI *De Pœnitentia*, quæstione VI, cap. VIII, art. I.

II. Tertullianus, ubi, lib. *De Pœnitentia*, peccata divisit in corporalia et spiritualia, seu in ea quæ animo tantum et voluntate, et in ea quæ opere externo complentur, multa verborum copia reos hortatur ad pœnitentiam publicam. Contendit nempe 1° delictorum omnium veniam iis Deum spopondisse qui pœnitentiam egerint : « Omnibus ergo delictis, inquit, seu » carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate » commissis, qui pœnam per judicium diffinivit, » inde et veniam per pœnitentiam spopondit. » Contendit 2° pœnitentiam, qua tum cordis tum carnis peccata purgantur, esse pœnitentiam publicam; sic enim ipsam, cap. IX, definit : « Itaque » exomologesis, prosternendi et humilificandi » hominis disciplina est. » In quo vero præter confessionem posita sit hæc prosternendi et humilificandi hominis disciplina, ipse Tertullianus cap. X. describit, ita eos alloquens qui ab ea disciplina propter corporis incommoda deterrebantur : « Quid si præter pudorem quem potiorem » putant, etiam incommoda corporis reformident, » quod inlotos, quod sordulentos, quod extra » lætitiam oportet deversari, in asperitate sacci,

Digitized by Google

» et horrore cineris, et oris de jejunio vani-
» tate ? » Id autem non clanculum, sed palam fieri debuisse probant hæc quæ Tertullianus profert contra vanum nonnullorum pudorem : « Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem » sui, aut suffugere, aut de die in diem differre » præsumo, pudoris magis memores quam » salutis. » Comparatio, quam mox subjicit, demonstrat eum de peccatis occultis, non autem de publicis loqui : « Velut illi qui in partibus » verecundioribus corporis contracta vexatione » conscientiam medentium vitant, et ita cum » erubescentia sua pereunt.

III. Ex recitato hactenus Tertulliani loco non modo addiscimus propter occulta etiam crimina impositam fuisse pœnitentiam publicam, verum etiam hanc pœnitentiæ publicæ disciplinam in usu fuisse tribus prioribus Christi sæculis. Quo tempore censet Morinus, lib. v, cap. ii, Patres per pœnitentiam publicam purgasse tria tantum peccatorum mortalium genera, idololatriam nempe, homicidium, et mœchiam seu adulterium; additque, cap. iv, progressu temporis non solum plura crimina, et trium illorum criminum plures species per publicam pœnitentiam sanata et punita fuisse, sed quæcunque judicabantur gravissima. Sunt qui contendunt nullum omnino fuisse peccatum mortale quod pœnitentia publica olim castigatum non fuerit. Sed certior illa videtur sententia quæ docet, 1° Si pœnitentia publica sumatur pro ritu determinato et artificiali agendi exterius publicam pœnitentiam, adulto tantum tertio sæculo, idololatriæ solius, homicidii et mœchiæ species publica pœnitentia castigatas fuisse. 2° Si pœnitentia sumatur pro pœnis publicis non determinatis quidem per canones, sed Episcoporum arbitrio permissis, quodlibet quidem peccatum mortale punitum fuisse pœnitentia publica, etiam tribus prioribus sæculis.

IV. Utramque hanc sub duplici conclusione sententiam propugnat strenue Jueninus. Quod enim, quantum ad primam, ante Novatianorum schisma, quod circa medium sæculum iii accidit, nullum tempus agendæ pro hoc vel illo peccato, imo nec idololatria, pœnitentiæ determinate præfixum fuerit, nemo est qui addubitare valeat : totum siquidem negotium eo tempore Episcopis permissum fuit. Etsi autem S. Clemens Papa, sive auctor *Apostolicarum Constitutionum*, lib. ii, cap. xvi, nonnullarum hebdomadarum meminerit, quibus ejectus ab Ecclesia pœnitentiæ vacare debeat antequam absolvatur a Sacerdote, nihil tamen certi statuit, totumque subjicit Episcopi judicio : « Facta » examinatione an pœniteat, sitque dignus qui » in Ecclesiam ex toto admittatur, castiga illum » jejuniis duarum, aut trium, aut quinque, aut » septem hebdomadarum, ut delicti genus et » ratio poposcerit, etc.» Quod secundam spectat sententiam, docet laudatus Jueninus, prioribus sæculis hanc fuisse agendæ pœnitentiæ seriem : Rei primum confitebantur, postea efflagitabant admissionem ad pœnitentiam, deinde impositam exsequebantur justo tempore, postremo donabantur absolutione, quam ante Novatianorum schisma mox sequebatur Eucharistiæ participatio. Addit et alia Jueninus, quæ hic non est opus referre, ne in longum nostra vagetur oratio.

V. Relictis itaque multis quæ ad publicam pœnitentiam pertinent, quæque videri possunt apud eximium scriptorem Joannem Morinum, ut ea stricte nos agamus quæ nostrum hunc titulum spectant, jam vel ante exortam quidem Novatianorum hæresim publica pœnitentia in ejectione ab Ecclesia laboriosisque operibus tota constabat; postmodum vero, ut scite observat Martene, lib. i *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. vi, art. iv, quatuor in stationes sive gradus distributa est, *Fletum*, *Auditionem*, *Substrationem*, et *Consistentiam;* quorum meminit S. Gregorius, Neocæsarææ in Ponto episcopus, in Epistola canonica, cap. xi; ac præsertim inter alios S. Basilius in celebri sua Epistola ad Amphilochium, in qua passim explicat quid per quatuor hosce gradus intelligendum sit, maxime tamen in can. lxxv ejusdem Epistolæ, decernens ut qui incestum cum propria sorore commiserit, « triennio doleat » stans propter fores domus oratoriæ, et ro- » gans populum ingredientem ad orationem, » ut unusquisque pro ipso misericorditer ad » Dominum intensas fundat preces : postea » autem alio triennio ad solam auditionem ad- » mittatur, et Scripturam ac doctrinam audiens » ejiciatur, et nec oratione dignus habeatur : » deinde, siquidem illam cum lacrymis ex- » quisivit, et Domino cum cordis contritione » et varia humiliatione supplex procidit, detur

Digitized by Google

» ei substratio in aliis tribus annis; et sic post-
» quam pœnitentiæ fructus dignos ostenderit,
» decimo anno in fidelium orationes susci-
» piatur sine oblatione, et, cum duobus annis
» una cum fidelibus ad orationem constiterit,
» sic deinde habeatur dignus boni commu-
» nione. » Hic clare et distincte omnes pœnitentiæ gradus non modo enunciantur, verum etiam explicantur, tertio excepto, qui substratio ideo dicitur, quod post catechumenorum et energumenorum dimissionem super prostratis pœnitentibus preces cum manuum impositione recitarentur, uti videre est lib. VIII *Apostolicarum Constitutionum*, cap. XI et seq. Sed de his gradibus fuse jam nos locuti fuimus nostro I tomo *Conciliorum*, in Appendice ad canonem XI Concilii Nicæni.

VI. Porro addubitari nequit quin, longe post annum Christi millesimum, in usu fuerit pœnitentia publica. Ineunte enim sæculo XII, pœnitentiæ exterioris severitas decrescere, minui et obsolescere cœpit, et consequenter cum ea severitatis adminicula, scilicet antiqui illi ritus publici, tam qui pœnitentiæ actionem quam qui pœnitentium reconciliationem spectabant. Docet hæc quidem Morinus, lib. X *De Pœnitentia*, cap. XVI, ubi etiam plures relaxatæ pœnitentiarum exteriorum severitatis occasiones diligenter explicat : quarum præcipua fuit commutatio pœnitentiarum canonicarum cum opere aliquo laborioso, propter evidentem aut apparentem Ecclesiæ utilitatem, qualis erat susceptio armorum contra Infideles aut hæreticos. Magnum siquidem illud opus fere semper fuit, arma contra ethnicos, hæreticos et schismaticos ferre, eosve qui contra eosdem dimicarent, sumptibus alere. Certe Urbanus II, uti fuse ostendimus tomo II, tit. XXI, in Concilio Claromontano, maxima episcoporum et principum multitudine, omnibus Hierosolymam, Terræ sanctæ recuperandæ causa, proficiscentibus peccatorum omnium remissionem pollicitus est, ut omnes fideles ad tam arduum et laboriosum opus aggrediendum stimularet. Cæterum si hujus expeditionis labores, expensæ, itineris molestiæ, patriæ familiæque abdicatio, aliaque his adjuncta incommoda expendantur, facile apparebit quod expeditio hæc longissimis pœnitentiis non immerito æquiparari possit; ac proinde, qui hanc expeditionem pœnitentiis canonicis permutabant, paria quidem paribus rependebant.

VII. Cur autem homines magnis criminibus obnoxii, in suorum remissionem peccatorum, hanc potius expeditionem subirent quam canonicas pœnitentias, multæ afferri solent rationes. Prima est quod, cum hanc expeditionem susciperent omnis generis homines, etiam innocentissimi, ex sola devotione aut spiritu voluntariæ pœnitentiæ, tegebatur hoc titulo ipsa criminis professio, quæ alias pœnitentiæ canonicæ, præsertim publice peragendæ, annexa videbatur. Secundo, cum multos ad suscipiendas peregrinationes quantumvis laboriosas incitet curiositas, præsertim si specie religionis velari queat, ipsæque peregrinationes ab innocentibus etiam viris suscipiantur, propterea peccatores publici hanc expeditionem præ canonica pœnitentia eligebant. Tertio tandem, si hominum sæcularium genius attendatur, manifeste apparet velle potius ipsos sese militiæ, tametsi cum summo discrimine magnisque incommodis, addicere, quam duriusculam aliquam pœnitentiam a Sacerdotibus impositam acceptare et sub Sacerdotum directione peragere. Hæc si quis expenderit, non mirum ipsi profecto videbitur si adeo ingens hominum multitudo expeditionem Hierosolymitanam susceperit, exhortantibus præsertim Pontificibus et Episcopis, atque omnium peccatorum et integræ pœnitentiæ remissionem addicentibus. Quanta autem hominum multitudo, non modo publice impiorum, sed omnium generum, tantæ mercedis pollicitatione allecta peregrinationem illam aggressa fuerit, incredibile dictu est; ita enim de hac multitudine scripsit in fine Epistolæ CCXLVI S. Bernardus : « Vacuantur urbes et castella, et pene jam
» non inveniunt quem apprehendant septem
» mulieres virum unum, adeo ubique viduæ
» vivis remanent viris. »

VIII. Altera insuper relaxandæ pœnitentiæ publicæ occasio fuit, tum quod multi, ineunte sæculo XIII, illam subire detractarent, etsi invitati et exhortati vehementer a suis Pastoribus essent; tum etiam quod Confessores prope omnes et Doctorum permulti dicerent pœnitentias canonicas esse arbitrarias, ac mutari ipsas posse in quidquid jusserit Episcopus ad gloriam Dei. Tradit hæc eximius Morinus, lib. X *De*

Digitized by Google

Pœnitentia, cap. xxv, suamque assertionem abunde ac erudite comprobat auctoribus sæculi xiii; inter quos Alexander de Hales, iv parte *Summæ*, quæstione xxi, membro iii, art. i, ita scribit : « Quidam dicunt, et fere » omnes Confessores, quod omnes pœnitentiæ » sunt arbitrariæ, id est in voluntate Sacerdo- » tis : et potest dare plus vel minus pro vo- » luntate sua, nec peccat; et hoc ex vi cla- » vium. » Verum Confessores late admodum hanc Doctorum interpretationem extenderunt; crediderunt enim pœnitentias canonicas esse suo arbitratui suppositas, et vi clavium se posse, ut æquum judicant, de iis statuere.

IX. Puto equidem hæc in criminibus occultis locum habere, non autem publicis, cum non modo antiquitus pro peccatis publicis injuncta fuerit publica pœnitentia, sed etiam et hodie injungenda sit, nisi aliter visum fuerit Episcopo. Concilium Coloniense, quod anno 1536 habitum est, hoc de publica pœnitentia decretum edidit : « In publicis vero » criminibus, quemadmodum necesse est, ita » jubemus ad canones antiquos publicæ pœni- » tentiæ regredi. Atque ideo ad Christi et di- » scipuli sui Pauli institutum, qui ad Corin- » thios exemplo ostendit quomodo oporteat » Ecclesiam in publice peccantem animadver- » tere, donec ipsi publice peracta pœnitentia » satisfecerit. » Eamdem disciplinam paulo ante Concilium Tridentinum præscripsit Synodus Augustana, celebrata anno Christi 1548, ita inquiens, cap. xix : « Item quicumque » omnipotentem Deum, aut sacratissimam Dei » Genitricem, vel alios Sanctos palam blasphe- » mant, aut eis maledicunt, vel per eorum » nomina vel membra indigne ac impie jurant » et imprecantur seu maledicunt, ab ecclesiæ » ingressu et sacra communione excludendi » sunt, donec publicam egerint pœnitentiam. »

X. Inculcant et ipsam disciplinam pœnitentiæ publicæ pro publicis criminibus imponendæ Patres Concilii Tridentini, sessione xxiv, *De Reformatione*, cap. viii, sic aientes : « Aposto- » lus monet publice peccantes palam esse » corripiendos. Quando igitur ab aliquo pu- » blice et in multorum conspectu crimen com- » missum fuerit unde alios scandalo offensos » commotosque fuisse non sit dubitandum, » huic condignam pro modo culpæ pœniten- » tiam publice injungi oportet, ut, quos exem- » plo suo ad malos mores provocavit, suæ » emendationis testimonio ad rectam revocet » vitam. » Ubi nota primo, pœnitentiam publicam pro peccatis publicis suam ab Apostolo ducere originem, imo et a Christo, ut testatur Synodus Augustana, cujus decretum paulo superius recitatum est. Secundo, sacram Tridentinam Synodum suum decretum fulcire tum auctoritate, tum exemplo Apostoli. Tertio, nullum in specie determinare scelus publicum quod pœnitentia publica puniri debeat; quodcumque siquidem fuerit Ecclesiæ scandalo, pœnitentiæ publicæ subjicit : « Quando igitur » ab aliquo publice et in multorum conspectu » crimen commissum fuerit, etc. » Quarto, in particulari quidem non definire quinam sint publici labores quos pro peccato publico impius subire debeat; verum non obscure significare ejusmodi esse debere, qui tum reum hominem tum plebem innoxiam a peccato deterreat. Quinto, tam arctum esse voluisse debitum injungendi pœnitentias publicas pro peccatis publicis, ut Presbyteris inferioribus hac in parte cum populis dispensandi facultatem concedere noluerit. Sexto, etsi Episcopi quidem judicio permiserit casus quibus ab ea lege dispensandum sit cum fidelibus, eidem tamen providentissime injunxisse ut eam dispensationem tunc tantum concederet cum Ecclesiæ fructui magis expedierit : « Episcopus tamen » publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secre- » tum poterit commutare, quando ita magis ju- » dicaverit expedire. »

XI. Praxim disciplinæ, de qua nos agimus, passim post Tridentinum fuisse et in aliis tum provincialibus tum diœcesanis Conciliis injunctam, docet Jueninus in laudata dissertatione vi *De Pœnitentia;* et alii docti viri. Certe, ut alios omittam, in Concilio Mediolanensi provinciali primo, de ea re ita statuit S. Carolus : « Iidem Confessores, quemadmodum a » sancta Tridentina Synodo jussum est, pu- » blice peccantibus publicam pœnitentiam im- » ponant; neque illud pœnitentiæ genus, nisi » data ab Episcopo facultate, secreta alia pœna » commutare audeant. » Idem S. Præsul de pœnitentia publica ritibus externis vestita, quam *solemnem* vocant, ita quidem statuit in Concilio Mediolanensi iii : « Studeat Episco-

Digitized by Google

» pus, ad Sacrorum canonum et Tridentini » Concilii præscriptum, pro publicorum delictorum gravitatis ratione, et publicam, et solemnem pœnitentiam in usum revocare. » Quos vero ita solemniter pœnitere oportet, » mense ante quadragesimæ initium ad se per » Parochos deferri curet, ut primum ineunte » Quadragesima illi pœnitentia affici, tum die » Cœnæ Domini Ecclesiæ reconciliari possint » stato solemni ritu. » Idipsum decernunt innumeræ pene Synodi; peccantes tamen publice passim videmus, neminem vero pœnitentiam publicam agere. Dicent forte aliqui, non ferre hæc tempora veterum canonum severitatem. Sed monet S. Carolus in Oratione Synodali alterius Concilii provincialis Mediolanensis, ut Episcopi et ecclesiarum Pastores, hæc atque alia hujusmodi contemnentes, proponant sibi ob oculos libertatem illam spiritus et virtutum, qua armati Apostoli, qua muniti Martyres, qua instructi sancti Præsules, qua affecti alii religiosi viri, apostolico quodam animorum ardore flagrantes nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus quasi tribunitiis fracti nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis commissi salute, forti constantique animo adhibuerunt illam quasi censoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem.

XII. Ergo religiose hodieque servanda est publicæ pœnitentiæ pro publicis saltem criminibus disciplina, quam et hodiernum Romanum Pontificale, juxta pervetustorum Pontificalium et antiqui Romani Ordinis consuetudinem, in præsenti titulo præscribit, *De Expulsione publice pœnitentium ab Ecclesia in feria quarta Cinerum.* Feria quarta Cinerum ideo sic appellatur, quod hoc die, qui initium Quadragesimalis jejunii est, solent fideles in Ecclesia cinere benedicto conspergi, in capitibus videlicet suis, sub illa verborum formula, *Memento, homo, quia pulvis es, etc.* Quod ista apud nos disciplina a ritu veterum pœnitentium, qui ipsa die, et hoc jejunii introitu, inter alias cæremonias cineribus conspergebantur, originem suam trahat, ex iis quæ infra dicemus addiscere licet; antiquos etenim Patres, ac veteres Synodos referemus, qui cinerem constanter cum pœnitentia conjungunt.

XIII. Quæri autem hic forte posset quandonam primum fideles, qui a publicis pœnitentibus sejungebantur, sacris cineribus conspersi fuerint, aliquod pœnitentiæ specimen et ipsi præbentes. Dicam cum eruditissimo Thomassino, *De dierum festorum celebratione*, lib. II, cap. XIV, num. XIV, fideles sponte quosque sua cum publicis pœnitentibus conjungi una voluisse, ut aut consolando, aut precibus, aut exemplo eos juvarent, et ipsi interea pœnitentia expiarentur. Id autem ex eo conjicimus, quod in Africa, Augustino teste, fideles ipsi post sacram synaxim in die Cœnæ Domini lavabant cum catechumenis, ut participes fierent omnium quæ baptismo initiandi egerant, se ad illum parantes : eademque ratione, ut Epiphanius et Chrysostomus memoriæ prodiderunt, Orientales Christiani, dum catechumeni sacro fonte perfundebantur, noctu in Epiphaniæ celebritate, aquam illa Ecclesiæ precibus consecratam domos quique suas religiose adsportabant.

XIV. Huc accedit, quod S. Augustinus ait, non tantum publicæ pœnitentiæ obnoxios, et ab ecclesia ejectos ob nefaria flagitia, pœnitentes dicendos esse; omnes enim culpis obstringimur, et pœnitentia egemus. Verisimillimum igitur est, sæculis XII et XIII, publica pœnitentia fere abrogata, quoslibet, Quadragesima ineunte, sacro cinere conspergi, et aliis pœnitentiæ ritibus expiari majori contentione voluisse, si minus tunc primum eos adhibere cœperint. Hæc quidem non parum confirmant quæ ex Romano Pœnitentiæ libello refert Regino apud Baluzium, pag. 136. « Quotiescumque, inquit, » Christiani ad pœnitentiam accedunt, jejunia » injungimus, et nos communicare cum eis » debemus in jejunio unam aut duas hebdomadas, vel quantum possumus, ut non dicatur quod Sacerdotibus Judæorum a Domino » dicitur : Væ vobis Legis periti, qui adgravatis » homines, imponentes super humeros eorum » onera gravia et importabilia; ipsi autem digito » vestro non tangitis sarcinas ipsas. » Sed cum nec Episcoporum tantum vel Presbyterorum esset in pœnitentium hominum calamitatibus dolere, verum etiam et aliorum, quod omnes membra ejusdem corporis sumus, concludere merito possumus, ut cum pœnitentibus jejunia colebant Sacerdotes, ita cum eisdem sacros illos cineres cæteros etiam adhibuisse, ut nempe

Digitized by Google

pœnitentis animi et dolentis pro suis quique flagitiis argumenta præberent, et ut alios ad meliorem frugem conversos solarentur ac delinirent.

XV. Pro coronide tandem tituli hujus indagandum est quandonam feria quarta ante Dominicam primam Quadragesimæ, ritus cœperit expellendi publice pœnitentes ab ecclesia? Quæ quidem quæstio ex illa procul dubio oritur quæstione, quando scilicet ipsa feria quarta jejunii caput et Quadragesimæ initium evaserit? Etsi enim antiquissimi libri Pontificales manuscripti priscique auctores, Amalarius lib. I *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. VII; et Alcuinus *De divinis Officiis*, in ea sectione cui titulus *In capite Jejunii;* ac Meldensis Synodus, anno 845 celebrata, cap. LXXVI, istam feriam quartam ut jejunii caput commemorent; celebris est nihilominus S. Gregorii locus, in Homilia XVI in Evangelia, sexto sæculo, quo ipse vivebat, jejunium Quadragesimale a Dominica prima Quadragesimæ, non a feria quarta præcedente, tunc temporis inchoatum fuisse : « De Quadra- » gesimali tempore, inquit, est adhuc aliud » quod possit intelligi. A præsenti etenim die » usque ad Paschalis solemnitatis gaudia sex » hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies » quadraginta duo fiunt. Ex quibus dum sex » dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non » plus in abstinentia quam triginta sex dies re- » manent. Dum vero per trecentos et sexaginta » quinque dies annus ducitur, nos autem per » triginta et sex dies affligimur, quasi anni no- » stri decimas Deo damus, ut, qui nobismetipsis » per acceptum annum viximus, Auctori nostro » nos in ejus decimis per abstinentiam mortifi- » cemus, etc. »

XVI. Manifestum est itaque ex S. Gregorio, incognitam fuisse feriam quartam in capite Quadragesimæ, sed jejunii caput fuisse feriam secundam, jejunatumque Romæ triginta sex diebus, non quadraginta. Amalarius, lib. I, cap. VII, hæc S. Gregorii verba referens, perspicue scribit videri eo tempore nondum jejunio Quadragesimali additos hos quatuor dies fuisse : « Illud enim occurrit, quod S. Grego- » rius tantummodo triginta et sex dies abstinen- » tiæ nobis insinuat quadragesimalis temporis, » forsan quia nondum erant additi quatuor dies » a supradicta feria quarta usque ad Dominicam » Quadragesimæ. » Unde credibile est *Sacramentarium* quod hujus Papæ nomine inscribitur, non habuisse ejus ævo Missam peculiarem de feria quarta, quæ hodie apud ipsum sub eo titulo legitur : *Feria* IV, *caput jejunii*. Testari enim *Sacramentarium* ipsum et non obscure innuere videtur, antiquitus jejunii initium in feria secunda post Dominicam I resedisse; tum quod in laudato Gregorii *Sacramentario*, post feriam IV, aliæ sequentes feriæ nempe V, VI et Sabbato titulo carent Quadragesimæ; tum etiam quia in Orationibus primæ Dominicæ, quarum adhuc usus est, istius initii verbis expressis mentio fit : « Deus, qui Ecclesiam tuam annua » Quadragesimali observatione purificas, etc. » Et in Secreta : « Sacrificium Quadragesimalis » initii solemniter immolamus, etc. » Et in Præfatione illius Dominicæ : « Qui, continuatis » quadraginta diebus et noctibus, hoc jejunium » non esuriens dedicavit. »

XVII. Neque obest quod in hac Præfatione et in benedictione quæ statim sequitur, exemplo Christi, Mosis et Eliæ, de quadraginta diebus agat; nam, etsi olim multi quadraginta completis diebus non jejunarent, sed paucioribus, dicebantur tamen quadraginta dies et Quadragesimam jejunare, ut scite ex Socrate, lib. V *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XXI, observat Menardus in *Notis ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, pag. 52. Cui adde et aliam Morini responsionem, qui, libro VII *De Pœnitentia*, c. XIX, scite docet in numeris sæpe id fieri solitum esse ut numerus integer completus et quadrans pro incompleto usurpetur, præsertim cum ad quadrantem et rotundum proxime accedit. Porro, præter Amalarium, affirmat quidem Æneas episcopus Parisiensis in suo libro *Contra Græcos*, quæstione III, S. Gregorium triginta sex tantum dies, sive sex hebdomadas computasse; unde errant haud dubie plerique auctores, Micrologi opinionem sequentes, qui, capite XLVI, dixit ante S. Gregorium additos fuisse quatuor dies qui Quadragesimam præcedunt; constat enim nec ubique locorum receptam fuisse hanc disciplinam, etiam longe post Gregorii ævum, ut feria quarta ante Dominicam I Quadragesimæ jejunari cœperit; cum in Scotia nonnisi undecimo sæculo ea disciplina, quæ alias, uti observat laudatus Morinus, circa annum Christi septingentesimum multis in locis

Digitized by Google

servabatur, recepta sit. Legimus siquidem in Vita S. Margaritæ Scotorum reginæ, apud Surium die 10 junii, quod, freta regis mariti sui auctoritate, inchoari Quadragesimam jussit feria quarta Cinerum, cum feria secunda post primam Dominicam inchoaretur.

XVIII. Mediolanensis Ecclesia antiquam profecto consuetudinem ad memoriam usque Patrum nostrorum constantissime observavit. Ideo in antiquo Rituali Ambrosiano apud Pamelium in *Liturgicis*, prima Dominica dicitur *In capite Quadragesimæ*, Orationesque et Præfatio illius Dominicæ nihil aliud sonant quam jejunii inchoationem. Tempore S. Caroli, erat quidem Dominica ipsa prima Quadragesimæ dies lætitiæ; in ejus autem Vita ejusque Conciliis liquido apparet quantopere laborarit in supprimendis Bacchanalium solatiis, quæ ætate sua nondum desierant in Dominica; iisque abstinentiam etsi curavit substituere, nequaquam tamen mutavit quatuor dies Dominicam præcedentes. Sic ergo inquit in suo v diœcesana Mediolanensi Synodo, decreto III : « Dominica, quæ in capite Quadra-
» gesimæ more Ambrosiano dicitur, ut reliquæ
» Dominicæ Quadragesimales, servetur item;
» ab eaque abstinentiæ Quadragesimalis initium
» plane fiat; cum non solum ex sanctissimo
» Patrum testimonio, sed ex sermonibus et do-
» ctrina, in primis ejusdem beati Ambrosii, pri-
» scisque hujus ecclesiæ tabulis, atque ex omni
» rituum certissima ratione, illam in Quadra-
» gesimæ diebus primam Dominicam et nume-
» rari et esse liquido constet. Proinde, a cibis
» quæ Quadragesimali tempore lege jejunii vetiti
» sunt, abstineat Clerus et populus omnino eo
» die, sicut aliis Dominicis Quadragesimæ die-
» bus. »

XIX. Illam quoque quæstionem examinandam censeo, an pœnitentia publica aliis diebus imponeretur quam in feria quarta Cinerum? An scilicet, si quis octo diebus post Pascha graviter ac publice peccaret, exspectandum esset Quadragesimæ sequentis initium ut publica pœnitentia plecteretur? Respondet Morinus potuisse talem peccatorem statim ad Episcopum aut ad ipsius Vicarium confugere, confessoque crimine pœnitentiam publice ab alterutro suscipere : Episcopum quoque, audito crimine, statim potuisse de eo inquirere, et reo, sive confitenti, sive non confitenti sed convicto, pœnitentiam publicam imponere, et renitentem excommunicatione percellere. Testatur Concilium Agathense, sæculo VI celebratum, apud Gratianum, can. LXV, distinctione L : « In capite Quadragesimæ, inquit,
» omnes pœnitentes qui publicam suscipiunt aut
» susceperunt pœnitentiam, ante fores ecclesiæ
» se repræsentent Episcopo civitatis, sacco in-
» duti, etc. » Non modo igitur qui tum suscipiunt pœnitentiam, sed etiam qui alio tempore eam susceperunt, eadem feria IV tenentur publice comparere in pœnitentium habitu, cæteraque præstare quæ ibi enumerantur.

XX. Sequioris ævi de hac re consuetudinem minutim ita quidem ac diligenter describit Hincmarus, Remensis archiepiscopus, ut nihil propositæ quæstioni dilucidandæ desiderari posse videatur. Sic enim inquit in celebri suo Capitulari, quod anno Episcopatus sui duodecimo Sacerdotibus diœcesis suæ tradidit : « Unusquis-
» que Sacerdos maximam providentiam habeat,
» quatenus si forte in parochia sua publicum
» homicidium, aut adulterium, vel quodcum-
» que criminale peccatum publice perpetratum
» fuerit, statim, si auctorem facti vel consen-
» tientem adire potuerit, hortetur eum quate-
» nus ad pœnitentiam veniat coram Decano et
» Compresbyteris suis..., ut infra quindecim
» dies ad nostram præsentiam publicus pecca-
» tor, si intra parochiam nostram fuerimus,
» veniat, et, juxta traditionem canonicam, pu-
» blicam pœnitentiam cum manus impositione
» accipiat. » Addit et alia quæ nostræ favent sententiæ : « Si forte quis ad pœnitentiam ve-
» nire noluerit, infra quindecim dies post per-
» petrationem peccati, et exhortationem Pre-
» sbyteri in cujus Parochia actum fuerit, ad
» sedulitatem Decani ac Compresbyterorum
» suorum, atque instantiam Comministrorum
» nostrorum decernatur, qualiter qui peccatum
» perpetravit et ad pœnitentiam redire con-
» temnit, a cœtu Ecclesiæ, donec ad pœniten-
» tiam redeat, segregetur. » Afferri et aliorum testimonia possent, sed ex iis quæ descripsimus, jam manifestissime apparet pœnitentiæ publicæ impositionem ad feriam IV in capite Quadragesimæ non fuisse retardatam, sed peccatorem, quamprimum fieri potuit, ut eam susciperet admonitum; si pervicaciter differet, censuris coactum.

XXI. Illud autem ex sacris canonibus pro

Digitized by Google

certo habetur, pœnitentiam multo durius in Quadragesima exercitam fuisse quam illam quæ reliquo anni tempore peragebatur. Severitatis istius celebre exstat in Concilio Meldensi anni 845 monimentum; sic enim inquit can. LXXVI : « Regia Majestas observare præcipiat omnibus » reipublicæ ministris, quod a divina auctoritate » et sanctorum Patrum constitutione cautum » esse dignoscitur, videlicet ut nemo comitum » aut quisquam ex judiciaria potestate, post » quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, » in qua omnes pœnitentes manus impositionem » ad vacandum solummodo pœnitentiæ et divinis » Officiis accipiunt, placitum aut mallum tenere » præsumant. » Hic vides ex antiqua consuetudine, quæ sæculum nonum longe præcedit, in Quadragesima pœnitentes longe diligentius et religiosius pœnitentiæ incubuisse quam reliquo anni tempore, principes vero sæculares religiosæ huic disciplinæ plurimum favisse.

XXII. Anno 895, Arnulpho imperatore, et Formoso Romano Pontifice, celebratum est Triburiense Concilium, in cujus can. XXXV, inter alia prohibuerunt Patres ne comites diebus Dominicis, festivis, Quadragesimæ et jejuniorum, placitum haberent, neve pœnitentem ad placitum ire compellerent : « Præterea sanci- » mus et præcipimus ut nullus comes aliquem » pœnitentem ad placitum ire compellat, nec » ipse veniat; ne forte, dum jejunare et orare, » atque pro salute suæ animæ debet invigilare, » vaniloquiis et contentionibus cogatur labora- » re. » Malum, seu mallus, quæ vox apud medii ævi scriptores compluries reperitur, publicus erat conventus in quo majores causæ disceptabantur, judiciaque majoris momenti exercebantur a comitibus, Missis dominicis, aliisque judicibus. Idipsum fere et placitum significat; de eisque vocibus videri potest eruditus Ducange in suo *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario.*

XXIII. Quanta fuerit severitas pœnitentiæ quæ in Quadragesima peragebatur, ex eo potissimum deduci potest quod hujusmodi pœnitentes, feria IV, quam Cinerum vocant, vel in capite jejunii nominant, de Ecclesia ejecti, in loco aliquo commodo includebantur, ibique manebant usque in diem Cœnæ Domini, quo die e carceribus suis exibant, solemnique ritu ad Ecclesiæ portas, comitantibus Archidiaconis, Archipresbyteris et Decanis, qui eorum curam gesserant, deducebantur, et in Ecclesiam ab Episcopo recepti, in communi conspectu reconciliabantur, et fidelium cœtui incorporabantur. Hæc fortasse incredibilia viderentur, nisi complures et prisci auctores, et Rituales libri, ac Episcoporum Synodi descriptam disciplinam comprobarent. Ejus siquidem disciplinæ meminere Concilium Toletanum XI, anni 675, can. VII; Egbertus Eboracensis archiepiscopus; Crodegangus Metensis episcopus in *Regula Canonicorum*, cap. XXVIII, prout citatur a Morino; Alcuinus in libris *De divinis Officiis;* antiqui Sacramentorum codices, Gellonensis, Gemmeticensis, qui Anglicanæ fuit Ecclesiæ, et alii apud Martene, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, art. IV, num. XI, et art VII passim.

XXIV. Præclarissimum de ipso ritu testimonium dignum est ut hic nos describamus. Exstat in Epistola Gregorii Papæ II ad Leonem Isauricum imperatorem : « Vides, imperator, » inquit, Pontificum et imperatorum discri- » men ? Si quispiam te offenderit, domum ejus » publicas et spolias, solam ei vitam relinquens, » tandemque illum etiam vel suspendio necas, » vel capite truncas, vel relegas, eumque longe » a liberis et ab omnibus cognatis et amicis suis » amandas. Pontifices non ita. Sed ubi pecca- » verit quis, et confessus fuerit, suspendii et » amputationis loco, Evangelium et crucem » ejus cervicibus circumponunt, eumque tan- « quam in carcerem in secretaria, sacrorumque » vasorum æraria conjiciunt, in ecclesiæ dia- » conia et in catechumena ablegant, ac visce- » ribus eorum jejunium, oculisque vigilias, et » laudationem ori ejus indicunt : cumque egre- » gie castigarint probeque fame afflixerint, tum » pretiosum illi Domini Corpus impartiunt, et » sancto illum Sanguine potant, et, cum illum » vas electionis restituerint ac immunem pec- » cati, sic ad Dominum, purum insontemque » transmittunt. » Ubi nota, quod superius admonuimus, fieri consuevisse pœnitentium incarcerationem in capite jejunii, quæ finem accipiebat in Cœna Domini. Plura scitu digna in descripto Gregorii loco observare poterit diligens lector.

XXV. Præcipuam istiusmodi pœnitentium inclusionis occasionem partim a consuetudine longe antea invalescente, pœnitentiam videlicet

Digitized by Google

in locis secretis agendam quibusdam imponendi, partim a simili, quod competentibus, paulo antequam baptizarentur, fieri solebat, ut sanctius ad baptismum præpararentur, scite admodum plerique eruditi autumant : qui etiam cum Morino docent munus Episcoporum fuisse ut Archidiaconi, Archipresbyteri, et Decani parœciarum, toto Quadragesimali tempore diligenter invigilarent quomodo pœnitentes inclusi se gererent, et an animi devotione imperata singula exsequerentur; ut nimirum in die Cœnæ Domini diligentes altari reconciliarent, desides vero et pigros diuturno tempore suspenderent.

XXVI. Puto autem circa annum Christi millesimum relaxari cœpisse disciplinam inclusionis, certumque pœnitentibus locum sive parœciam assignatam fuisse, in qua per totam Quadragesimam commorarentur, pœnitentiæque operibus vacarent, ne, huc et illuc vagantes, Quadragesimalis pœnitentiæ actionem turbarent. Id quidem statuit Concilium Salgunstadiense habitum anno 1022, can. XIX. « Omnis » pœnitens dum carinam suam jejunat, de loco » in locum non migret; sed ibi permaneat ubi » suam acceperit pœnitentiam, ut proprius Sa» cerdos sibi præbeat testimonium : si autem » ibi propter hostiles insidias jejunare non po» terit, suus Sacerdos eum confratrum suorum » alicui, ubi pacifice possit jejunare, diligenter » commendet. » Hunc canonem, præter Burchardum Wormaciensem episcopum, qui præfato Concilio adfuit, refert Ivo Carnotensis, parte XV decreti, cap. CLXXXV. Carina autem, cujus meminit Canon, teutonice est pœnitentia quadraginta dierum in pane et aqua, apud Joannem Filesacum in *Syntagmate Pœnitentiæ*, cap. V.

XXVII. Forte gratum erit lectori sacrorum rituum curioso, si, præter ritus hactenus enarratos aliosque inferius recensendos, nonnullos hic describam qui olim initio Quadragesimæ celebrari solebant. Et quidem in nostra Citeriori Calabria, prout ex *Ordinario* Lucæ Consentini episcopi addiscimus, qui floruit initio sæculii XIII, nulli Capellanorum civitatis, id est parochorum, ut alibi notatum est, antequam cineres in majori ecclesia benedicerentur, et sermo ad populum haberetur, celebrare Missam licebat. In Galliis, ex veteri Missali Lemovicensi, Diaconus in Missa, ante primam Orationem, cantabat *Flectamus genua*, atque interim Sacerdos submissa voce hanc pronuntiabat Orationem, desumptam ex Epistola Pauli ad Ephesios, cap. III : *Flecto genua meu ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis Paternitas in cœlis et in terra nominatur*. Idque per totam Quadragesimam obtinebat. Ordo Romanus, auctore Benedicto Canonico, hunc ritum Romæ servari solitum refert : « Ante » communionem stet Subdiaconus regionarius » juxta altare, dicens alta voce : *Crastina die* » *veniente, statio erit in ecclesia Sancti-Georgii* » *Martyris ad velum aureum;* respondet Schola: » *Deo gratias*. Et sic postea Primicerius cantat » Communionem. » Tum hunc alium ritum recenset : « Finita Missa Acolythus debet tol» lere papyrum, et intingere in oleo candelæ, » et diligenter extergere, et portare ad palatium » ante Pontificem, dicens : *Jube, Domne, bene*» *dicere*. Pontifex benedicit. Ille vero dicit : *Ho*» *die fuit statio ad Sanctam-Sabinam, quæ salu*» *tat te*. Pontifex respondet : *Deo gratias*. Aco» lythus repræsentat ei papyrum, qui osculatur » eum pro devotione Sanctæ, et dat eum Cu» biculario. Cubicularius reponit, et diligenter » observat usque ad mortem Pontificis. Et sic » fit in omnibus stationibus. Ad mortem facit » ex eis pulvillum, et ponit sub capite ejus in » sepulcro. »

XXVIII. Rursus feria quarta Cinerum consueverunt olim Carthusienses, ut in eorum Ordinario legitur, cap. XLVII, ante Sextam cruces et imagines sacras velare, in Parasceve detegendas, et similiter instrumenta quibus pax datur : quem morem retinent ex Guigonis *Statutis*, cap. IV. Bursfeldenses Monachi vespere quidem diei præcedentis diem Cinerum hoc agebant. Qualis fuerit ritus in nostra Consentina diœcesi servatus, addiscimus ex manuscripto Ordinario Lucæ Consentini, sic aientis : « Post Completo» rium ipsius Dominicæ, Sacristæ cooperiant » omnes cruces, et cortinas suspendant inter » chorum et altaria, vel ubicumque per Eccle» siam suspendi solent : quæ cortinæ retrahan» tur in sabbatis et festis novem Lectionum » ante Vesperas, et sic maneant usque post » Completorium sequentis diei. In Missa tamen » feriæ, quæ diebus festis post Nonam dicitur, » more solito suspendantur. Retrahatur etiam

Digitized by Google

» sola quæ pendet ante majus altare dicta Sexta, » cum fieri debet aspersio ante processionem, » et sic maneat usque ad finem processionis. » Similiter retrahatur in Officio et Missa pro » sequenti defuncto, et in ordinationibus Cle- » ricorum. » Similia videre est in aliis Ordinariis diversarum Ecclesiarum, nisi quod nonnullæ, post Completorium Dominicæ primæ in Quadragesima, quædam ante Primam sequentis feriæ secundæ id faciendum esse præscribunt. Idem dicendum est de imaginibus, quæ olim non in Dominica Passionis, ut hodiernus usus obtinuit in plerisque Ecclesiis, sed in ipso Quadragesimæ initio velabantur; id quod hactenus retinuerunt insigniores Ecclesiæ non paucæ, uti docet eximius scriptor Edmundus Martene in opere *De antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis Officiis*, capite XIX, num. VI.

XXIX. Longum profecto esset referre peculiares ritus a Monachis, præsertim Quadragesimæ tempore, servari solitos. Conventus Aquisgranensis, cap. VI, ita statuit : « Ut in » Quadragesima, nisi in Sabbato sancto, non » radantur. » In Vitis sanctorum Patrum Ordinis Prædicatorum, parte III, cap. IV, hæc de Quadragesimæ cultu legimus : « Unus tota Quadragesima stetit non bibens, nisi semel in » die; nec loquens nisi interrogatus : multi » raro pitantiis utebantur : multi, ne notam in » speciali incurrerent, modo ab isto, modo ab » alio abstinebant; omni die aliquid de oblatis » subtrahentes. » Lucem quoque Quadragesimæ tempore plerique fugiebant hominumque conspectum. Narrat Palladius beatum Macarium Ægyptiacum, cum multas cellas haberet, hoc jejunii tempore illarum fuisse perpetuum inquilinum quæ ostio carebant et tenebris obsidebantur. Tandem soliti erant Monachi se invicem amplecti, commendare se Abbatis orationibus, vilique viatico sumpto se recipere in solitudinem. Vide auctorem Vitæ S. Mariæ Ægyptiacæ apud Surium die 9 aprilis. Vide eruditissimum Novarinum in opere cui titulus *Schediosmata sacro-prophana*, lib. VIII, cap. XVIII et XIX. Vide et infra, ubi plures laude dignos, non modo a pœnitentibus sed et a cæteris Christianis servari solitos in Quadragesima, ritus, prout se occasio dederit, referemus.

§ I.

In capite Quadragesimæ solemniter pœnitentes de ecclesia ejiciuntur hoc modo : Pœnitentes, quibus secundum jus vel consuetudinem pro gravioribus criminibus solemnis pœnitentia est imponenda, hac die, hora quasi tertia conveniant ad ecclesiam cathedralem in vilibus vestimentis, nudis pedibus, et vultibus ad terram demissis, quorum nomina scribi debent, accipientes pœnitentiam juxta modum culpæ ab Episcopo, Pœnitentiario, vel ab aliis quibus hoc officium commissum est, et postea omnes emittuntur, et manent ante fores ecclesiæ.

COMMENTARIUS.

I. Caput jejunii appellatam fuisse feriam IV Cinerum, dictum a nobis superius fuit. Pœnitentes eo die debuisse ad ecclesiam pergere, atque, vilibus indutos vestibus, nudis pedibus, vultibusque in terram demissis, Episcopo vel ejus Pœnitentiario se in ecclesiæ foribus præsentare, docent prisci auctores, et antiqui libri Pontificales : « In capite Quadragesimæ, » inquit Canon Concilii Agathensis apud Gratianum, distinctione L, can. LXV, « omnes pœnitentes » qui publicam suscipiunt aut susceperunt pœ- » nitentiam ante fores ecclesiæ se repræsentent » Episcopo civitatis, sacco induti, nudis pedibus, » vultibus in terram demissis, reos se esse ipso » habitu et vultu protestantes. »

II. Quod pœnitentiam publicam, et solemnem agentes, non solum cum pœnitentiam postularent, sed toto illius peragendæ decursu, sumptuosis depositis vestibus, lugubres assumerent, saccumque induerent, ac, vultu ad terram demisso, nudis incederent pedibus, præclarissimum testimonium affert S. Hieronymus in Epistola ad Oceanum, ubi pœnitentiam Fabiolæ nobilis feminæ Romanæ describit, quæ, dimissô

Digitized by Google

propter adulterium marito, alteri nupserat : « Quis hoc crederet ut, post mortem secundi » viri in semet reversa (quo tempore solent » viduæ negligentes, jugo servitutis excusso, » agere se liberius, adire balnea, volitare per » plateas, vultus circumferre meretricios), sac- » cum indueret, ut errorem publice fateretur; » et, tota urbe spectante Romana, ante diem » Paschæ, in basilica quondam Laterani, qui » Cæsariano truncatus est gladio, staret in or- » dine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris et » omni populo collacrymantibus, sparsum cri- » nem, ora lurida, et squallidas manus, sordida » colla submitteret. » Et infra : « Aperuit cun- » ctis vulnus suum, et decolorem in corpore » cicatricem flens Roma conspexit. Non est » ingressa ecclesiam Domini, sed extra castra » cum Maria sorore Moysi, separata consedit, » ut, quam Sacerdos ejecerat, ipse revocaret. » Descendit de solio deliciarum suarum, accepit » molam, fecit farinam, et discalceatis pedibus » transivit fluenta Jordanis. Faciem, per quam » secundo viro placuerat, verberabat, oderat » gemmas, linteamina videre non poterat, or- » namenta fugiebat, etc. »

III. Lectu digna est integra Hieronymi epistola, quam nos aliquibus notis illustravimus in ejusdem S. Doctoris selectis Epistolis, quas Romæ edidimus anno 1721. Multa sunt in ea Epistola, quæ veterem pœnitentiæ etiam a nobilibus peractæ disciplinam spectant. Quod mirum videri non debet, cum et Theodosius ipse imperator, pœnitentiam sibi impositam agens ob cædem Thessalonicam, teste Sozomeno, lib. VII *Historiæ*, cap. XXV, « toto illi temporis » spatio, quod sibi ad pœnitentiam præstitutum » fuerat, tanquam qui in luctu esset, imperiali » cultu minime usus est. » Etiam Ludovicus Pius imperator publicam pœnitentiam agere coactus, armis ante altare depositis, *pulla veste* indutus est; ut legitur in ejus Vita apud Chesnium, *Historiæ Francorum* tomo II. Edgaro autem regi S. Dunstanus, testante Osberino in ejus Vita, num. XXXV, ob vim illatam virgini Deo consecratæ, « septennem pœnitentiam » indixit, ut in toto hoc spatio coronam regni » non gestaret. » Quibus adde Goffridum comitem Andegavensem, qui in *Chronico Andegavensi*, anno 1100, Deo et abbati Goffrido *nudis pedibus* satisfecisse legitur.

IV. Mutabant itaque vestes qui publicam pœnitentiam suscipiebant, ejusque disciplinæ adeo tenaces antiqui Patres fuerunt, ut pœnitentiam ipsam postulantibus minime imponerent, nisi prius crinem tonderent ac vestes mutarent. Cautum id quidem fuit ex plurimis Synodis, præsertim vero ex Agathensi anni 505, can. XV. « Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, » impositionem manuum, et cilicium super » caput a Sacerdote, sicut ubique constitutum » est, consequantur. Si autem comas non depo- » suerint, aut vestimenta non mutaverint, ab- » jiciantur. » In Concilio Toletano III, habito anno 589, can. XII, idipsum, et longe amplius, præscriptum legimus : « Quicumque, inquit, » ab Episcopo vel Presbytero sanus vel infirmus » pœnitentiam postulat, id ante omnia Episco- » pus servet et Presbyter, ut, si vir est, sive sa- » nus sive infirmus, prius eum tondeat, aut in » cinere et cilicio habitum mutare faciat, et sic » pœnitentiam ei tradat. » Adjungit etiam de femina, ut « non accipiat pœnitentiam, nisi » prius aut velata fuerit, aut mutaverit habi- » tum. » Porro vel Tertulliani ævo pœnitentes lugubrem habitum induebant, cum petituri erant admissionem ad pœnitentiam. Sic enim ille, cap. V libri *De Pudicitia*, quem adversus Catholicos factus Montanista scripsit, de cæremonia ipsa loquitur : « Adsistit idololatres, ad- » sistit homicida, in medio eorum adsistit et » mœchus. Pariter de pœnitentiæ officio sedent, » in sacco et cinere inhorrescunt, eodem fletu » ingemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem » genibus exorant, eamdem invocant matrem. »

V. Nudis pedibus, et vultibus ad terram demissis, comparuisse jam olim pœnitentes, omnes pene libri manuscripti Pontificales nos docent; itemque Patres Concilii Agathensis, cujus ipsi manuscripti Pontificales codices meminere, inter quos manuscriptus liber Pontificalis Gulielmi Durandi, uti in Appendice videre est. Ante Agathensem Synodum jam olim prisci ævi fideles, in pœnitentiæ et doloris signum, vultum ipsum terræ allidebant. Certe id faciendum monet S. Ambrosius in libro *De Pœnitentia*, cap. XXIV, ubi ita inquit : « Confitere, » et faciem Dei præveni satisfactionis officio : » humilia ante eum cor tuum, et in conspectu » ejus curva cervicem : flecte genua, et eliso » vultu terræ prosternere. Suscipiet gemitum

Digitized by Google

» tuum cœlestis ille protinus advocatus. »

VI. Fuit et ille jam olim mos, ut pœnitentes non modo ubi initio Quadragesimæ Episcopo se præsentabant, nudis pedibus adessent, verum etiam in pœnitentiam pedibus nudis circa ecclesias circuirent. Ad eum ritum ea quidem verba spectant quæ in quadam Epistola habet Henricus abbas Claravallensis, relata a Rogerio Hovedeno parte posteriori *Annalium :* « Pœni» tentia illi talis injungitur, ut infra quadra» ginta dies a patria sua exsulaturus excederet, » in servitio pauperum Hierosolymis triennio » moraturus. Interim vero singulis diebus Do» minicis ecclesias Tolosanæ urbis nudus et » discalceatus cum disciplinalibus virgis jussus » est circuire. » Quod quidem mirum videri haud debet, cum, in Processionibus tempore Quadragesimæ fieri solitis, reliqui etiam Christi fideles pedibus nudis incederent, ut docet Edmundus Martene, in libro *De antiqua Ecclesiæ Disciplina in divinis celebrandis Officiis,* capite XVIII, numero XIX, et alibi.

VII. Illud nunc investigandum est, quisnam olim daret pœnitentiam, Episcopusne, an vero Sacerdos? Dicitur enim in hoc nostro § accipere pœnitentiam pœnitentes ab Episcopo, Pœnitentiario, vel aliis quibus hoc officium commissum est. Certe, si pristinam disciplinam inspiciamus, dare pœnitentiam ad Episcopum olim pertinuit : idque cautum est ex variis canonibus, uti fuse probat eruditus Joannes Dartis in suo *De canonica Disciplina circa Pœnitentiam* opusculo, cap. XXVI, ubi etiam hanc rationem ejus rei assignat, quia scilicet Episcopi erat judicare de pœnitentium statu et merito; ejusque fit semper mentio, ut dispenset circa gradus pœnitentiæ percurrendos, in canone XXX S. Basilii ad Amphilochium, canone VII Concilii Ancyrani, et aliis plurimis. Cæterum si aliquando legamus pœnitentiam dari a Sacerdote, ut in decretis Eusebio Papæ adscriptis, cap. X, et in aliis veterum Pontificum locis, dicendum est quidem id intelligi vel in necessitate vel jussu Episcopi, vel Sacerdotem ibi sumi pro Episcopo, vel quia is erat usus in quibusdam diœcesibus, ut nunc est in universa Ecclesia.

VIII. Tandem, tametsi olim Episcopus ipse diœceseos suæ generalis esset Pœnitentiarius, ad eumque solum spectaret pœnitentiæ leges ponere, canones condere, publicam pœnitentiam decernere, explorare per sese aut per alios quo studio pœnitentes operibus piis incumberent, ut pro cujusque vel negligentia vel diligentia pœnitentiæ tempus protraheretur longius vel contraheretur : illud nihilominus liquet quod vel primis Christi sæculis, sæviente, quæ dirissima fuit, Decii in Christianos persecutione, ut scribit Socrates, lib. V *Historiæ*, cap. XIX, « Ec» clesiarum Episcopi canoni adjunxerunt ut in » singulis ecclesiis Presbyter quidam pœni» tentiæ præesset, quo qui post baptismum » lapsi fuissent, coram Presbytero ad eam rem » designato peccata sua confiterentur. » Fuse de hoc Presbytero pœnitentiario auctores scribunt, quem a Nectario sublatum hæretici nobis objicientes, pœnitentiæ etiam Sacramentum ab ipso Nectario sublatum calumniantur.

IX. Istiusmodi hæreticorum commentum egregie passim nostri theologi confutant. Nobis illud sat fuit ostendisse, jam olim fuisse in Ecclesia Presbyterum, quem vocant Pœnitentiarium. Non enim primo institutus fuit ab Innocentio III in Synodo œcumenica Lateranensi IV, anni 1215, uti quidam frustra autumant. Si enim retro flectamus vestigia in superiores ætates, ut scite observat in sua *Veteri ac nova Ecclesiæ Disciplina* vir clarissimus Thomassinus, parte I, lib. II, cap X, num. V, obvius nobis prodibit Confessor generalis cujusque diœceseos, cui earumdem functionum, confessiones audiendi et pœnitentias injungendi, officium incumbebat. Etenim Eboracense Concilium, anno 1194, can. XXI, statuerat ut si perjurii reus quis, ideoque excommunicationis telo confixus, ad pœnitentiæ medicamentum adproperaret, canonica ei vel ab Episcopo imponeretur pœnitentia, vel, si is abesset, a Confessore diœcesano generali : « Ad Episcopum, inquit, vel » eo absente ad generalem diœcesis Confesso» rem transmittantur, ab eo pœnitentiam su» scepturi. » Si qui autem repentino casu ea corriperentur ægritudine ex qua mox animam efflaturi crederentur, eis non imponeretur pœnitentia, sed insinuaretur, præcipiendo ut, si quando convalescerent, ad Episcopum recurrerent, vel eo absente ad generalem diœcesis Confessorem, qui legitimam pœnitentiam indiceret : « In extremis laboribus insinuanda, non

Digitized by Google

» imponenda est pœnitentia, eisque firmiter in-
» jungatur ut, si vixerint, Episcopum, vel
» generalem diœcesis Confessorem absente Epi-
» scopo adeant, ut eis pœnitentia competens
» injungatur. »

X. Erant Romanis Pontificibus sui Pœnitentiarii ante Innocentium III, et ante Concilii Lateranensis IV tempora. Quamobrem a verisimilitudine non discrepat, quod memoratus Thomassinus subjicit, decretum in memorato œcumenico Concilio Lateranensi de Pœnitentiariis ubique terrarum statuendis conditum temperatumque fuisse. Id quod Bertholdi presbyteri Constantiensis testimonio comprobat, qui in *Chronico suo* aut in *Continuatione Chronici Hermanni*, anno 1084, narrat se a Summo Romano Pontifice ordinatum fuisse Presbyterum, et Pœnitentiarium Romanæ Ecclesiæ eodem tempore constitutum. Certe ex Presbyteris Ecclesiæ Romanæ quosdam constituit Simplicius Papa, qui regere Ecclesiam cœpit anno 468, ut auctor est Anastasius bibliothecarius, super pœnitentes, qui iis præssent et eorum exomologeses seu confessiones audirent : « Hic constituit ad sanctos Petrum, Paulum et » Laurentium hebdomadas, ut Presbyteri » ibidem manerent propter pœnitentes, et bap- » tismum, etc. » Horum primus hodie magnus Pœnitentiarius dicitur, qua dignitate in Ecclesia Romana fungitur unus ex Cardinalibus, de cujus officio fuse agit Octavianus Vestrius, lib. I *De judiciis Aulæ Romanæ*.

XI. Post memoratum Concilium IV Lateranense vix Synodos invenies in quibus de Presbytero Pœnitentiario mentio non fiat; præceperat enim in eo Concilio Innocentius III « tam » in cathedralibus quam aliis conventualibus » ecclesiis viros idoneos ordinari, quos Episcopi » possint coadjutores et cooperatores habere, » non solum in prædicationis officio, verum » etiam in confessionibus audiendis et pœniten- » tiis injungendis. » Horum coadjutorum cooperatorumve potestatem ac jurisdictionem solebant tunc temporis Episcopi ad quasdam personas et certa crimina restringere, ut nimirum pro diversa personarum conditione varios assignarent Confessarios, graviora quoque crimina sibi nonnunquam reservantes. Id quod fuse ostendit laudatus Thomassinus, in ejusque confirmationem plurimos adducit Conciliorum canones. Ex quibus omnibus id manifestum fit, non fuisse olim in more positum ut Episcopus generaliter approbaret Presbyteros qui in tota ejus diœcesi confessiones exciperent, nisi Pœnitentiarios.

XII. Voluit tandem Concilium Tridentinum, sessione XXIV, cap. VIII, ut Pœnitentiarii munus in perpetui beneficii et dignitatis gradum eveheretur; statuitque idcirco ut in omnibus ecclesiis cathedralibus, ubi commode posset, prima vacatura præbenda Pœnitentiario adjiceretur, cui non alius deligi posset, nisi doctor vel licentiatus in theologia vel jure, et annos natus quadraginta, et is cujus tanti ponderis ministerio et pietas et eruditio responderet : qui denique, quamdiu audiendis confessionibus vacaret, choro et Officiis præsens censeretur. Hoc Concilii Tridentini decretum passim Ecclesiæ fere omnes recepere, uti constat ex variis Synodis tum provincialibus, tum diœcesanis post Tridentinam celebratis.

XIII. S. Carolus, hujus dignitatis et officii gravitatem perpendens, in suo Mediolanensi quinta provinciali Synodo, parte III Constitutionum, cap. *Quæ ad Beneficiorum collationem attinent*, statuit quidem ut, ubi primum præbenda pœnitentialis vacaverit, etiamsi illius conferendæ jus ad alium quam ad Episcopum, præterquam ad Sedem Apostolicam, pertineat, edictum de more proponatur, quo ad concursum evocentur quicumque sint qui illius muneris causa examen subire velint, aliosve nominare qui subeant : confecto autem constituti temporis spatio, uniuscujusque eorum qui illo nomine convenerint, periculum experimentumve in litteris ac doctrinis, omni vel diligentissima percunctationum quæstionumve ratione, faciat Episcopus, adhibitis sibi pro arbitrio suo aliis peritis probisque viris; cum etiam de illorum vita, moribus, ætate, gradu, ordine, cæterisque conditionibus ad tale munus necessariis accurate perquirat. Tum demum Episcopus ipse, solum rebus iis omnibus accurate perpensis, mature in Domino deliberet, et libere deligat quem pro conscientiæ suæ religione digniorem aptioremque existimet, cui tale munus tantique ponderis recte committatur. Qua in deliberatione idem videat ut, quod præsertim ad Pœnitentiarium attinet, cum peritiam necessariam spectarit, tum maxime vitæ innocentiam, morum gravi-

Digitized by Google

tatem, spiritualium exercitationum studium, et usum diuturniorem in audiendis confessionibus, exercitatiorem prudentiam, cæterasque religiosæ pietatis virtutes perpendat.

XIV. Exstat ea de re in Appendice Concilii Romani, anno 1725 in basilica Lateranensi habiti, celebris Constitutio Benedicti XIII, qua præbendæ Theologalis et Canonici Pœnitentiarii in ecclesiis cathedralibus et collegiatis, etiam oppidorum insignium Italiæ insularumque adjacentium, ubi non sunt, institutioni consulitur. Sane si eum Episcopi in conferenda hac dignitate delectum facerent quem Tridentina Synodus et S. Carolus præscribit, omnibus facile manifestum foret quam merito hujusmodi dignitas in Ecclesiis instituta sit, quæ hodie alicubi pene inutilis, et sine ullo officio aut onere esse apparet, tametsi zelosiores Episcopi in Synodis suis edictisve varias regulas a Pœnitentiariis servandas præscribant.

XV. Præter Pœnitentiarium, de quo hactenus dictum est, potest Episcopus ex hac nostra rubrica alios committere, ut pœnitentiam dent pœnitentibus. Etsi enim Episcopus solus Pastor sit primus, et princeps ovilis tota in sua diœcesi sparsi et a Deo sibi commendati, potest nihilominus alios sui gregis partibus præficere, sive Parochos Sacerdotes instituat, sive Pœnitentiarios creet, sive Confessarios deleget. Certe Monachi ipsi, ex quo in Clerum admissi sunt, ex dispensatione pariter admissi sunt ad Ecclesiastica ministeria et ad regimen ipsum Parochialium ecclesiarum, in subsidium Clericorum, uti liquido constat ex can. *Doctos*, can. *Moderamine,* et sequenti, XVI, quæstione I. Quod iisdem ac præsertim Fratribus Mendicantibus, sæculo XIII Pontifices Maximi id privilegii concesserint ut dare pœnitentiam possent, ex illorum Bullariis liquet. Apud Græcos in Ecclesia Orientali Joannes Antiochenus patriarcha, qui ipsam Antiochenam Ecclesiam regebat sæculo Christi XII, testatum facit, apud Cotteleriuin, tomo I *Monumentorum Ecclesiæ Græcæ*, pag. 169, eo ævo confessionum audiendarum et administrandæ pœnitentiæ ministerium ad solos fere Monachos devolutum fuisse : « Adeo a » fidelibus cultus honoratusque fuit Monacho- » rum Ordo, ut confessiones ac enuntiationes » peccatorum, consequentesque censuræ et » absolutiones ad Monachos translatæ sint, » quemadmodum in præsentiarum quoque fieri » videmus. »

XVI. In Occidente, ut aliorum Mendicantium Fratrum privilegia omittam ex Honorii III Constitutione edita anno 1221, die 4 februarii, exstatque tomo I Bullarii Dominicani, concessum est Presbyteris Ordinis Prædicatorum « pœni- » tentium confessiones audire. » Missæ sunt laudati Pontificis litteræ ad universos Ecclesiarum Episcopos. Rursus ex alia constitutione Gregorii IX, edita die 21 aprilis, anno 1227, inscripta Episcopis ac Prælatis Olomucensis diœceseos, conceditur eisdem Fratribus ex auctoritate Romani Pontificis « confessiones audire, » et pœnitentias injungere. » Exstant litteræ eodem tomo I Bullarii Dominicani, pag. 18. Porro non omittendum hic est, quod docet vir clarissimus, Adamantius et Chalcenterus nostri temporis (ita olim appellatus est a S. Hieronymo Origenes ob infatigabilem in scribendo legendoque naturam), Antoninus Bremond inclyti Ordinis Prædicatorum alumnus, ac Collegii Casanatensis theologus, tomo VIII Bullarii Dominicani, in tractatu *De consensu Bullarum*, tit. VII, quæstione VII, num. IV, pag. 327, ab Alexandro IV damnatum fuisse tractatum cui titulus *De periculis novissimorum temporum.* Ex propositionibus autem damnatis in hoc tractatu legebatur ista, quod scilicet Fratres Prædicatores et Minores, « de licentia vel commissione » Romani Pontificis seu diœcesanorum Epi- » scoporum, Prædicatoris exercere officium, et » confessiones audire libere non valebant, tan- » quam per hoc Sacerdotibus parochialibus » præjudicium inferrent. » Id autem, ut scite subjungit laudatus theologus, oppido falsum esse docet Alexander IV, Constitutione 124, 125 et 127, quæ incipiunt *Non sine*, tomo I Bullarii Dominicani, pag 320 et 321, dicens quod Fratres Prædicatores et Minores, « de li- » centia et commissione vel concessione Romani » Pontificis seu Legatorum vel Ordinariorum » locorum, licite possint prædicare populis, et » confessiones audire, ac pœnitentias injungere » salutares. » De prædicti tractatus damnatione legendæ insuper sunt variæ Alexandri IV Constitutiones exstantes tomo ipso Dominicani Bullarii, pag. 317 et aliis sequentibus.

XXVII. Auctor ejus tractatus est quidem Guillelmus de sancto Amore ex oppido Amato-

Digitized by Google

ris apud Sequanos, canonicus Bellovacensis, et theologus Parisiensis, de quo vide plura apud Wadingum in *Annalibus Ordinis Minorum*, ad annum 1255, et novissime apud Pagium in *Breviario Gestorum Pontificum Romanorum*, tomo II, ubi agit de Alexandro Papa IV, num. IX.

§ II.

Pontifex interim, dicta Sexta, si non sit celebraturus, paratur supra Rochetum (vel, si sit Religiosus, supra superpelliceum) amictu, alba, cingulo, stola, pluviali violaceis, mitra simplici, et baculo Pastorali. Si autem Pontifex est celebraturus, dum dicitur Nona, more solito accipit sandalia et cætera paramenta Pontificalia usque ad dalmaticam inclusive, et desuper pluviale coloris violacei, et mitram simplicem, et benedicit cineres, atque imponit. Quibus peractis, Pontifex cum Ministris, Schola et toto Clero, cruce, aqua benedicta, et duobus cereis præcedentibus, egreditur chorum circa medium ecclesiæ, ubi parata sit sedes. Tunc Clerus dividitur per duos Choros hinc inde versus valvas ecclesiæ. Pœnitentes vero omnes ingressi, prosternunt se cum lacrymis in ecclesiæ pavimento coram Pontifice inter utrumque Chorum. Tunc Pontifex sedens cum mitra, vel Archipresbyter stans imponit cineres super capita singulorum, dicens : *Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris : age pœnitentiam, ut habeas vitam æternam.* Et unus ex Canonicis aspergit eos aqua benedicta.

COMMENTARIUS.

I. Trahit et hæc Rubrica, sicut et cæteræ fere omnes, suam originem a manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, cui consonat manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis, quod usui fuit Ecclesiæ Tarentasiensi; postquam enim præscripsit ut pœnitentes, quibus solemnis est pœnitentia imponenda, feria IV in capite jejunii, hora quasi tertia conveniant ad ecclesiam cathedralem, in vilibus vestibus, et vultibus ad terram demissis, accipientesque pœnitentiam juxta modum culpæ a Pœnitentiario Episcopi, vel ab iis quibus hoc officium deputatum est, tum omnes ejiciantur, maneantque ante fores ecclesiæ; hæc statim mandat : « Interim Pontifex, dicta Sexta, paratur amictu, alba, stola, » pluviali seu cappa, mitra simplici, et baculo » Pastorali. Ministri etiam parantur, et benedi» cit cineres, qui in quibusdam Ecclesiis fiunt » de ramis benedictis præteriti anni, si habean» tur, etc.» Pontificale Ecclesiæ Bisuntinæ, annorum circiter sexcentorum, non modo præscribit ut hora sexta, feria IV Cinerum, veniant omnes ad majorem ecclesiam tam Clerus quam populus; verum etiam ut tunc induat se « Archiepi» scopus alba et stola et purpurea cappa ; » et ascendat ambonem, annuntians populo proprietatem diei, qualiter se debeant habere rei qui ejiciendi sunt ab Ecclesia, et quanta instantia debeant pro eis orare qui per Dei donum remanent intra Ecclesiæ septa. Adjungit mox ut, « his ita gestis, benedicantur cineres, et depor» tentur in testeo vase, ut cognoscat se homo » terram esse, et in cinerem reversurum. »

II. Ritus aspergendi cinere pœnitentes desumptus est quidem a veteri Testamento, in quo passim legitur Judæos, in mœstitiæ indicium, sacco opertos cinere se conspersisse. Primus omnium pœnitentibus Job exemplum exhibuisse videtur, cum, uti habetur cap. XLII, post funera vel post flagella, adhuc in sui redargutione etiam in cilicio et cinere lamenta pœnitentiæ sumpsit, dicens : *Idcirco ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in favilla et cinere.* Observat hæc S. Isidorus, lib. II *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. XVI, ubi etiam exemplum Davidis ac Ninivitarum innuit, de quorum rege apud Jonam prophetam, cap. III, habetur quod, ubi ad eum pervenit prædictio subversionis civi-

Digitized by Google

tatis Ninives, *surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere.*

III. Hunc morem et primos Christianos servasse, ubi de suis criminibus pœnitentiam agerent, docet nos pervetustus auctor Tertullianus, cap. v libri *De Pudicitia*, quem factus Montanista adversus Catholicos scripsit : « Adsistit » idololatres, adsistit homicida, in medio eorum » adsistit et mœchus. Pariter de pœnitentiæ » officio sedent, in sacco et cinere inhorre- » scunt, etc. » Describit eamdem disciplinam in lib. *De Pœnitentia*, cap. IX, his verbis : « De ipso » quoque habitu atque victu mandat (id est » exomologesis) sacco et cineri incubare, corpus » sordibus obscurare, etc. » Apud S. Cyprianum in libro *De Lapsis* legimus quod pœnitentes « orare oportet impensius et rogare, diem luctu » transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, » tempus omne lacrymosis lamentationibus » occupare, stratos solo adhærere cineri, in ci- » licio et sordibus volutari, post indumentum » Christi perditum, nullum hic jam velle ve- » stitum. » Item de Natalio scribit Eusebius, l. v *Historiæ*, c. XXVII, quod « mane surrexit ci- » licio et sacco indutus, cineribus aspersus, » cum magno mœrore et lacrymis ad pedes Ze- » phyrini Pontificis se supplicem abjecit. » Hoc quoque ritu usos olim Donatistas fuisse, prodit S. Optatus Milevitanus, lib. VI *Adversus Parmenianum*, ubi agens de hujusmodi schismaticis qui Catholicas virgines pœnitentiam suscipere cogebant, ita scribit : « Jam consecratas adsper- » gistis immundis cineribus : crines jussistis » etiam salsa aqua perfundi. »

IV. Longum esset in hac re aliorum testimonia recensere. Profecto unum non prætermittam, quod legi apud S. Isidorum, lib. II *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. XVI, ubi S. Doctor, de pœnitentibus loquens, et ritus meminit et ejus rationem assignat : « Cinere autem adspergunt, in- » quit, ut sint memores quia cinis et pulvis » sunt, vel quia pulvis, id est impii, facti sunt : » unde et illi prævaricatores primi homines » recedentes a Deo, malisque factis offendentes » Creatorem, in pulverem, unde primum sum- » pti sunt, redierunt. » Tum et de cilicio verba faciens, quod, ut infra dicemus, imponi olim pœnitentibus consuevit, ita utrumque ritum impositionis cilicii et cineris egregie exponit : « Bene ergo in cilicio et cinere pœnitens deplo- » rat peccatum, quod in cilicio asperitas et » compunctio peccatorum, in cinere pulvis » ostenditur mortuorum : et idcirco in utroque » pœnitentiam agimus, ut et compunctione ci- » licii agnoscamus vitia quæ per culpam com- » misimus ; et per favillam cineris perpendamus » mortis sententiam, ad quam peccando per- » venimus. »

V. Quod benedici debeant cineres imponendi capitibus pœnitentium, jam supra audivimus ex manuscriptis Pontificalibus Ecclesiæ Lugdunensis et Bisuntinæ, in quorum altero de eo etiam ritu admonemur, ut nempe « benedican- » tur cineres, et deportentur in testeo vase, ut » cognoscat se homo terram esse, et in cinerem » reversurum. » Pro varietate Ecclesiarum variæ et erant olim Orationum formulæ quibus cineres benedicebantur, uti in antiquis manuscriptis Missalibus et Pontificalibus videre est ; in quibus etiam variæ recensentur formulæ quibus super pœnitentium capita cineres imponebantur. Juxta Bisuntinæ Ecclesiæ Pontificalis præscriptum, ita quidem aiebat Sacerdos : » Recognosce, homo, quia cinis es et in cinerem » reverteris. » In manuscripto Pontificali Ecclesiæ Lugdunensis hoc modo legitur : « Me- » mento, fili, quia pulvis es et in pulverem re- » verteris : age pœnitentiam, ut habeas vitam » æternam. » Testatur Grancolas *In Breviarium Romanum*, cap. XLV, in quibusdam Ritualibus hanc haberi formulam : « Pœnitentiam age cum » cilicio et cinere. » In aliis vero istam : « Ci- » neris hujus aspersio sit mihi, quæso, Domine, » remedium salutis. » In Ecclesia Pictaviensi cineres sub hac forma imponebantur : « Pœni- » tentiam age in cinere et cilicio, et memento » quia cinis es et cinis eris, et in cinerem re- » verteris : in nomine Patris, et Filii, et Spiritus » sancti. Amen. » In Coloniensi : « Homo, re- » cognosce quia cinis es, et in cinerem ibis ; » pulvis es, et in pulverem reverteris ; ideo age » pœnitentiam, et habebis vitam æternam. » In Antissiodorensi : « Memento, homo, quia ci- » nis es, et in cinerem reverteris : in nomine » Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. »

VI. Illud quoque de cineribus istis adnotandum censeo, quod nempe non modo ab Episcopo benedicerentur, sed et etiam aqua benedicta aspergerentur, ut pro comperto habemus ex

Digitized by Google

plurimis manuscriptis Pontificalibus, ac præsertim ex memorato Lugdunensis Ecclesiæ Pontificali. Quod vero in iisdem Pontificalibus libris scriptum est, cineres immitti in capita pœnitentium, eosque aqua benedicta lustrari, profecto id fit ex antiquo Ecclesiæ more, qui recensetur in Concilio Agathensi apud Burchardum, lib. IX, cap. XXVI, apud Ivonem, parte XV decreti, cap. XLV, et apud Gratianum, distinctione L, can. LXV, ubi ita legimus : « Tunc » surgens ab oratione, juxta quod Canones ju- » bent, manus eis imponat, aquam benedictam » super eos spargat, cinerem prius mittat, deinde » cilicio capita eorum cooperiat. »

VII. Juxta ritum in antiquo Missali Ecclesiæ Lemovicensis descriptum, cineres capitibus pœnitentium feria IV in principio Quadragesimæ non prius imponebantur, quam post recitatos septem Psalmos pœnitentiales et Litanias, item post varias preces atque Orationes. In Litaniis is servabatur ritus : « Duo Vicarii, inquit, in » habitu suo stantes erecti, incipiunt alta voce » Letaniam in hunc modum, *Kyrie, eleison.* Et » omnes prostrati respondent idem quod et ipsi » Vicarii dicunt; et sic dicitur tota Letania usque » ad istum locum : *Ut Dominum Apostolicum.* » Et post illum versum, Episcopus vel Hebdo- » madarius a prostratione aliquantulum se eri- » gens, flexis genibus, ibi in bacino cineres a » dextris positos benedicat, ter dicens : » *Ut hos* » *cineres.* Et statim redeat in prostrationem, » duobus Vicariis prosequentibus residuum Le- » taniæ. » Ea finita sequuntur mox preces Orationesque ad cineres ipsos benedicendos, quos deinde Episcopus aqua benedicta aspergit, eosdemque incensat, et singulorum pœnitentium capitibus imponit sub ea verborum formula : « Memento homo, quia cinis es, et in cinerem » ibis; pulvis es, et in pulverem reverteris. »

VIII. Ex dictis deducitur, quod passim eruditi Scriptores docent, sacros cineres, quibus initio Quadragesimæ omnes adspergi solemus, ad solos publicos olim pœnitentes pertinuisse, subsequentibus autem temporibus aliquos pietate insignes voluisse participes esse harum publicarum humiliationum, et cinere sacro etiam conspergi cum publicis pœnitentibus; idque demum in communem jam transisse consuetudinem sæculo scilicet XII ac XIII. Neque desunt hodie Ecclesiæ in quibus, ut testatur Joannes Grancolas, dantur cineres in limine majoris januæ, quo loco dabantur olim pœnitentibus, qui postea extra ecclesiam remanebant. Romæ cum magnus Pœnitentiarius cinerem imponat Papæ, aliisque in plurimis Ecclesiis id etiam servetur, ut magnus Pœnitentiarius sacram cineris cæremoniam peragat, apertissime, quod superius dictum est, comprobatur post XII sæculum cinerum distributionem, quæ solis dabatur publicis pœnitentibus, factam esse cæremoniam cunctis fidelibus communem. Porro autumo sæculo XI jam in usu fuisse hanc disciplinam; legimus etenim in can. IV Concilii Beneventani, quod habitum est anno 1091, cunctis fidelibus utriusque sexus præceptum fuisse ea die cineres super capita sua accipere : « Omnes, tam Clerici quam laici, tam viri quam » mulieres, die illo cinerem super caput acci- » piunt. »

IX. Dici etiam potest sæculo VII publice pœnitentes, æque ac omnes fideles Christianos, initio Quadragesimæ solitos fuisse pœnitentiam accipere, corpusque cilicio et cinere induere, uti aperte constat ex Concilio Toletano IV, anni 633, canone X, cujus hæc sunt verba : « Tunc » enim opus est fletibus ac jejuniis insistere, » corpus cilicio et cinere induere, animum » mœroribus dejicere, gaudium in tristitiam » vertere, quousque veniet tempus Resurrectio- » nis Christi, etc. » Apud plerosque hic mos inoleverat ut, postquam, in die Cinerum, accurrentium capitibus fuerant impositi sacri cineres, ii qui supererant religiose conservarentur atque morientibus supponerentur. Solemne hoc erat apud Floriacenses, in quorum veteribus *Consuetudinibus* hæc leguntur : « Dominus » Abbas, vel Sacerdos, si ipse non adest, cum » stola tantum benedicit cineres de cremiis sar- » mentorum, quæ et studiose mundantur et » cribrantur a Sacrista. » Ubi nota quomodo et ex qua materia præparentur cineres. Sequitur : « Residuum cinerum, qui in hac die Fratrum » capitibus imponuntur, ab infirmario conser- » vantur, ut morientibus Fratribus substernan- » tur. »

X. Processio fiebat die ipsa initii Quadragesimæ ad producendos pœnitentes ad fores ecclesiæ, fiebatque nudis pedibus, etiam in monasteriis, ut Lanfrancus in *Statutis* suis præcipit : « Discalceent se ad Processionem. » Erat

Digitized by Google

in usu hæc disciplina etiam Romæ, ubi Papa ipse, cum Cardinalibus et Clero, nudis pedibus procedebat ab ecclesia Sanctæ-Susannæ ad ecclesiam Sanctæ-Sabinæ, uti in Ordinibus Romanis videre est a Mabillonio in suo *Musæo Italico* editis. Formula quæ Romæ et alibi in distribuendis cineribus usitatur, est, *Memento, homo, quia pulvis es, etc.* Cum distribuuntur Papæ cineres, nihil dicitur, ut advertit Ordo Romanus Amelii, tempore Urbani VI Pontificis scriptus, anno 1378. Atque hæc obiter dicta sint occasione cineris qui imponi ex ritu antiquo pœnitentibus consuevit. Cæterum, etsi disciplina sit complurium Ecclesiarum, uti refert Grancolas, ut magnus Pœnitentiarius cæremoniam cinerum peragat, testatur nihilominus eruditissimus Cajetanus Merati in suis *Additionibus ad Gavantum*, tomo II, pag. 890, cinerum benedictionem, quam faceret Episcopus præsens, eo absente vel impedito, ad primam Dignitatem, non vero ad Canonicum hebdomadarium pertinere, ex decreto Sac. Rit. Congregationis 21 martii 1609. Vide apud ipsum clarissimum virum et alia decreta quæ ad eamdem rem attinent.

XI. Tandem, ut ad nostram Romani Pontificalis rubricam revertamur, ex ipsius quidem præscripto, cui concinit Pontificale manuscriptum Durandi, peracta cinerum benedictione, Pontifex cum Ministris, Schola et toto Clero, cruce, aqua benedicta et duobus cereis præcedentibus, egreditur chorum circa medium ecclesiæ, ubi parata sit sedes. Tum mandat dividi Clerum per duos Choros hinc inde versus valvas ecclesiæ; pœnitentes vero ingressos prosternere se cum lacrymis in ecclesiæ pavimento, coram Pontifice, inter utrumque Chorum; Pontificem autem sedentem cum mitra, vel Archipresbyterum stantem, imponere cineres super capita singulorum sub descripta verborum formula : *Memento, homo, quia pulvis es, etc.* Quod, benedictis cineribus Pontifex cum Ministris, præcedentibus Schola et toto Clero, cruce, aqua benedicta et duobus cereis, egrediatur extra chorum circa medium ecclesiæ, ubi parata sit sedes, præscriptum etiam habemus ex manuscripto Pontificalis Ecclesiæ Lugdunensis, annorum circiter quadringentorum. In eo autem a nostro Romano Pontificali differt, quod in ipso Lugdunensi Clerus quidem coram Pontifice divitur per duos Choros, hinc et inde versus valvas ecclesiæ seriatim ordinandos; quilibet tamen Archipresbyter nominatim vocat pœnitentes archipresbyteratus sui; qui omnes ingressi prosternunt se quidem cum lacrymis in ecclesiæ pavimento coram Episcopo inter utrumque Chorum, tenent tamen in manibus candelas accensas; unusque Archipresbyter aspergit eos genuflectentes aqua benedicta, alter vero Archipresbyter, sive ipse Pontifex, super capita singulorum cineres imponit, dicens : *Memento, fili, quia pulvis es, etc.*

XII. Consuevisse pœnitentes prosterni, passim docent antiqui Patres, inter quos Tertullianus in lib. *De Pœnitentia*, cap. IX, ita scribit : « Itaque exomologesis, prosternendi et humilificandi hominis disciplina est. » Observavit jam olim hanc prosternendi disciplinam regius Vates, qui Psalmo CXVIII ait : *Adhæsit pavimento anima mea.* Imitatus est eum pronuntiatis iisdem verbis Magnus Theodosius post cædem Thessalonicensem, quando, teste Theodoreto, lib. V *Historiæ*, cap. XVII, « ab Ambrosio receptus » intra Ecclesiam, non ausus stans aut flexis » tantum genibus precari, pronus humi abjectus » Versum allegatum recitavit, capillos manibus » lacerans, frontem feriens, lacrymis solum si» gnans. » Ut merito de eodem ita scripserit Augustinus, lib. V *De Civitate Dei*, cap. XXVI : « Quid autem fuit ejus religiosa humilitate » mirabilius, quando in Thessalonicensium » gravissimum scelus, cui jam Episcopis inter» cedentibus promiserat indulgentiam, tumultu » quorumdam qui ei cohærebant, vindicare » compulsus est, et Ecclesiastica coercitus dis» ciplina sic egit pœnitentiam, ut imperatoriam » celsitudinem pro illo populus orans magis » fleret videndo prostratam, quam peccando » timeret iratam ? » Thessalonicæ, quæ civitas est in Macedonia, cum, tumultu theatrali, quidam et ductores ordinum et in exercitu magistratus essent a civibus pulsati, graviter hoc ferens Theodosius, atrociter in eam civitatem jussit animadverti; precibus tamen Episcoporum Thessalonicensibus noxam condonaverat. Sed cum potentium in interiore aula amici injuria essent affecti, illi Theodosii animum, multa suadendo tundendoque, ad vindictam impulerunt : exercitus a principe in urbem immissus multa civium millia obtruncavit. Ob quod facinus S. Ambrosius Mediolanensis pontifex imperatorem feriis Dominicæ Resurrectionis sacris

Digitized by Google

interdixit, quoad indictam publicam pœnitentiam exsolveret. Imperator Pontifici dicto audiens fuit, modesteque prostratus atque abjectus, more ac instituto veterum, pœnitere se commissi professus, veniamque a Deo et cœlitibus primum, deinde ab Episcopo, postremo a tota Ecclesia petiit, ad hunc modum, exercitatus, ecclesiæ sacrisque redditus est.

XIII. Usque adeo autem pœnitentium est se prosternere, ut frequenter pro iisdem habeantur prostratio sive genuflexio cum pœnitentia. Vide Landtmeter, lib. I *De vetere Clericorum Victu et Disciplina*, cap. LXXXVI. Vide et scriptores Ecclesiasticos, apud quos frequenter hæc prostratio occurrit a pœnitentibus etiam principibus usitata, iisdemque ab Episcopis præscripta, ubi ad expianda commissa facinora publicam ac solemnem pœnitentiam agebant.

§ III.

Postea Pontifex stans, deposita mitra, benedicit cilicia in hunc modum :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuæ misericordiam quærentibus, hoc indumento vestitis, misericordiam tuam et veniam tribuisti; obsecramus clementiam tuam ut hoc indumentum, quod vocatur cilicium, bene✠dicere et sancti✠ficare digneris; ut quicumque eo pro peccatis suis indutus fuerit et misericordiam tuam imploraverit, veniam et indulgentiam tuæ sanctæ misericordiæ consequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* Asperguntur aqua benedicta.

§ IV.

Benedictis ciliciis, Pontifex capita eorum cooperit cum eis, dicens : *Apud Dominum misericordia est, et apud Deum redemptio; ita enim lapsis hominibus subvenit, non solum per Baptismi et Confirmationis gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam, ut spiritus humanus vita reparetur æterna.* ℟. *Deo gratias.*

COMMENTARIUS.

I. Una cum sacris cineribus imposita fuisse pœnitentibus et cilicia, testantur non modo antiqui manuscripti libri Pontificales, et Patres, ac Synodi, verum etiam veterum pœnitentium exempla, quos iis indutos, in pœnitentiæ indicium, apud scriptores Ecclesiasticos legimus. De Natalio scribit Eusebius, lib. V, cap. XXVII, quod « mane surrexit cilicio et sacco indutus, » cineribus aspersus ; cum magno mœrore et » lacrymis ad pedes Zephyrini Pontificis se » supplicem abjecit. » Floruit Zephyrinus initio sæculi tertii. Concilium Agathense, quod anno Christi 505 celebratum fuit in Galliis, can. XV expresse mandat ut « pœnitentes, tem- » pore quo pœnitentiam petunt, impositionem » manuum, et cilicium super caput, a Sacerdote, » sicut ubique constitutum est, consequantur. » Ubi nota, receptam fuisse ubique disciplinam, ut pœnitentibus rite cilicium a Sacerdote imponeretur.

II. Hujus habitus rationem hanc reddit S. Hieronymus in cap. III *Lamentationum Jeremiæ :* « In cilicio quippe asperitas et compun- » ctio peccatorum, in cinere autem pulvis os- « tenditur mortuorum. Et idcirco utrumque hoc » adhiberi ad pœnitentiam solet, ut in com-

Digitized by Google

» punctione cilicii cognoscamus quid per cul-
» pam fecimus, et in favilla cineris perpenda-
» mus quid per vitium facti sumus. Conside-
» rentur ergo in cilicio pungentia vitia : consi-
» deretur in cinere per mortis sententiam
» subsequens justa pœna vitiorum. Quia enim
» post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt,
» videat homo in asperitate cilicii, superbiendo
» quid fecit ; videat in cinere, usquequo pec-
» cando pervenit. » Eadem fere docet sanctus Isidorus episcopus Hispalensis, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XVI.

III. Aliam subjungit memoratus Hieronymus rationem, a mox superius descripta minime dissimilem, his quidem verbis : « Potest quoque
» cilicio ipsa in reprehensione atque pœnitentia
» dolorum compunctio designari. Nam hoc quod
» ait beatus Job : *Ipse me reprehendo;* quasi
» quodam cilicio pungitur, dum in mente sua
» asperis redargutionum stimulis confricatur.
» In cinere autem agit pœnitentiam; quia ex
» primo peccato, quid per justum judicium
» factus sit, solerter attendit. » Porro scite observat Morinus, lib. VI *De Pœnitentia*, cap. II, num. XIV, primam istius tam lugubris habitus causam esse antiquorum Judæorum imitationem, qui in veteri Testamento, vel pœnitentiam de criminibus agentes, vel dolorem maximum testantes, vel periculum imminens avertere apud Deum satagentes, semper cum cinere, cilicio et sacco, veste lacerata, nobis exhibentur. Hujus consuetudinis exempla multa refert S. Hieronymus in Epistola ad Oceanum, pœnitentiam Fabiolæ matronæ Romanæ describens ; quam habes in *Selectis* a me editis S. Doctoris *Epistolis*, ac notis illustratis, lib. II, pagina 399, et seqq., facileque exempla ipsa ex Scriptura sacra colligi possunt, neminique litteras sacras profitenti hunc Judaicum morem incognitum autumo.

IV. Olim quoque, cum ægrotis pœnitentia imponebatur, servari in iis debuisse cineris atque cilicii ritum aperte constat ex Concilio Toletano III, anni 589, can. XII. « Quicumque,
» inquit, ab Episcopo vel Presbytero sanus vel
» infirmus pœnitentiam postulat, id ante omnia
» Episcopus servet et Presbyter ut, si vir est,
» sive sanus, sive infirmus, prius eum tondeat,
» aut in cinere et cilicio habitum mutare faciat,
» et sic pœnitentiam ei tradat. » Quod cilicium hujusmodi ac cinis benedici consueverit, liquido apparet ex variis manuscriptis Ordinibus a Morino relatis. Solemne fuit Monachis, qui lugentium atque pœnitentium officium gerunt, uti docet S. Hieronymus, non modo cilicio incubantes mori, sed, etiam dum viverent, perpetuo solitos fuisse illud gestare, uti ostendit Benedictus Haeftenus, *Disquisitionum monasticarum* libro V, tractatu III, disquisitione VIII. Testatur autem Petrus Venerabilis, lib. I *Miraculorum*, cap. IV, ubi de quodam Monacho moribundo verba facit, non modo Monachos, sed et cæteros Christianos in cinere et cilicio ex hac vita migrare consuevisse : « Cumque, sicut mos
» Christianorum est, et maxime Monachorum,
» in substrato cilicio et cinere a fratribus com-
» positus jaceret, atque horam vocationis ex-
» spectaret, Fratres monasterii, ut ejus exitum
» orationibus commendarent, venerunt, etc. »
Apud Floriacenses, ut in ipsorum priscis *Consuetudinibus* legitur, residuum cinerum, qui initio Quadragesimæ benedici solent et fidelium capitibus imponi, « ab infirmario conser-
» vantur, ut morientibus Fratribus substernan-
» tur.» Vide Martenium, libro III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XI, num. XIII, ubi varia de hac re profert exempla variosque rituales libros recenset de benedictione et impositione cilicii, tam pro infirmo qui inunctus est, quam pro alio sano homine illud recipere volente.

V. Illud insuper de ciliciis adnotandum superest, quod tradit Grancolas *In Breviarium Romanum*, cap. XLIII, nonnullis in locis ferri ad Processionem cilicia; in aliis cuilibet pœnitenti cilicium imponi; Lugduni vero una cum cineribus benedici et virgas, tanquam instrumenta propria et idonea ad castigandos pœnitentes et punienda illorum peccata. Quidquid sit de hoc ritu, ad hunc referri Commentarium, ubi de cilicio pœnitentium agitur, potest quod scribit S. Eligius episcopus Noviomensis Homilia VIII, ita alloquens sui temporis, id est sæculi VII, quo ipse floruit, pœnitentes : « Cur
» ergo in sinistra parte ecclesiæ positi estis?
» Non sine causa usus Ecclesiæ hoc obtinuit;
» verum quia Dominus in judicio oves, hoc est
» justos, a dextris ; hœdos vero, id est peccato-
» res, a sinistris ponet. Hœdi enim significant
» peccatores. Unde et cilicia, quæ sunt indu-

Digitized by Google

» menta pœnitentium, e pilis hœdorum et ca- » prarum fiunt. » Ubi nota 1° Ecclesiæ usum ponendi in sinistra templi parte pœnitentes; 2° cilicia esse pœnitentium indumenta; 3° e pilis hœdorum illa confici.

§ V.

Quo facto, Pontifex incipit Antiphonam : *Ne reminiscaris,* et super faldistorium accumbit; et Ministri, et totus populus et pœnitentes prosternunt se in terram, et pro ipsorum pœnitentium absolutione dicunt septem Psalmos pœnitentiales alternatim. Deinde dicitur Antiphona : *Ne reminiscaris.* Postea dicuntur Litaniæ. Quibus finitis, Pontifex dicit super ipsos pœnitentes : *Pater noster* (reliqua secreto). ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvos fac servos tuos et ancillas tuas.* ℟. *Deus meus, sperantes in te.* ℣. *Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eos.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.* ℣. *Esto eis, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Domine, Deus virtutum, converte nos.* ℟. *Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Exaudi, Domine, preces nostras, et confitentium tibi parce peccatis, ut, quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Præveniat hos famulos tuos (vel *has famulas tuas*), *quæsumus, Domine, misericordia tua; ut omnes iniquitates eorum celeri indulgentia deleantur. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

OREMUS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab his famulis (vel *famulabus*) *tuis clementiæ tuæ longinqua miseratio; sana vulnera, eorumque dimitte peccata; ut, ab omnibus iniquitatibus expiati, tibi, Domine, semper valeant adhærere. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

OREMUS.

Domine, Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris : respice, quæsumus, ad hos famulos tuos (vel *has famulas tuas*), *qui se tibi peccasse graviter confitentur; tuum est enim absolutionem criminum dare, et veniam præstare peccantibus, qui dixisti te pœnitentiam malle peccatorum quam mortem : concede ergo, Domine, ut tibi pœnitentiæ excubias celebrent, et, correctis actibus suis, conferri sibi a te sempiterna gaudia gratulentur. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Nihil in hoc § habetur, quod in pervetustis Pontificalibus libris non exstet. De Orationum antiquitate addubitare minime licet, cum ipsas legamus non modo passim in septimi sæculi Pontificalibus, et deinceps, uti videre est apud Edmundum Martene, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, articulo VII; verum etiam in antiquissimo *Sacramentario Petaviano*, quod erat in usu in Ecclesia Romana ante sanctum Gregorium, licet post S. Gregorium in Gallia scriptum fuerit. Gelasianum dici potest Sacramentarium, etsi sæpius, in opere *De Pœnitentia* a Morino vocetur Petavianum ab ejus possessore, viro amplissimo D. Petavio parlamenti Gallicani senatore, qui illud ipsi Morino utendum dederat. Habentur et ipsæ Orationes in *Sacramentario sancti Gregorii Papæ*, in quo etiam, sicut et in Gelasiano, alia hæc Oratio subjicitur : « Precor, Domine, clementiam tuæ majestatis ac nominis, ut huic » famulo tuo, peccata et facinora sua confi» tenti, veniam dare et præteritorum crimi» num debita relaxare digneris; qui humeris » filii tui ovem perditam reduxisti ad caulas; » qui publicani precibus vel confessione pla» catus es. Tu etiam, Domine, et huic famulo » tuo placare, tu ejus precibus benignus ad» siste : ut, in confessione flebili permanens, » clementiam tuam celeriter exoret, et, sanctis » altaribus restitutus, spei rursus æternæ et » cœlesti gloriæ reformetur. Per eumdem Do» minum nostrum.»

II. Quærat quispiam cur nulla hic Psalmorum pœnitentialium mentio fiat, cum alias eosdem recitandos, vel alios loco eorum, complures libri Pontificales præscribant. Puto equidem id factum esse quod unusquisque Presbyter illos memoria teneret; eamdemque ob rationem multa quæ ad particulares quosdam ritus pertinent, in iis omitti sæpe solere, quæ ex aliis supplere oportet. Deinde fieri potuit, quod docet Morinus, lib VI *De Pœnitentia*, cap. XVIII, ut qui Sacramentarium sibi describeret aut describi curaret, aliqua prudens omitteret, vel quod ea memoriter sciret, vel quod ex alio codice præsto haberet. His accedit quod Sacramentaria et Pœnitentialia recentiora, sicuti et omnes libri rituales recentiores, ab antiquioribus dupliciter semper differunt. Primum, quod illa cæremonias accuratius et minutius descriptas contineant, hæc negligentius. Deinde, quod fere semper posteriora prioribus novas quasdam addant; solent enim plerumque posteriores Pontifices, variis causis ducti, cæremonias aliquas anterioribus addere.

III. Porro autem novum minime est ut, ante descriptas Orationes, Psalmi VII pœnitentiales una cum Oratione Dominica et variis precibus recitentur. Constat id quidem ex Ordine antiquo Romano apud Hittorpium in eo titulo qui inscribitur : « Ordo in IV feria Quadragesimæ, » quæ est in capite jejunii. » Ubi ita legimus : « Tunc imponat Sacerdos septem Psalmos pœ» nitentiales : *Domine, ne in furore tuo*, I. » *Beati quorum. Domine, ne in furore tuo*, II. » *Miserere mei, Deus. Domine, exaudi*, I. *De pro*» *fundis. Domine, exaudi*, II. Postea dicat Ora» tionem Dominicam, et preces istas : *Domine*, » *convertere, et eripe animam meam*, etc. » Tum varias precum formulas, et quidem prolixiores, recenset, ac in nostro hoc § habentur, Orationesque longe plures ac in ipso nostro § descriptæ sunt. Varios antiquos Ordines ad imponendam pœnitentiam in Quadragesima, in quibus, præter Orationes ac preces, mentio fit septem Psalmorum una cum Litania dicendorum, legere est apud laudatum Morinum in calce librorum *De Pœnitentia;* et apud Martenium, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, articulo VII. Adde his canonem IX Concilii Agathensis, apud Burchardum, lib. IX cap. XXVI; Ivonem, parte XV, cap. XLV; et Gratianum, can. *In capite*, distinctione L, ubi diserte præscriptum est ut Episcopus, in imponenda pœnitentibus pœnitentia publica ac solemni, « cum omni Clero septem pœniten» tiæ Psalmos, in terram prostratus, cum lacry» mis pro eorum absolutione decantet.»

IV. Unum in hoc canone ac in plurimis libris Pontificalibus profecto est, quod, dictis Orationibus, Episcopus pœnitentibus manus imponit, aquam benedictam super eos spargit, cinerem prius mittit, deinde cilicio capita eorum cooperit. Qui ritus, ut superius notatum est, et uti constat ex aliis plerisque libris Pontificalibus, præsertim recentioribus, ab Episcopo

Digitized by Google

prius peragi solent, quam septem Psalmi pœnitentiales et Orationes dicantur. Sed hoc parum refert, satisque est ostendisse ritus hosce esse antiquissimos.

§ VI.

His peractis, surgunt pœnitentes, et facit eis Pontifex sermonem, ostendens qualiter Adam propter peccatum ejectus est de paradiso, et multa maledicta in eum congesta sunt; et qualiter, ejus exemplo, ipsi de Ecclesia ad tempus ejiciendi sunt. Quo facto, accipiat unum ex eis per dexteram manum; et omnes alii, similiter se manibus tenentes, candelas accensas in manibus habentes, subsequantur eum, et ita eos ejiciat de ecclesia, cum lacrymis, dicens : *Ecce ejicimini vos hodie a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ propter peccata et scelera vestra, sicut Adam, primus homo, ejectus est de paradiso propter transgressionem suam.* Et interim Schola cantat Responsorium, tono VII : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, dicit Dominus ad Adam; cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos,* * *Sed spinas et tribulos germinabit tibi.* ℣. *Pro eo quod audisti vocem uxoris tuæ plus quam me, maledicta terra in opere tuo non dabit fructus suos.* * *Sed spinas.* Aliud Responsorium, tono VIII : *Ecce Adam quasi unus e nobis factus est, sciens bonum et malum.* * *Videte ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum.* ℣. *Fecitque Dominus Adæ tunicam pelliceam, et induit eum, et ait.* * *Videte. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* * *Videte.*

COMMENTARIUS.

I. Decantatis septem pœnitentialibus Psalmis, aliisque peractis ritibus, mandat quidem Agathensis Synodus apud Burchardum, Ivonem et Gratianum, ut Episcopus « pœnitentibus de» nuntiet quod, sicut Adam ejectus est de Pa» radiso, ita et ipsi pro peccatis ab Ecclesia » abjiciuntur; postea jubeat Ministris ut eos » extra januas ecclesiæ expellant; Clerus vero » prosequatur eos cum Responsorio, scilicet : » *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, etc.*, » ut videntes sanctam Ecclesiam pro facinori» bus suis tremefactam atque commotam, non » parvipendant pœnitentiam. » Allusisse ad id videntur Alberstadienses in Saxonia Germaniæ, apud quos, referente Ænea Sylvio, qui postea fuit Pius II Pontifex Maximus, in *Historia Europæ*, cap. XXXI, homo quidam veterum pœnitentium personam induebat, ac lugubri veste obtectus, obvoluto capite, prima jejunii die, seu feria IV Cinerum, ad templum deducebatur, indeque peractis divinis Officiis ejectus, jejunabat quadraginta dies, nudis pedibus incedebat. Invitatus a Canonicis per vices, comedebat quod ipsi apponebatur : somnus ei post mediam noctem in plateis; nec nisi ad januas veniebat ecclesiæ; et, cum Adam e Paradiso ejectum repræsentaret, Adam appellabatur. Teste Edmundo Martene, ritus ejiciendi pœnitentes ex ecclesia adhuc in quibusdam Gallicanis Ecclesiis perseverat, ut in Cenomanensi et Rothomagensi : in Ecclesia autem Augustodunensi ultimus Canonicorum repræsentans pœnitentium personam de ecclesia ejicitur.

II. Antiquam consuetudinem ejiciendi ab ecclesia pœnitentes initio Quadragesimæ, canentibus Clericis : *In sudore vultus tui, etc.*, testatam habemus in plurimis Pontificalibus libris; quales sunt Anglicanus monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille, Bellovacensis, et alii relati a Morino et Martene : quibus adde Ordinem antiquum Romanum, in quo Versiculi æque ac Responsoria in nostro hoc descripta § recensentur. Porro ex Pontificali Bellovacensi, postquam Episcopus denuntiavit quod, sicut Adam projectus est de Paradiso, ita et ipsi ab ecclesia pro peccatis abjiciuntur; jussitque Ministris ut eos extra januas ecclesiæ expellant : Clerus pœnitentes quidem prosequitur cum Responsorio : *In sudore vultus tui, etc.*, sed eo finito, claudit eis Episcopus ecclesiæ

Digitized by Google

januam, Clerusque tunc prosequitur Responsorium : *Ecce Adam quasi unus, etc.*, et Versiculum : *Cherubim, et flammeum, etc.*, Geneseos cap. III. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ, annorum sexcentorum, recitatis ab Episcopo Orationibus post Psalmos VII pœnitentiales et preces, procedebat Acolythus crucem portans, sequebantur pœnitentes, tum Episcopus cum cambuca ejiciens eos de ecclesia, cantantibus interim Ministris Responsorium : *In sudore vultus tui, etc.* Ut autem venerant ad sinistrum ecclesiæ ostium, Acolythus qui crucem portabat, secedebat in partem, ejiciebatque illos Episcopus extra ecclesiam, ostiumque claudebat ecclesiæ, dicens : « Ecce ejicimini hodie a » sinu matris Ecclesiæ propter peccata vestra, » sicut Adam primus ejectus est a Paradiso pro- » pter transgressionem suam. » Tum, parvo intervallo facto, iterum ostium aperiebat, ostendens eis quanta distantia sit inter bonos, qui cum Deo et sanctis ejus remanent in Ecclesia ; et reos, qui pro sua nequitia cum diabolo projiciendi sunt in supplicium æternum, nisi se per pœnitentiam correxerint.

III. Ejectorum ab ecclesia pœnitentium, cum iis pœnitentia publica imponebatur, colligi ex Baronii *Annalibus* plurima possunt exempla. Celebris est Theodosii pœnitentia, quem ob Thessalonicensium cladem S. Ambrosius ab ecclesia ejecit, et nonnisi post octo mensium pœnitentiam in eam admisit. Rem fuse narrat Baronius ipse ad annum 390. Ejici non modo Pastorali Episcopi baculo pœnitentes juxta recitatum Bisuntinæ Ecclesiæ Pontificalis præscriptum, verum etiam aculeum baculi consuevisse pectori ipsorum infligi, addiscere licet ex pœnitentia Suenonis Daniæ regis, quem, uti refert Saxo Grammaticus, lib. XI *Historiæ Daniæ*, Willelmus episcopus Roskildensium « Sacerdotalibus insignibus ornatus, baculo, » quo utebatur, regem exclusit, sacrorum pe- » natuum aditu indignum judicans, quod reli- » gionem, non sine gravi pacis rubore, civili » sanguine maculasset, suppressoque dignitatis » nomine, non regem eum, sed humani cruoris » carnificem appellabat ; nec reum objurgasse » contentus, aculeum virgæ ejus pectori infixit. »

IV. Accidit hoc factum sæculo XI ; obiitque is religiosissimus princeps anno Christi 1077, cum non longe antea edidisset egregium publicæ pœnitentiæ exemplum, quo non solum priores Christianos reges imitatus esse, sed etiam superasse visus est : quippe qui, cum, sacro Circumcisionis pervigilio, solemni magnatum convivio feriatus, quorumdam principum clandestina obtrectatione parum honorate de se habitum comperisset sermonem ; occultamque eorum perfidiam temulentiæ lasciviis detectam existimans, misisset qui ipsos matutino tempore intra sacram ædem oraturos confoderent ; atque cum, ob hujusmodi sacri loci violationem, S. Willelmus Episcopus Roskildensium ad ecclesiam venientem baculo Pastorali repulisset, continuo ille regiam repetens, abjectis regiæ majestatis insignibus, insigne pœnitentiæ sagulum sumpsit, ac nudatis pedibus ad atrium deinde reversus, in ejus se aditu prostravit, donec Episcopus eo accedens, eumdem, veniam suppliciter petentem et satisfactionem promittentem, introduxit in ecclesiam : qui et rursum post biduum, regio cultu ornatus, pariter inter ipsa Missæ sacra excelsam ædis partem conscendens, coram omnibus gravissima semet accusatione perstrinxit, ac, collaudata Antistitis indulgentia, quod tanto crimini tam repente ignovisset, pro sceleris expiatione, muneris loco, unius provinciæ dimidium sacris aris contulit. Narrat hæc pluribus Saxo Grammaticus in memorata *Historia Daniæ*, lib. XI, egregiam pœnitentiæ veræ figuram vero eloquentiæ penicillo colorans.

V. Hic velim observet lector quanta olim, vel post annum Christi millesimum, fuerit religio ac pietas in regibus Christianis, ut inde mirari valeat quanta sit nostrorum temporum fæx, cum vel homo plebeius hodie queratur si gravis ipsi pro gravissimis facinoribus pœnitentia imponatur. Quis est qui hodie Ambrosii et Willelmi zelum eximium æmuletur, quorum alter Theodosium imperatorem, alter Suenonem, uti dictum est, de ecclesia ejecit ? Aiunt, principes hodie non ita ut prisci esse obsequentes Episcopis. Fateor equidem ; sed et id quoque adscribendum autumo Episcoporum culpæ, quærentium quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Vera siquidem sunt quæ scribit Facundus Hermianensis in Africa episcopus, lib. XII, cap. V : « Credendum est quia, si nunc Deus » aliquem Ambrosium suscitaret, etiam Theo- » dosius non deesset. » Hodiernæ molli disciplinæ in imponendis levibus, pro peccatis gra-

Digitized by Google

vibus, pœnitentiis causam dare videntur miserabiles quidem theologi, qui, statim ac cernunt aliquem sanioris mentis pro qualitate criminum graves pœnitentias injungere, juxta præscriptum Concilii Tridentini, sessione XIV, capite VIII, *Jansenistam* appellitare non verentur.

VI. Hoc chimerico Jansenistarum nomine ne quis credat apud nostrates solum viros doctrina ac moribus commendabiles solitos esse impeti, referam obiter quod de Episcopis Missionariis ac eorum sodalibus Sacerdotibus sæcularibus in Indiis pro conversione gentium laborantibus scribit P. M. Dominicus Fernandez Navarette, magni regni Chinensis Missionarius Apostolicus, Prælatus Religiosorum suæ Missionis, atque Procurator generalis provinciæ Sancti-Rosarii, quæ est Philippinarum insularum, sacri Ordinis Prædicatorum, in tractatu suo *Historico - Politico, etc.*, impresso Matriti anno 1676, ita inquiens, tractatu II, cap. XIII, num. VI : « Ibi sunt aliqui Episcopi Missionarii » cum quibusdam sodalibus Sacerdotibus sæcu- » laribus cognitæ virtutis, atque rari exempli » quoad paupertatem, humilitatem atque alias » materias ædificationis, in officio prædicandi » Evangelii inculpabiles, ita ut idipsum hic » mundus deprædicet. Nihilominus, propter » ipsorum aliorumque bonum, dedit ipsis Deus » æmulos (stimulum Satanæ) qui ipsos ita co- » laphizent, ut non relinquant pacem vel uni ex » ossibus eorum. Buccinant buccis concrepan- » tibus fictitiæ virtutis esse homines, ut ipsi soli » ad se populum populique applausum attra- » hant, eo quod sint Jansenistæ, et multa alia » similia. » Tum addit, agente se aliquando super hoc puncto cum Eminentissimo domino cardinale Bona, nescisse ipsum ubi pedem figeret, oculosque ad sidera tollentem, manibus compositis dixisse : « Esse pauperes, orationes » habere, exhortari fideles ut se habeant exem- » plariter, atque prædicare Apostolico modo, » hoccine est agere Jansenistas ? O si omnes, » quotquot sumus homines, essemus tali modo » Jansenistæ, tunc omnino sane mundus longe » differret ab illo qualem modo videmus. »

VII. His obiter in gratiam illorum notatis qui, vestigia priscorum Patrum sequentes, et disciplinam in sacris Conciliis ac præsertim in Tridentino præscriptam, a mollibus et delicatulis theologis odioso et phantastico nomine Jansenistæ dicuntur ; tria adhuc notanda in hac præsenti nostra Rubrica supersunt. Primum est, agendum esse a Pontifice sermonem ad pœnitentes, ostendendo ipsis, « qualiter Adam » propter peccatum ejectus est de Paradiso, et » multa maledicta in eum congesta sunt ; et » qualiter ejus exemplo ipsi de ecclesia ad tem- » pus ejiciendi sunt. » Quod totum legere est quidem non modo in manuscriptis fere omnibus antiquis recentioribusque Pontificalibus libris, verum etiam in Agathensi Concilio, apud Burchardum, Ivonem, et Gratianum, can. *In capite*, distinctione quinquagesima. Alterum est, acto sermone, debere Episcopum accipere unum ex pœnitentibus per dexteram manum, omnesque alios similiter se manibus tenentes, et candelas accensas in manibus subsequi illum, atque ita de ecclesia ejici. Quem ritum, si pauca excipias, vix in Pontificalibus invenies. Legi ipsum siquidem in manuscripto codice Ecclesiæ Narbonensis, annorum sexcentorum, apud Martenium in libro *De antiqua Ecclesiæ Disciplina*, cap. XVII, ordine I ; in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, itemque in Pontificali manuscripto Ecclesiæ Lugdunensis, et in aliis nonnullis apud laudatum auctorem loco citato, in quibus nulla cæteroqui accensarum candelarum mentio habetur.

VIII. Quod sermonem ab Episcopo ad pœnitentes habendum spectat, illud hoc loco minime omittendum est, fuisse jam olim morem ut, ubi Episcopi vel Presbyteri pœnitentes primum suscipiebant, hunc sermonem facerent, quem ex antiquo Romano Pœnitentiali descripsit Halitgarius Cameracensis episcopus, circa initium sæculi IX : « Quotiescumque Christiani ad » pœnitentiam accedunt, jejunia damus, et nos » communicare cum iis debemus jejunio unam » aut duas septimanas, aut quantum possu- » mus, ut non dicatur nobis quod Judæorum » Sacerdotibus dictum est a Domino Salvato- » re : *Væ vobis, legisperiti, qui aulgravatis homi- » nes, et imponitis super humeros eorum onera » gravia, ipsi autem uno digito vestro non tangi- » tis sarcinas ipsas.* Nemo autem potest suble- » vare cadentem sub pondere, nisi inclinaverit » se ut porrigat manum : neque ullus medico- » rum vulnera infirmantium potest curare, nisi » fœtoribus particeps fuerit : ita quoque nullus

Digitized by Google

» Sacerdotum, vel Pontifex, peccatorum vul-
» nera curare potest, aut animabus peccata
» auferre, nisi præstante sollicitudine, et ora-
» tione lacrymarum. Necesse est ergo nobis,
» Fratres charissimi, sollicitos esse pro peccan-
» tibus, quia sumus alterutrum membra.
» Ideoque et nos, si viderimus aliquem in
» peccatis jacentem, festinemus eum ad pœni-
» tentiam per nostram doctrinam vocare; et
» quotiescumque dederis consilium peccanti,
» simulque da illi pœnitentiam statim quantum
» debet jejunare et redimere peccata sua: ne
» forte obliviscaris quantum eum oporteat pro
» suis peccatis jejunare; tibique necesse sit ut
» iterum exquiras ab eo peccata. Ille autem
» forsitan erubescens iterum peccata sua con-
» fiteri, et invenietur jam amplius judicari.
» Non enim omnes Clerici hanc scripturam
» usurpare aut legere debent qui invenient eam,
» nisi soli illi quibus necesse est, hoc est Pre-
» sbyteri. Sicut enim sacrificium offerre non
» debent nisi Episcopi et Presbyteri, quibus
» claves regni cœlorum traditæ sunt, sic nec
» judicia ista alii usurpare debent. Si autem
» necessitas evenerit, et Presbyter non fuerit
» præsens, suscipiat Diaconus pœnitentem ad
» sanctam communionem. Sicut ergo superius
» diximus, humiliare se debent Episcopi sive
» Presbyteri, et cum tristitia, gemitu lacrymisque
» orare, non solum pro suis delictis, sed etiam
» pro Christianorum omnium, ut possint cum
» B. dicere Paulo : *Quis infirmatur, et ego non*
» *infirmor; quis scandalizatur, et ego non uror?*
» Cum ergo venerit aliquis ad Sacerdotem con-
» fiteri peccata sua, mandet ei Sacerdos ut
» exspectet modicum donec intret in cubiculum
» suum ad orationem. Si autem cubiculum non
» habuerit, tamen tunc Sacerdos in corde dicat
» hanc Orationem : *Oremus. Domine Deus*
» *omnipotens, etc.* »

IX. Hactenus sermonis sive exhortationis formula, quam ex Romano Pœnitentiali descripsit Halitgarius episcopus Cameracensis, quamque usque ad ea verba, *Non enim omnes Clerici*, ex Pœnitentiali Theodori Anglorum episcopi legere est apud Burchardum episcopum Wormaciensem, libro XIX *Decretorum*, capite XXXIII. Exstat ejusdem sermonis pars in Ordine antiquo Romano, quem nos in Appendice tituli hujus describemus notisque illustrabimus. Ea verba in sermone hactenus recitata, « Consilium dederis pœnitenti, » sic exponenda sunt : « Monueris pœnitentem qua » ratione deinceps sit in peccatis vitandis cau- » tior; » ut scite notat eruditus Menardus in *Notis et Observationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, pag. 249. Illa insuper verba, quibus in ipsa admonitione dicitur quod « humiliare se debent Episcopi sive » Presbyteri, etc., » legere est etiam apud laudatum Burchardum, lib. XIX, cap. II; eamque disciplinam servabat olim S. Ambrosius, ut in ejus Vita testatur Paulinus presbyter, dicens : « Siquidem quotiescumque illi aliquis ad per- » cipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus » esset, ita flebat ut et illum flere compelleret. » Videbatur etiam sibi cum jacente jacere. » Ita olim, cum, Missarum solemniis expletis, pœnitentes lacrymis perfusi ad Pontificis pedes corruerent, sic et Pontifex lacrymis madefactus pœnitentium etiam pedibus provolvebatur, ut testatur Sozomenus libro VII *Historiæ Ecclesiasticæ*, capite XVI. Sunt et alia in descripta superius admonitione notatu digna, quæ infra in Appendice dicemus, ubi nimirum antiquum Romanum Ordinem notis illustrabimus. Sed nec omittendum admonitionem ipsam exstare quidem in variis manuscriptis libris Pontificalibus, a viro clarissimo Edmundo Martene editis, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, capite VI, articulo VII; præsertim vero in manuscripto Pontificali codice monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille, itemque in manuscripto codice Pontificali insignis Ecclesiæ Noviomensis, annorum circiter nongentorum, et in aliis plurimis, quos hic recensere supervacaneum est.

§ VII.

Et sic eis extra ejectis, et ante valvas ecclesiæ genibus flexis gemendo manentibus, Pontifex in limine ostii stans moneat eos quod de Domini misericordia non desperent, sed jejuniis, orationibus, peregrinationibus, eleemosynis et aliis bonis

Digitized by Google

operibus invigilent, ut Dominus ad dignum fructum veræ pœnitentiæ eos perducat; quodque feria quinta in Cœna Domini redeant, quoniam tunc in sanctam Ecclesiam reducuntur, quam usque tunc ingredi non præsumant. Et mox Pontifice cum processione ad chorum redeunte, valvæ ecclesiæ ante oculos eorum concluduntur, et incipitur Missa, et proceditur ordine suo.

COMMENTARIUS.

I. Ejectis extra ecclesiam Pœnitentibus, flexisque genibus ante valvas ejusdem ecclesiæ manentibus, faciendum esse in ipso limine ostii a Pontifice sermonem, eos hortante ut de Domini misericordia non desperent, piisque interim operibus vacent, quousque, feria v Cœnæ Domini, Episcopo iterum præsentati, Christo reconcilientur, aperte mandant manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis, et alia quæ longum esset hic recensere, perspicueque deducitur ex innumeris pene aliis Pontificalibus antiquioribus, atque ex iis quæ superius dicta fuerunt.

II. Quantum ad orationis studium corporisque afflictationem piaque varia opera a Pœnitentibus exercenda, innumera pene exstant apud antiquos Patres testimonia, exemplaque illustria apud priscos scriptores Ecclesiasticos : « Orare oportet impensius, » inquit S. Cyprianus in libro *De Lapsis*, « diem luctu transigere, » vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus » omne lacrymosis occupationibus occupare, » stratos solo adhærere cineri, in cilicio et » sordibus volutari, post indumentum Christi » perditum, nullum hic jam velle vestitum. » Deponendas sumptuosas vestes, lugubresque a pœnitentibus induendas, docet inter alios S. Ambrosius, ita alloquens virginem lapsam, cap. VIII : « Lugubris tibi accipienda est vestis, » et mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per » vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculi lacrymis, qui masculum » non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies, » quæ quondam erubuit impudice. Denique » totum corpus injuriis et jejuniis maceretur, » cinere aspersum, et opertum cilicio perhorrescat, quod sibi male de pulchritudine placuit. » Vide eumdem S. Doctorem libro I, *De Pœnitentia*, cap. XVI, ubi inter alia testatur se cognovisse « quosdam in pœnitentia sulcasse » vultum lacrymis, exarasse continuis fletibus » genas, stravisse corpus suum calcandum omnibus, jejuno ore semper et pallido mortis » speciem spiranti in corpore prætulisse. »

III. Constat ex eodem Ambrosio, lib. II *De Pœnitentia*, cap. X, et aliis, debuisse pœnitentes non solum ab esu carnium et vini potu, verum etiam a conjugalis copulæ usu abstinere : « An quisquam illam pœnitentiam » putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, » ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis » usus? Renuntiandum sæculo est : somno minus indulgendum est quam natura postulat, » interpellandus est gemitibus, interrumpendus » est suspiriis, sequestrandus orationibus : vivendum ita ut vitali huic moriamur usui. » Plura summorum Pontificum ac canonum decreta ac antiquorum scriptorum testimonia, quibus dilucide ac fuse ostendi posset interdici passim consuevisse pœnitentibus militiam, sæcularia munera, magistratus, dignitates, vini potum, esum carnium, ac matrimonii usum, videri possunt apud Joannem Morinum, lib. V *De Pœnitentia*, cap. XVIII et seq.

IV. Multa ex iis hactenus enumerata non modo pœnitentibus, sed Christianis omnibus, in Quadragesima, quæ pœnitentiæ tempus dicitur, interdicta erant ; abstinebantque idcirco fideles a gaudiis omnibus : « Tempore Quadragesimæ, » inquiunt canones Arabici Nicæni Concilii, « nulla celebranda sunt aut » agenda gaudia, neque sponsalia, neque nuptiæ, neque Pontificum aut Sacerdotum promotiones, neque electiones, neque consecrationes, neque augurandi sunt reges neque » coronandi, neque baptismata celebranda, » quia dies jejunii sunt, dies luctus et mœstitiæ, quibus preces et supplicationes diu noctuque Deo porrigendæ sunt. »

V. Est quidem prisca Ecclesiæ disciplina, ut

Digitized by Google

non modo nuptiæ et sponsalia tempore Quadragesimæ celebrari prohiberentur, verum nec conjugatis ipsis uti matrimonio jam contracto licitum erat. Quod quidem constat ex variis canonibus, et Pœnitentiarum libellis, ac innumeris fere sanctorum Patrum testimoniis. Ut enim alios omittam, S. Augustinus, Sermone CCX, qui primus est in Quadragesima, ita inquit : « Per alios dies, adulteria, for» nicationes, omnesque illicitas corruptelas » nolite contingere, per hos etiam a conjugi» bus abstinete. » Tum addit : « Tempus quod » reddendo conjugali debito occupabatur, sup» plicationibus impendatur. Corpus, quod car» nalibus affectibus solvebatur, puris precibus » prosternatur. Manus, quæ amplexibus impli» cabantur, orationibus extendantur. »

VI. Simili fere modo idem Augustinus, Sermone CCVI et CCVII, loquitur; Sermone vero CCVIII hæc habet : « Quicumque etiam estis » conjugibus alligati, nunc maxime Apostolica » monita nolite contemnere, ut invicem ab» stineatis ad tempus, ut vacetis orationibus. » Quod enim aliis diebus utiliter fit, nimis » verecundum est, si modo non fiat. Arbitror » onerosum non esse debere, anniversaria ob» servatione solemnibus diebus hoc facere con» jugatos, quod viduæ ex quadam vitæ parte » professæ sunt, quod tota vita sua sanctæ » virgines susceperunt. » Quæ quidem iisdem pene verbis repetit in fine Sermonis CCIX et CCX, qui est sextus in Quadragesima. Vide varios canones de ea re apud eruditissimum Natalem Alexandrum, tomo II *Theologiæ Dogmaticæ et Moralis,* libro IV, articulo VIII, regula III. Cæterum quanta cum districtione leges istæ olim observarentur, ex iis addiscere licet quæ scribit Ekkohardus Junior in libro *De casibus monasterii Sancti-Galli,* cap. II, ubi de parentibus Isonis ejusdem cœnobii monachi ait, quod, cum per totam Quadragesimam abstinuissent, Sabbato sancto, tentatione victi, conjuncti sunt. Quis nunc æquo animo ferat theologos illos laxi thoracis qui scribere minime erubuerunt non teneri conjugatos Quadragesimale jejunium servare, quando, illud servando, nequeunt invicem reddere debitum conjugale? Est quidem falsa hæc et erronea propositio, castasque aures et animos offendens, ut mirum sit a quibusdam casuum arbitris assertam, quos tamen egregie confutat laudatus Alexander variis sacris canonibus, et Pontificum ac Patrum testimoniis allatis.

VII. A jocis et voluptatibus abstinendum esse in Quadragesima edicit Nicolaus I Pontifex Maximus in celebri illa Epistola, qua ad consulta Bulgarorum respondit, cap. XLVII, sic dicens : « Nulla vos voluptatum et jocorum, » et maxime in tempore jejuniorum, vanitas » seducere valeat : non enim lamenta cum jo» cis conveniunt, et fallax ac deceptrix lætitia » veraces lacrymas producere nescit. » In proximo cap. XLIV, a venationibus abstinendum docet; ut inde videas quam longe a puritate vitæ majorum dissideant mores nostri sæculi, ubi videmus Christianos homines passim omni voluptatum generi sine ulla religione indulgentes. Id quod sacri oratores in concionibus Quadragesimalibus quotannis deplorant, et sine ullo prorsus fructu priscam Christianorum vitam a nobis servandam inculcant.

VIII. Neque his contenti erant antiqui Christi fideles, quippe qui lites et contentiones in Quadragesima exerceri minime permittebant, ut videre est in cap. XLV memoratæ Epistolæ Nicolai Papæ ad Bulgaros; et apud S. Augustinum pluribus in locis, ac præsertim in Sermone CCV, et in Sermone CXLIII et CXLIV, in appendice ejusdem. Quibus adde Theodulphum Aurelianensem, qui in *Capitulari* suo, num. XLII, ita inquit : « In his jejuniorum » diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse » debent : sed in Dei laudibus et in opere per» sistendum. » Quin et hoc tempore ab omni bello cessandum jubet in ipsa Epistola Nicolaus Pontifex, capite XLVI, et quidem juxta veterum canonum ac Patrum præscriptum. Unde non mirum si in *Actis exauctorationis Ludovici Pii,* cap. III, inter alia redarguitur « quod contra Christianam Religionem, sine » ulla utilitate publica aut certa necessitate, » pravorum consilio delusus, in diebus Qua» dragesimæ expeditionem fieri jussit. » Si tantam itaque ab omni populo Christiano perfectionem Quadragesimæ tempore, quod consecratum pœnitentiæ dicitur, postulabat Ecclesia, facile sibi quisque persuadere poterit quantam a pœnitentibus ipsis exigeret.

IX. Abstinentiam carnis ita constat observatam fuisse a pœnitentibus, ut, peracta etiam

Digitized by Google

pœnitentia, esum illius nequaquam resumerent, uti aperte innuit S. Cæsarius Arelatensis episcopus in Homilia I ex vulgatis a Baluzio, his verbis : « Sunt enim aliqui pœnitentes » qui ideo cito reconciliari volunt ut carnes » accipiant. Certum est quod non satis pœni- » tentiam accipit qui carnes, nulla infirmitate » cogente, aut desiderat aut præsumit acci- » pere. Et ideo etiam reconciliatus pœnitens, » ubicumque, aut in suo aut in alieno con- » vivio, olera aut legumina aut pisciculos » invenire potuerit, aliam carnem non debet » accipere. » Viguisse hunc usum non solum S. Cæsarii ævo, qui floruit labente sæculo V, verum etiam et sæculo IX, constat ex Concilio Cabillonensi habito anno 1313, can. XXXV, ubi pœnitentes suggillantur, quibus « etsi carnium » et vini usus interdictus sit, mutata non vo- » luntate, sed ejusdem cibi aut potus perce- » ptione, in tantum deliciis suis indulgent, ut » deliciosius, his interdictis, aliorum ciborum » vel potionum appetitu vivere cognoscantur. » Scite observat Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, art. IV, num. IX, subsequenti tempore redemisse pœnitentes hanc pœnam eleemosynis largissimis; affertque testimonium Ratherii Veronensis episcopi, qui floruit sæculo X, in Synodica Epistola ad Presbyteros, apud Dacherii *Spicilegium* : « Nullus » pœnitentem invitet carnem manducare et » bibere vinum, nisi pro eo ad præsens elee- » mosynam fecerit. »

X. Eleemosynas esse ad Deo pro peccatis satisfaciendum efficacissimas docent passim sacræ paginæ et sancti Patres. Postquam quatuor famosi antiquæ pœnitentiæ gradus abire cœperunt in desuetudinem, ipsorum in locum principaliter successisse eleemosynam, jejuniis tamen ac variis mortificationibus aliisque pietatis operibus vestitam, tradit eruditus Lupus, tomo IV, in secunda proœmiali dissertatione, *De Simoniæ crimine, et variis ad ipsum spectantibus*, cap. VIII. Notatum a nobis jam et alibi fuit commutationem pœnitentiarum canonicarum cum opere aliquo laborioso propter evidentem aut apparentem Ecclesiæ utilitatem, qualis erat susceptio armorum contra Infideles aut hæreticos, inter occasiones relaxationis pœnitentialium canonum recenseri. Quibus occasionibus tandem accessit theologorum pene omnium sententia sæculo XIII prævalescens, pœnitentias quascumque in foro conscientiæ Sacerdotum arbitrio esse infligendas.

XI. Sed ut alias pœnitentiales pœnas prosequamur, consueverunt jam olim Episcopi peregrinationes ad Sanctorum loca pœnitentibus imponere, non solum post annum septingentesimum, ut pluribus ostendit Morinus, lib. VII *De Pœnitentia*, cap. XV, verum etiam ante sæculum VI, uti colligi potest ex S. Gregorio Turonensi, qui eodem VI sæculo vixit. Is enim, ut alia memorati scriptoris testimonia omittam, in libro *De Gloria Confessorum*, cap. LXXXVII, ubi agit de quodam fratricida, ait, « quod is, enor- » mitate criminis, ferreis circulis alligatus, » præceptum habuit ut septem annis loca San- » ctorum peregrinando circuiret. » Nimirum homicidarum pœna hæc erat ut, peregre profecturi, ferreis vinculis, ex gladio ipso quo hominem occiderant confectis, constringerentur, uti docet Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, articulo IV, num. XII, ex manuscripto codice *De Miraculis SS. Floriani et Florentii*, in quo tota hujus pœnitentiæ ratio sic explicatur : « Consuetudine antiqua partibus » interioris Franciæ usque hodie mos inolevit » ut, quisquis propinquiorem sibi parentem » gladio jugulaverit, et postea, pœnitentia du- » ctus, ad Pontificem crimen admissi facinoris » detulerit, ipso decernente Pontifice, ex ipso » gladio ferrei nexus componantur, et collum » peccatoris, venter atque brachia strictim in- » nectantur ex ipsis ferreis vinculis, sicque de » propria patria et solo patrio pellatur : interim » quousque divina pietas eadem vincula solvi » præcipiat, primum Romæ, dehinc per diversa » Sanctorum loca veniam criminis efflagitando, » peregre proficisci cogitur. » Hujusmodi vincula plurima divina misericordia confracta ad sepulcrum S. Nicetii Lugdunensis episcopi appensa conspexit Joannes presbyter Turonensis, uti refert Gregorius Turonensis in libro *De Vitis Patrum*, cap. VIII.

XII. Pœnitentes, qui ex mandato Episcopi peregrinationes suscipiebant, mos olim fuit ut commendatitias ab Episcopo litteras acciperent, in quibus non modo causa, et ratio, modusque pœnitentiæ explicabatur, sed et exorabantur locorum Rectores ut, si pauperes illi essent, victu atque vestitu sustentarentur. Apud Bol-

Digitized by Google

landianos die 19 aprilis, hujus tenoris quidem Epistolam Joannes Magalonensis episcopus anno 1170 Bernardo pœnitenti tradidit, ut secum illam in sua peregrinatione pœnitentiali ferret : « Joannes Dei gratia Magalonensis Episcopus » omnibus Ecclesiæ Catholicæ Rectoribus sub- » jectis æternam in Domino salutem. Notum sit » omnibus vobis quod Bernardo, præsentium la- » tori, talem pœnitentiam pro peccatis suis hor- » ribilibus injunximus : quod usque ad septem » annos nudis pedibus incedat : camisiam non » ferat omnibus diebus vitæ suæ : quadraginta » dies ante Natale Domini in cibis Quadragesi- » malibus jejunet: quarta feria a carne et sagi- » mine abstineat : sexta feria, præter panem et » vinum, nihil comedat : in omni sexta feria » Quadragesimæ et Quatuor Temporum, præter » aquam, nihil bibat : omni sabbato, exceptis so- » lemnibus diebus, et nisi ægritudo intercesserit, » a carne et a sagimine abstineat. Quapropter » clementiam vestram in Christo suppliciter exo- » ramus, quatenus, pro redemptione animarum » vestrarum, præfatum pœnitentem, quia pau- » perrimus est, in victualibus et vestibus miseri- » corditer sustentetis, orationibus sublevetis, de » pœnitentia etiam sibi injuncta, secundum quod » ratio exigit, benigne relaxetis. Data Magalonæ » anno ab Incarnatione Domini 1170, mense oc- » tobri. Usque ad septem annos tantum valeat.»

XIII. Mirabitur forsitan quispiam cur sabbato carnium esus pœnitenti ipsi Bernardo prohibitus sit, cum omnes ab iis abstinere cogantur fideles. Verum si tempora distinguamus, inveniemus quidem Gregorium VII, Pontificem Maximum, in Concilio suo Romano v, anno 1028, canone viii, constituisse ut fidelis quisque die sabbati « ab esu carnium, nisi majore festi- » vitate interveniente, vel infirmitate impe- » diente, abstineat. » Qui canon non videtur fuisse ubique receptus, cum constet longe post Gregorium VII consuevisse die sabbati edi carnes; unde, qua Benedictinis Monachis esum carnis indulsit, hæc habet Benedictus XII Pontifex Maximus, cap. xxvi : « Statuimus et ordi- » namus quod per totum annum, feria iv et die » sabbati omnes Regulares ejusdem ordinis ab » esu carnium ubique abstineant. » Sabbatum exprimit, tacetque feriam vi, quod nempe istud ad generalem ubique abstinentiam consuetudo non obligaret. Ejusmodi consuetudinem non esse in Francia, Catalaunia ac aliis partibus, in sua *Summa* S. Antoninus affirmat. Vide plura de hac re apud Lupum in laudatum canonem viii Concilii v Romani S. Gregorii VII, tom. vi editionis Venetæ, pag. 80 et seq., ubi inter alia testatur Belgas, in cunctis, intra Natalem Domini ac Deiparæ Virginis Purificationem, Sabbatis carnes edere, omnesque fere Brabantos in cunctis, extra Quadragesimam et præceptas Sanctorum vigilias, Sabbatis vesci pinguedine.

XIV. Notatis his obiter, occasione commendatitiæ Epistolæ pœnitenti in peregrinationem misso a Joanne Magalonensi Episcopo traditæ, explicanda superest alia pœnitentialis afflictatio a pœnitentibus usitata; consueverunt siquidem verberare faciem flagelloque e funiculis confecto in corpus suum sævire. De Fabiola ita scribit in laudata ad Oceanum Epistola S. Hieronymus : « Faciem, per quam secundo viro placuerat, » verberabat. » Novi delicatulos quosdam irridere flagellationem proprii corporis disciplinæ instrumento, sive ulmeo sive e funiculis texto, eamque veluti rem novam rejicere, ac disciplinæ vocem pro ipso instrumento acceptam calumniari. Verum de hac re videri potest eruditus Joannes Busæus in celebri opusculo *De Statibus hominum*, ubi agit de pœnitentium statu, cap. iii et iv, fuse sciteque ostendens vocem ipsam ex divinis Scripturis suam sumpsisse originem, licitamque esse, et divinis litteris consentaneam diverberationem disciplina factam. Sane, uti superius notatum est, Lugduni, initio Quadragesimæ, una cum cineribus benedicuntur etiam virgæ, tanquam instrumenta propria et idonea ad castigandos pœnitentes et punienda peccata.

XV. Hisce et aliis similibus pœnis exercebantur antiquitus pœnitentes, attentis semper pœnitentium viribus : mitius etenim cum hominibus aliqua infirmitate detentis agebatur. Sed neque interdum conveniens erat ut nimius rigor cum aliis licet sanis adhiberetur, ne scilicet Ecclesiam desererent ac gentiliter viverent. Nam quod olim quidam etiam ad publicam pœnitentiam damnati, et ad ipsam peragendam in custodia conclusi Hispani, semetipsos, desperati, ferro aut laqueo interfecerint, testatur ac damnat decima sexta Synodus Toletana can. iv. Hinc recte mandat nostra Rubrica ut Pontifex, dum ejicit pœnitentes, in limine ostii stans,

Digitized by Google

moneat eos genibus flexis gemendo ante valvas manentes, « ut de Domini misericordia non de- » sperent. » Id quod frequenter divinæ Scripturæ et sancti Patres peccatoribus ad bonam frugem redire volentibus inculcant.

XVI. Ad Missam quod attinet celebrandam ab Episcopo post pœnitentium ab Ecclesia ejectionem, ita inquit manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis : « Hora quasi nona » Pontifex paret se ad Missam ; loco tamen pla- » netæ recipiat pluviale, et imponat cineres » capitibus Cleri et populi, et ipse primo illos » recipiat de manu alicujus Archipresbyteri vel » Sacerdotis, Diacono semper aquam benedi- » ctam super quemlibet spargente Et mox fiat » Processio publica, præcedente Clero, et sub- » sequente populo, cum Antiphonis ad hoc » statutis; qua expleta intret vestiarium, et » assumpta planeta procedat in Missa ordine » suo. » Idipsum habetur quoque in manuscripto codice Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi. Constat denique, ex Ordinario Ecclesiæ Laudinensis, pœnitentes quidem ad Offertorium ejici de ecclesia consuevisse : « Dum cantatur, in- » quit, Offertorium, Episcopus pœnitentes in » ecclesiam introducat, postea relictis ad sini- » stram partem pulpiti, dat eis cineres, et Ar- » chidiaconus cilicium. His peractis, ejicit eos- » dem, quos introduxerat, de ecclesia, deinde » redit ad altare, et divinum peragit Officium. » Amalarius, lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, c. VII, Missam refert initii Quadragesimæ, sicut et hodie a nobis dicitur feria IV Cinerum : qui dies in quamdam festi speciem evectus est sæculo IX, ut videre est in Concilio Suessionensi, ut nimirum populus matutinis Officiis interesse teneretur. Ab anno 1352 apparet decretum Clementis VI jubentis festa omnia eo die occurrentia transferri, ut quisque fidelis incipiat serio pœnitentiæ se addicere, præbeatque pœnitentiæ publicæ signa, sacros cineres accipiendo.

XVII. Non omittendus denique ritus, cujus non modo paulo superius laudati libri Pontificales, Vaticanus Durandi et Ecclesiæ Lugdunensis, sed et alii quoque non pauci meminere ut, nempe post sacros impositos cineres fidelium capitibus, « fiat Processio publica, præcedente » Clero et subsequente populo, cum Antiphonis » ad hoc statutis. » De Processionibus initio Quadragesimæ faciendis, exstat quidem insignis locus in Concilio Bracarensi III, anni 572, in cujus canone IX ita legimus : « In Quadrage- » simæ principio convenientes in unum vicinæ » Ecclesiæ per triduum cum Psalmis per San- » ctorum basilicas ambulantes celebrent Lita- » nias. » Ex Lanfranco in *Statutis*, cap. I, absoluta apud Monachos cinerum aspersione dictisque precibus et Collecta, sequebatur Processio, quam ubique nudis pedibus faciebant. Jam non solum initio per triduum, ut ait Concilium Bracarense, verum per totam etiam Quadragesimam fieri consuevisse Processiones, ex variis Ecclesiarum Ordinariis, et libris Ritualibus liquet. Illud familiare quidem Monachis fuit, ut ad majoris pœnitentiæ indicium nudis pedibus in illis incederent. Tribus diebus in hebdomada Cassinenses Monachi, ut ex eorum Ordinario addiscimus, nempe II, IV et VI feria faciebant Processionem in circuitu claustri *discalceatis pedibus*. In aliis monasteriis, IV tantum et VI hujusmodi Processiones fiebant. Porro consuetudines Floriacenses mandant ut « omnes » Processiones Quadragesimæ nudis pedibus » fiant ; nisi dominus Abbas vel Prior, propter » frigus, injuncta qualibet pœnitentia, eas cal- » ceatis pedibus fieri concesserit. » Aliter de ea re præscribit constitutum Lanfranci ita de hujusmodi Quadragesimali Processione aientis : « Ad hanc Processionem nullus vadat calceatus, » nisi Sacerdos et Levita ; si quis pro infirmitate » nudis pedibus ire nequiverit, de Processione » remaneat : redeuntes de Processione nullus » præsumet se calceare sine licentia. »

Digitized by Google

APPENDIX

In qua Ordines recensentur ad imponendam pœnitentiam feria quarta Quadragesimæ, quæ est in capite jejunii.

ORDO I.

Ex manuscripto Codice Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali. Num. 4744.

In capite jejuniorum penitentes solempniter ex institutione Agathensis Concilii ex ecclesia ejiciuntur hoc modo : Penitentes, quibus secundum jus vel consuetudinem pro gravioribus criminibus solempnis est penitentia injungenda, hac die quasi hora tertia conveniant ad ecclesiam cathedralem in vilibus vestibus, et vultibus ad terram dimissis, quorum nomina scribi debent, recipientes penitentiam juxta modum culpe a penitentiario Episcopi, vel ab hiis quibus hoc officium deputatum est; et postea omnes ejiciuntur, et manent ante fores ecclesiæ ; et interim Pontifex amictu, alba, stola, pluviali, seu cappa, mitra simplici, et baculo Pastorali paratus cum Ministris etiam ibi paratis, benedicat cyneres, qui in quibusdam Ecclesiis fiunt de ramis olivarum benedictarum anni præteriti, si habentur, et hoc modo benedicuntur. Incipit enim ante altare Scola prosequente Antiphonam : *Exaudi nos*, *Domine, etc.* Require infra in titulo Ordinis ad Concilium vel Synodum celebrandum ad cartas LXII. Psalmus : *Salvum me fac, etc. Gloria Patri.* Et repetitur Antiphona. Deinde : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

« Omnipotens, sempiterne Deus , parce me-
» tuentibus, propitiare supplicantibus, emittere
» digneris sanctum Angelum tuum de cœlis,
» qui bene ✠ dicat et sancti ✠ ficet hos cyne-
» res, et sint remedium salubre omnibus no-
» men sanctum tuum humiliter implorantibus,
» ac semetipsos pro conscientia delictorum
» suorum accusantibus, atque ante conspectum
» divinæ clementiæ tuæ facinora sua deplo-
» rantibus, vel serenissimam majestatem tuam
» suppliciter obnixeque flagitantibus, præsta,
» quæsumus, per invocationem sanctissimi no-
» minis tui, ut quicumque eos super se asper-
» serint, pro redemptione peccatorum suorum
» corporis sanitatem et animæ tutelam per-
» cipiant. Per Christum Dominum nostrum.
» ℟. Amen. »

OREMUS.

« Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam
» desideras peccatorum, fragilitatem conditio-
» nis humanæ benignissime respice, et hos cy-
» neres, quos causa proferendæ humilitatis
» atque promerendæ veniæ corporibus nostris
» imponi decernimus, bene ✠ dicere tua pie-
» tate digneris; ut, qui nos cinerem esse, et ob
» pravitatis nostræ meritum in pulverem redi-
» gendos cognoscimus, peccatorum nostrorum
» veniam , et præmium pœnitentibus repro-
» missa misericorditer consequi mereamur.
» Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. »

ORATIO.

« Omnipotens sempiterne Deus, qui primo
» homini transgredienti mandatum tuum, nec
» confitenti peccatum proprium, demonstrasti
» quia cinis esset et in cinerem reverteretur :
» te suppliciter exposcimus ut parcas nobis
» peccata nostra tibi veraciter confitentibus ;
» et da ut per impositionem hujus cineris ve-
» niam consequamur, et de peccatis ad justi-
» tiam, de corruptione ad incorruptionem, de
» morte ad vitam pervenire mereamur. Per
» eundem Christum Dominum nostrum.
» ℟. Amen. »

ORATIO.

« Deus, qui humiliatione flecteris, et satisfa-
» ctione placaris, aurem tuæ pietatis inclina
» precibus nostris, et capitibus servorum tuo-
» rum, horum cinerum aspersione attactis, ef-

Digitized by Google

» funde propitius gratiam tuæ benedictionis, » ut eos spiritu compunctionis repleas, et quæ » juste postulaverint, efficaciter tribuas, et » concessa perpetua stabilitate manere intacta » decernas. Per Dominum, etc. ℟. Amen. »

Cineribus benedictis, Pontifex cum Ministris, præcedente Scola et toto Clero, cruce, aqua benedicta, et duobus cereis accensis procedentibus, egreditur extra chorum circa medium ecclesiæ, ubi parata est sedes sibi. Tunc Clerus coram eo dividitur per duos choros, hinc inde, versus valvas ecclesiæ, seriatim ordinandos; et quilibet Archipresbyter nominatim vocat pœnitentes sui archipresbyteratus : illi vero omnes ingressi cum candelis accensis in manibus prosternunt se cum lacrymis in ecclesiæ pavimento coram Episcopo intra utrumque chorum. Tunc unus archipresbyter aspergit eos genuflectentes aqua benedicta; alter vero Archipresbyter subsequens, vel ipse, vel Pontifex, imponens cineres super capita singulorum, dicens : *Memento, fili, quia pulvis es, et in pulverem reverteris; age ergo pœnitentiam, ut habeas vitam æternam.* Et tunc quilibet debet extinguere candelam suam.

Quo facto, Pontifex incipit Antiphonam scriptam : *Ne reminiscaris, Domine, etc.* Et mox super faldistorium accumbit : Ministri etiam, et totus Clerus, et ipsi penitentes se prosternunt ad terram, et pro illorum absolutione dicant septem Psalmos penitentiales, quos Chori distincti dicant alternatim. Quibus finitis, dicitur lethania : quære Rubricam super ordinatione Subdiaconi ad cartas v.

Qua finita, Episcopo et Clericis surgentibus, cantatur ipsa Antiphona : *Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.* Tunc Pontifex dicit super penitentes, *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster* secrete, similiter et totus Clerus. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvos fac servos tuos, etc. Oremus. Exaudi, Domine, preces nostras, etc. Oremus. Prœveniat hos famulos tuos, etc. Oremus. Adesto, Domine, supplicationibus nostris, etc. Oremus. Domine, Deus noster, qui offensionibus non timeris, sed satisfactione, etc.*

His præmissis, surgunt Penitentes. Tunc faciat eis Pontifex sermonem, ostendens qualiter Adamus propter peccatum ejectus est de paradiso, et multa maledicta in eum congesta sunt, et qualiter illius exemplo ipsi de ecclesia ad tempus ejiciendi sunt. Quo facto, accipiant unum de penitentibus per dexteram manum, et alii penitentes omnes secum invicem similiter manibus tenentes, candelasque in manibus accensas habentes subsequuntur eum, et ita ejiciat de ecclesia cum lacrimis dicens : « Ecce » ejicimus vos hodie a liminibus sanctæ matris » Ecclesiæ propter peccata et scelera vestra. » Omnipotens Deus faciat vos reverti cum fru» ctu penitentiæ. ℟. Amen. » Et interim Scola insequens cantat Antiphonam : « In sudore » vultus tui vesceris pane tuo, dixit Dominus ad » Adam, donec revertaris in terram, de qua » sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem » reverteris : pro eo quod audixti vocem uxo» ris tuæ, plusquam me : maledicta terra in » opere tuo : in laboribus comedes panes ex » ea : quia ecce Adam quasi unus ex nobis fa» ctus est, sciens bonum et malum : Videte ne » forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æter» num. Fecitque Dominus Adæ tunicham pel» liceam, et induit eum, et ait. Videte. Gloria » Patri. »

Et sic eis extra ecclesiam ejectis, et ante valvas ecclesiæ flexis genibus gemendo manentibus, Pontifex in limine hostii stans, moneat eos quod de Dei misericordia non desperent, sed jejuniis et orationibus, peregrinationibus et elemosinis, et aliis bonis operibus invigilent, ut Dominus ad fructum veræ penitentiæ eos perducat; quodque feria v Cœnæ Domini redeant, quoniam tunc in sancta Ecclesia reducentur, quam usque tunc ingredi non præsumant. Et mox Pontifice cum Processione ad chorum redeunte, valvæ ecclesiæ ante oculos eorum clauduntur. Hiis expletis, hora quasi nona Pontifex parat se ad missam celebrandam, loco tamen planetæ recipit pluviale, et imponit cineres benedictos capitibus Cleri et populi, et ipse illos primo recipit de manu alicujus Archipresbyteri vel Sacerdotis, Diacono semper aquam benedictam super quemlibet aspergente. Et mox fit Processio publica, precedente Clero, et subsequente populo, cum Antiphonis ad hoc statutis. Qua expleta intrat in Vestiarium, et assumpta planeta procedit in Missa ordine suo.

Digitized by Google

ORDO II,

Ex antiquo Romano Ordine apud Melchiorem Hittorpium, pag. 18 et seqq., notis illustratus.

Feria quarta, id est in capite jejunii, veniunt ad Collectam. Hac die, *Flectamus genua* pronuntiante Diacono super populum cum inclinatione capitis, in primis præmonere (*a*) debet Sacerdos omnes Christianos ex sacris Scripturarum testimoniis, quatenus in capite jejunii ad veram confessionem veramque pœnitentiam festinantius accedant. Denique admonendi sunt quatenus in Cœna Domini redeant ad reconciliationem. Si vero interest causa aut itineris aut cujuslibet occupationis, aut ita forte hebes est, ut ei hoc Sacerdos persuadere nequeat, injungat ei jam quadragesimalem quamque annualem pœnitentiam, et reconciliet eum statim. Sicut autem sacrificium offerre non debent nisi Episcopi vel Presbyteri, quibus claves regni cælestis traditæ sunt, sic nec judicia ista alius usurpare debet. Si autem necessitas evenerit, et Presbyter non fuerit præsens, Diaconus (*b*) suscipiat pœnitentes, et det sanctam communionem. Denique cum Sacerdos susceperit pœnitentem, si laicus est, dimisso (*c*) baculo; quisquis vero ille est, sive laicus, sive Clericus, seu Monachus, suppliciter inclinet se ante Sacerdotem. Tunc Sacerdos dicat hanc (*d*) Orationem.

ORATIO.

« Domine, Deus omnipotens, propitius esto » mihi peccatori, ut condigne possim tibi gra- » tias agere, qui me indignum propter tuam » misericordiam ministrum fecisti sacerdotalis » officii, et me, exiguum humilemque, media- » torem (*e*) constituisti ad (*f*) adorandum, et » intercedendum Dominum Deum nostrum Je- » sum Christum pro peccantibus et ad pœni- » tentiam revertentibus. Ideoque, Dominator » Domine, qui omnes homines vis salvos fieri » et ad agnitionem veritatis venire; qui non » vis mortem peccatorum, sed ut convertantur » et vivant, suscipe orationem meam, quam » fundo ante conspectum clementiæ tuæ pro » famulis et famulabus tuis, qui ad pœniten- » tiam et misericordiam tuam confugerunt. » Per. »

Deinde jubeat eum Sacerdos (*g*) sedere con-

(*a*) Exstat formula ejus admonitionis ab Episcopo, ubi pœnitentes suscipiebat, haberi solitæ, supra ad calcem Commentarii ad § v ubi etiam notavimus, partem ejus sermonis exstare in Ordine antiquo Romano, uti constat ex iis verbis, *Sicut autem sacrificium, etc.*, quæ quidem legere est in Pœnitentiali Romano ab Halitgario descripto.

(*b*) Ea verba, uti docet Menardus, *in librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, pag. 240, sic explicanda sunt quod, urgente necessitate, præsertim periculo mortis, debeat Diaconus pœnitenti, quem ex profusione lacrymarum, vel similibus signis, non ficte pœnitere novit, porrigere sanctam Eucharistiam, quamvis defectu Sacerdotis non fuerit absolutus. Hunc locum ex Pœnitentiali Romano profert Burchardus, lib. XIX, cap. CLIV. Simile factum legimus quidem apud Eusebium, lib. VI *Historiæ*, cap. XXXVI, quamvis non Diaconi ministerio, in persona cujusdam Serapionis, qui, vi tormentorum victus, cum idolis immolasset, ab ecclesia ejectus est, et, facti pœnitens, frustra ad communionem fidelium admitti efflagitavit : qui tandem gravi morbo conflictatus est, triduo deinceps omni sensuum et vocis usu caruit, et, ad se reversus, vocisque compos factus, nocte nepotem suum ad Presbyterum misit, rogans eum ut quantocyus ad se veniret : sed Presbyter forte morbo vexatus cum ad senem ægrotum accedere non posset, ejus nepoti particulam Eucharistiæ dedit, præcipiens ut eam madefactam in os senis infunderet : quod cum ille a Presbytero reversus fecisset, illico senex in pace quievit.

(*c*) Baculus cur a Christi fidelibus in Ecclesia adhibitus, expliculmus in opere nostro *De Codice sancti Evangelii, etc.*, lib. II, cap. XIX.

(*d*) Exstat hæc oratio in Romano Pœnitentiali ab Halitgario descripto, et in aliis Pontificalibus libris, itemque apud Burchardum, lib. XIX, cap. III, apud quem est ipsa Oratio paulo prolixior; nam, ante ipsius conclusionem, hæc leguntur verba : *Ut des illis spiritum compunctionis, ut resipiscant a diaboli laqueis a quibus adstricti tenentur, et ad te per condignam satisfactionem revertantur.* Tum sequitur : *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, etc.* Hanc orationem in sua *Confessorum Instructione* mandat S. Carolus, ab ipsis, antequam confessiones audiant, præmittendam.

(*e*) Quomodo Sacerdotes dicantur mediatores inter Deum et homines, expositum fuit a nobis tomo I hujus operis.

(*f*) Male legitur *ad adorandum;* sed legendum est *ad orandum*, ut est apud Burchardum.

(*g*) Quod non genuflectendo, sed sedendo, confessio olim fieret, præter Romanum Ordinem alii etiam libri antiqui Rituales docent, ut testatur Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, art. III, num. V. Idem etiam a Monachis olim usurpatum fuisse, idem auctor demonstrat in *Commentario ad Regulam S. Benedicti*, cap. XLVI. Infantes quidem apud illos stantes confitebantur, solique Carthusiani, Grandimontentesque genuflecte-

Digitized by Google

tra se, et colloqui cum eo de suprascriptis vitiis sive exhortationibus, ne forte, pro verecundia aut ignavia sive oblivione, aliquid putridum in corde remaneat, propter quod iterum diabolus eum ad vomitum peccati reducat.

Consideret etiam (*a*) sexum, ætatem, conditionem, statum, personam; et secundum hoc, ut sibi visum fuerit, singula quæque dijudicet, et aliquos a cibis abstinendo, alios eleemosynas dando, et nonnullos sæpius flectendo genua, sive in cruce stando, aut aliquid aliud hujusmodi, quod ad animæ salutem pertinet.

Non omnibus una eademque discretio sit unicuique eorum, hoc est inter divitem et pauperem, liberum et servum, inter infantem et puerum, juvenem et adolescentem, ætate senem, hebetem et stultum, scientem et ignarum, laicum et Clericum, Monachum et Episcopum, Presbyterum et Diaconum, Subdiaconum et Lectorem; in gradu, in conjugio, vel sine conjugio; inter virginem et feminam, inter canonicam et sanctimonialem, inter debiles et infirmos, inter sanos et ægrotos. De qualitate etiam peccatorum et hominum; inter continentem et incontinentem: utrum voluntate, vel casu, vel in abscondito; quali compunctione emendet; necessitate, vel voluntate; loca et tempora discernat. Attendat etiam Sacerdos ut salvi sint omnes, et non pusillanimes; quia potentes potenter tormenta patientur.

Post ista omnia scrutata, et pœnitentem corroboratum, interroget eum Sacerdos, ita dicens: (*b*) « Credis in Deum Patrem, et Filium, et Spi» ritum sanctum? » Respondet pœnitens: « Credo. » Item: « Credis quia istæ tres perso» næ, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unus » sit Deus? » Respondet: « Credo. » Item: « Cre» dis quia in hac ipsa carne in qua modo es, » resurgere habes, et recipere sive bonum, sive » malum, prout gesseris? » Respondet: « Cre» do. » Item: « Vis dimittere illis qui in te » peccaverunt, omnia, ut et tibi Deus dimit» tat peccata tua? ipso dicente: Si non dimi» seritis hominibus peccata eorum, nec Pater » vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. » Si vult dimittere, suscipias ejus confessionem, et indicas ei pœnitentiam. Si non vult (*c*), non suscipias ejus confessionem. Volens ergo dimittere omnia his qui in se peccaverunt, confiteatur omnia peccata sua quæ recordari potest, in hæc verba:

bant. De Æthiopibus etiam scribit Joannes Boterius, in Epistola ad Antonium Carrafam S. R. E. cardinalem, quod « peccata Sacerdotibus stantes confitentur. » Græci hodieque antiquum usum retinent, siquidem « non » genuflectentes, sed sedentes cum reverentia, et capite operto peccata confitentur, » ut scribit Allatius, lib. III *De Consensu Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis*, cap. IX, num. VI. Nec quemquam movere debet hæc praxis; nam, ut scite docet laudatus Martenius, cum olim non ita frequentes essent fidelium confessiones, nec tam brevi temporis intervallo confiterentur, grave ac molestum fuisset pœnitentibus, ex quibus nonnulli infirmi esse poterant et senes, per plures horas genibus flexis manere. Ineunte vero sæculo Christi XIII, cœperunt etiam sæculares viri genibus flexis peccata manifestare, eaque in re mira fuit constantia Joachimi nostri Florensis monasterii abbas, in Calabria citeriore, in Constantiam imperatricem. De quo hæc habet in ejus Vita Lucas Consentinus episcopus apud Bollandianos die 2 maii: « Sexta feria Parasceves sedebam cum eo in claustro Sancti-Spiritus de Pa» normo. Et ecce vocatus ad palatium fuit ad imperatricem Constantiam. Ivit, et invenit eam intra ecclesiam in » sella consueta sedentem. Jussus autem sedere in sellula pro ipso posita, sedit. Sed cum imperatrix aperuit ei » propositum confitendi, eam qua debuit auctoritate frenavit, et respondit, dicens: *Quia ego nunc locum Chri» sti, tu vero pœnitentis Magdalenes tenes, descende, sede in terra, et ita fideliter confitere; aliter non debeo te » audire.* Descendit et sedit imperatrix in terra, et humiliter confessa est peccata sua. » Cæterum sedebant pœnitentes ubi peccata manifestabant; nam etiam olim prostrati pœnitentiam postulabant et absolutionem accipiebant, uti constat ex variis Ritualibus libris, quibus accedit Concilium Romanum sub Zacharia Pontifice, actione I, in qua agitur de præsumptione Adalberti hæretici, qui venienti populo, « et prostrato ante pedes ejus, et cupienti » confiteri peccata sua, dicebat: Scio omnia peccata vestra; ideoque non opus est confiteri ea. »

(*a*) Multa de hac re docet in sua *Confessorum Instructione* S. Carolus, quæ utinam ab ipsis legeretur.

(*b*) Confessioni peccatorum præmissam fidei professionem constat ex variis priscis libris Ritualibus a Morino et Martenio exhibitis, patetque ex Vita S. Bertholdi abbatis Garstensis, cap. XIII, apud Surium die 17 julii: « Habe» bat, inquit, vir beatissimus in confessionum auditione consuetudinem, diligentissima indagatione cuncta per» scrutari quæ contra Deum homo fecisset; si Catholicam teneret fidem, si sciret Dominicam orationem, etc. »

(*c*) Ex iisdem Ritualibus libris addiscimus, quos laudati auctores recensent, præmissam injuriarum remissionem confessioni. Quod etiam ipsa remissio injuriarum extremæ unctioni, Sacerdote interrogante, ab infirmo præmitteretur, docet nos manuscriptum Pontificale Anglicanum monasterii Gemmeticensis, annorum circiter mille, et Pontificale manuscriptum Prudentii episcopi Trecensis, qui sæculo IX floruit.

Digitized by Google

Confessio (*a*) *pœnitentis.*

« Confiteor tibi Domine, Pater cœli et terræ, tibique, bone et benignissime Jesu Christe, una cum S. Spiritu, coram SS. Angelis tuis, et coram Sanctis tuis, coram hoc altari et Sacerdote tuo, quia in peccatis conceptus, et in peccatis natus, et in peccatis nutritus, et in peccatis post Baptisma usque ad hanc horam sum conversatus. Confiteor etiam quia peccavi nimis in superbia, inani gloria, in extollentia tam oculorum quam vestium et omnium actuum meorum; in invidia, in odio, in avaritia, tam honoris quam pecuniæ; in ira, in tristitia, in acedia, in ventris ingluvie, in luxuria sodomatica, in sacrilegiis, in perjuriis, in adulteriis, in furtis, in rapinis, in omni genere fornicationis, in immunditiis turpissimis, in ebrietatibus, in comessationibus, in fabulis ociosis, in luxuriis, in osculis et amplexibus immundis, in femoribus et genitalibus meis, in homicidiis animo optatis, in fide, spe et charitate, in accipiendo corpore et sanguine Domini semper indigne, in exhortationibus et adulationibus malignis, in ignorantia, in negligentia, in subreptionibus, in dandis et accipiendis muneribus, in usuris faciendis, in prælationibus, in dispensandis male rebus Ecclesiasticis, in subtrahendis eleemosynis, in pauperibus exasperandis, in hospitalitabus et receptionibus pauperum, in afflictione familiæ mihi commissæ; non visitando infirmos secundum Evangelicum præceptum, et in carcere positos; non sepeliendo mortuos, non vestiendo pauperes, non recreando esurientes, non potando sitientes; solemnitatibus Sanctorum, ac Dominicis diebus, et festis debitum honorem et celebrationem non impendendo, nec sobrie ac caste in his vivendo; consentiendo seniori in malo, non adjuvando apud illum, et solatium non dando indigentibus, nocendo potius quam adjuvando : potentibus, senioribus, ac magistris ac principibus detrahendo et blasphemando : amicis et benefactoribus meis fidem et debita obsequia non rependendo; animalium et pecudum concubitus conscientia immunda intuendo; in ecclesiam Dei superbe intrando, stando, sedendo, jacendo, et egrediendo, ac ociosis fabulis, et sceleratis actibus turpibusque colloquiis in ea cum aliis insistendo; vasa sancta et ministerium sanctum polluto corde et manibus immundis tangendo; orationem et psalmodiam atque officium divinum negligenter in ecclesia Dei faciendo; in cogitationibus pessimis, in meditationibus perversis et suspicionibus falsis, in judiciis temerariis, in consensu malo et consilio iniquo, in concupiscentia et delectatione immunda, in verbis ociosis, superfluis, luxuriosis atque contumeliosis, in mendaciis, in falsitatibus, in juramentis multimodis et diversis, in detractionibus assiduis, in rixis ac discordiis seminandis,

(*a*) Confessio ejusmodi pœnitentium erat ampla admodum, varia, et multa peccata complectens quæ vix in uno homine reperiri queant : eamque videre est in variis priscis Ritualibus libris, et apud Goldastum, in libro *De rebus Germanicis.* Exstat etiam confessio S. Isidori Hispalensis episcopi litteris consignata a Redempto ejus Clerico, cum, impendente morte, palam confessus est in æde Sancti-Vincentii generatim duntaxat, nihil paulatim exprimens. Exstat etiam confessio Roberti Cenomanensis episcopi, edita a doctissimo viro Jacobo Sirmondo, tomo III *Conciliorum Galliæ*, quam morti proximus misit per epistolam ad Episcopos qui erant in obsidione urbis Andegavensis cum Carolo Calvo imperatore; in qua etiam nullum speciale crimen confitetur, sed tantum se abominabilem et exsecrandum peccatorem profitetur. In manuscripto codice bibliothecæ Corbeiensis, cui titulus *Ordo Orationum*, habetur confessio S. Fulgentii, quam legere est apud eruditissimum Menardum in *Notis et Observationibus ad librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, pag. 225 et 226, ubi etiam ait ignorare se cujus Fulgentii sit illa confessio, an scilicet S. Fulgentii episcopi Ruspensis, an vero S. Fulgentii Astigitani episcopi in Hispania, fratris sanctorum Leandri et Isidori. Ut ut ea res sit, est semper antiqua confessionis formula. Sane, tametsi hujusmodi confessionum formulæ ab auctore operis *De Visitatione infirmorum*, lib. II, cap. v, inter opera Augustini, tanquam deceptiosæ suggillentur, jam nec mihi multum probarentur, nisi alia confessio præcedere consuevisset, in qua numerus peccatorum cum necessariis circumstantiis declarabatur : quam videre est in hoc nostro Romano Ordine, in illis verbis : « Deinde jubeat eum Sacerdos sedere contra se, et colloqui cum eo de suprascriptis vitiis, etc. » Quibus quidem particulatim enuntiatis, recitabat pœnitens memoratam confessionis formulam peccata generatim complectentem : « Confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ, etc. » Tandem viguisse olim consuetudinem ut peccata non confuse, sed particulatim, pœnitentes confiterentur, constat ex Socrate, lib. v *Historiæ*, cap. XIX, ubi agens de quadam muliere Constantinopolitana, ita scribit : « Mulier quædam nobilis, ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta post baptismum a se perpetrata sigillatim confessa erat. »

Digitized by Google

in irrisionibus, in ociositate, in contentione, in dolositate, in malignitate, in susurrationibus, in inani lætitia, in omni malo linguæ, in murmurationibus et blasphemiis, in scurrilitatibus, in cachinnis, in somnolentiis, in maledictis, in conviciis, in turpiloquiis, in insultationibus, in dissimulatione, in vigiliis Deo contrariis, in concupiscentiis carnalibus, in cogitationibus luxuriosis, in delectationibus immundis, in consensu diaboli, et transgressione præceptorum Dei, in negligentia propositi mei; in dilectione Dei et proximi; in visu, auditu, gustu, odoratu et tactu luxurioso et immundo; et omnimodis cogitatione, locutione, voluntate et actione perditus sum.

» Quoniam in his, et in aliis omnibus vitiis quibuscumque humana fragilitas contra Dominum et creatorem suum, aut cogitando, aut loquendo, aut operando, aut delectando, aut concupiscendo peccare potest, me peccasse, et reum in conspectu Dei super omnes homines esse cognosco et confiteor. Ideo supplico vos omnes, sancti Angeli Dei, et omnes Sancti, et te, venerande Sacerdos, in quorum conspectu hæc omnia confessus sum, ut testes mihi sitis in die judicii contra diabolum, hostem et inimicum humani generis, hæc omnia me confessum fuisse.

» Obnixe etiam te, Sacerdos Dei, exposco ut intercedas pro me et pro peccatis meis ad Dominum Deum nostrum, quatenus de his et de aliis omnibus sceleribus meis veniam et indulgentiam, per merita et intercessionem omnium Sanctorum assequi merear.»

Tunc dicat Sacerdos : « Misereatur tui omnipotens Deus, et dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet te in omni bono, et perducat nos pariter » Jesus Christus Filius Dei in vitam æternam. Ab » omni malo custodiat nos omnipotens Dominus.»

Præcavendum est tamen Sacerdoti de suprascriptis vitiis, ut ei exhortationis gratia ad memoriam reducat (*a*), ne quid, adversante diabolo, occultum remaneat.

Quo facto, flexis genibus in terra, et super ipsa innixus stans, suppliciter tensis manibus, blando et flebili vultu respiciens Sacerdotem, dicat his verbis :

« Multa quidem et innumerabilia sunt alia peccata mea, quæ recordari nequeo, in factis, in dictis et cogitationibus, pro quibus omnibus misera mens mea compungitur, et acri interdum pœnitentia cruciatur : ideoque consilium, imo judicium tuum, qui sequester ac medius inter Deum et peccatorem ordinatus es hominem, supplex deprecor, et, ut pro eisdem peccatis meis intercessor existas, humiliter imploro. »

Quo perdicto, totum se in terram prosternat, et gemitus atque suspiria vel lacrymas, prout Deus dederit, ab intimo corde producat : Sacerdos vero patiatur eum aliquantisper jacere prostratum, juxta quod viderit eum divina inspiratione compunctum.

Deinde jubeat eum Sacerdos surgere; et, cum steterit super pedes suos, cum tremore et humilitate præstoletur judicium Sacerdotis. Et indicat ei Sacerdos abstinentiam, perpendens subtiliter personæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, et corporis valetudinem vel imbecillitatem.

Percepta autem sententia Sacerdotis, iterum prosternat se pœnitens pedibus illius, petens pro se orationem fieri, ut suggerat ei divina visitatio virtutem constanter observandi quæ illi injuncta sunt, et ita reverenter Sacerdotis

(*a*) Ex Pœnitentiali antiquo Romano apud Burchardum, lib. XIX *Decretorum*, cap. V, cautum est quidem ut Sacerdos pœnitentem, sua jam peccata confessum, de multis aliis criminibus interroget. *Videns autem eum Sacerdos verecundantem, rursum prosequatur :* « Fortassis, Charissime, non omnia quæ gessisti, ad memoriam » modo veniunt : ego te interrogabo; tu cave ne, diabolo suadente, aliquid celare præsumas. » *Et tunc eum ita per ordinem interroget :* « Fecisti homicidium, etc.? » Exstant, enucleatæ satis et variæ, prolixæ interrogationes de variis criminibus apud ipsum Burchardum. Ex quibus duo addiscimus : 1° Non modo confuse et generatim, verum etiam particulatim, factam confessionem. 2° Viguisse jam olim apud antiquos generalium, ut aiunt, confessionum usum; qua in re celebre est illud quod de muliere quadam Constantinopolitana refert Socrates lib. V *Historiæ*, cap. XIX. Ait enim, ut supra narratum est, quod, « ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta » post baptismum a se perpetrata sigillatim confessa erat. » Aliud ejus rei exemplum refert Gregorius Turonensis in Vita S. Aredii, apud Mabillonium, *Analectorum* tomo IV. Aredius enim, « ne aliqua suum pectus delicta fuscarent, omnia acta adolescentiæ suæ coram conspectu viri beatissimi Nicetii episcopi confessus est. » Idem de S. Eligio narrat in ejus Vita S. Audoenus, lib. I, cap. VII.

Digitized by Google

judicio obtemperare ac si ab ipsius divinæ majestatis ore opportuna salutis suæ medicamenta susceperit.

Sed et hoc sciendum est ut, cum venerint servi et ancillæ ad pœnitentiam, non eos cogatis jejunare tantum quantum divites; quia non sunt in sua potestate; ideoque medietatem pœnitentiæ eis imponite.

Tunc imponat Sacerdos septem Psalmos pœnitentiales : *Domine, ne in furore tuo*, 1, *Beati quorum; Domine, ne in furore tuo*, 2. *Miserere mei Deus; Domine exaudi*, 1. *De profundis; Domine, exaudi*, 2. Postea dicat Orationem Dominicam et preces istas: *Domine, convertere, et eripe animam meam.* Responsio : *Salvum me fac propter misericordiam tuam. Respice, et exaudi me, Deus meus.* Responsio : *Illumina oculos meos. Ab occultis meis munda me, Domine.* Responsio : *Et ab alienis parce servo tuo. Delicta juventutis meæ.* Responsio : *Et ignorantias meas ne memineris, Domine. Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo.* (a) ℟. *Multum est enim. Delictum meum cognitum tibi feci.* ℟. *Et injustitiam meam non abscondi. Domine, ante te omne desiderium meum.* ℟. *Et gemitus meus a te non est absconditus. Exaudi orationem meam et deprecationem meam.* ℟. *Auribus percipe lacrymas meas. Complaceat tibi, Domine, ut eruas me.* ℟. *Domine, ad adjuvandum me respice. Domine, miserere mei.* ℟. *Sana animam meam, quia peccavi tibi. Miserere mei, Deus, miserere mei.* ℟. *Quoniam in te confidit anima mea. Domine, averte faciem tuam a peccatis meis.* ℟. *Et omnes iniquitates meas dele. Ne memineris, Domine, iniquitatum nostrarum antiquarum.* ℟. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos, Deus salutaris noster.* ℟. *Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.* ℟. *Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. Domine, tu scis insipientiam meam.* ℟. *Et delicta mea a te non sunt abscondita. In multitudine misericordiæ tuæ.* ℟. *Exaudi me in veritate salutis tuæ. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* ℟. *Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Ne avertas faciem tuam a puero tuo.* ℟. *Quoniam tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, et libera eam.* ℟. *Propter inimicos meos eripe me. Domine, vide humilitatem meam et laborem meum.* ℟. *Et dimitte omnia peccata mea. Ne perdas, Domine, cum impiis animam meam.* ℟. *Et cum viris sanguinum vitam meam. Redime me, Domine, et miserere mei.* ℟. *Pes enim meus stetit in via recta. Clamavi ad te, Domine, dixi : Tu es spes mea.* ℟. *Portio mea in terra viventium. Intende ad deprecationem meam.* ℟. *Quia humiliatus sum nimis. Libera me a persequentibus me* ℟. *Quoniam confortati sunt super me. Educ de tribulatione animam meam.* ℟. *Et in misericordia tua disperdes inimicos meos. Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

Post hæc dicat Sacerdos hanc (a) Orationem : « Exaudi, Domine, preces nostras, etc., » ut in Pontificali Romano.

ALIA.

« Da, quæsumus, Domine, huic famulo tuo » continuam purgationis suæ observantiam pœ» nitendo gerere, et, ut hoc efficaciter implere » valeat, gratia eum tuæ visitationis et præ» veniat et subsequatur. Per. »

ALIA.

« Præveniant hunc famulum tuum, etc., » ut in eodem Romano Pontificali, mutato tamen plurali numero in singularem.

ALIA.

« Adesto, Domine, supplicationibus no» stris, etc., » ut ibidem, cum eadem mutatione.

ALIA.

« Domine Deus noster, qui peccatis nostris » offenderis, satisfactione placaris, etc., » ut ibidem.

(a) Signum hoc, et alia quæ sequuntur indicantia responsionem, non exstant quidem in Ordine antiquo Romano apud Hittorpium, sed apposui ipse, ne preces ipsæ confusionem lectori faciant.

(b) Exstat hæc, et aliæ quæ sequuntur Orationes, in variis manuscriptis Pontificalibus ac Ritualibus libris, a Morino et Martenio exhibitis.

Digitized by Google

ALIA.

« Exaudi, quæsumus, omnipotens Deus, pre-
» ces nostras, quas in conspectu pietatis tuæ
» effundere præsumimus, suppliciter depre-
» cantes ut famulum tuum in tua misericordia
» confidentem benedicas, et omnia ejus peccata
» dimittas, tuaque eum protectione conserves :
» ut possit tibi dignus fieri, et ad æternam bea-
» titudinem valeat pervenire. Per Dominum
» nostrum. »

ALIA.

« Adesto, Domine, supplicationibus nostris
» et hujus famuli tui confessionem benignus
» adsume; ut qui auxilium tuæ miserationis
» implorat, et sanctificationis gratiam percipiat,
» et quæ precatur obtineat. »

ALIA.

« Precor, Domine, clementiæ et misericordiæ
» tuæ majestatem, ut famulo tuo, peccata sua
» confitenti, debita relaxare et veniam præstare
» digneris, et ei præteritorum criminum culpas
» indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam
» reduxisti, quique publicani preces confessione
» placatus exaudisti : tu etiam huic famulo
» tuo N. placare, tu hujus precibus benignus
» adspira, ut in confessione placabili perma-
» neat, fletus ejus et petitio perpetuam cle-
» mentiam tuam celeriter exoret, sanctisque
» altaribus et sacramentis restitutus, spei rur-
» sum æternæ ac cœlesti gloriæ mancipetur.
» Per. »

Quibus dictis, jubeat Sacerdos pœnitentem surgere de terra. Sed et ipse surgat de sedili suo : et, si loco vel tempori congruit, ecclesiam ingressi, et, super genua vel cubitos uterque innixus, decantent Psalmos : *Domine, ne in furore tuo*, secundum. *Benedic, anima mea*, primum, usque *revocabitur. Miserere mei, Deus*, usque *dele iniquitatem meam. Deus, in nomine tuo salvum me fac. Quid gloriaris*, usque *videbunt.* Deinde *Kyrie, eleison*, et *Pater noster.* Preces : *Salvum fac servum tuum, Domine. Illustra faciem tuam super servum tuum. Mitte ei, Domine.* Dehinc sequitur Oratio :

« Deus, cujus indulgentia cuncti indigent,
» memento famuli tui N., qui lubrica terreni
» corporis est fragilitate nudatus : quæsumus,
» da veniam confitenti, parce supplici, ut, qui
» suis meritis accusatur, tua miseratione sal-
» vetur. Per. »

Missa post confessionem. Antiphona : *De necessitatibus meis.* Oratio : « Omnipotens sempi-
» terne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro
» tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei
» noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam
» indulgentia tuæ pietatis prosit ad veniam.
» Per. » Lectio : *Lavamini, mundi estote.* Evangelium : *Duo homines ascenderunt in templum.* Offertorium : *Miserere mihi, Domine, secundum magnam.* Secreta : « Præsta, quæsumus, omni-
» potens et misericors Deus, ut hæc salutaris
» oblatio famulum tuum N. et a propriis reatibus
» indesinenter expediat, et ab omnibus tueatur
» adversis. Per. » Communio : *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Postcommunio : « Omni-
» potens et misericors Deus, qui omnem ani-
» mam pœnitentem et confitentem magis vis
» emendare quam perdere, respice propitius
» super hunc famulum tuum N., et per hæc
» sacramenta quæ sumpsimus, averte ab eo
» iram indignationis tuæ, et dimitte ei omnia
» peccata sua. Per. »

Hic mittendus est cinis super caput pœnitentis, et dicendum : (*b*) *Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Statimque imponendum cilicium, et dicendum : « Contere cor
» tuum et humilia animam tuam in cinere et
» cilicio ; cor enim humiliatum Deus non de-
» spicit. »

Sequitur Oratio : « Adsit, quæsumus, Domine
» huic famulo tuo inspiratio gratiæ salutaris,
» quæ cor ejus fletuum ubertate resolvat, sicque
» macerando conficiat, ut iracundiæ tuæ motus
» idonea satisfactione compescat. Per. »

Post hanc ejiciendus est ab ecclesia, et tali modo increpandus : « Ecce ejiceris hodie a sinu
» matris tuæ sanctæ Ecclesiæ propter peccatum
» tuum, sicut Adam, primus homo, ejectus est
» de paradiso propter transgressionem suam. »
Sequitur Responsio : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, dixit Dominus ad Adam : cum*

(*a*) Varias formulas imponendi cinerem super capita fidelium initio Quadragesimæ exhibuimus supra in Commentario ad § II, cap. 16.

Digitized by Google

operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas, et tribulos germinabit tibi.

Versus : *Pro eo quod obedisti voci uxoris tuæ plusquam meæ, maledicta terra in opere tuo. Non dabit fructus suos.*

Eodem die fit (*a*) Collecta ad Sanctam-Anastasiam. Et in primis agitur benedictio cineris: « Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, » propitiare supplicantibus, et mittere dignare » sanctum Angelum tuum de cœlis, qui benedicat et sanctificet hos cineres, ut sint remedium salubre omnibus nomen sanctum tuum » humiliter implorantibus, ac semetipsos pro » conscientia delictorum suorum accusantibus, » atque ante conspectum divinæ clementiæ tuæ » facinora sua deplorantibus, vel serenissimam » majestatem tuam suppliciter obnixeque flagitantibus; et præsta, per invocationem sanctissimi nominis tui, ut quicumque eos super se » adsperserint, pro redemptione peccatorum » suorum, corporis sanitatem et animæ tutelam » percipiant. Per. »

ALIA.

« Deus, qui non mortem sed pœnitentiam » desideras peccatorum, fragilitatem conditionis » humanæ benignissime respice, et cineres, » quos, causa proferendæ humilitatis atque pro» merendæ veniæ, capitibus nostris imponi de» cernimus, benedicere pro tua pietate dignare, » ut, qui nos cinerem esse, et, ob pravitatis » nostræ meritum, in pulverem reversuros co» gnoscimus, peccatorum omnium veniam, et » præmia pœnitentibus repromissa, miserior» diter consequi mereamur. Per. »

ALIA.

« Deus, qui humiliatione flecteris et satisfa» ctione placaris, aurem tuæ pietatis inclina » precibus nostris, et capitibus servorum tuo» rum horum cinerum adspersione adactis ef» funde propitius gratiam tuæ benedictionis; » ut eos et spiritu compunctionis repleas; et, » quæ juste postulaverint, efficaciter tribuas; » et, concessa perpetua stabilitate, intactos ma» nere decernas. Per. »

ALIA.

« Omnipotens sempiterne Deus, qui Ninivitis » in cinere et cilicio pœnitentibus indulgentiæ » tuæ remedia præstitisti, concede propitius ut » sic eos imitemur habitu, quatenus veniæ ope» rimentum prosequamur. Per. »

Sequitur Antiphona : « *Exaudi nos, Domine. Salvum me fac, Deus.* Interim ponendi sunt cineres super capita sua, sicut Antiphona testatur : *Immutemur habitu in cinere et cilicio : jejunemus et ploremus ante Dominum, quia multum misericors est dimittere peccata nostra Deus.* Sequitur Oratio : « Concede nobis, Do» mine, præsidia militiæ Christianæ sanctis in» choare jejuniis, ut, contra spiritales nequitias » pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis. » Per. »

Antiphonæ (*b*) ad Processionem per viam cantandæ. Antiphona : *Juxta vestibulum et altare plorabunt Sacerdotes et Levitæ, ministri Domini, et dicent : Parce, Domine, parce populo tuo, et ne dissipes ora clamantium ad te, Domine. Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ut non in æternum irascaris nobis.* Responsio : *Emendemus in melius.* Versus : *Peccavimus cum patribus nostris.*

His finitis, sequuntur Litaniæ. Dehinc fit statio ad Sanctam-Sabinam.

ORDO III.

Ex manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Barensis, quod Romæ asservatur in bibliotheca Angelica Fratrum Eremitarum Sancti-Augustini.

ORDO AD DANDUM PENITENTIAM.

Quando peccata sua vult aliquis confiteri,

(*a*) Collecta hoc loco nihil aliud est quam conventus et synaxis ad divinum Officium peragendum et communes preces fundendas, ut ex ipso Romano Ordine addiscimus, præsertim ubi agit de Officio in Purificatione S. Mariæ. Nam ibi narratur quod in hac celebritate Clerus et populus colligitur seu congregatur ad Sanctum-Adrianum, exspectans Pontificem, qui, ingressus sacrarium, induit se nigris vestibus. Schola cantat : *Exsurge;* et sequitur *Oratio ad Collectam.* Occurrit ea vox apud S. Hieronymum, idemque significat; in epitaphio siquidem Paulæ, matronæ Romanæ, ita inquit : « Quo signo vocabantur ad Collectam. » Vide plura apud eruditissimum Joannem Bona cardinalem, lib. I *Rerum Liturgicarum,* cap. III.

(*b*) De Processionibus fieri solitis in Quadragesima, vide quæ superius diximus in Commentario § ultimi, pag. 26, num. XVII.

Digitized by Google

Sacerdos apud se dicat hanc Orationem : « Do-
» mine, Deus omnipotens, qui non vis mor-
» tem peccatoris, sed ut convertatur et vivat,
» propitius esto michi, peccatori, et suscipe
» Orationem meam, quam fundo ante conspec-
» tum clementiæ tuæ, qua me et hunc a pec-
» catis omnibus exuas, et ut peccare de cetero
» caveamus efficias. Per. »

Ad hæc interroget penitentem dicens : « Fra-
» ter, pro qua causa venisti ad ecclesiam
» istam ? » Peccator respondeat : « Ego veni
» agere penitentiam de peccatis meis. »
Tunc peccator mittat manus suas inter manus Sacerdotis, et dicat ad eum tribus vicibus : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.* Deinde dicit Sacerdos : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Psalmus : *Magnus Dominus, et laudabilis nimis.* ℣. *Gloria Patri.* ℣. *Sicut audivimus. Kyrie, eleison. Pater noster.* ℣. *Et ne nos. Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. Et de Syon tuere eum.* Oratio : « Deus, qui justificas
» impium et non vis mortem peccatoris, maje-
» statem tuam suppliciter deprecamur ut famu-
» lum tuum, de tua misericordia confidentem,
» celesti protegas benignus auxilio, et assidua
» protectione conserves ; ut tibi jugiter famule-
» tur, et nullis temptationibus a te separetur.
» Per Dominum. »

Postea prosternat se peccator in terram ante altare et Sacerdos incipit Letaniam. Finita Letania dicat : *Pater noster,* et capitula, ut superius scripta sunt. Postea dicat : *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oremus. « Deus
» cui proprium est misereri semper et parcere,
» suscipe deprecationem nostram, et famulum
» tuum ad confessionem et pœnitentiam, ve-
» ramque emendationem, et veniam tuæ pieta-
» tis inspiratione compunctum, quem delicto-
» rum cathena constringit, miseratio tuæ
» pietatis absolvat. Per. »

ALIA ORATIO.

« Deus misericors, Deus clemens, cui cuncta
» bona placent, sine quo nichil inchoatur, ni-
» chilque boni perficitur, adsint nostris humilibus
» precibus tuæ pietatis aures, et hunc famulum
» tuum, cui, in tuo sancto nomine, sacræ reli-
» gionis habitum imposuimus, a mundi impe-
» dimento vel seculari defende ; et concede, ut
» in hoc sancto proposito devotus persistere, et,
» remissione peccatorum percepta, ad electo-
» rum tuorum pervenire valeat consortium.
» Per. »

ALIA ORATIO.

« Deus indulgentiæ, Deus pietatis et pacis,
» qui pro amore hominum in cruce manus ex-
» pandisti ; qui Chananeam et publicanum vo-
« casti ad penitentiam, convertere dignare fa-
» mulum tuum qui, ante tuum sacrum altare,
» suum confitetur reatum, et humilem se
» cognoscit, et facinorum omnium sibi veniam
» petit; et præsta misericors ei penitendi spa-
» tium, et dignos penitentiæ fructus, et finem
» penitentialiter fructuosum. Per. »

ALIA ORATIO.

« Deus, cujus sub oculis omne cor trepidat
» et conscientiæ cunctæ pavescunt, propitiare
» famuli tui gemitibus, et cunctis ejus omnibus-
» que meis emedere languoribus ; ut, sicut ve-
» nia liber est a culpa, ita nunquam sit alienus
» a venia. Per Dominum nostrum. »

Hiis actis, interroget eum diligenter si recte credidit, et ne forte alicui iram vel odium teneat, et si vult parcere hiis qui in se peccaverunt ; et si vult abstinere a peccatis quæ hactenus gessit ; et, cum promiserit hæc omnia se facturum, continuo moneat eum confiteri Deo et sibi peccata. Confessor vero interrogat quale misterium (*a*) facit. Et si est comes aut judex, dicit illi ut non accipiat præmia, ut non judicet injuste. Si est (*b*) escarius, non teneat annonam familiæ. Si monetarius, aut negocians, non gravet aliquem in negotio et in concambio. Si habeat patrem aut matrem, honoret eos et det illis necessaria. Si animalia pascit, non faciat

(*a*) Legendum *ministerium.*

(*b*) Escarius idem est ac cellarius, cui scilicet potus et escæ cura est. Occurrit ea vox in veteribus libris Pœnitentialibus, apud Morinum : *Si est ministerialis, si est negotiator, si est monetarius, si est escarius.* Et infra : *Si est escarius, non teneat annonam familiæ.* Vide harum vocum explicationem apud Ducange in suo *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario.*

Digitized by Google

dampnum aliis. (*a*) Si est massarius, non sit frudolentus servienti de labore suo. Si habet viduam aut orphanos, faciat cum eis misericordiam. Si servus est, sit fidelis domino suo et laboret in quantum potest, et qui male faciunt, eos emendet. Si habet uxorem, non concubat cum ea festis (*b*) diebus, nec Quadragesima usque ad octavam Pascæ. Si Monachus aut Monacha est, Presbyter, aut Dyaconus, aut Subdyaconus, aut Clericus, servent quod promiserunt. Dehinc consideret, si dives est aut pauper : si dominus aut servus : si sanus aut infirmus : si sit conjugatus aut non : si est juvenis aut puer. Omnia consideret, et secundum quod potuerit agere, imponat illi penitentiam : et cui non potest imponere jejunium, imponat ei helemosinam vel orationem ; et ut flectat genua per diem et noctem. Sed antequam imponat penitentiam, debet ostendere quam grande est illud malum, et quot annis debet penitere. Debet autem monere eum ut non desperet, quia Deus misericors est et ei omnia peccata dimittet. Tamen si emendaverit, tunc Sacerdos ei dicat quibus annis, temporibus et diebus debet penitentiam observare. Isti sunt dies qui non computantur in penitentia : Natalis Domini usque ad Epyphaniam ; a Pasca usque Pentecosten ; Nativitas sancti Joannis Baptistæ; sancti Laurentii ; Assumptio sanctæ Mariæ; festivitates duodecim Apostolorum ; festivitates omnium Sanctorum ; et omnes Dominici dies, vel illorum Sanctorum quorum reliquiæ possident festivitates. Penitentiales vero dies sunt : Quadragesima majorum ; Sabbatum Pentecosten ; Quatuor tempora; vigilia sancti Joannis Baptistæ; vigiliæ Apostolorum ; vigilia sancti Laurentii; vigilia S. Mariæ ; vigiliæ omnium Sanctorum ; et aliis diebus, id est feria secunda, feria IV, feria VI. Quibus Dominus dederit ad certamen adjutorium, jejunandum.

Tunc Sacerdos faciat ei confessionem, et dicat ei Orationem istam : « Exaudi, Domine, » supplicum preces, et confitentium tibi parce » peccatis, ut, quos conscientiæ reatus accusat, » indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per. »

ALIA ORATIO.

« Deus omnipotens, qui dedit potestatem » beato Petro Apostolo et ceteris Apostolis, » deinde Episcopis et Sacerdotibus, ligandi at- » que solvendi, ipse te ab omnibus peccatis » tuis absolvat et liberet. Per Dominum. »

ABSOLUTIO.

« Absolvimus te vice beati Petri Apostoli, » cui potestas ligandi atque solvendi a Deo » concessa est, cujus vicem, quamvis indigni, » nomine tamen, non autem merito gerimus, » et oramus ut, quoad tua meretur accusatio, » et ad nos pertinet culpæ remissio, omnipo- » tens Deus omnium tuorum peccaminum sit » pius indultor. Qui vivit et regnat cum Deo » Patre. »

ALIA ORATIO.

« Ex auctoritate omnipotentis Dei beatus Pe- » trus, celestis regni claviger, qui habet po- » testatem in celo et in terra ligandi atque » solvendi, cujus, quamvis immeriti, divina » tamen suffragante gratia, vicem gerimus, » ipse te absolvat ab omnibus peccatis tuis. »

ORDO IV.

Ex Græcorum Euchologio apud virum clarissimum Jacobum Goar, pag. 541.

OFFICIUM EORUM QUI PECCATA CONFITENTUR.

Dicit Sacerdos : « Benedictus Deus noster » perpetuo, nunc, et semper, et in sæcula.

» In pace Dominum precemur :

» Pro superna pace ;

» Pro remissione peccatorum, condonatione » delictorum servi Dei N., et ut ei omne deli- » ctum spontaneum seu etiam involuntarium » condonetur, Dominum precemur.

» Ut Dominus Deus ei peccatorum veniam, » et pœnitentiæ tempus largiatur, Dominum » precemur.

» Ut ipse et nos pariter ab omni tribulatione,

(*a*) Massarius a massa dicitur, quam subantiqui scriptores vocarunt fundum, prædium, vel certam agri partem culturæ aptam ; eaque vox occurrit apud varios scriptores relatos ab erudito Angelo de Nuce, in nota 522 ad *Chronicon Cassinense*. Hinc Massarius, qui massam colit, id est villicus. Vide *Glossarium* Ducange, verbo *Massarius*.

(*b*) Dies festos, quibus vacandum est precibus, caste colendos, iisque a licitis etiam conjugii voluptatibus, abstinendum, tum Latinæ cum Ecclesiæ Græcæ Patres inculcant, quos longo agmine recenset Thomassinus, lib. III *De dierum festorum Celebratione*, cap. IX, ubi etiam de eadem abstinentia tempore Quadragesimæ observanda agit.

Digitized by Google

» flagello, periculo et angustia liberemur, Do-
» minum precemur.

» Sanctissimæ, immaculatæ, super omnes
» benedictæ.

» Quia tibi convenit omnis gloria. »

Deinde præsentem Orationem dicit Sacerdos : « Dominum precemur.

» Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pastor
» et agnus, qui tollis peccatum mundi, qui
» duobus debitoribus mutuo datum dimisisti,
» et peccatrici delictorum ejus indulgentiam
» largitus es : ipse, Domine, relaxa, remitte,
» condona peccata, iniquitates, delicta sponte
» et non libere, scienter vel ignoranter, et
» transgressione vel inobedientia a servo tuo
» isto commissa : et si, ut homo carnis infir-
» mitate circumdatus, et mundi incola, a dia-
» bolo, sive in verbo, sive in opere, sive ex
» scientia aut ignorantia deceptus est, aut sa-
» cerdotis verbum sprevit, aut ejusdem male-
» dictioni subjectus est, aut in propriam suam
» exsecrationem incidit, vel jusjurando se
» astrinxit : ipse, ut bonus et malorum imme-
» mor Dominus, verbo absolvi consentias, re-
» laxato ejus anathemate vel jusjurando, secun-
» dum magnam misericordiam tuam. Ita fiat,
» benigne Domine : exaudi nos clementiam
» tuam pro famulo tuo deprecantes; et ut mi-
» sericors valde cunctis ejus peccatis ne atten-
» das. Ab æterna damnatione illum libera. Tu
» enim dixisti, Domine : *Quæcumque ligave-*
» *ritis super terram, erunt ligata et in cœlis,*
» *et quæcumque solveritis super terram, erunt*
» *soluta et in cœlis;* » quia tu solus es absque
» peccato, et tibi gloriam referimus Patri, et
» Filio, et sancto Spiritui, nunc, et semper, et
» in sæcula sæculorum. Amen. »

Et cantat : « Ter sanctus. Venite, adore-
» mus; » et quinquagesimum Psalmum, et modulos sequentes. Tonus secundus : *Miserere nostri, Domine, miserere. Gloria. Domine, misere nostri. Et nunc. Misericordiæ portam. Domine, miserere.* Ipse vero in terram prostratus dicit ter : *Peccavi, Domine, parce mihi.* Et exurgens ait : *Deus, propitius esto mihi peccatori.*

« Dominum precemur.

» Deus, Salvator noster, qui per prophetam
» Nathan Davidi de propriis peccatis pœniten-
» tiam agenti concessisti indulgentiam : et ite-
» rum Manasse orationem in pœnitentia exau-
» divisti : ipse et servum tuum N., de iis quæ
» perpetravit peccatis pœnitentiam agentem,
» solita tibi humanitate suscipe; ne respicias
» ad ea quæ egit, tu qui injustitias dimittis, et
» præteris iniquitates. Tu enim dixisti, Do-
» mine : *Nolo mortem peccatoris, sed ut con-*
» *vertatur et vivat, et ut septuagies septies*
» *remitterentur peccata :* quoniam, sicut in-
» comprehensa est magnitudo tua, ita et mise-
» ricordia : *Si enim iniquitates observaveris,*
» *quis sustinebit?* Quia tu es pœnitentium
» Deus, et tibi gloriam referimus, Patri, et Fi-
» lio, et Spiritui sancto, nunc, et semper, et in
» sæcula sæculorum. Amen. »

Tum vero pœnitens sublatis in cœlum manibus dicit : « Domine, Pater cœli et terræ, quia
» tu omnia cordis mei secreta nosti. »

Mox eum suavi voce interrogat : « Frater, ut-
» quid ad Deum et ad me accessisti? Ne verea-
» ris : non enim mihi, sed Deo, coram quo
» stas, peccata tua enuncias.

» Quomodo corrupta est integritas tua for-
» nicatione, mollitie, vel legitimo nuptiarum
» proposito?

» An propter fornicationem, vel alium quem-
» vis modum, juramentum cruce interposita
» firmatum irritasti?

» Mulieri in ecclesia commixtus es? aut ani-
» malis, vel maris copula inquinatus? »

Tum pluribus, circa varia peccata, deinceps adjunctis interrogationibus subditur.

Circa alia quoque Pœnitentiarius interrogat. Et, postquam minutim interrogaveris de singulis, assume indicem : et quale sit peccatum inquire, et cum hoc libro confer, ut quale sit peccatum dignoscas, et ista deinde subjunge :

« Fili mi spiritualis, abjectus sum et humilis
» peccator : ejus propterea qui apud me con-
» fitetur non valeo remittere super terram pec-
» cata, sed Deus est qui illa condonat. Propter
» illam autem divinitus prolatam, post Christi
» resurrectionem auditam, et Apostolis dicen-
» tem vocem : *Quorum dimiseritis*, et quæ se-
» quuntur : propter illam, inquam, et nos con-
» fisi dicimus : Quæcumque tenuissimæ meæ
» humilitati enarrasti, et quæcumque minus, ex
» ignorantia vel oblivione, qualecumque sit,
» exprimere non valuisti, condonet tibi Deus
» in præsenti sæculo et in futuro. »

Adjunge et istam Orationem : « Deus, qui

Digitized by Google

» Davidi propria peccata confitenti per Nathan » pepercit, qui Petrum negationem lugentem, » et meretricem ad pedes flentem, et publica- » num, et prodigum suscepit : ipse Deus, per » me peccatorem, in præsenti et in futuro tibi » parcat : et indemnatum te in tremendo suo » tribunali sistere faciat. De relevatis autem » in confessione hac tuis criminibus nulla sit » tibi sollicitudo. Vade in pace. »

Oratio in eum qui peccata confessus est.

« Domine, Deus noster, qui Petro et mere- » trici per lacrymas peccatorum remissionem » largitus es, et publicanum propria fatentem » scelera, justum reddidisti; confessionem servi » tui N. suscipe : et si in aliquo facinore spon- » taneo, vel involuntario, verbo, opere, vel » cogitatione deliquit, ut bonus et misericors » Deus remitte. Quia tu condonandi peccata » potestate polles, et tibi gloriam referimus, » cum principii experte tuo Patre, et cum bono » et vivifico Spiritu, nunc, et semper, et in » sæcula sæculorum. Amen. »

NOTA.

Placuit binos hosce Ordines, alterum manuscripto ex Pontificali codice insignis Barensis Ecclesiæ, alterum ex *Euchologio* Græcorum a viro clarissimo Jacobo Goar, inclyti Ordinis Prædicatorum alumno, describere, tametsi in eisdem minime agatur de ritu imponendi pœnitentiam feria IV in capite jejunii, qui ad nostrum titulum pertinet. Sed hoc parum refert; nonnulla enim in prædictis Ordinibus sunt, quæ ab ipso titulo omnino aliena eruditus lector minime existimaverit.

TITULUS III.

DE RECONCILIATIONE PŒNITENTIUM QUÆ FIT IN FERIA QUINTA CŒNÆ DOMINI.

I. Veterem fuisse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem feria V in Cœna Domini absolvere et reconciliare pœnitentes, diserte nos docet Innocentius I Pontifex Maximus, in celeberrima ad Decentium Eugubinum episcopum *Epistola*, ubi, cap. VII, ita inquit : « De pœnitentibus » autem, qui sive ex gravioribus commissis, » sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si » nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante » Pascha eis remittendum, Romanæ Ecclesiæ » consuetudo demonstrat. » Ad hanc profecto alludit consuetudinem S. Hieronymus in Epistola ad Oceanum, in descriptione pœnitentiæ publicæ a Fabiola matrona Romana peractæ; scribit enim ipsam Fabiolam, tota urbe spectante Romana, sacco indutam, *ante diem Paschæ* in basilica quondam Laterani stetisse in ordine pœnitentium, Episcopo, Presbyteris et omni populo collacrymantibus, sordida colla submisisse, recepta tunc sub oculis omnis Ecclesiæ communione. Fuit hæc porro olim Ecclesiæ disciplina, et in sequioribus sæculis religiose servata. Nam, ut alia omittam, Concilium Agathense, anno 506 habitum, can. IX, postquam exposuit ritum imponendæ pœnitentiæ in ipso Quadragesimæ introitu, seu feria IV in capite jejunii, addit tandem : « In sacra au- » tem Domini Cœna, rursus ab eorum Decanis » et Presbyteris ecclesiæ liminibus repræsen- » tetur. » Cui adde antiquum auctorem inter opera S. Cypriani, qui in libro *De Unctione chrismatis*, ita de ipsa die Cœnæ Domini loquitur : « Hodie reconciliantur Ecclesiæ pec- » catores, et, ejecti foris, ad matris ubera re- » ducuntur, et exclusi a cœtu Sanctorum, ad » communionem qua caruerant revertuntur. »

II. S. Eligius Noviodunensis episcopus, *Homilia* IV *in Cœna Domini*, dum exponit cæremoniam illam ablutionis pedum quæ fit ipsa quinta feria, mystico et secretiori sensu ad reconciliationem pœnitentium, quæ tum, id est initio sæculi VII, quo ipse vivebat, fieri ex anti-

Digitized by Google

qua Ecclesiæ consuetudine consueverat, refert. « Ut igitur, inquit, audivit vestra dilectio, hæc » omnis pedum lotio, nostrorum peccatorum » est purgatio; unde non incongrue hac ipsa » die, sicut Ecclesiæ tenet consuetudo, pœni- » tentium fit reconciliatio : ut enim ante nos » dictum est a Patribus, cum tanta est plaga » peccati atque impetus morbi, ut medicamenta » Corporis et Sanguinis Domini differenda sint, » auctoritate Antistitis debet se quisque ab al- » tario removere ad agendum pœnitentiam, et » eadem auctoritate reconciliari. » Rationem illam quam affert B. Eligius propter quam in feria v Cœnæ Domini absolverentur pœnitentes, eamdem attigit Synodus Cabillonensis II, sub Carolo Magno, anno 813, canone XLVII, his verbis : « In Cœna Domini, a quibusdam per- » ceptio Eucharistiæ negligitur : quæ quoniam » in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis » his quibus pro gravibus criminibus inhibitum » est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus de- » monstrat; cum etiam pœnitentes eadem die » ad percipienda Corporis et Sanguinis Do- » mini sacramenta se reconcilient. » Postremo hæc duo verba, ne cui scrupulum faciant, passivo significatu intelligi debent. Quanquam locum depravatum recte censeat vir clarissimus Joannes Filesacus, in opusculo *De Quadragesima Christiana*, cap. XV, cum in additione III *Capitularium*, cap. XXXVIII, ubi canon hic profertur, legatur solum *reconciliat*. Citant et hanc sententiam Ivo Carnotensis episcopus, parte II, cap. XXX; et Gratianus, can. *In Cœna*, *De Consecratione*, distinctione II, ex decretis Sotheris Papæ, cap. V; habentque *reconciliantur* : eamque germanam esse lectionem satis perspicuum est.

III. Etsi vero, ex antiquis æque ac recentioribus Pontificalibus libris atque scriptoribus, constet priscam esse Ecclesiæ consuetudinem ut pœnitentes feria v Cœnæ Domini reconciliarentur; sciendum nihilominus est in celebri Mediolanensi Ecclesia fieri jam olim hanc cæremoniam consuevisse feria VI Majoris Hebdomadæ, ut colligi potest ex Epistola XX S. Ambrosii, novæ editionis, ad Marcellinam sororem, in cujus numero XX asserit memoratus Ambrosius, Ecclesiæ Mediolanensis Antistes, eo die in Ecclesia relaxari pœnitentiam, quo sese pro nobis Dominus tradidit; idemque non obscure docet, lib. V, in *Hexameron*, Sermone ultimo. Eumdem ritum viguisse in Hispania, perspicue innuit Concilium Toletanum IV, anni 633, canone VI, quo decernit ea die « indulgentiam » criminum clara voce omnem populum » postulare debere; et can. VII sequenti, quo vetat « ante peractas indulgentiæ preces » jejunium relaxari. Eadem quoque praxis fuisse videtur in quibusdam Gallicanis Ecclesiis; nam, teste Martenio, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, articulo V, num. X, in manuscripto Missali Sancti-Vincentii Cenomanensis ab annis circiter sexcentis scripto, preces ad reconciliandos pœnitentes assignatæ reperiuntur feria VI Parasceves.

IV. Afferri jam possent et aliorum testimonia, quibus ostenditur reconciliatos fuisse pœnitentes in vigilia Paschæ et in ipso Dominicæ Resurrectionis die. Verum, quidquid de hac disciplina sit, hoc potissimum adnotandum est quod docet Morinus, libro IX *De Pœnitentia*, c. XXIX, num. XI, cum dicunt canones et decreta, quibus adde et libros Pontificales, feria V in Cœna Domini pœnitentibus esse remittenda peccata, id solum de iis pœnitentibus esse intelligendum, qui tum pœnitentiam suam aut finierunt, aut finiendæ proximi erant, aut relaxationem ab Ecclesia obtinuerant. Aliter enim, qua ratione hoc præceptum consistere posset cum innumeris omnium sæculorum canonibus, qui multorum annorum pœnitentiam indicunt, si singulis annis pœnitentes reconciliantur? longissima quidem pœnitentia unius anni stadio terminaretur; eodemque spatio pœnitentia brevissima clauderetur, nullaque esset altera diuturnior, neque ullum esset inter gravissima et minus gravia peccata discrimen. Donatistæ quidem, teste Optato Milevitano, in fine libri II, omnia pro personis agebant; apud ipsos quippe « alter » anno toto, alter mense, alter vix tota die pœ- » nitentiam » gerebat. Sed nec eos reprehendit Optatus quod brevem pœnitentiam darent, sed quod idem peccatum tam disparibus pœnis plecterent. Unde merito ita in ipsos invehitur : « Si est similis culpa, quare non est æqualis » pro eodem reatu pœnitentia? »

V. Constat ex sacris canonibus priscisque Patribus, quorum loca longum esset hic recensere, diligentissime attendisse ipsos an pœnitentes sedulo ac fervide pœnitentiam illis im-

Digitized by Google

positam peragerent; ut nimirum discernere possent quinam essent in Cœna Domini reconciliatione digni; sicut, appropinquante aut mediante Quadragesima, e catechumenorum turba perfectiores eligebant, quibus in sabbato Paschatis baptismum conferrent, quos ideo Latini non modo *competentes*, sed etiam *electos* vocabant. Antiquum hunc morem continuans Hincmarus, in *Capitulari* III, hoc Parochis suis tradidit observandum : « Semper de kalendis » in kalendis mensium, quando Presbyteri de » decaniis simul conveniunt, collationem de » pœnitentibus suis habeant, qualiter unusquis- » que pœnitentiam suam faciat, et nobis per » comministrum nostrum renuntietur, ut in » actione pœnitentiæ pensare valeamus quando » quisque pœnitens reconciliari debeat. » Hinc, cap. IX quinti *Capitularis*, ita ille suos admonet Parochos : « Sollicite providete ne vos, vel » Presbyteri, negligenter pœnitentes pro aliquo » munere ad reconciliationem adducatis, vel » post reconciliationem eos negligatis, quod » simoniacum est. » Reconciliati enim per Episcopum pœnitentes manere soliti erant per aliquod tempus sub suorum Parochorum disciplina, a quibus quotidie instruebantur acceptam reconciliationis gratiam sollicite custodire. Vetat itaque Parochis munus ab hujusmodi pœnitentibus accipere. Similes prohibitiones plures vide apud Morinum, lib. VII, c. XVII; ex eisque colligi potest non promiscue, sed magna cum cautela post pœnitentiam congrue actam, pœnitentibus veniam in Cœna Domini fuisse relaxatam.

VI. Quantum autem crimen sit pro reconciliationis testimonio pœnitentibus dando, pretium seu munera ab eisdem exigere, docet nos quidem Riculphus Episcopus Suessionensis, sic dicens : « Videant ne Simoni mago et Judæ traditori » efficiantur similes, si pro pretio pœnitentes » ante tempus ad reconciliationem adduxerint, » et eis pro reconciliatione testimonium dede- » rint. » Plura de hoc abusu videri possunt apud eruditissimum Lupum, tomo IV editionis Venetæ, in secunda proœmiali dissertatione *De Simoniæ crimine, et variis ad ipsum spectantibus,* cap. VIII. Exoptandum sane ut nostri temporis Sacerdotes, qui sacro confessionis tribunali præsident, nihil prorsus a pœnitentibus acciperent, imitantes S. Rodulfum Eugubinum episcopum, de quo ita S. Petrus Damianus ad Alexandrum II Pontificem Maximum scripsit : « Sanctus Rodulfus ne a lapsis quidem commo- » dum aliquod præter solam pœnitentiam re- » quirebat : « Lapsos, inquit, potius erigam, » quam ex eorum cadaveribus more corvino » pinguescam. »

VII. Tandem, quod recte feria V Cœnæ Domini pœnitentes Ecclesiæ restituantur, pluribus ostendit Rupertus abbas Tuitiensis, lib. V *De divinis Officiis*, cap. XIX. S. Eligius, Sermone X feria quinta in Cœna Domini, inquit per totum mundum reserari carceres, ad exemplum Ecclesiæ, quæ hodie indulgentiam et absolutionem peccatoribus concedebat. Legimus passim apud SS. Augustinum, Chrysostomum, Leonem, aliosque Patres complures qui ante S. Eligium vixerunt, Christianos olim principes. Christi et Ecclesiæ clementiam imitatos, diebus festum Paschatis præcedentibus carceres aperuisse, et captivos libertate donasse. « Habitantes in car- » ceribus, inquit S. Chrysostomus, a vin- » culis solvunt, et pro humano virili Dominum » suum imitantur, qui a gravi nos peccatorum » carcere exsolvit, et innumeris bonis frui fecit. » Idem alii sancti Patres docent.

§ I.

Feria quinta Cœnæ Domini reconciliantur pœnitentes quibus ab Ecclesia solemnem agere pœnitentiam injunctum est, qui in capite Quadragesimæ de ipsa ejecti fuerunt. Pontifex paratus amictu, alba, stola, pluviali coloris violacei, mitra simplici, et baculo Pastorali, Ministris etiam paratis, et insuper quatuor Subdiaconis paratis, et uno Diacono de antiquioribus induto solemniter, atque Archidiacono cum amictu, alba et stola, sine dalmatica, prosternit se super faldistorium coram altari, dicens cum præfatis Ministris et Clero septem Psalmos pœnitentiales, et

Digitized by Google

litanias. Pœnitentes vero tunc ante fores ecclesiæ nudis pedibus ad terram prostrati manent, tenentes in manibus cereos exstinctos.

COMMENTARIUS.

I. Illud quidem primo Commentarii hujus in limine investigandum nobis omnino videtur, quisnam olim fuerit pœnitentiæ Minister, qui nimirum confessiones peccatorum exciperet, pœnitentiam confessis imponeret, ac salutari satisfactione mundatos Christo et Ecclesiæ reconciliaret. Constat plane, ex sacris canonibus priscisque Patribus, proprii juris solorum fuisse Episcoporum, et publicam pœnitentiam imponere, ac publice pœnitentes reconciliare. S. Cyprianus, Epistola XI, ubi de quibusdam Presbyteris conqueritur quod pœnitentes ante actam pœnitentiam, contempta canonica disciplina, conciliabant, inter alia reprehendit, quod, se inconsulto, id facerent : « Audio, inquit, quos» dam de Presbyteris, nec Evangelii memores, » nec quid ad nos Martyres scripserint, nec » Episcopo honorem Sacerdotii sui et cathe» dræ reservantes, jam cum lapsis communicare » cœpisse, et offerre pro illis, et Eucharistiam » dare, quando oporteat ad hæc per ordinem » perveniri. Nam cum, in minoribus delictis » quæ non in Dominum committuntur, pœni» tentia agatur justo tempore, et exomologesis » fiat, inspecta vita ejus qui agit pœnitentiam, » nec ad communicationem venire quis possit, » nisi prius illi ab Episcopo et Clero manus » fuerit imposita, quanto magis, in his gravis» simis et extremis delictis, caute omnia et » moderate secundum disciplinam Domini ob» servare oporteat ? »

II. Episcopos publice pœnitentes reconciliandos sibi reservasse, ex priscis canonibus palam est, idque Presbyteris atque adeo Chorepiscopis negatum esse, iidem testantur apud Joannem Dartis, in opusculo *De canonica Disciplina circa pœnitentiam*, cap. XXVI, ubi etiam scite observat potuisse Presbyteros, ex consensu Episcopi aut in ejus absentia, vel urgente necessitate, pœnitentes reconciliare, uti aperte constat ex Concilio Africano, circa tempora Bonifacii I habito, relato in can. *Pœnitentibus* XXVI, quæstione XXVII : « Presbyter in» consulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, » nisi absentia Episcopi, necessitate cogente. » Id quod totidem fere verbis habetur in Concilio Carthaginensi III, can. XXXII, confirmaturque exemplo Synesii episcopi, qui, in Epistola LXVII, ait se permisisse Sacerdotibus suis ut Lamponianum communione Ecclesiastica privatum in communionem reciperent, si fatalis necessitas urgeret, et dies mortis instaret. Ratio quare Episcopus solus olim reconciliaret vel ad pœnitentiam admitteret, est quia ejus erat judicare de pœnitentium statu et merito, ejusque fit semper mentio ut dispenset circa gradus pœnitentiæ percurrendos, ex canone VII Concili Ancyrani ; ex Epistola S. Basilii ad Amphilochium episcopum, can. XXX, et ex aliis plerisque sacris canonibus.

III. Sæviente adhuc in Christianos crudelissima Decii persecutione, et crescente in dies lapsorum numero, cum Episcopi vix sufficerent reconciliandis pœnitentibus, institutus fuit ab ipsis Pœnitentiarius Presbyter qui præesset pœnitentibus, subsidio futurus Episcopo, cujus, ut dixi, erant primariæ partes in his quæ pertinent ad pœnitentiam, maxime ad solemnem et publicam. Hunc Presbyterum usumque pœnitentiæ publicæ sustulit in Constantinopolitana Ecclesia sua Nectarius, commotus scandalo ibidem suborto, ob stuprum scilicet a Diacono illatum mulieri pœnitenti, de quo agit fusius Socrates, lib. V *Historiæ*, cap. XIX ; Sozomenus, lib. VII, cap. XVI ; Nicephorus Callixtus, lib. XII, cap. XXVIII ; et alii. Scio multum sibi nostri temporis hæreticos de facto Nectarii gratulari, quasi pœnitentiæ sacramentum abrogarit ; sed quam misere allucinentur, satis nos ostendimus nostro I tomo *Conciliorum*. In Occidente Presbyteri Pœnitentiarii institutio ita quidem perseveravit, ut nihilominus publicæ pœnitentiæ impositionem absolutionemque sibi Episcopi reservarint. Fuse de Pœnitentiario Presbytero egimus supra, in Commentario ad § I tituli II.

IV. Quod, urgente necessitate aut instante mortis periculo, non modo Presbyteri, sed et Diaconi, absente Episcopo vel Presbytero, lapsos pœnitentes reconciliare possent, docet nos Concilium Illiberitanum, can. XXXII. « Si quis gravi

Digitized by Google

» lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit » agere pœnitentiam, non debere sine Episcopi » consulto, sed potius apud Episcopum agat. » Cogente tamen infirmitate, necesse est Pre» sbyterum communionem præstare debere, et » Diaconum, si jusserit Sacerdos. » Expressius idipsum docet in Epistola sua XII S. Cyprianus ad Clerum, *De Lapsis et Catechumenis*, ne vacui exeant, his verbis : « Quoniam tamen video » facultatem veniendi ad vos nondum esse, et » jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmi» tatibus assiduis et gravibus infestatur, occur» rendum puto fratribus nostris ; ut qui libellos » a Martyribus acceperunt, et prærogativa » eorum apud Deum adjuvari possunt, si in» commodo aliquo et infirmitatis periculo occu» pati fuerint, non exspectata præsentia nostra, » apud Presbyterum quemcumque præsentem, » vel, si Presbyter repertus non fuerit, et urgere » exitus cœperit, apud Diaconum quoque exo» mologesin facere delicti sui possint, ut. manu » eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Do» minum cum pace, quam dari Martyres litte» ris ad nos factis desideraverunt. »

V. Ne cui autem memoratus Cypriani locus aliique similes, quos longa serie affert Martenius, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, articulo VI, num. VII, scrupulum faciant, sciendum est non agere illos de Sacramentali absolutione, cum jus eo modo solvendi solis Sacerdotibus concessum doceat universalis Ecclesiæ traditio. Itaque Cypriani locus explicari debet vel de precibus quas Ecclesia pro morientibus fundere solebat, vel de absolutione ab excommunicatione minori qua innodati erant pœnitentes, ut pote prohibiti a participatione Sacramentorum et exclusi a tremendo Missæ sacrificio. Dici etiam posset eum intelligi de Eucharistia, quam Diaconi iis dispensarent qui per exomologesin, absente Presbytero, ipsis Diaconis factam, humilitatem et contritionem probassent. Solebant nimirum majores nostri SS. Eucharistiæ sacramento reficere de vita periclitantes, licet propter Sacerdotis defectum eos non possent absolutione Sacramentali donare. Patet ea disciplina ex Eusebio, qui, lib. VI *Historiæ*, cap. XLIV, refert Eucharistiam Serapioni seni, nondum absolutione Sacramentali donato, traditam fuisse a puero quem Presbyter ad eum miserat, cum ipse, præ infirmitate qua detinebatur, eum convenire non potuisset. Vide Jueninum in *Commentario theologico-historico de Sacramentis*, quæstione VII *De Absolutione*, cap. III, articulo I; Mendozam in laudatum can. XXXII Illiberitanum; Petavium in diatriba *De Pœnitentia et Reconciliatione veteris Ecclesiæ moribus recepta*, cap. II et IV; aliosque viros doctos de eadem re disserentes.

VI. Expediti ab hisce ambagibus, theologisque relinquentes confutationem hæreticorum Joannis Wiclefi et Martini Lutheri, contendentium quemque fidelem hominem laicum, spectato solo jure divino, posse credentes absolvere, investigandum nunc nobis est qua hora feria V Cœnæ Domini solerent olim reconciliari pœnitentes, quo ritu et quibus induti vestibus Episcopus et Ministri cæremoniam istam peragerent : « Hora diei prima, » inquit manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Bisuntinæ, annorum circiter sexcentorum, « conveniant ante Archiepiscopum » Archidiaconi cum Archipresbyteris, et agant » scrutinium de pœnitentibus qui debeant re» conciliari, qui extra ecclesiam remansere. Et, » de singulis consilio accepto, pulsetur Prima; » mox veniatur ad capitulum. Finito versu, » D. Archiepiscopus compendiosum sermonem » faciat fratribus de tanta diei solemnitate et de » tam sacro officio peragendo; ut honeste se » habeant, cum timore Dei cuncta peragant. » Post allocutionem statim prosternat se Ar» chiepiscopus, et faciat confessionem fratribus, » et fratres illi, ut impleatur illud Apostoli : » *Confitemini alterutrum peccata vestra, et* » *orate pro invicem, ut salvemini*. Et statim fra» tres vadunt ecclesiam, ut in directo cantent » omnes Horas propter officium, quod proten» ditur in longum : et interim præparet se Do» mnus ibidem in capitulo cum suis processo» ribus. Tunc pulsentur duo signa ter, sicut » mos est in magnis Processionibus, et congre» getur Clerus et populus, et aptent se pœniten» tes. » Tum mandat ut « Archiepiscopo præpa» retur sedes in media porticu aut ante occi» dentalem portam dextram; et mox veniens » sedeat in sede, circumstante Clero; et pœni» tentes sint extra ecclesiam in atrio, stetque » unus Archidiaconus cum illis indutus alba » et stola sine dalmatica, dicatque excelsa voce » indicens manu silentium : *State, fratres, cum* » *silentio, audientes intente, etc.* »

Digitized by Google

VII. Ex manuscripto Pontificali Christiani archiepiscopi, qui ab anno 1249 usque ad annum 1251 Moguntinam rexit Ecclesiam, cautum est ut primo quidem ante fores ecclesiæ exspectent pœnitentes Episcopum, induti vestibus laneis et caligis, nudis pedibus, capillis circumcisis; Episcopus autem, indutus Pontificalibus præter casulam, cum crucibus et candelis, incenso et aqua benedicta, aliisque Ministris, veniens resideat ad ostium ecclesiæ in loco cortinis et tapetibus ornato. Tum mandat debere et alios Sacerdotes ac Levitas adesse vestibus sacris indutos, ut Diaconi Presbyteris pœnitentes, Presbyteri autem Episcopo præsentarent. Porro « in quibusdam Ecclesiis, » ut testatur manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis, annorum circiter sexcentorum, ubi agit de reconciliatione pœnitentium in Cœna Domini, « pœnitentibus mane jussu Episcopi ante fores » ecclesiæ exterius humiliter constitutis, unus » Sacerdos in aliquo altari eisdem foribus » proximiori » celebrabat « Missam, » cujus Introitus est : « Misereris omnium, etc., » ut in Feria IV cinerum. Epistola : *Lavamini, mundi estote, etc.* Evangelium : *Erant appropinquantes ad Jesum, etc.* ut in Dominica IV post Pentecosten. Missa expleta, mox Sacerdotes, quibus impositum erat pœnitentium confessiones audire, audiebant illas vel in ecclesia, vel in alio loco ad hoc deputato : qualiter in transacta Quadragesima se gesserint, qualiterve injunctas sibi pœnitentias observarint, diligenter inquirebant; notata fideliter habebant nomina et annos pœnitentiæ, ac delicta et circumstantias singulorum; ut, quid de singulis censeret, Pontifex liberius et expeditius decernere posset. Auditis confessionibus, Episcopus ante horam sextam examinabat cum Sacerdotibus ipsis diligenter qui digni essent reconciliari, qui non. Deinde vero paratus cum amictu, alba, stola, mitra simplici et baculo Pastorali, sine manipulo, etc., ut in nostro Pontificali.

VIII. Reconciliari consuevisse pœnitentes ad Missam, aperte colligitur ex Concilio II Carthaginensi, can. III; Hispalensi II, can. VII; Wormaciensi, can. VIII; et aliis. Servatum hunc ritum fuisse et a schismaticis Donatistis, non obscure innuit S. Optatus Milevitanus, *Adversus Parmenianum*, libro II, ita inquiens : « Etenim » inter vicina momenta, dum manus imponitis » et delicta donatis, mox, ad altare conversi, » Dominicam orationem prætermittere non » potestis. » Quanam Missæ parte pœnitentium reconciliatio perageretur, difficile est definire, cum non una fuerit omnium Ecclesiarum hac in re consuetudo. Nam aliqui ante Missam, quidam post Evangelium ante Offertorium, imo nonnulli post Consecrationem, teste Morino, reconciliabantur. In Hispania, ubi pœnitentibus feria VI Majoris Hebdomadæ pœnitentiæ relaxabantur, reconciliatio ad Vesperam omnino fiebat, uti liquet ex Concilio Toletano IV, can. VII; quo redarguuntur nonnulli qui hac die ad Nonam jejunium relaxabant, quod omnino fieri vetat Concilium « ante peractas indulgentiæ » preces, » hoc est ante reconciliatos pœnitentes, qui proinde sero absolvebantur; uti scite observat Martene, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, articulo V, num. XI.

IX. Missa, quæ pro pœnitentibus, feria V Cœnæ Domini, mane cantabatur, propria quidem antiquitus fuit, eamque legere est in vetustioribus Sacramentorum libris, ante annos mille aut circiter scriptis, ut in Noviomensi Beatæ-Mariæ; in Remensi Sancti-Remigii; in Gellonensi; in Pictaviensi Pontificali; in Ordine Gelasiano, ac aliis; apud memoratum Martene, loco citato, articulo VII, et in opusculo *De antiqua Ecclesiæ Disciplina in divinis celebrandis Officiis*, cap. XXII. In codice Siculo, quem Morinus edidit, ad calcem librorum *De Pœnitentia*, pag. 22, feria V in Cœna Domini, tres assignantur Missæ, prima pro reconciliatione pœnitentium, secunda pro benedictione oleorum sanctorum, tertia in memoriam institutionis Eucharistiæ. Innuere videtur Grancolas *In Breviarium Romanum*, t. II, p. 255, generalem fuisse hanc Ecclesiæ consuetudinem; asseritque præterea quod, postquam tres istæ Missæ in unam tantum redactæ sunt, tres etiam istæ Missæ actiones in diversa Missæ tempora sunt distributæ; reconciliati autem pœnitentes ante Missam. Quidquid sit de hujusmodi opinione laudati scriptoris, vix in alio Pontificali antiquo recentiorive, præter Siculum codicem, invenies in quo præscriptum legatur ut memoratæ tres Missæ feria V Cœnæ Domini dicerentur.

X. Recitatio septem pœnitentialium Psalmorum, quamvis desideretur in duobus memoratis manuscriptis Pontificalibus, Bisuntino et Chri-

Digitized by Google

stiani archiepiscopi Moguntini, expressa est nihilominus in manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Senonensis, annorum circiter sexcentorum, ex cujus præscripto, introductis primo ecclesiam pœnitentibus, habebat ad ipsos Episcopus sermonem; tum vero jubebat ut omnes se prosternerent, simulque cum astantibus septem Psalmos pœnitentiales cantabat. Juxta manuscriptum Sancti-Remigii Remensis codicem ejusdem fere ætatis, Episcopo ingrediente Ecclesiam, et incipiente Antiphonam *Oremus, dilectissimi*, pœnitentes, prosternantes se ante altare, dicebant confessionem, et postea decantabant septem *Psalmos pœnitentiales cum litaniis*. Exstat et de VII pœnitentialibus Psalmis, non vero de litaniis, mentio in manuscripto insignis Ecclesiæ Ebroicensis Pontificali, annorum circiter nongentorum, et in aliis plurimis quæ longum esset hic recensere.

XI. Quo exteriori habitu reconciliandi pœnitentes se præsentare deberent Ecclesiæ, et ante fores illius pedibus nudis manere quousque ab Episcopo acciti essent, ex enarratis hactenus colligi potest. Certe rex Daniæ Sueno, ut vere se pœnitentem omnibus propalaret, non in aureis vehi quadrigis, non regiis voluit indui vestibus, sed pedester, nudis pedibus, et sacculo tantum coopertus ad Ecclesiæ atrium perveniens, « in ejus se aditu prostravit, terramque » suppliciter osculatus, dolorem qui ex contu- » melia acerrimus infligi solet, verecundia ac » moderatione expressit, » ut ait Saxo Grammaticus lib. XI *Historiæ Daniæ*, pag. 190. Quod ipsi pœnitentes, ante fores ecclesiæ nudis pedibus ad terram prostrati manentes, cereos exstinctos in manibus tenere deberent, præter manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis, Gulielmi Durandi, et alia quædam recentioris ævi, fateor me in nullo alio hunc ritum reperisse.

§ II.

Cumque in litaniis dictum fuerit : *Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ.* ℟. *Orate pro nobis*, et idem a Choro fuerit responsum, paulisper subsistitur; et tunc Pontifex mittit ad pœnitentes duos Subdiaconos, candelas accensas in manibus ferentes. Qui, cum ad portam pervenerint, stantes in limine ostii, elevatis manibus, ostendunt illis candelas accensas, dicentes Antiphonam toni III : *Vivo ego, dicit Dominus : nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat.* Qua finita, exstinguunt mox ipsas candelas coram illis, et revertuntur ad locum suum : et proceditur in litaniis. Cumque dictum fuerit : *Omnes sancti Martyres.* ℟. *Orate pro nobis*, et idem a Choro responsum fuerit, tunc etiam subsistitur a litaniis, et Pontifex mittit ad illos, duos alios Subdiaconos simili modo cum candelis accensis, qui, in limine ostii constituti, cantant Antiphonam toni V : *Dicit Dominus : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et mox, exstinctis candelis, ut prius, revertuntur ad locum suum; et proceditur in litaniis usque ad *Agnus Dei* inclusive. Tunc Pontifex mittit ad illos unum senem Diaconum, indutum ut supra, cum magno cereo illuminato. Ille igitur, in limine ostii constitutus, cantat Antiphonam toni II : *Levate capita vestra, ecce appropinquavit redemptio vestra.* Et tunc accenduntur candelæ pœnitentium ex illo cereo. Cereus autem ille non exstinguitur, sed Diaconus cum eo accenso revertitur. Et tunc dicitur in litaniis : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.* ℟. *Parce nobis, Domine*, et alia usque in finem.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Concinit hæc Rubrica cum Vaticano Gulielmi Durandi, uti in Appendice videre est. In aliis manuscriptis, excepto manuscripto Lugdunensis Ecclesiæ, annorum circiter sexcentorum Pontificali, aliisque circa eam ætatem exaratis, vix eum ritum reperies candelarum accensarum cum quibus duo Subdiaconi bis ad pœnitentes a Pontifice mittuntur, tertio autem Diaconus senex *cum magno cereo illuminato*. Fateor nihil me de eo ritu apud antiquos scriptores legisse; quodque mirum est, Gulielmus ipse Durandus, qui in suo *Divinorum Officiorum Rationali* minutissima quæque explicavit, libro VI, capite LXXIII, ubi de pœnitentium reconciliatione agit, nullam prorsus de eo ritu mentionem facit, tametsi alios in ipsa reconciliatione pœnitentium fieri solitos egregie exponat.

II. Quidquid de memorati ritus antiquitate sit, cur pœnitentes cereos accensos in manibus suis teneant, eam reor esse causam quod, ut testatur Concilium Tridentinum, sessione XIV, capite II, pœnitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus appellitatur; non ergo mirum si ritus usitati ab iis qui baptismum suscipiunt, etiam a pœnitentibus serventur. Traditum illis cereum docet nos S. Gregorius Nazianzenus, in celebri sua Oratione *De Baptismo*, ubi et illius dandi ritum describit, sic dicens : « Statio qua post baptisma ante magnum altare stabis, venturæ gloriæ est præludium; psalmodia cum qua excipieris, laudis venturæ est anteambulatrix; lampades quas accendis, venturæ est illuminationis mysterium cum qua obviabis sponso. » Huc quoque facit quod scribit Gregorius Turonensis, lib. V *Historiæ Francorum*, cap. XI, de multitudine Judæorum ab Avito episcopo baptizatorum : « Gravisus autem Pontifex nocte sancta Pentecostes, Vigiliis celebratis, ad baptisterium foras-muraneum egressus est, ibique omnis multitudo coram eo prostrata baptismum efflagitavit. At ille præ gaudio lacrymans, cunctos aqua abluens, chrismate liniens, in sinu matris Ecclesiæ congregavit : flagrabant cerei, lampades refulgebant. » Vide alia scriptorum loca apud eruditum Stephanum Durandum, lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XIX, num. XLI. Quibus adde Venantium Fortunatum, qui, lib. IV carminum, de memoratis Judæis baptizatis ita cecinit :

Undique rapta manu lux cerea provocat astra,
Credas ut stellas ire trahendo comas.
Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor
Ducitur, et vario lumine picta dies.

III. Illud quoque hic est observatu dignum, quod neophytis exstincti quidem porrigebantur cerei, sub finem litaniæ quæ post Baptismum decantabatur, accendendi. Cujus ritus testes sunt creditus Alcuinus et Amalarius, quorum alter, in eo capite quod inscribitur *De Sabbato sancto*, ita inquit : « Tunc egreditur Pontifex de sacrario cum ingenti decore, et prædicta cerostata ante illum cum thymiateriis; et cum dixerit Schola *Agnus Dei*, dicat Cantor excelsa voce *Accendite*. Tunc primum illuminantur omnes cerei neophytorum, quos manibus tenent, demonstrantes quod per illum Agnum qui tollit peccata mundi unusquisque lumen accipere debeat. » Amalarius vero in libro *De Ordine Antiphonarii*, cap. XLIV, hæc habet : « Reservetur ignis de sexta feria, ut illuminetur cereus, qui ponitur in vice columnæ ignis ad benedicendum, qui ab initio benedictionis illuminatus est; et cum benedictus est, ab eo illuminetur secundus cereus. Cætera luminaria exstincta permaneant usque ad novissimam litaniam, quæ pertinet ad officium Missæ de Resurrectione Domini. Tunc accendantur luminaria ecclesiæ et neophytorum. » Sunt et alii scriptores, qui eadem referunt, quorum testimonia supervacaneum est hoc loco describere.

IV. Forte instar baptizatorum et neophytorum dati sunt et pœnitentibus cerei, quibus significatur quod Apostolus ait ad Ephesios, cap. V : *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate : fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate : probantes quid sit beneplacitum; et nolite communicare operibus infructuosis, magis autem redarguite.* Significatur etiam ipsis cereis debere pœnitentes implere illud quod Christus Dominus in Evangelio Matthæi jubet, cap. V, his verbis : *Sic*

Digitized by Google

luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est; et Lucæ, cap. XIII, dicens : *Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ut nimirum « et » munditia sit castitatis in corpore, et lumen » veritatis in operatione, » quemadmodum egregie explicat S. Gregorius. Puto insuper idcirco non statim pœnitentium cereos accendi, ut aliquando intelligant quod ait Apostolus ad Ephesios, capite V, versu XIV : *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Quæ quidem verba adhibet Episcopus in ipsa pœnitentium reconciliatione, ut videre est infra ad § IX.

§ III.

Quo dicto, Pontifex ab accubitu surgens cum Ministris et Clero, cruce, thuribulo, cereis et omni paratu præcedentibus, egreditur extra chorum ecclesiæ. Et, parato sibi quasi in medio ecclesiæ faldistorio, sedet respiciens ad ostium ecclesiæ, Clero per Choros versus ipsum ostium ab utroque latere disposito seriatim. Tunc Archidiaconus, paratus ut præmissum est, stans in limine ostii, excelsa voce in tono Lectionis dicit ad illos ante ostium foris stantes : *State in silentio : audientes audite.* Indicto itaque silentio, vertens se ad Pontificem, dicit similiter in tono Lectionis : *Adest, o venerabilis Pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ et salutis humanæ, quo mors interitum et vita accepit æterna principium; quando in vinea Domini sabaoth sic novorum palmitum plantatio sarcienda est, ut purgetur exsecratio vetustatis. Quamvis enim a divitiis bonitatis et pietatis Dei nihil temporis vacet; nunc tamen et largior est per indulgentiam remissio peccatorum, et copiosior per gratiam assumptio renascentium. Augemur regenerandis, crescimus reversis. Lavant aquæ, lavant lacrymæ. Inde est gaudium de assumptione vocatorum, hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Inde est quod supplices famuli tui, posteaquam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cœlestium, et morum probatorum transgressione, ceciderunt, humiliati ac prostrati, prophetica ad Dominum voce clamant, dicentes :* Peccavimus, injuste egimus, iniquitatem fecimus : miserere nostri, Domine; *Evangelicam vocem non frustratoria aure capientes :* Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Manducaverunt, sicut scriptum est, panem doloris : lacrymis stratum suum rigaverunt; cor suum luctu, corpus afflixerunt jejuniis, ut animarum reciperent, quam perdiderunt, sanitatem. Unicum itaque est pœnitentiæ suffragium, quod et singulis prodest, et omnibus in commune succurrit.*

COMMENTARIUS.

I. Tametsi complures hactenus enarrati ritus circa reconciliationem pœnitentium antiqui sint in Ecclesia, ut ostensum est, antiquissimus profecto ritus est ille qui in præsenti § describitur, ubi mandat Archidiaconum, pœnitentes Pontifici offerentem, hisce ipsum Pontificem debere alloqui verbis : *Adest, o venerabilis Pontifex, tempus acceptum, etc.* Ita enim legitur ad feriam V in Cœna Domini post Orationes Missæ illius diei, in pervetusto *Sacramentario* ante S. Gregorium concinnato, apud Morinum, lib. IX *De Pœnitentia*, cap. XXIX, num. IV : *Ordo agentibus pœnitentiam publicam.* Egredietur pœnitens de loco ubi pœnitentiam gessit, et in gremio præsentatur Ecclesiæ, prostrato omni corpore in terra, et postulat in his verbis Diaconus : *Adest, o venerabilis Pontifex, etc.* Juxta Ordinis

Digitized by Google

antiqui Romani præscriptum, hora prima diei feriæ v, Episcopus Concilium, solemnibus vestimentis indutus, cum Presbyteris cæterisque ad hoc dispositis, celebrabat; eoque peracto, hora tertia, ad signi sonitum egrediebantur quidem pœnitentes de loco ubi pœnitentiam gessere, ut gremio præsentarentur Ecclesiæ; sedente autem Pontifice pro foribus ecclesiæ, pœnitentibus in atrio ecclesiæ eminus cum Archidiacono jussum illius præstolantibus, antequam eos offerret Pontifici, ita ipsum alloquebatur Pontificem : *Adest, o venerabilis Pontifex, etc.*

II. Legitur ista allocutio in omnibus sequioris ævi manuscriptis Pontificalibus libris; etenim ex antiquo manuscripto Missali insignis Ecclesiæ Sarisberiensis in Anglia, feria v Cœnæ Domini, Nona cantata, pergebat excellentior Sacerdos ad ostium ecclesiæ occidentale, indutus vestibus Sacerdotalibus, in cappa serica rubra, cum duobus Diaconis, albis cum amictibus indutis, absque Subdiacono, et sine cruce, per medium chori, præcedente vexillo cilicino. Tunc, si Episcopus aderat, principalis quidem Archidiaconus ex parte pœnitentium, scilicet extra ostium ecclesiæ, in cappa serica, alba et stola indutus, legebat hanc Lectionem : *Adest, o venerabilis Pontifex, etc.* Quæ quidem Lectio omittebatur, Episcopo absente, ut in eodem Missali expresse notatum legitur. Ex manuscripto Ordinario insignis Ecclesiæ Rothomagensis, annorum circiter sexcentorum, finita Nona, Archiepiscopus vel ejus Vicarius, indutus alba et stola cum cappa rubra, vel Sacerdos sine cappa, cum Diacono et Subdiacono, indutus albis et stola, cum Cantore et Processione ordinata pergebat ad occidentales portas ecclesiæ; et Archiepiscopo sedente juxta januas ipsius, Processione stante in navi ecclesiæ, legebatur a Diacono more Lectionis : *Adest, o venerabilis Pontifex, etc.*

III. Consentiunt cum nostra hac Rubrica non modo manuscriptum Pontificale Gulielmi Durandi, et aliud Ecclesiæ Lugdunensis, verum etiam concordare cum ipsa videtur manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiæ Aquensis, seu potius Romanum ad usum ipsius Ecclesiæ accommodatum, annorum circiter quingentorum. Mandat siquidem ut « hora dici secunda accipiat » Archiepiscopus stolam, et cappam, et mitram, » et præparetur sedes ejus in medio ecclesiæ, cir- » cumstante Clero; stetque cum illis unus Archi- » diaconus indutus alba et stola sine dalmatica, » dicatque pœnitentibus excelsa voce : *State cum* » *silentio, audientes intente.* Facto silentio dicat : » *Adest, o venerabilis Pontifex, etc.* » Idipsum expressius ac copiosius legitur quidem in manuscripto Ecclesiæ Bisuntinæ annorum sexcentorum, in ordine ad reconciliandos pœnitentes in Cœna Domini, ubi cautum est ut, post recitatas Horas canonicas, « tunc pulsentur duo signa » ter, sicut mos est in magnis Processionibus, » et congregetur Clerus et populus, et aptent » se pœnitentes. D. Archiepiscopo præparetur » sedes in media porticu, aut ante occidenta- » lem portam dextram, et mox veniens sedeat » in sede, circumstante Clero, et pœnitentes » sint extra ecclesiam in atrio; stetque unus » Archidiaconus cum illis, indutus alba et stola » sine dalmatica, dicatque excelsa voce, ter in- » dicens manu silentium : *State, Fratres, cum* » *silentio, audientes intente.* Et, facto silentio, » dicat hunc sermonem, legendo distincte et » aperte ad intelligendum quasi Lectionem : » *Adest, etc.* » Porro solemnis Processionis *cum crucibus, candelis, incenso et aqua benedicta, etc.*, ejusque allocutionis dicendæ a Diacono Pontifici pœnitentes feria v Cœnæ Domini reconcilianti, habetur mentio in manuscripto Pontificali Christiani archiepiscopi, qui ab anno 1249 usque ad annum 1251 Moguntinam rexit Ecclesiam.

IV. Ex antiquo tandem libro *Sacramentorum* Beatæ Mariæ Noviomensis, annorum circiter mille, in ordine ad reconciliandum pœnitentes in feria v Cœnæ Domini, egrediebatur quidem primo pœnitens de loco ubi pœnitentiam gesserat, et in gremio præsentabatur Ecclesiæ, prostrato omni corpore in terra; verum antequam Diaconus Lectionem *Adest, o venerabilis, etc.*, ad Episcopum recitaret, dicebat Episcopus tres Orationes, quarum prima hæc erat : « Omni- » potens, sempiterne Deus, da, quæsumus, » universis famulis tuis plenius atque perfectius » omnia festi Paschalis introire mysteria, ut » incunctanter pia corda cognoscant quantum » debeant de confirmata in Christo renascen- » tium glorificatione gaudere. Per Dominum. » Altera Oratio ita habet : « Concede credentibus, » misericors Deus, salvum nobis de Christi

Digitized by Google

» passione remedium, ut humanæ fragilitatis » præteritæ culpæ laqueos æternæ vitæ suffragio » plebis absolvat. Per. » Tertiæ demum Orationis hæc sunt verba : « Omnipotens sempiterne » Deus, qui vitam humani generis, pro nobis » Filio tuo moriente, salvasti : præsta, quæsu- » mus, ut in hac populi tui devotione fructus » provehat gaudiorum. Per. »

V. Illa verba, quibus passim in Pontificalibus dicitur initio Ordinis ad reconciliandum pœnitentes feria v Cœnæ Domini : « Egreditur pœni- » tens de loco ubi pœnitentiam gessit, » satis innuunt, quod superius fuse nos explicuimus ad initium tituli II, incarceratos fuisse pœnitentes in capite jejunii Quadragesimalis, usque ad feriam v Cœnæ Domini Id quod etiam comprobari amplius potest ex pervetustis Pontificalibus, in quibus, ubi agitur de impositione pœnitentiæ feria IV mane in capite Quadragesimæ, inter alia ita legimus : « Cooperis eum cilicio, » oras pro eo, et includis usque ad Cœnam Do- » mini. » Sive hunc in modum : « Recludatur » pœnitens in loco secreto usque ad Cœnam » Domini, deputato sibi idoneo teste, qui solli- » cite inspiciat instantiam devotionis ejus, etc., » ut in antiquo Pontificali Tolosano nono sæculo exarato. Satis autem postremis verbis Pontificalis hujus exprimitur finis memoratæ inclusionis, ideo nimirum in locis aliquot secretis pœnitentes aliquandiu inclusos, ut qui ipsis assistebant, diligentius eorum vitam, mores, conversionem, studia explorarent, antequam eis reconciliationis gratia donaretur.

VI. Esse antiquam hujusmodi inclusionis disciplinam, ejusque vestigia deprehendi posse a S. Augustino ex ejusdem S. Doctoris Homilia ultima libri *Quinquaginta Homiliarum*, scite docet Joannes Morinus, lib. v *De Pœnitentia*, cap. xv. Ait autem sic Augustinus : « Si pec- » catum ejus non solum in gravi ejus malo, » sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque » hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antis- » titi, in notitia multorum, vel etiam totius » plebis, agere pœnitentiam non recuset, non » resistat, non lethali et mortiferæ plagæ per » pudorem addat tumorem. » Utquid enim illa disjunctio, « in notitia multorum, vel etiam » totius plebis pœnitentiam agere, » nisi mos saltem in Africa usurpari jam cœpisset in locum aliquem pœnitentes relegare? Sane illustrari, et confirmari consuetudo hæc potest ex alia Africanæ Ecclesiæ disciplina includendi competentes qui baptismum suscepturi erant, cujus expresse meminit ipse Augustinus, lib. II *De Symbolo ad catechumenos*, cap. I, his verbis : « Quid est, dilectissimi, quod in vobis celebra- » tum est ? Quid est quod hac nocte circa vos » actum est? Quod præteritis noctibus actum non » est, ut ex locis secretis singuli produceremini » in conspectu totius Ecclesiæ, ibique, cervice » humiliata, quæ male fuerat ante exaltata, in » humilitate pedum, cilicio substrato, in vobis » celebraretur examen, etc. » Quemadmodum igitur in secretis aliquot locis competentes aliquandiu continebant, ut diligentius eorum vitam et mores ac progressum explorarent, antequam illos baptismi gratia imbuerent ; ita in gravium peccatorum pœnitentia simile quid propter easdem rationes fecisse videntur, antequam pœnitentibus reconciliationis gratiam elargirentur.

§ IV.

His dictis, Pontifex surgens accedit cum Ministris ad ostium ecclesiæ, Clericorum choro se non movente. Et stans in medio ostii facit eis brevem exhortationem de clementia divina et de veniæ promissione, dicens eis qualiter mox in ecclesiam reducentur, et qualiter vivere debent. Quo facto, cantat Antiphonam toni VII : *Venite, venite, venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos.* Qua dicta, Diaconus, ex parte pœnitentium stans, dicit pro eis : *Flectamus genua.* Tunc omnes genua flectunt pœnitentes. Quo facto, Diaconus ex parte Pontificis dicit : *Levate.* Et Episcopus secundo dicit dictam Antiphonam : *Venite, venite, etc.* Et Diaconus idem iterum dicit : *Flectamus genua, etc.* Et mox Episcopus tertio repetit præfatam Antiphonam : *Venite, venite, etc.* Et Diaconus idem tertio dicit : *Flectamus genua, etc.*

Digitized by Google

§ V.

Deinde Pontifex ingreditur ecclesiam, stans infra ostium, distans ab illo, spatio convenienti, et tunc Archidiaconus inchoat et Schola prosequitur Antiphonam toni VII : *Accedite ad eum, et illuminamini : et facies vestræ non confundentur.* Psalmus XXXIII : *Benedicam Domino in omni tempore, etc.* Qua incœpta, mox pœnitentes ingredientes infra ostium ecclesiæ corruunt ad pedes Pontificis, sicque prostrati et stantes jacent, donec præmissa Antiphona et Psalmus compleantur. Quibus expletis, Archipresbyter dicit in tono Lectionis id quod sequitur : *Redintegra in eis, Apostolice Pontifex, quidquid diabolo suadente corruptum est; et, orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinæ reconciliationis gratiam fac homines proximos Deo : ut, qui antea in suis perversitatibus displicebant, nunc etiam placere se Domino in regione vivorum, devicto suæ mortis auctore, gratulentur.*

COMMENTARIUS.

I. Si antiquissimos Sacramentorum libros, veteremque Romanum Ordinem aliosque Pontificales manuscriptos ac pervetustos codices consulamus, nihil fere in duobus hisce §§ habetur, quod antiquum non sit in Ecclesia, licet quod in quibusdam est ante, in aliis post, et inverso ordine prorsus legatur. Certe non modo vetus Ordo Romanus, et nonnulli Pontificales manuscripti libri, sed et antiquissimum *Sacramentarium* ante S. Gregorii tempora concinnatum, statim ac Diaconus illam Lectionem recitavit : *Adest, o venerabilis Pontifex, etc.*, in § III descriptam, ita mandat : « Hinc ergo dum ad » pœnitudinis actionem tantis excitatur exem- » plis, sub conspectu ingemiscentis Ecclesiæ, » venerabilis Pontifex protestatur, et dicit : » *Iniquitates meas ego cognosco, et delictum* » *meum contra me est semper. Averte faciem* » *tuam a peccatis meis; et omnes iniquitates* » *meas dele. Redde mihi lætitiam salutaris tui,* » *et spiritu principali confirma me.* Quo ita » supplicante, et misericordiam Dei afflicto » corde poscente, iterum Archidiaconus sub- » jungat sic dicens : *Redintegra in eo, Aposto-* » *lice Pontifex, etc.*, » ut in § V legere est.

II. Ex eodem antiquo Romano Ordine, aliisque libris Pontificalibus, finita quidem hac Lectione, sequuntur ritus in § IV descripti : « Tunc, inquiunt, dicit Pontifex Antiphonam : » *Venite.* Et Diaconus ex parte pœnitentium : » *Flectamus genua.* Tunc omnes adstantes ge- » nua flectunt pœnitentes. Quo facto, dicat » Diaconus ex parte Pontificis : *Levate.* Simi- » liter agatur secundo, repetente Episcopo : » *Venite, venite*, subsequente Diacono : *Flecta-* » *mus genua*, ut antea. Et sic ad medium usque » atrii pavimentum solotenus veniant. Quando » autem tertio Dominus Episcopus annuntia- » verit Antiphonam : *Venite, venite, venite*, » prosequatur Diaconus : *Flectamus genua :* » mox cum Diacono pœnitentes corruant ad » pedes Episcopi : sic prostrati jaceant usque » dum dominus Episcopus surgens innuat » alteri Diacono : *Levate;* prosequente Clero » Antiphonam : *Venite, filii, audite me ; timo-* » *rem Domini docebo vos;* cum Psalmo *Bene-* » *dicam Domino in omni tempore, semper laus* » *ejus in ore meo;* et usque ad finem dicente. » Hactenus vetus Ordo Romanus, cui et alii, ut dixi, complures libri Pontificales concinunt, qui etiam jubent ut « quandiu Psalmus ca- » nitur a Clero cum Antiphona *Venite, filii,* » semper manuatim pœnitentes a Plebesanis » Archidiacono, et ab Archidiacono reddantur » Episcopo, et ab Episcopo restituantur Ecclesiæ » gremio, prostrato omni corpore in terram. »

III. Est et in aliis Pontificalibus sua varietas : ut enim alia omittam, ex antiquo, annorum circiter nongentorum, manuscripto codice Bellovacensi, reconciliatio pœnitentium in Cœna Domini ita quidem incipit : « Sedente Pontifice præ » foribus ecclesiæ, pœnitentibus in atrio ecclesiæ

Digitized by Google

» eminus cum Archidiacono versum illum » præstolantibus, dicit Pontifex Antiphonam : » *Venite, Filii, audite me; timorem Domini* » *docebo vos*. Et Diaconus ex parte pœnitentium » dicit : *Flectamus genua, etc.*, » ut supra in Ordine antiquo Romano, et in manuscripto Pontificali Petri episcopi Silvanectensis, qui obiit anno 1356, in quo tamen, antequam dicatur ab Archidiacono Lectio illa : *Adest, o venerabilis Pontifex, etc.*, recitatur Psalmus CXVIII : *Beati immaculati in via*. Deinde vero post Lectionem, prostratis pœnitentibus, cantatur Psalmus *Miserere mei, Deus*, Psalmus *Deus, in nomine tuo*, Psalmus *Miserere mei, Deus, miserere mei*, Psalmus *Deus misereatur nostri;* Psalmus *Deus, in adjutorium*. Tum sequuntur preces : *Pater noster. Et ne nos. Iniquitates meas ego cognosco. Et delictum meum, etc. Averte faciem tuam a peccatis meis. Et omnes. Redde mihi lætitiam salutaris tui. Et spiritu principali confirma me*. Oratio. « Adesto » supplicationibus nostris, etc., » itemque alia quæ incipit : « Præsta, Domine, etc., » et alia quoque cujus initium est : « Deus, humani » generis benignissime conditor, etc. » Quas inferius juxta ritum hodierni nostri Romani Pontificalis describemus. His quidem recitatis, juxta præscriptum memorati Pontificalis Petri episcopi Silvanectensis, surgebant pœnitentes, dicebatque Diaconus reliquum Lectionis : « Re- » dintegra in eis, Pontifex venerande, quic- » quid, etc. » Idipsum fere legitur in laudato superius Bellovacensi codice et in aliis quibusdam Pontificalibus. Unde satis constat ritus hodierni Pontificalis Romani esse quidem non modo antiquos, sed in variis Ecclesiis usitatos, etsi ordine aliquando inverso.

IV. Quamvis insuper Psalmus *Benedicam Domino*, in nostro Pontificali Romano descriptus, legatur sine *Gloria Patri* in fine, dicendum tamen ipsum versiculum, monet quidem vetus Missale insignis Ecclesiæ Sarisberiensis in Anglia, subjungens ad unumquemque versum Psalmi repetendam esse Antiphonam : *Venite, filii, etc.* De qua re manuscriptum Ordinarium insignis Ecclesiæ Rothomagensis hæc habet : « Cantor incipiat Psalmum *Benedicam Dominum*. Et dicatur totus Psalmus, et, si necesse » fuerit, ad quemlibet versum repetatur Anti- » phona : *Venite, venite*. » Addit ut « interim » Dominus Archiepiscopus, vel ejus Vicarius, » pœnitentes in ecclesiam intromittat cum ba- » culo, et, reconciliati, ardentes candelas ad » altare deferant. » Porro quod Episcopus, juxta Rubricam initio § IV descriptam, stans in medio ostii facere debet pœnitentibus brevem exhortationem de clementia divina, etc., pervetusta Ecclesiæ est disciplina, uti ex superius dictis colligi potest, ad eamque respiciunt variæ Homiliæ S. Eligii Noviomensis episcopi, feria V Cœnæ Domini ad pœnitentes sui temporis habitæ. Codex Ratoldi abbatis expresse inquit Ordinem Romanum jubere ut, lecta ab Archidiacono Lectione *Adest, o venerabilis, etc.*, oret Episcopus ante sanctum altare, tum pergat ad ambonem, faciatque sermonem tam populis quam pœnitentibus, « sicut Ordo præcipit Ro- » manus. » Verum in Ordine Romano, qui nunc exstat, nulla fit sermonis hujus mentio. Ex quo patet, quod docet Menardus in Præfatione ad *Librum Sacramentorum S. Gregorii Papæ*, etsi Ordo Romanus, qui nunc exstat, antiquus sit, in eo tamen quædam fuisse partim detracta, partim immutata, partim addita.

§ VI.

Et Pontifex interrogat : *Scis illos reconciliatione fore dignos?* Et ille respondet : *Scio, et testificor fore dignos*. Et tunc alter Diaconus dicit : *Levate*. Quibus surgentibus, Pontifex accipit unum ex illis per manum, omnibus aliis similiter sese ad manus tenentibus. Tunc Archipresbyter dicit alta voce : ℣. *Iniquitates meas ego cognosco*. ℟. *Et peccatum meum contra me est semper*. ℣. *Averte faciem tuam a peccatis meis*. ℟. *Et omnes iniquitates meas dele*. ℣. *Redde mihi lætitiam salutaris tui*. ℟. *Et spiritu principali confirma me*. Quo dicto, Pontifex inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni V : *Dico vobis : Gaudium est Angelis Dei*

Digitized by Google

super uno peccatore pœnitentiam agente. Qua dicta, trahit illum quem manu tenet, et ille alios, ducens eos usque ad faldistorium in medio ecclesiæ prius sibi paratum. Et ibi stans super scabellum, conversus ad illos genua flectentes, inchoat Antiphonam toni VIII : *Oportet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est.* Qua dicta, dicit in modum Orationis : *Omnipotens Deus vos absolvat ab omni vinculo peccatorum, ut habeatis vitam æternam, et vivatis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.*

COMMENTARIUS.

I. Sunt et in hoc § quædam quæ vix in antiquis multis Pontificalibus libris invenies : hujusmodi est interrogatio illa Pontificis ad Archidiaconum : *Scis illos reconciliatione fore dignos?* et responsio Archidiaconi ad Episcopum : *Scio, et testificor fore dignos.* Ex Pontificali quidem insignis Ecclesiæ Bisuntinæ, annorum sexcentorum, dum Psalmus *Benedicam Dominum* recitabatur, offerebantur pœnitentes a Presbyteris Episcopo, qui unumquemque interrogabat : « Est dignus reconciliari? » Et respondente Presbytero : « Dignus, » dicebat ei Episcopus : « Tecum maneat; » dabatque pœnitenti pacem, ita dicendo : « Pax tecum; » et tradebat illum Diacono, et sic intrabant ecclesiam. Ex Ordine antiquo Romano, cui et alii manuscripti libri Pontificales concinunt, dictum jam superius fuit quod, quandiu memoratus Psalmus canebatur a Clero cum Antiphona *Venite, filii*, « semper manuatim pœnitentes a » Plebesanis Archidiacono, et ab Archidiacono » reddebantur Episcopo, et ab Episcopo resti- » tuebantur Ecclesiæ gremio, prostrato omni » corpore in terram. » Plebesani Parochi sunt; eaque vox occurrit apud S. Petrum Damiani, lib. IV, epistola XII; apud Rainerum *Contra Valdenses*, cap. IX, et apud alios infimæ latinitatis scriptores.

II. Preces seu versiculi : *Iniquitates meas ego cognosco, etc.*, quos ex hujus § præscripto « Archipresbyter dicit alta voce, » dicti quidem et olim fuerunt, sed a Pontifice, et statim ac Archidiaconus seu Diaconus eam recitavit Lectionem : *Adest, o venerabilis Pontifex, etc.*, ut videre est in pervetustis Sacramentariis, et in Ordine antiquo Romano aliisque Pontificalibus, quorum verba hæc sunt : « Hinc ergo, » dum ad pœnitudinis actionem tantis excitatur » exemplis, sub conspectu ingemiscentis Eccle- » siæ, venerabilis Pontifex protestatur et dicit : » *Iniquitates meas ego cognosco, etc.* » Legendum forte *prostratur*. Ut enim alia omittam, manuscriptum Pontificale Christiani archiepiscopi Moguntini, annorum circiter quingentorum, ita quidem mandat : « Hic, » id est post recitatam a Diacono Lectionem, « Episcopus se prosternens » dicit : *Iniquitates meas, etc.* » Reliqui ritus, et Oratio : « Omnipotens Deus vos absolvat, etc., » in § hujus Rubrica descripti, non habentur in Ordine antiquo et in aliis multis Pontificalibus libris quos legi, excepto manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, et aliis nonnullis. In manuscripto Pontificali Anglicano Ecclesiæ Rothomagensis, annorum circiter mille, in Ordine ad reconciliandos pœnitentes feria V in Cœna Domini, post varias Orationes ita legitur : « Hic » erigatur de solo pœnitens apprehensus manu » Episcopi per dexteram, et inclinetur coram » Episcopo. » Tum sequitur Antiphona : *Vivo ego, dicit Dominus : nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat.* Psalmus *Miserere mei, Deus, secundum magnam, etc.* Idipsum legere est in manuscripto Pontificali Egberti Eboracensis archiepiscopi, ejusdem ævi.

§ VII.

Deinde dicit super illos voce mediocri, tenens manus apertas ante pectus, hanc Præfationem : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias*

Digitized by Google

agamus Domino Deo nostro. ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Quem, omnipotens Genitor, ineffabiliter nasci voluisti, ut debitum Adæ tibi persolveret æterno Patri, mortemque nostram sua interficeret, et vulnera nostra in suo corpore ferret, nostrasque maculas sanguine suo dilueret : ut, qui antiqui hostis corrueramus invidia, et ipsius resurgeremus clementia. Te per eum, Domine, supplices rogamus ac petimus, ut pro aliorum excessibus nos digneris exaudire, qui pro nostris non sufficimus exorare. Tu igitur, clementissime Domine, hos famulos tuos, quos a te separaverunt flagitia, ad te revoca pietate solita. Tu namque nec Achab scelestissimi humiliationem despexisti, sed vindictam debitam protelasti. Petrum quoque lacrymantem exaudisti, clavesque postmodum cœlestis regni ipsi tradidisti; et confitenti latroni ejusdem regni præmia promisisti. Ergo, clementissime Domine, hos, pro quibus preces tibi fundimus, clemens recollige, et tuæ Ecclesiæ gremio redde, ut nequaquam de eis valeat triumphare hostis, sed tibi reconciliet Filius tibi coæqualis, emundetque eos ab omni facinore, et ad tuæ sacratissimæ Cœnæ dapes dignetur admittere. Sicque sua Carne et Sanguine reficiat, ut post hujus vitæ cursum ad cœlestia regna perducat* (quod sequitur dicit, submissa voce legendo) *Jesus Christus filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Si paucos excipias, difficile Præfationem istam in manuscriptis Pontificalibus libris invenies, etsi multæ, variæ, ac prolixæ in iis, præsertim antiquitate venerandis, ad reconciliandos pœnitentes feria v Cœnæ Domini, Orationes recenseantur. Exstat Præfatio ipsa non modo in editis Pontificalibus ante Clementem VIII, verum etiam in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi.

§ VIII.

Præfatione finita, Pontifex super faldistorium, et Ministri super tapetia, et Clerus, et populus ad terram prosternuntur. Et Cantor inchoat, Schola prosequente, Antiphonam et Psalmos sequentes. Antiphona toni I : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Psalmus L : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, etc.* Psalmus LV : *Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo, etc.* Psalmus LVI : *Miserere mei, Deus, miserere mei, etc.* Quibus dictis, Pontifex ab accubitu surgens, dicit super pœnitentes, *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster* (Reliqua secreto). ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.* ℟. *Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.* ℣. *Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum.* ℟. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ.* ℣. *Convertere, Domine, usquequo.* ℟. *Et deprecabilis esto super servos tuos.* ℣. *Salvos fac servos tuos et ancillas*

Digitized by Google

tuas. ℟. *Deus meus, sperantes in te.* ℣. *Esto eis, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eos.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi; et, quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti hujus operis ministrum, da fiduciam tui muneris exsequendi, et ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Præsta, quæsumus, Domine, his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviaverant peccando, admissorum veniam consequendo, reddantur innoxii. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Precor, Domine, tuæ clementiam majestatis, ut his famulis tuis, peccata et facinora sua confitentibus, veniam præstare et præteritorum criminum vincula relaxare digneris : qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas, et publicani preces placatus exaudisti : tu etiam, Domine, his famulis tuis placare; tu horum precibus benignus adsiste; ut, in confessione flebili permanentes, clementiam tuam celeriter exorent, ac, sanctis altaribus restituti, spei rursus æternæ ac cœlesti gloriæ reformentur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Deus, humani generis benignissime conditor et misericordissime reformator, qui hominem, invidia diaboli ab æternitate dejectum, unici Filii tui sanguine redemisti, vivifica hos famulos tuos, quos tibi nullatenus mori desideras; et, qui non derelinquis devios, assume correctos; moveant pietatem tuam, quæsumus, Domine, horum famulorum tuorum lacrymosa suspiria : tu eorum medere vulneribus; tu jacentibus manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur; ne grex tuus detrimentum sustineat; ne de familiæ tuæ damno inimicus exsultet; ne renatos lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices fundimus preces, tibi fletum cordis effundimus; tu parce confitentibus; ut (a) *imminentibus pœnis sententiam futuri judicii, te miserante, non incidant; nesciant quod terret in tenebris, quod stridet in flammis; atque, ab erroris via ad*

(a) Verba ista forte rectius in Ordine Romano leguntur : *ut in imminentes pœnas, futurique judicii sententiam, etc.* In antiquis ante Clementem VIII editis Pontificalibus aliter ea verba habentur.

Digitized by Google

iter reversi justitiæ, nequaquam ultra novis vulneribus saucientur, sed integrum sit eis ac perpetuum, et quod gratia tua contulit, et quod misericordia reformavit. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Deus misericors, Deus clemens, Deus qui secundum multitudinem miserationum tuarum, peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas : respice propitius super hos famulos tuos, et, remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentes, deprecatus exaudi. Renova in eis, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est; et unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum eorum; et non habentes fiduciam nisi in misericordia tua, ad tuæ sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Majestatem tuam supplices deprecamur, omnipotens æterne Deus, ut his famulis tuis, longo squalore pœnitentiæ maceratis, miserationis tuæ veniam largiri digneris, ut, nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, unde ejecti fuerant, mereantur introire. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Absolutio.

Dominus Jesus Christus, qui totius mundi peccata sui traditione, atque immaculati Sanguinis effusione, dignatus est expurgare; quique discipulis suis dixit : Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlis; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis; *de quorum numero me, quamvis indignum, ministrum esse voluit, intercedente Dei genitrice Maria, et beato Michaele Archangelo, et sancto Petro Apostolo, cui data est potestas ligandi ac solvendi, et omnibus Sanctis; ipse, per ministerium meum, ab omnibus peccatis vestris, quæcumque aut cogitatione, aut locutione, vel operatione negligenter egistis, vos absolvat sancti sui Sanguinis interventione, qui in remissionem peccatorum effusus est; atque a vinculis peccatorum absolutos perducere dignetur ad regna cœlorum. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Quamvis nulla in Ordine antiquo Romano, et in priscis manuscriptis Pontificalibus libris Præfationis mentio ab Episcopo dicendæ fiat, in omnibus fere tamen præscriptum invenio ut Episcopus imponat Antiphonam : *Cor mundum crea in me, Deus, etc.* cum Psalmo L: *Miserere mei, Deus, secundum magnam, etc.*, eoque finito, ut se una cum pœnitentibus prosternat, Clero interim faciente Litaniam; tum, ipsa expleta, ut erectus a terra Episcopus dicat, *Pater noster*, et preces, variasque Orationes, et quidem prolixas, atque Absolutiones tum numero plurali tum singulari conceptas, quas legere est in antiquo ipso Romano Ordine, et in multis Pontificalibus pervetustis manuscriptis a Morino in opere *De Pœnitentia*, et a Martene, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, allatis.

II. Satis autem mirari nequeo cur nulla in

Digitized by Google

nostro hoc §, vel in tituli hujus Rubricis, mentio fiat impositionis manuum ab Episcopo faciendæ super capita pœnitentium, cum is antiquus sit ritus in multis æque priscis ac recentioribus Pontificalibus libris præscriptus, præsertim vero in manuscripto codice Beatæ-Mariæ Remensis, annorum circiter nongentorum, in quo, ubi agitur de Absolutione super pœnitentes in Cœna Domini, habetur quod, post decantatos septem pœnitentiales Psalmos, variisque precibus ac Orationibus recitatis, « descendat Episcopus de ambone, et » tangat capita Pœnitentium, et dicat unicuique : » Det tibi Dominus remissionem omnium pec- » catorum tuorum, et vitam æternam. Amen. » Tum mandat ut cantando dicat *Dominus vobiscum* et Orationem « Adesto Domine sup- » plicationibus nostris, etc., » quæ est prima in hoc §. Porro dici potest vestigium hujus disciplinæ, impositionis manuum ab Episcopo super pœnitentes faciendæ, haberi quidem in Rubrica sequenti hujus tituli, ubi dicitur ut, data indulgentia, « manibus elevatis, et supra illos » extensis, dicat solemnem Benedictionem etc., » ut infra.

III. Quod Absolutionem spectat ad finem § hujus nostri descriptam, varie quidem in variis manuscriptis Pontificalibus legitur. In Absolutione quæ exstat in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ, annorum circiter sexcentorum, et quæ cum nostra fere consentit (est enim paulo contractior), non solum fit specialis mentio Deiparæ Virginis, et beati Michaelis Archangeli, ac Apostolorum principis Petri, sed etiam S. Joannis Evangelistæ et S. Stephani, Ecclesiæ Bisuntinæ patroni. Verba hujus Pontificalis hæc sunt : « Dominus Jesus Christus, qui discipulis » suis dixit : *Quæcumque alligaveritis super ter-* » *ram, erunt ligata et in cœlis; et quæcumque* » *solveritis super terram, erunt soluta et in* » *cœlis*, de quorum numero me, quamvis indi- » gnum et peccatorem, ministrum tamen esse » voluit : intercedente Dei genitrice Maria, et » B. Michaele Archangelo, et beato Petro Apo- » stolo, cui data est potestas ligandi atque sol- » vendi, egregioque Joanne Evangelista, vene- » randoque Stephano patrono nostro, et omnibus » Sanctis, ipse vos absolvat per ministerium » nostrum ab omnibus peccatis vestris, quæ- » cumque aut cogitatione, aut locutione, aut » operatione negligenter egistis, atque a vincu- » lis peccatorum vestrorum absolutos perducere » dignetur ad regnum cœlorum. Per. »

IV. Longe prolixiores sunt Orationes atque Absolutiones, quæ in antiquo Romano Ordine et in priscis Pontificalibus recensentur, modo fere semper deprecativo, juxta veterem Ecclesiæ morem. Sunt nonnulli qui audacter contendunt nunquam Latinos, ante sæculum XIII, usos fuisse verbis indicativis in danda pœnitentibus absolutione; sed toto cœlo videntur errare : in plerisque etenim manuscriptis Pontificalibus, quæ sæculum XIII longe superant, una cum Orationibus reconciliatoriis formulæ quædam Absolutionis indicativæ reperiuntur. Hujusmodi sunt manuscriptum Pontificale Egberti Eboracensis episcopi; manuscriptum Pontificale Anglicanum Monasterii Gemmeticensis; Gellonense; et alia, mille circiter abhinc annis exarata, in quibus forma indicativa deprecatoriæ conjungitur, his verbis : « Absolvimus vos » vice B. Petri Apostolorum principis, cui Do- » minus ligandi atque solvendi potestatem de- » dit, et, quantum ad vos pertinet accusatio, et » ad nos remissio, sit vobis Deus omnipotens » vita et salus, et omnium peccatorum vestro- » rum indultor, etc. »

V. Illud equidem inficiari nequeo, actum judicialem, qui absolutioni Sacramentali essentialis est, in omnibus Latinorum Ecclesiis, desinente sæculo XIII, per solum modum indicativum seu enuntiativum, et quidem in prima persona, expressum fuisse, ut constat testimonio S. Thomæ Aquinatis, qui, cap. II, opusculo XXII, loquens de auctoribus quos adversarius quidam, quem ipse impugnat, laudabat pro sola deprecativa Absolutionis formula, hæc habet : « Num- » quid, etiamsi nunc viverent, præjudicare » possent communi sententiæ Magistrorum » Parisiis regentium, qui contrarium sentiunt, » decernentes, absque his verbis, *Ego te ab-* » *solvo*, absolutionem non esse per solam de- » precativam orationem ? » Sane, ut alias omittam, indicativum absolutionis modum præcipiunt Synodus Londinensis, habita anno 1268; et Nemausensis, celebrata anno 1284. Prima siquidem, cap. II, ita inquit : « Omnes » autem qui confessiones audiunt aliquorum, a » peccatis expresse confitentes absolvant, verba » subscripta specialiter exprimentes : *Ego te*

Digitized by Google

» *absolvo a peccatis tuis, etc. Auctoritate qua* » *fungor te absolvo.* »

VI. Nemausensis Synodus præscribit ut, imposita sibi pœnitentia, et facta generali confessione, scilicet, *Confiteor Deo :* dicat Pater (legendum *Presbyter*) sic : « Ego injungo tibi » talem pœnitentiam propter peccata quæ » confessus es. » Et ponens manus super caput ipsius dicat : « Indulgentiam, absolutionem, » et remissionem omnium peccatorum tuorum » tribuat tibi omnipotens Dominus. Et ego te » absolvo auctoritate Domini nostri Jesu Chri- » sti, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, » et officii mihi commissi, ab iis peccatis quæ » confessus es, et aliis oblitis. » Quæ totidem verbis exstant in manuscriptis Statutis Eliæ Uticensis episcopi. Convenientissimam esse hanc Pœnitentiæ sacramento formam absolutionis indicativam, scite ostendit eruditus Guillelmus Estius, in libri IV distinctione decima quinta, § III et IV, ubi objectiones quasdam refellit quæ pro forma deprecativa afferri solent.

VII. Forte hic objiciet quispiam valuisse antiquitus in Ecclesia Latina Absolutionem verbis tantum deprecativis prolatam, adeoque et etiamnum valere. Verum responderi hic potest, quod plerique viri docti aiunt, nempe potuisse Ecclesiam præscribere sequioribus sæculis certas conditiones, quibus non observatis nullum sit Sacramentum, quamvis omnes partes secundum substantiam sumptæ adhibeantur. Principium illud habere locum præsertim in sacramento Pœnitentiæ, non diffitebitur qui adverterit ipsum essentialiter includere actum judicialem ex parte Ministri. Constat autem, in judiciis quæ forum redolent, certas posse statui leges quibus id abrogetur quod valebat antea. Unde parum refert quod plerique prisci libri Pontificales deprecatoriæ solum formæ meminerint. Docet hæc quidem Jueninus in Commentario *De Sacramentis*, ubi agit de Pœnitentia, quæstione VII *De Absolutione*, cap. II, articulo II, § II. Porro tutius erit cum aliis dicere formulas, quæ ex antiquis manuscriptis Pontificalibus ac Rituali bus proferuntur, non spectare Absolutionem sacramentalem, sed judiciariam et canonicam.

§ IX.

Tunc Pontifex aspergat eos aqua benedicta, et thurificet eos, dicens : *Exsurgite, qui dormitis, exsurgite a mortuis, et illuminabit vos Christus.*

COMMENTARIUS.

Exstat is quidem ritus in antiquo Romano Ordine tam edito apud Hittorpium, quam manuscripto apud Morinum, libro IX *De Pœnitentia*, cap. XXIX, num. XIII. In iis si quidem cautum legitur ut, finitis Orationibus, adspergat Episcopus pœnitentes aqua benedicta, et thurificet, et postea dicat : « Exsurge, qui dormis, et ex- » surge a mortuis, et illuminabit te Christus. » Ex manuscripto Pontificali Christiani archiepiscopi Moguntini, annorum quingentorum, et ex aliis nonnullis ejusdem fere ævi, præsertim vero ex alio manuscripto Pontificali codice Ecclesiæ Moguntinæ, quem refert Martenius in opere *De antiqua Ecclesiæ Disciplina in divinis celebrandis Officiis*, cap. XXII, pag. 335, præscriptum et illud fuit, ut cum baculo Pastorali ab Episcopo pœnitentes tangerentur, ubi illis dicebat : « Surge, qui dormis, etc. » Verba Pontificalis hæc sunt : « Post hæc Episcopus (id est » post datam absolutionem) aspergat pœnitentes » et thurificet, et deinde per singulos transeat, » et, tangendo eos cum baculo, dicat : « Ex- » surge, qui dormis, exsurge a mortuis, etc. » Tandem cur Episcopus pœnitentes thurificet, hanc arbitror esse causam, ut ipsos scilicet moneat ut Christi sint bonus odor in omni loco.

§ X.

Ultimo dat eis indulgentiam, prout sibi placuerit. Qua data, manibus elevatis et supra illos extensis, dicit solemnem Benedictionem : *Precibus et meritis beatæ Mariæ semper Virginis, beati Michaelis Archangeli, beati Joannis Baptistæ, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, misereatur vestri om-*

Digitized by Google

nipotens Deus, et, dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam. ℟. *Amen.*

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. *Amen.*

Ultimo benedicit eis, dicens : *Benedicat vos omnipotens Deus, Pa✠ter, et Fi✠lius, et Spiritus✠sanctus.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Tametsi de indulgentia ab Episcopo pœnitentibus impertienda, prout sibi placuerit, altum sit in manuscriptis Pontificalibus libris silentium, excepto manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod fere in omnibus cum nostro hodierno consonat; antiquus est nihilominus ritus, ut Episcopus, ubi solemniter reconciliavit pœnitentes, eisdem Benedictionem solemnem impertiatur. Variæ afferuntur formulæ hujus Benedictionis in Pontificalibus libris, in quibus etiam quædam breves, quædam prolixiores sunt. In manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Aquensis, annorum circiter sexcentorum, tres recensentur Benedictionis formulæ ab Episcopo in fine reconciliationis pœnitentibus impertitæ. Prima est desumpta ex veteri Testamento, ex cap. VI libri *Numerorum*, ubi Deus ipse formulam docuit qua Sacerdotes filiis Israel benedicerent : *Bene ✠ dicat te Dominus, et custodiat semper. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et veram det tibi pacem. Qui vivit.* Sequitur mox altera Benedictio hunc in modum : « Bene ✠ dicat te omnipotens Deus, et per abundantiam Spiritus sancti cor tuum corroboret, mentem tuam sanctificet, vitam tuam amplificet, castimoniam decoret, atque sensum tuum in bonis operibus confirmet. Prospera tibi tribuat, pacem concedat, salutem conferat, quietem tribuat; charitate muniat, et ab omnibus diabolicis et humanis insidiis sua te semper protectione et virtute defendat; et quæcumque postulaveris juste, clementer concedat. Auferat omnia mala quæ gessisti : tribuat tibi gratiam quam semper rogasti, ipso adjuvante et præcedente vos ad regna cœlorum, qui cum Patre. » Tertiæ tandem Benedictionis hæc sunt verba : « Bene ✠ dicat te Deus Pater, custo ✠ diat te Deus Filius, et illu ✠ minet te Spiritus sanctus; corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, et ad perpetuam vitam te perducat Christus Dei Filius. Qui tecum vivit, etc. »

II. Longum esset prolixiores alias hujusmodi benedictionis formulas recensere. In manuscripto Pontificali Christiani archiepiscopi Moguntini, annorum quingentorum, una cum absolutione dabatur ab Episcopo pœnitentibus Benedictio, et quidem antequam eos aqua benedicta aspergeret, et baculo Pastorali eos tangeret, dicens : « Surge, qui dormis, etc. » Erat autem hæc formula : « Absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, per virtutem Dei et ministerium nostrum, percipere mereamini : in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; et ejus benedictio maneat super vos hic et in æternum. » Ex manuscripto tandem Sancti-Remigii Remensis codice, annorum circiter sexcentorum, ita post solemnem proximam Absolutionem et Orationem, aiebat Episcopus : « Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimittat vobis omnia peccata vestra, liberet vos ab omni malo, conservet vos semper in omni opere bono, et perducat vos Christus in vitam æternam. »

III. Ex eodem Sancti-Remigii Remensis codice præscriptum illud insuper fuit, ut « his peractis det eis Episcopus monita salutis, per quæ incedant viam veritatis; exhortans ne ad pristinam redeant conversationem, sed cauti perseverent in emendatione, jejunium et eleemosynam operando, vigilias quoque cum sanctis orationibus exsequendo, charitatem quoque ac castitatem, tam corporis quam animæ, obtinendo, et, ante omnia, ut fidem Catholicam fideliter credant, admoneantur. » Vix manuscriptum Pontificale reperies in quo, ad finem reconciliationis pœnitentium, non

Digitized by Google

legatur id quod hac de re præscriptum legimus in antiquo Romano Ordine : « Post hæc, » inquit, surgant pœnitentes, et moneantur ab » Episcopo ut, quod pœnitendo diluerunt, ite- » rum non renovent. » Hinc valde miror cur nil tale in nostro hodierno Romano Pontificali exstet. Legi possunt variæ S. Eligii Noviomensis episcopi Homiliæ, quibus, pœnitentibus jam reconciliatis, inculcat ne iterum ad vomitum revertantur.

IV. Quod spectat ritum impertiendæ Benedictionis manibus elevatis et extensis, exempla de ea re habemus eximia in veteri ac novo Testamento; eaque innuit Isaacius Haberti in *Observationibus suis ad Pontificale Ecclesiæ Græcæ*, in dissertatione ad partem XI *Liturgiæ Ordinationum*, observatione V. Certe Christus Dominus, in supremo cum discipulis suis alloquio, ut habetur in Evangelio Lucæ, cap. XXIV, versiculo L, *elevatis manibus suis benedixit eis.* Hac manuum protensione significare videtur Pontifex se Dei manum, hoc est potentiam, implorare, ac, velut dato signo, e cœlo accersere ad munera gratiæ suæ in populum effundenda; ut aperiat manum suam, et impleat omnem animam, ut legit S. Hilarius, benedictione. Hinc capiendus S. Hieronymus, qui, in Epistola ad Eustochium, quosdam sui ac nostri ævi suggillans, ad ritum benedicendi manibus extensis alludit : « Extenta manu, inquit, ut » benedicere eos putes, si nescias, pretia acci- » piunt salutandi. »

V. Fuit præterea et olim ritus ut pœnitentes, in signum promissionis non peccandi in posterum, et conversionis suæ ad Dominum, manus attollerent; ejusque moris meminit quidem S. Eligius, Homilia VIII in die Cœnæ Domini, sic eos alloquens : « Si ad pristinam actionis » vitam, quantum Dominus vos custodire di- » gnabitur, redire non valetis, manus vestras » in sublime porrigentes, ostendite quia magis » cœlestia quam terrena diligitis. His vestræ » promissionis signis, quibus magis Domino » quam diabolo servire promittitis, gaudium » nobis permaximum exhibetis, quia, ut Domi- » nus patefecit, de converso peccatore gaudium » fit in cœlo coram Angelis Dei. » Idipsum repetit Homilia XI ubi ita eosdem alloquitur pœnitentes : « Si ergo, Fratres charissimi, de per- » petratis malis Deo satisfaciatis, indeque » erubescitis, et non ulterius ad perpetrata mala » omnino redire deliberatis, ostendite nobis si- » gnum vestræ ad Dominum conversionis et » regressionis, ut simul cum Angelis, quibus » est gaudium in cœlo super uno peccatore pœ- » nitentiam agente, de vestro reditu gaudere » possimus. »

VI. Post datum a pœnitentibus signum suæ conversionis ad Dominum, idque in altum elatis dexteris, ut ante, in Homilia VIII, invitabat omnes Episcopus, ut Deo piissimo et semper misericordissimo in commune referrent gratias, uti ex ipsa S. Eligii Homilia XI liquet; in qua etiam, cunctos S. Præsul ad perseverandum in virtutibus usque in finem exhortans, ita demum concludit : « Persistamus igitur, Charissimi, » omni cum intentione divinis in obsecratio- » nibus, ut ea quæ sibi placita sunt, faciat nobis » cum sua benedictione inchoare, et usque ad » perseverantiam bona perducere consumma- » tione : quia A et Ω, principium et finis, Jesus » Christus Dominus noster, qui cum Patre re- » gnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia » sæcula sæculorum. Amen. » Sacras olim conciones sanctissimæ Trinitatis invocatione et laudatione conclusas ut plurimum ac terminatas, invocationem autem hujusmodi ac laudationem non una semper eademque verborum formula solitam fuisse concipi, fuse ostendit Bernardinus Ferrarius, in libro *De Ritu sacrarum Ecclesiæ veteris concionum*, capite XXXII.

§ XI.

Quo facto, crines et barbam, quam nutrierant, deponunt; et, vestibus pœnitentialibus dimissis, se cultioribus et mundioribus induunt.

COMMENTARIUS.

I. Satis ex hoc § liquet unam e pœnitentialibus pœnis fuisse ut qui publicam ac solemnem pœnitentiam agerent, crines ac barbam nutrirent. Testis est ejus rei S. Isidorus epi-

Digitized by Google

scopus Hispalensis, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XVI, ubi etiam hanc rationem assignat : « Hi vero, qui pœnitentiam agunt, » proinde capillos et barbam nutriunt, ut de- » monstrent abundantiam criminum quibus » caput peccatoris gravatur. Capilli enim pro » vitiis accipiuntur; sicut scriptum est : *Cri- » nibus peccatorum suorum unusquisque con- » stringitur. Vir quippe si comam nutriat, » ignominia est*, ut ait Apostolus. » Ubi nota primum locum desumptum esse ex capite V libri *Proverbiorum;* alterum vero ex Epistola I ad Corinthios, cap. XI. Idem totidem verbis legere est apud Rabanum Maurum, lib. II *De Institutione Clericorum*, cap. XXIX. Celebre est de ea re exemplum in pœnitentia Ursicini Cadurcensis episcopi, de quo Gregorius Turonensis, lib. VIII *Historiæ*, cap. XX, ita scribit : « Pro eo quod Gundobaldum excepisse pu- » blice est confessus, accepto hujusmodi placito » ut, pœnitentiam tribus annis agens, neque » capillum neque barbam tonderet, vino et car- » nibus abstineret, Missas celebrare, Clericos » ordinare, ecclesias et chrisma benedicere, » Eulogias dare non auderet. »

II. Afferri et alia exempla possent, et loca antiquorum scriptorum, ad constabiliendum magis magisque memoratum pœnitentium ritum nutriendi crinem et barbam, dum suam agerent pœnitentiam; verum fateri etiam cogimur, in quibusdam regionibus pœnam quidem pœnitentialem fuisse, barbam et crinem tondere : *Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt.* Verba sunt S. Ambrosii ad virginem lapsam, cap. VIII. Et ne forte objicias dictum id fuisse mulieri, ad significandam ignominiam suam in amputatione crinium, præclarissima est sententia Concilii Toletani III, can. XIII : « Quicumque, » inquit, ab Episcopo sanus vel infirmus pœ- » nitentiam postulat, id ante omnia Episcopus » servet et Presbyter ut, si vir est, prius eum » tondeat, et in cinere et cilicio habitum mu- » tare faciat, etc. » Cautum etiam fuit ex Agathensi Synodo in Galliis habita, can. XV, ut, « pœnitentes si comas non deposuerint, aut » vestimenta non mutaverint, abjiciantur. » His adde locum ex cap. LII libri V *Capitularium Regum Francorum*, ubi statutum legitur, ut, « Sacerdos si scelera sua confitenti pœniten- » tiam tribuat, si comam dimiserit, aut habi- » tum mutaverit, etc. »

III. Ex allatis locis duo colligi debent. Primum quidem, morem quo pœnitentes barbam ac capillos soliti erant nutrire, ubique apud Occidentales minime obtinuisse, imo nec in tota Hispania nec in tota Gallia. Alterum, utriusque consuetudinis, licet diversæ ac oppositæ, eumdem fuisse finem; apud aliquas nimirum gentes barbam et comam nutrire, honori; apud alias vero, ignominiæ ducebatur. Cæterum, quod pœnitentes, in ecclesia recepti, crines et barbam quam nutrierant deponunt, et se vestibus mundis et cultioribus, deposito habitu pœnitentiali, induunt, docet Gulielmus Durandus, lib. VI *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. LXXIII, exemplum a Josepho capere, « qui, » uti habetur cap. XLI *Geneseos*, « de carcere ductus, ton- » sus et lotus, est vestibus decoratus. » Addit, per hoc quoque innui, « quod deponentes » multitudinem peccatorum, induunt vesti- » menta virtutum. »

IV. Quod reconciliatos tandem pœnitentes, aut saltem aliquam eorum partem non parvam propria mensa hac die Cœnæ Domini Episcopus exciperet, docet nos antiquum Pontificale insignis Ecclesiæ Pictaviensis, annorum circiter nongentorum, quod exstat in Parisiensi bibliotheca conventus RR. PP. Minimorum sancti Francisci de Paula.

Digitized by Google

APPENDIX

In qua varii Ordines recensentur ad reconciliandum pœnitentes feria quinta Cœnæ Domini.

ORDO I.

Ex manuscripto codice Pontificali Gulielmi Durandi, qui exstat in celebri bibliotheca Vaticana. Num. 4744.

ORDO OFFICII IN CŒNA DOMINI QUINTA FERIA.

RUBRICA.

In quinta feria Cene Domini, in qua Sacramentum sacri Corporis et Sanguinis ejus ab ipso Deo et Domino nostro Jesu Christo institutum est, primo lavantur pedes pauperibus. Secundo solempniter penitentes reconciliantur. Tertio crisma et duo olea conficiuntur. Quarto fit Mandatum. Primo itaque, circa horam tertiam Pontifex paratus, si velit, cum admictu, alba, sine mitra et baculo, egreditur de sacrestia cum Canonicis et Clericis, et intrat capitulum, ubi parati sint XIII pauperes, lavans flexis genibus cuilibet unum pedem, et mox osculatur cuilibet manum, porrigendo illi eleemosinam arbitrio suo. Dum autem hæc fiunt, schola cantat Antiphonam (*a*) : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ, justitia plena est dextera tua.* Psalmus : *Beati immaculati in via*, totus dicatur cum *Gloria Patri;* et repetatur Antiphona : *Suscepimus, Deus.* Qua finita, inchoatur Antiphona : *Ne reminiscaris.* Require eam in tractatu præcedenti. Secundo dicantur VII Psalmi penitentiales, quibus dictis, inchoatur ipsa Antiphona : *Ne reminiscaris.* Præmissis itaque expletis, dicit Pontifex *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.* ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Tu mandasti mandata tua.* ℟. *Custodiri nimis.* ℣. *Tu lavasti pedes discipulorum tuorum, Domine.* ℟. *Opera manuum tuarum ne despicias.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oratio. « Adesto, quæsumus, Domine, officio servitutis » nostræ, et, quia tu discipulis tuis pedes lavare » dignatus es, ne despicias opera manuum tua- » rum, quæ nobis retinenda mandasti, ut, sicut » hic nobis et a nobis exteriora abluuntur in- » quinamenta, sic a te omnium nostrorum in- » teriora laventur peccata. Quod ipse præstare » dignetur qui vivit et regnat cum Deo Patre » in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia » secula seculorum. ℟. Amen. »

Hæc autem forma lavandi pedes potest diebus singulis observari, incipiendo a prædicta Antiphona : *Ne reminiscaris.* Hiis expletis, ipsi pauperes reficiuntur. Secundo loco, lotis pedibus pauperum, reconciliantur penitentes, quibus ab Ecclesia solempnem agere pœnitentiam injunctum est : qui in capite jejuniorum de ipsa ejecti fuere : ait enim Innocentius Primus : « De penitentibus, qui sive ex gravio- » ribus commissis penitentiam, sive ex levio- » ribus gerunt, si nulla intervenerit egritudo, » quinta feria ante Pascha, eis remittendum » Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. » Si vero quis in ægritudinem inciderit, atque » usque ad desperationem devenerit, ei ante » tempus Pascæ est reconciliandum, ne de hoc » sæculo sine communione decedat. » Vigilius quoque Pontifex sic ait : « Penitentium recon- » ciliatio fit, propter illam manuum impositio- » nem quæ per invocationem sancti Spiritus » operatur; scilicet per illam quæ dignos fructus » penitentiæ acquirit, et quæ per sanctæ com- » munionis restitutionem perficitur. » Sane in quibusdam Ecclesiis, penitentibus mane ipsa Episcopus ante fores ecclesiæ exterius humiliter constitutis, unus Sacerdos in aliquo altari eisdem foribus prossimiori celebrat Missam, cuique Introitus est : *Misereris omnium, Domine, etc.* Require feria IV cinerum. Graduale : *Miserere, etc. Misit de cœlo.* Require feria IV ante Dominicam de Passione. Epistola : *Lavamini, et mundi estote.* Evangelium : *Erant ap-*

(*a*) In margine : *cum nota.*

Digitized by Google

propinquantes ad Jesum. Require in Dominica III post Pentecosten. Offertorium : *Sicut in Holocaustum*. Postcommunio : *Amen dico vobis*. Require in Dominica XXIV post Pentecosten.

Missa itaque sic dicta, mox Sacerdotes quibus impositum est penitentium confessiones audire, audiant illas vel in ecclesia (*a*), vel in alio loco ad hoc deputato, et qualiter in transacta Quadragesima se gesserint, qualiter injunctas sibi penitentias observaverint, diligenter inquirant : et notata fideliter habeant nomina et annos penitentium, ac delicta et circumstantias singulorum, ut, sicut cum hora requisitionis advenerit, quid de singulis Pontificalis censeat auctoritas, clareschat, et universorum causas, ut liberius et expeditius decernere possit. Auditis itaque confessionibus, Episcopus ante horam sextam examinet cum Sacerdotibus ipsis diligenter, qui digni sunt reconciliari, et qui non. Deinde paratus cum amictu, alba, stola, pluviali, mitra simplici et baculo Pastorali, sine manipulo, Ministris etiam, et insuper IV Dyaconibus paratis, et uno Dyacone de antiquioribus solempniter induto, et etiam uno Archidiacono cum alba, amictu et stola sine dalmatica, prosternit se super faldistorium coram altare, dicens cum præfatis Ministris et Clero septem Psalmos penitentiales, et lethaniam. Require supra sub ordinatione Subdiaconi ad cartas V. Penitentes vero tunc ante fores ecclesiæ nudis pedibus ad terram prostrati manent, et tenent in manibus cereos extinctos. Cumque in lethania dictum fuerit : *Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ, orate pro nobis;* et inde a Choro responsum fuerit, paulisper subsistit. Tunc Pontifex mittit ad penitentes duos Subdyaconos candelas accensas habentes in manibus, qui, cum ad portam pervenerint, stantes in limine hostii elevati, ostendunt illis candelas accensas, cantantes Antiphonam : *Vivo ego, dicit Dominus, etc.* Qua finita, mox extingunt ipsas candelas accensas coram illis, et revertuntur ad locum suum, et proceditur in lethania. Cumque dictum fuerit : *Omnes sancti Martyres, orate pro nobis;* et inde a Choro responsum fuerit, tunc mittat ad illos alios duos Subdiaconos simili modo cum candelis accensis, qui in limine hostii constituti cantant Antiphonam : *Dicit Dominus : Penitentiam agite, etc.* Et mox, extinctis candelis, ut prius, revertuntur ad locum suum, et proceditur in letania usque ad *Agnus Dei*. Tunc Pontifex mittit ad illos illum senem Dyaconum indutum ut supra, cum magno cereo illuminato. Illo igitur in limine hostii constituto, cantatur Antiphona : *Levate capita vestra, quia appropinquavit redemptio vestra*. Et tunc accenduntur candelæ penitentium ex illo cereo. Cereus autem ipse non extinguitur, sed Dyaconus cum eo accenso revertitur, et tunc dicitur in lethania : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis;* et alia quæ sequuntur, usque in finem.

Quo dicto, Pontifex ab accubitu surgens cum Ministris et Clero, cruce et turribulo, cereis et omni apparatu præcedentibus, egreditur extra

(*a*) Confessiones non modo in ecclesia, locoque patenti et omnibus conspicuo factas, verum etiam coram altari, docent nos quidem prisca Ecclesiæ monumenta. Certe formula confessionis quæ in Pœnitentiali Egberti episcopi exstat, satis illum nobis exhibet ritum, dum ita incipit : « Confiteor coram Deo omnipotente, creatore cœli et terræ, » et coram hoc altario sancto. » Id quod etiam in aliis passim formulis legitur, ac præsertim in illa antiqui Romani Ordinis, superius in Appendice ad præcedentem titulum descripta : « Confiteor tibi, Domine, pater cœli et » terræ, tibique, bone et benignissime Jesu Christe, una cum sancto Spiritu, coram sanctis Angelis, et coram San- » ctis tuis, et coram hoc altari, etc. » Hunc ritum præsertim servandum in confessione mulierum constat ex Concilio Parisiensi anni 829, parte I, cap. XLVI. « Porro, inquit, si Sacerdotibus Sanctimoniales confiteri voluerint, id » nonnisi in Ecclesia, coram sancto altari, adstantibus haud procul testibus fiat. » Tum addit : « Si autem infirmitas » præpedierit, ut in ecclesia eadem confessio fieri nequeat, in quacunque domo facienda est; nonnisi testibus simi- » liter haud procul adstantibus fiat. » Legimus in Vita S. Bertholdi abbatis Garstensis, cap. XXII, apud Surium, die 27 julii, quod *ante altare sancti Petri* soleret *confessiones audire*. Testatur etiam in opusculo LVI S. Petrus Damiani, Agnetis imperatricis confessionem excepisse se *sub arcana beati Petri confessione, ante sacrum altare*. Sane ut alias omittam de ea re Synodos, expresse decernunt Patres Concilii Redingensis, confessiones alibi factas quam in loco publico coram altari, nullas esse, ac irritas : « Circa confessiones, inquit, taliter duximus ordinandum, » ut in loco tantum fiant publico, coram altari, exposito transeuntibus universis, nec valeat absolutio secus facta. » Qua cautione mulierum præsertim confessiones excipiendæ sint, fuse docet eruditus Raynaudus in opusculo : *De sobria alterius sexus frequentatione per sacros homines*. Concilium Coloniense, anni 1280, sub pœna excommunicationis vetat ne Sacerdos mulierem quæ sola sit in ecclesia, confitentem audiat.

Digitized by Google

chorum ecclesiæ, et parato sibi quasi in medio ecclesiæ faldistorio, sedet respiciens ad hostium ecclesiæ, Clero per Choros versus ipsum hostium ab utroque latere disposito seriatim. Tunc unus Archidiaconus, paratus ut præmissum est, stans in limine hostii ecclesiæ, excelsa voce in tono Lectionis dicit ad illos ante hostium foris ecclesiæ stantes : *State in silentio, audientes attente.* Indictoque silentio, vertens se ad Pontificem, similiter dicit in tono Lectionis : *Adest, o venerabilis Pontifex, tempus acceptum etc.*

Hiis dictis, Pontifex surgens accedit cum Ministris ad hostium ecclesiæ, Clericorum Choro se non movente, et, stans in medio hostii, facit brevem exortationem de clementia divina, de veniæ promissione, dicens eis, qualiter mox in ecclesia redducentur, et qualiter vivere debeant. Quo facto, cantant Antiphonam : *Venite, venite, venite, etc.* Qua dicta, Dyaconus ex parte penitentium stans dicit pro eis : *Flectamus genua. Levate.* Et Episcopus secundo dicit eandem Antiphonam : *Venite, venite, etc.* Et Dyaconus iterum dicit : *Flectamus genua. Levate.* Et mox Episcopus tertio repetit prædictam Antiphonam; *Venite, venite, etc.* Deinde ingreditur ecclesiam, stans infra hostium, distans ab illo, spatio convenienti. Tunc Archidiaconus, Scola prosequente, inchoat Antiphonam : *Accedite ad eum, etc.*, Psalmus : *Benedicam Domino in omni tempore.* Qua incepta, mox penitentes ingrediuntur intra hostium ecclesiæ, corruunt ad pedes Pontificis, sicque prostrati et flentes jacent donec prædicta Antiphona et Psalmus compleantur. Quibus expletis, unus Archipresbyter dicit in tono Lectionis : *Redintegra in eis, Apostolice Pontifex, etc.* Et Pontifex respondet : *Scis eos reconciliationis fore dignos?* Et ille respondet : *Scio et testificor esse dignos.* Et tunc Dyaconus dicit : *Levate.* Quibus surgentibus, Pontifex accipit unum ex hiis per manum, omnibus aliis similiter se ad manus tenentibus. Et tunc Archipresbyter dicit alta voce : ℣. *Iniquitates meas ego cognosco.* ℟. *Et peccatum meum contra me est semper.* ℣. *Averte faciem tuam a peccatis meis.* ℟. *Et omnes iniquitates meas dele.* ℣. *Cor mundum crea in me, Deus.* ℟. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis.* ℣. *Ne projicias me a facie tua.* ℟. *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* ℣. *Redde michi letitiam salutaris tui.* ℟. *Et spiritu principali confirma me.* Quo dicto, Pontifex inchoat, Scola prosequente, Antiphonam : *Dico vobis, etc.* Qua dicta, trahit illum quem manu tenet, et ille alios, ducens eos usque ad faldistorium, in medio ecclesiæ prius sibi paratum, et ibi, stans super scabellum, conversus ad illos genua flectentes, inchoat Antiphonam : *Oportet te, fili, etc.* Qua dicta, dicit in modo Orationis. Oratio. « Omni- » potens misericors Deus, etc. »

Deinde dicit super illos voce mediocri junctis manibus ante pectus : *Per omnia secula seculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, etc.*

Prephatione finita, Pontifex super faldistorium, et Ministri super tapeta, et Clerus et populus ad terram prosternuntur, et Cantor incipit, Schola prosequente, Antiphonam et Psalmos sequentes : *Cor mundum crea etc.* Psalmus : *Miserere mei, Deus, secundum magnam, etc. Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo, etc.* Psalmus : *Miserere mei, Deus, miserere mei.* Quibus dictis, surgens ab accubitu dicit super penitentes : *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster*, secrete : ℣. *Et ne nos inducas in temptationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Domine, non secundum, etc.* Oratio. « Adesto, Domine, suppli- » cationibus nostris, etc : » Oremus. « Præsta » quæsumus, Domine, etc. » Oremus. « Precor, » Domine, tuam clementiam, etc. » Oremus. « Deus, humani generis, etc. » Oremus. « Deus » misericors, etc. » Oremus. « Majestatem tuam » supplices deprecamur, etc. » Oremus. « Do- » minus Jesus Christus, etc. » Tunc Pontifex aspergat eos aqua benedicta, et thurificet eos, dicens : *Exurge, qui dormis, exurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Ultimo dat eis indulgentiam prout sibi placuerit. Qua data, manibus elevatis, et super illos extensis, dicit : « Pre- » cibus et meritis beatæ Mariæ salvet et in omni » bono opere confirmet vos omnipotens et mi- » sericors Deus. ℟. Amen. Indulgentiam, abso- » lutionem et remissionem omnium peccatorum » vestrorum tribuat vobis omnipotens, pius et » misericors Deus. ℟. Amen. » Et iterum : » Benedicat vos omnipotens Deus, Pa ✠ ter, et » Fi ✠ lius, et Spiritus ✠ sanctus. ℟. Amen. »

Digitized by Google

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Barensis, quod asservatur in bibliotheca Angelica Fratrum Eremitarum S. Augustini.

INCIPIT ORDO RECONCILIATIONIS POENITENTIUM, QUÆ FIERI DEBET FERIA QUINTA IN COENA DOMINI.

Sedente autem Pontifice præ foribus, pœnitentibus in atrio ecclesiæ eminus cum Archidiacono jussum illius præstolantibus, antequam eos offerat, postulat Archidiaconus hiis verbis : *Adest, venerabilis Pontifex, tempus acceptum, etc.*

Hic ergo, dum ad pœnitudinis actionem tantis exornatur exemplis, sub conspectu ingemiscentis Ecclesiæ, venerabilis Pontifex protestetur, et dicat has preces : *Averte faciem tuam a peccatis meis.* ℟. *Et omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam salutaris tui.* ℟. *Et spiritu principali confirma me.*

Quo ita supplicante, et misericordiam afflicto concedere poscente, dicat Archidiaconus : *Redintegra in eo, venerande Pontifex, etc.*

Tunc dicat Pontifex hanc Antiphonam : *Venite*, et Dyaconus ex parte pœnitentium dicat : *Flectamus genua.* Tunc omnes stantes pœnitentes flectunt genua. Quo facto, dicit Dyaconus ex parte Pontificis : *Levate.* Similiter agatur secundo, repetente Episcopo, *Venite, venite*, subsequente Dyacono, *Flectamus genua*, ut antea. Et sic ad medium usque atrii pavimentum solotenus veniant. Quando autem domnus Episcopus annunciaverit tertio Antiphonam : *Venite, venite, venite*, prosequatur Dyaconus, *Flectamus genua.* Mox cum Dyacono pœnitentes conruant ad pedes Episcopi, sic prostrati jaceant usque dum domnus Episcopus surgens innuat alteri Dyacono : *Levate;* deinde prosequitur Clerus Antiphonam : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Psalmus: *Benedicam Dominum.* Et ad finem usque ducente. Quandiu Psalmus canitur a Clero cum Antiphona, *Venite, filii, audite me*, semper manuatim pœnitentes a Plebesanis Archidiacono et ab Archidiacono redduntur Episcopo, et ab Episcopo restituuntur Ecclesiæ gremio, prostrato omni corpore ad terram.

Deinde Episcopus imponat Antiphonam : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Psalmus : *Miserere mei, Deus.* Quo finito, prosternat se Episcopus una cum penitentibus in oratorio, Clero faciente Litanias. Quibus expletis, erectus a terra dicat : *Pater noster.* ℣. *Et ne nos.* ℟. *Sed libera.* ℣. *Salvos fac servos tuos.* ℟. *Deus meus, sperantes in te.* ℣. *Convertere, Domine.* ℟. *Et deprecabilis.* ℣. *Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Syon tuere eos.* ℟. *Illustra faciem super servos tuos.* ℟. *Salvos eos fac in tua misericordia.* ℣. *Domine, vide humilitatem meam.* ℟. *Et dimitte eis omnia peccata eorum.* ℣. *Exaudi, Domine, quoniam benigna est misericordia tua.* ℟. *Secundum multitudinem miserationum tuarum.* ℣. *Ne reminiscaris iniquitatum nostrarum.* ℟. *Cito nos anticipet misericordia tua.* ℣. *Adjuva nos, Deus.* ℟. *Et propter gloriam.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oremus. « Adesto, Domine, supplicationibus » nostris, etc. » Alia Oratio : « Exaudi, Domine » supplicum preces, et confitentium tibi, etc. » Alia Oratio : « Præveniat hos famulos tuos, » quæsumus, Domine, misericordia tua, etc. » Alia Oratio : « Deus infinite misericordie, etc. » Alia Oratio : « Deus cujus sub oculis omne cor » trepidat, etc. » Alia Oratio : « Præsta, quæsu- » mus, Domine, hiis famulis tuis dignum pœ- » nitentiæ fructum, etc. » Alia Oratio : « Omni- » potens, sempiterne Deus, confitentibus tibi » famulis tuis, etc. » Alia Oratio : « Omni- » potens et misericors Deus, qui peccatorum » indulgentiam, etc. » Alia Oratio : « Deus mi- » sericors, Deus clemens, qui secundum mul- » titudinem miserationum tuarum, etc » Alia » Oratio : « Majestatem tuam, quæsumus, Do- » mine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. » qui non mortem, etc. » Alia Oratio : « Deus, » qui confitentium tibi corda purificas, etc. » Alia Oratio : « Sancte Pater omnipotens, Rex » regum, et Domine dominantium, qui sanctis- » sima dispositione, etc. » Alia Oratio : « Moveat » pietatem tuam, Domine, fletus iste, etc. » Absolutio : « Dominus Jesus Christus, qui » dignatus est discipulis suis dicere : *Quæcum- » que*, etc. » Sequitur hanc absolutionem Hymnus : « *Veni, creator Spiritus*, etc. »

Digitized by Google

ORDO III.

Ex antiquo Romano Ordine apud Melchiorem Hittorpium, pag. 37 et seqq.

Hora tertia sonetur signum, ut omnes veniant in ecclesiam, in qua chrisma debet consecrari. Tunc egreditur pœnitens de loco ubi pœnitentiam gessit, ut gremio præsentetur Ecclesiæ. Sedente autem Pontifice pro foribus ecclesiæ, pœnitentibus in atrio ecclesiæ eminus cum Archidiacono jussum illius præstolantibus, antequam eos offerat, postulat Archidiaconus his verbis. « Adest, o venerabilis Pontifex, » tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, » et salutis humanæ, quia mors intentum, et » vita accepit æterna principium, quando in » vinea Domini sabaoth sic novorum palmitum » plantatio facienda est, ut purgetur execratio » vetustatis. Quamvis enim divitiis bonitatis et » pietatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen » et largior est per indulgentiam remissio pec- » catorum, et copiosior per gratiam assumptio » renascentium. Augemur regenerandis, cre- » scimus reversis. Lavant aquæ, lavant lacrymæ. » Inde est gaudium de assumptione vocatorum, » hinc lætitia de absolutione pœnitentium, inde » est quod supplex grex tuus, posteaquam in » varias formas criminum, neglectu mandato- » rum cœlestium, et morum probabilium trans- » gressione cecidit, humiliatus atque prostratus » prophetica ad Dominum voce clamat, dicens : » *Peccavi, impie egi, iniquitatem feci, mise- » rere mei, Domine :* Evangelicam vocem non » frustratoria aure capiens : *Beati qui lugent, » quoniam ipsi consolabuntur.* Manducavit, sicut » scriptum est, panem doloris, lacrymis stratum » rigavit, cor suum luctu, corpus afflixit jejuniis, » ut animæ suæ reciperet, quam perdiderat, sani- » tatem. Unicum itaque est pœnitentiæ suffra- » gium, quod et singulis prodest, et omnibus in » commune succurrit. Hic ergo, dum ad pœnitu- » dinis actionem tantis excitatur exemplis, sub » conspectu ingemiscentis Ecclesiæ, venerabilis » Pontifex protestatur, et dicit : *Iniquitates » meas ego cognosco, et delictum meum contra » me est semper. Averte faciem tuam a peccatis » meis et omnes iniquitates meas dele. Redde » mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu prin- » cipali confirma me.* »

Quo ita supplicante, et misericordiam Dei afflicto corde poscente, iterum Archidiaconus subjungat, sic dicens : « Redintegra in eo, Apo- » stolice Pontifex, quicquid diabolo suadente, » corruptum est, et, orationum tuarum patro- » cinantibus meritis per divinæ reconciliatio- » nis gratiam, fac hominem proximum Deo; ut » qui antea in suis sibi perversitatibus displice- » bat, nunc jam placere se Domino in regione » vivorum, devicto mortis auctore, gratuletur. »

Tunc dicit Pontifex Antiphonam : *Venite.* Et Diaconus ex parte pœnitentium : *Flectamus genua.* Tunc omnes adstantes genua flectunt pœnitentes. Quo facto, dicat Diaconus ex parte Pontificis: *Levate.* Similiter agatur secundo, repetente Episcopo : *Venite, venite;* subsequente Diacono : *Flectamus genua,* ut antea. Et sic ad medium usque atrii pavimentum solotenus veniant. Quando autem tertio Dominus Episcopus annunciaverit Antiphonam : *Venite, venite, venite;* prosequatur Diaconus : *Flectamus genua.* Mox cum Diacono pœnitentes corruant ad pedes Episcopi, sicque prostrati jaceant usque dominus Episcopus, surgens, innuat alteri Diacono : *Levate;* prosequente Clero Antiphonam : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos,* cum Psalmo : *Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo,* et ad finem usque ducente. Quandiu vero Psalmus canitur a Clero cum Antiphona : *Venite, filii,* semper manuatim pœnitentes a Plebesanis Archidiacono, et ab Archidiacono reddantur Episcopo, et ab Episcopo restituantur Ecclesiæ gremio, prostrato omni corpore in terram. Deinde imponat Episcopus Antiphonam : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis*, cum Psalmo : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Quo finito, prosternat se Episcopus una cum pœnitentibus in oratorio, Clero interim faciente Litaniam. Qua expleta, postquam dicatur *Kyrie, eleison,* erectus a terra dicat : *Pater noster*, et preces; *Salvos fac servos tuos, Domine.* ℟. *Deus meus sperantes in te. Convertere, Domine, usquequo.* ℟. *Et deprecabilis esto super servos tuos. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eos. Illustra faciem tuam super servos tuos* ℟. *Salvos fac eos, Domine, ne confundantur, quoniam invocaverunt te. Domine, vide humilitatem meam et laborem meum.* ℟. *Et*

Digitized by Google

dimitte universa delicta mea. Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua. ℟. *Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Ne memineris, Domine, iniquitatum nostrarum antiquarum* ℟. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos, Deus, salutaris noster.* ℟. *Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

« Adesto, Domine, supplicationibus nostris, » et me, qui etiam misericordia tua primus in- » digeo, clementer exaudi, et quem non ele- » ctione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti » hujus operis ministrum, da fiduciam tui mu- » neris exequendi, et ipse in nostro ministerio, » quod tuæ pietatis est, operare. Per. »

ALIA.

« Exaudi, Domine, preces nostras, et confi- » tentium tibi parce peccatis, ut, quos con- » scientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ » miserationis absolvat. Per. »

ALIA.

« Præveniat hos famulos tuos, quæsumus, » Domine, misericordia tua, et omnes iniqui- » tates eorum celeri indulgentia deleantur. » Per. »

ALIA.

« Deus infinitæ misericordiæ, veritatisque » immensæ, propitiare iniquitatibus nostris, et » omnibus animarum nostrarum medere lan- » guoribus, ut, miserationum tuarum remis- » sione percepta, in tua semper benedictione » lætemur. Per. »

ALIA.

« Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, » omnesque conscientiæ pavescunt, propiciare » omnium gemitibus, et cunctorum medere » vulneribus, ut, sicut nemo nostrum est liber » a culpa, ita nemo sit alienus a venia. Per. »

ALIA.

« Præsta, quæsumus, Domine, his famulis » tuis dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ » tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarant » peccando, admissorum veniam consequendo » reddantur innoxii. Per. »

ALIA.

« Omnipotens sempiterne Deus, confitentibus » tibi his famulis tuis pro tua pietate peccata » relaxa, ut non plus eis noceat conscientiæ » reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ » pietatis prosit ad veniam. Per Dominum. »

ALIA.

« Omnipotens et misericors Deus, qui pecca- » torum indulgentiam in confessione sceleris » posuisti, succurre lapsis, miserere confessis, » ut quos delictorum catena constringit, mise- » ratio tuæ pietatis absolvat. Per. »

ALIA.

« Domine sancte, Pater omnipotens, æterne » Deus, respice propitius super hos famulos » tuos, qui ab infesta hujus seculi tempestate » dimersi, flebili lamentatione suos accusant » excessus, tu fletus et gemitus eorum pie » suscipias, eosque de tenebris ad lumen re- » voces, et medelam confitentibus, salutem » pœnitentibus, et vulneratis auxilium sanitatis » indulgeas ne ultra inimicus in eorum habeat » animabus potestatem, eorumque confessionem » libenter admittens, Ecclesiæ tuæ purificatos » restitue, ac tuo altari repræsenta, ut ad sacra- » mentum reconciliationis admissi, una nobis- » cum sancto nomini tuo gratias agere merean- » tur. Per. »

ALIA.

« Deus misericors, Deus clemens, qui secun- » dum multitudinem miserationum tuarum » peccata pœnitentum deles, et præteritorum » criminum culpas venia remissionis evacuas : » majestatem tuam supplices deprecamur, ut » his famulis tuis longo squalore pœnitentiæ » maceratis, miserationis tuæ veniam largiri » digneris, ut, nuptiali veste recepta, ad regalem » mensam, unde ejecti fuerant, mereantur in- » troire. Per. »

Digitized by Google

ALIA.

« Majestatem tuam, quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non » mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris, respice flentes famulos tuos, attende » prostratos, eorumque planctum in gaudium » tua miseratione converte, scinde delictorum » saccum, et indue eos lætitiam salutarem, ut » post longam peregrinationis famem, de sanctis altaribus tuis satientur, ingressique cubiculum regis, in ipsius aula benedicant nomen » gloriæ tuæ semper. Per. »

ALIA.

« Famulos tuos, quæsumus, Domine, ab ira » tua confugientes, paterna pietate recipe, ut » qui tuæ majestatis flagella formidant, de tua » mereantur venia gratulari. Per. »

ALIA.

« Deus, qui confitentium tibi corda purificas, » et accusantes suas conscientias ab omni vinculo iniquitatis absolvis, da indulgentiam reis, » et medicinam tribue vulneratis, ut percepta » remissione omnium peccatorum in sacramentis » tuis sincera deinceps devotione permaneant, » et nullum redemptionis æternæ sustineant » detrimentum. Per. »

ALIA.

« Deus, qui mundum in peccati fovea jacentem, misericorditer erexisti : Deus, qui leprosos, et aliis peccatis irretitos, sacerdotum » judicio mundari præcepisti : Deus, qui per » manus tuæ impositionem animarum et corporum valetudines effugasti, idemque opus » discipulis tuis eorumque successoribus agere » præcepisti : exaudi preces nostras pro his famulis et famulabus tuis, morbo criminum » hactenus tabescentibus, et manum pietatis » tuæ manui nostræ superpone, ut per manus » nostræ impositionem, te cooperante, infundatur eis Spiritus sancti gratia : descendat » super eos cœlestis benedictio, tribuatur eis » peccatorum remissio, cunctorumque scelerum » piacula relaxentur, et tuorum charismatum » munera affluentius conferantur. Per. »

ALIA.

« Domine sancte, Pater omnipotens, Rex regum, et Dominus dominantium, qui sanctissima dispositione unicum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, Spiritus sancti » gratia cooperante, in mundum misisti, quo » genus humanum mortalibus vinculis adstrictum, pia redimeret morte : tibi supplico, » quatenus orationem nostram mundam suscipias, tribulationem adimas, propitius flagella » redimas, ac serenissimo vultu aurem tuæ pietatis et misericordiæ accommodes, ministeriumque tantæ dignitatis, quod tractare indignus præsumo, sanctificando sanctifices, et » quod, te nunc opitulante, verbis exequor » humilibus, impleas effusione sancti Spiritus. »

« Tu enim, Domine, per Filium tuum unigenitum sanctis dilectisque Apostolis dona tribuens charismatum, dixisti : *Quæcumque ligaveritis in terra et solveritis, in cœlo ligata et soluta manebunt*. Ergo, magnæ pietatis pater, » non meo tali addictus merito, sed potius tuo » assecutus dono, præsumo his famulis et famulabus tuis impertire quod tuis fidelibus » proprio concessisti ore. Respice igitur, Domine, et miserere, et da veniam confitentibus, » parce supplicibus : quoniam de misericordia » benignitatis tuæ non diffidunt, non secundum » quod egerunt hactenus, verum juxta paternitatis tuæ clementiam a modo sentiant indulgentiam. Oro ergo hos supplex, cunctosque mihi commissos, muniri tua sancta » protectione : quo tuo freti munimine, valeamus pariter inextinguibiles pœnas evadere. » Per eundem Dominum. »

ALIA.

« Deus, humani generis benignissime conditor et misericordissime reformator, qui in » reconciliatione lapsorum etiam me, qui misericordia tua primus indigeo, servire effectibus gratiæ tuæ per sacerdotale ministerium » voluisti, ut, cessante merito supplicis, mirabilior fieret indulgentia remittentis : Deus, » qui justitiæ leges misericordiæ semper multiplicatione moderaris, dum delinquentibus » pœnitentiam adhibes, dum etiam malis providentiæ tuæ dona non subtrabis, et vindictam » miserando suspendis : Deus, qui hominem » invidia diaboli ab æternitate abjectum, unici » Filii tui sanguine redemisti, vivifica hos famulos tuos, quos tibi nullatenus mori desideras,

Digitized by Google

» et, quos non dereliquisti devios, adsume » correctos.

» Moveat pietatem tuam fletus iste mœrorum, » tu eorum medere vulneribus, tu benignam » jacentibus manum porrige, ne Ecclesia tua » aliqua sui corporis portione privata, temere- » tur, ne grex tuus detrimentum sustineat, ne » de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne » renatas lavacris salutaribus animas mors se- » cunda possideat. Tibi ergo humiliamur om- » nes, tibi, Domine, supplices fundimus preces, » tibi fletum nostri cordis offerimus : tu parce » confitentibus, ut in imminentes pœnas, futu- » rique judicii sententiam, te miserante, non » incidant : nesciant quod terret in tenebris, » quod stridet in flammis, et ab errorum via ad » iter justitiæ jam reversi, nequaquam ultra » novis vulneribus saucientur. Propitiare ergo, » Domine, trementibus atque supplicibus sub » sententiæ tuæ expectatione, et ad humilitatem » jacentium sublevandam, dexteram salutis ex- » tende. Nobis quoque servis tuis, quos aposto- » licæ clavis, sacerdotalisque officii ministros » non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ » constituisti, da fiduciam tanti muneris exe- » quendi, et ipse in nostro ministerio, quod tuæ » est potestatis, operare. Agnosce, piissime pa- » stor, oves tuæ redemptionis, et, constrictas » vinculis peccatorum, Ecclesiæ tuæ precibus » exoratus absolve. Redeant ad unitatem Eccle- » siæ tuæ, et post illam diram inopis exilii » famem redeuntes, veste splendida ornatæ, » gaudeant se paterno receptas esse convivio. » Nihil de honore adoptionis, nihil de hæredi- » tatis sorte perdiderint : sed integrum sit eis » atque perpetuum, et quod gratia tua contulit, » et quod misericordia reformavit. Per. »

Absolutio pluralis.

« Dominus Jesus Christus, qui dignatus est » discipulis suis dicere : *Quæcunque ligaveritis* » *super terram, erunt ligata et in cœlo : et* » *quæcunque solveritis super terram, erunt so-* » *luta et in cœlo* : de quorum numero, quamvis » indignum et peccatorum vinculis adstrictum, » me esse sua dignatione voluit, ipse vos largi- » fluo pietatis suæ dono, ac meæ simul parvi- » tatis ministerio, absolvere dignetur ab omnibus » fragilitatis vestræ excessibus, interius exte- » riusque humanitus contractis. Amen. Et, si- » cut peccata totius mundi sua traditione, atque » immaculati sanguinis effusione dignatus est » expurgare; ita quoque vestrorum peccami- » num maculas misericorditer non dedignetur » emundare ejusdem sancti sanguinis interven- » tione, qui fusus est in peccatorum remissio- » nem. Amen. Devotionem quoque vestram ita » deinceps adjutorio gratiæ suæ non dedignetur » corroborare; quatenus et in hoc seculo subre- » pentium laqueos delictorum valeatis evadere, » et in futuro vitam æternam, Christi sanguine » comparatam, sine fine possidere. Amen. Ad- » juvante Domino nostro Jesu Christo, qui nos » fecit, cum non essemus; et redemit, cum » perditi essemus, ad laudem et gloriam sancti » nominis sui, per omnia secula seculorum. » Amen. »

Item Absolutio pluralis.

« Præsta, quæsumus, Domine, his famulis » tuis secundum piissimam misericordiam tuam, » juxta libitum eorum, absolutionis peccami- » num suorum fructum, ut sint tibi dignum » habitationis tuæ templum, et mereantur » deinceps cum justis atque sanctis in conspe- » ctu tuo adstantibus absoluti manere ab omni » criminum labe. Per Christum Dominum no- » strum. Nos etiam, secundum auctoritatem » nobis indignis a Deo commissam, absolvimus » vos ab omni vinculo delictorum vestrorum, » ut mereamini habere vitam æternam. Per » eum qui vivit. »

Absolutio singularis.

« Sicut principali sententia constat, quia in » multis offendimus omnes, unde ingemisci- » mus : ita principali sententia consolamur, » quia, si confiteamur peccata nostra, fidelis et » justus est Christus, conditor et redemptor ac » salvator noster, quem habemus advocatum » justum apud Patrem, et est propitiatio pro » peccatis nostris, et interpellat pro nobis fide- » liter confidentibus, et dimittit nobis peccata » nostra, et emundat nos ab omni iniquitate. » Quapropter, frater noster, confitenti tibi pec- » cata tua, per ecclesiasticæ auctoritatis potesta- » tem, quam Dominus noster Jesus Christus » tradidit discipulis suis et Apostolis, dicens, » *Accipite Spiritum sanctum : quorum remise-* » *ritis peccata, remittuntur eis* : et per eosdem

Digitized by Google

» Apostolos suos ipsorum successoribus, quo-
» rum vices, licet indigni, tenemus, et, si non
» merito, tamen nomine atque officii susceptione
» eandem potestatem donavit, et in se credenti
» fideliter dixit: *Fiat tibi secundum fidem tuam :*
» gratia et potentia sua, virtute sancti Spiritus,
» qui est remissio omnium peccatorum, dimittat
» tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni
» malo, conservet te in omni opere bono, et
» perducat te ad vitam æternam, et ad sancto-
» rum consortium supernorum civium. Amen. »

Absolutio singularis.

« Frater N., Dominus Jesus Christus, qui
» dixit discipulis suis, *Quæcunque ligaveritis*
» *super terram, erunt ligata et in cœlo : et*
» *quæcunque solveritis super terram, erunt so-*
» *luta et in cœlo :* de quorum numero quamvis
» indignos nos esse voluit, ipse te absolvat per
» ministerium nostrum ab omnibus peccatis
» tuis, quæcunque cogitatione, locutione atque
» operatione negligenter egisti, et nexibus pec-
» catorum absolutum perducere dignetur ad
» regna cœlorum. Amen. »

Absolutio singularis.

« Frater N., absolutionem et remissionem
» peccatorum tuorum per invocationem sacrati
» nominis Dei, et per ministerium nostrum
» percipere merearis hic et in æternum. Amen. »

Hic adspergat eos aqua benedicta, et thurificet, et postea dicat : *Exsurge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.*

Post hæc surgant penitentes, et moneantur ab Episcopo ut, quod pœnitendo diluerunt, iterando non revocent.

TITULUS IV.

DE OFFICIO IN FERIA V IN CŒNA DOMINI, CUM BENEDICITUR OLEUM CATECHUMENORUM ET INFIRMORUM, ET CONFICITUR CHRISMA.

I. Omni ævo benedictum oleum fuit quod nostris Sacramentis inservire debet. Testis est S. Cyprianus in Epistola LXX, ad Januarium, et cæteros Episcopos Numidas, oleum baptizatorum unctioni destinatum sanctificari consuevisse super idem altare in quo Eucharistia consecrabatur : « Ungi quoque necesse est eum qui ba-
» ptizatus sit, ut, accepto chrismate, id est un-
» ctione, esse unctus Dei, et habere in se gratiam
» Christi possit. Porro autem Eucharistia est,
» unde baptizati unguntur oleo in altari sancti-
» ficato. » De olei benedictione pro unctionibus, et aquæ pro baptismo, tanquam de ritu ab Apostolis tradito loquitur sanctus Basilius in libro *De Spiritu sancto*, cap. XXVII : « Benedici-
» mus, inquit, aquam baptismatis, et oleum
» unctionis. » Docet S. Optatus Milevitanus, lib. VII *Adversus Parmenianum*, oleum istud quod consecratur, et in nomine Christi conditur per consecrationem istam, appellari chrisma. Tandem, ut alia omittam veterum Patrum ac Conciliorum testimonia, Montanus Toletanus episcopus, in Epistola sua ad Theoribium, istiusmodi benedictionis institutionem ad ipsum fidei initium revocare videtur.

II. Licet autem olei et chrismatis sacri usus in Ecclesia ab ipsis incunabulis receptus fuerit, hæretici nihilominus ab eo fere semper abhorruerunt. Tradit siquidem Theodoretus, lib. III *Hæreticorum Fabularum*, Novatianos iis qui ritu christiano abluerentur sanctum chrisma minime tribuisse : « Iis qui ab ipsis tinguntur
» sacrum chrisma non præbent. » Auctor est memoratus Optatus Milevitanus, lib. II, Donatistas adeo a sancto chrismate abhorruisse, ut ipsa vasa quibus illud contineretur, per fenestras, non sine impia ludificatione, projicerent. Petrobrusiani, Henriciani, Wicleffistæ, eodem impietatis genere, rem pro nihilo putabant, et tanquam Dei verbo contrariam explodebant. Omnium nequissimus Calvinus, lib. IV *Institutionum*, cap. XIX. § X, sanctum chrisma appel-

Digitized by Google

lare non erubescit « pinguedinem fœtore anhe- » litus inquinatam, et verborum murmure » incantatam. »

III. Quam turpiter nebulones isti delirent, ex laudatis sanctorum Patrum auctoritatibus abunde colligi potest. Eos igitur in erroribus suis relinquentes, adnotandum nunc illud censemus, benedictioni sanctorum oleorum et chrismatis nullam primum statam fixamque diem fuisse, sed quotiescumque necessitas postularet, ad arbitrium Episcopi benedicebantur. Id quidem perspicue liquet ex Concilio Toletano I, quod anno Christi 400 habitum fuit. Canone siquidem XX, inter alia, ita inquit : « Episcopo » sane certum est, quod omni tempore licet » chrisma conficere. » Porro mos deinde invaluit ut duntaxat in Cœna Domini conficeretur, non modo apud Latinos, sed etiam apud Græcos, ut fidem luculentissimam faciunt prisci Patres, Synodi, Pontificales, et Sacramentorum libri omnes, Græcorumque *Euchologium*, quorum testimonia inferius suo loco referemus.

IV. Cur hac potissimum die ejusmodi consecratio celebretur, variæ a priscis Patribus afferuntur rationes. Auctor nomine Fabiani Papæ, in Epistola II, cap. I, eam prodit rationem, quia nimirum hac die Christus id fieri instituit : « In » illa die Dominus Jesus, postquam cœnavit » cum Discipulis suis et lavit eorum pedes, sicut » a sanctis Apostolis prædecessores nostri acce- » perunt, nobisque reliquerunt, chrisma confi- » cere docuit. » Tum statim subdit quod, sicut ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius sancti chrismatis confectio per singulos annos est agenda, et de anno in annum renovanda et fidelibus tradenda. Testatur tandem hanc esse Romanæ Ecclesiæ et Antiochenæ, Jerosolymitanæ et Ephesinæ consuetudinem, ex doctrina Apostolorum inductam, ut vetus chrisma incendatur, et non amplius ipso quam uno anno utamur.

V. Aliam docet rationem antiquus auctor *De unctione Chrismatis*, inter opera S. Cypriani, ubi ita innuit : « Nec immerito huic diei assi- » gnata est tanti operis causa, et ex hoc sacra- » menta hæc obtinere initium, quo hodie in sa- » cramento calicis Christi, Ecclesiæ unitas; in » lavacro pedum concors societas, et donans » invicem charitas, et subjecta humilitas; in » unctione, Christiani nominis dignitas, excel- » lentiæ spiritalis proprie data est et confirmata » filiis adoptionis perpes auctoritas, et dignitas » perseverans. » Alia addit, quibus egregie ritus olim die Cœnæ Domini celebrari solitos illustrat. Confirmatur hæc prisci auctoris sub nomine Cypriani sententia auctoritate S. Thomæ, qui in III parte, quæstione LXXII, articulo XII ad III, ideo inquit diem Cœnæ Domini consecrationi sacrorum oleorum et chrismatis electam fuisse, « quia dies ille satis congruit ad » materias Sacramentorum, quo fuit Euchari- » stiæ Sacramentum institutum, ad quod omnia » alia Sacramenta quodammodo ordinantur. »

VI. S. Isidorus episcopus Hispalensis, libro I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XXVIII, quem etiam secuti sunt Alcuinus in libro *De divinis Officiis*, cap. *De Cœna Domini*, et Rabanus Maurus, libro II *De Institutione Clericorum*, cap. XXXVI, hanc affert causam : « Quia ante bi- » duum Paschæ Maria caput ac pedes Domini » unguento perfudisse perhibetur : » probatque ex eo quod Christus discipulis suis dixit, Matthæi cap. XXVI : *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Maria ista cujus meminit Isidorus, est Magdalena, quæ quidem, uti in Evangelio legitur, caput et pedes Domini pretioso unguento, ante biduum Paschæ unxit.

VII. Quartam denique rationem quod recte hac die Cœnæ Domini chrisma consecretur, docet nos Rupertus abbas Tuitiensis, lib. V *De divinis Officiis*, cap. XVII, ut nimirum res significata figuræ respondeat. Cum enim hic dies quartum decimum diem primi mensis referat, quo, uti habetur cap. XII libri *Exodi*, agnus immolari ad vesperam jussus est, et de sanguine ejus uterque postis ostii signari, et superliminare domorum in quibus comedendus esset, ut, eo signo viso, Angelus exterminator Ægypti, sacri convivii domos intactas præteriret : consequens quidem erat ut, hac ipsa nocte, domus eorum in quibus Agnus comedendus est, id est frontes eorum in quorum mentibus fides Agni Dei, Christi, reconditur, sacro chrismate signarentur. Sed quia, interveniente die mortis Christi, quæ luctui et silentio dicata est, convivium illud Paschale in tertium diem, qui est resurrectionis, differri oportuit; idcirco ipsa quidem signatio frontis ex chrismate, in noctem resurrectionis, in qua baptismus solemni-

Digitized by Google

ter administratur, necessario dilata fuit : sed in feria v ejusdem chrismatis consecratio anticipatur, quia ipsa die Parasceves, quæ sola intermedia est, Missæ sacrificium non celebratur, sine quo chrisma confici nefas est, ut infra dicetur.

VIII. In hac Ruperti sententia illud observandum est, respicere ipsum ad morem primitivæ Ecclesiæ, quo, cum baptismus ab Episcopis ordinarie administraretur, ab iis etiam baptizati sacro chrismate statim a baptismo in fronte consignabantur, ut, eo Sacramento plenius sanctificati, dignius ad percipiendam Eucharistiam accederent ; juxta doctrinam S. Dionysii Areopagitæ, sive alterius prisci auctoris qui ejus nomine legitur, in libro *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. III. Id quod etiam alii Patres docent.

§ I.

Hac die singulis annis benedicitur oleum catechumenorum, et infirmorum, et benedicitur chrisma.

COMMENTARIUS.

I. Si vera est Fabiani Pontificis Maximi Epistola ad omnes Orientales Episcopos, relata a Gratiano, distinctione III *De Consecratione*, can. XVIII, confectio chrismatis per singulos annos est agenda, et de anno in annum renovanda, vetusque chrisma in sanctis ecclesiis cremandum. Ait hanc disciplinam a sanctis Apostolis et successoribus eorum Ecclesiam accepisse. Idipsum dici potest de oleo catechumenorum, et infirmorum, quod etiam, ut superius auctoritate S. Basilii ostensum est, ex Apostolica traditione, jam olim in primitiva Ecclesia benedici consuevit. Porro ex manuscriptis Pontificalibus, Bellovacensi, Silvanectensi et Constantinopolitano, facta novi chrismatis consecratione, quod supererat ex veteri, cum recens benedicto miscebatur. Ex Pontificalibus autem, Apamiensi in Syria, Augustini Patricii ad Innocentium VIII, et Gulielmi Durandi, quod usui fuit Joanni Sairebruche episcopo Catalaunensi, comburendum in ecclesiæ lampades immittebatur.

II. Ungendi ritu utitur Ecclesia in quatuor Sacramentis, in Baptismo, Confirmatione, Ordinatione Sacerdotum, et Extrema Unctione. Utitur præterea in consecratione Episcopi, ecclesiæ et altaris, patenæ et calicis, et in benedictione campanarum. Harum omnium unctionum materia, ut aiunt, est oleum ex olivis expressum ; sed in chrismate balsamum oleo admiscetur, ut inferius demonstrabitur. Chrismatis solius usus est in sacramento Confirmationis, et consecratione Episcopi, itemque patenæ et calicis : chrismatis et olei catechumenorum simul, in consecratione ecclesiæ et altaris : olei catechumenorum solius in ordinatione Sacerdotum : olei infirmorum solius, in sacramento Extremæ Unctionis : olei infirmorum et chrismatis, in benedictione campanarum. Vide sis quæ de hoc vario usu suis titulis, tomo II, diximus.

III. Triplex istud genus olei, ut idoneum sit organum divinæ misericordiæ ad ungendum spiritualiter et sanctificandum ea quibus rite adhibetur, id accipit ex Ecclesiastica benedictione, et solemni consecratione quæ fit quotannis ab Episcopo feria v in Cœna Domini ; non enim alio die fieri debet, ex Concilio Meldensi, can. XLVI, cujus verba hæc sunt : « Ut nemo » sanctum chrisma nisi in quinta feria majoris » septimanæ, id est in Cœna quæ specialiter » appellatur Dominica, conficere præsumat. »

§ II.

Mane itaque Sacrista, vel ille ad quem spectat, omnia quæ ad oleorum benedictionem et chrismatis confectionem necessaria sunt, parat, videlicet : tres ampullas oleo mundissimo plenas, quas in sacrario ponit, et diligenter custodit ; unam ad oleum infirmorum ; aliam ad oleum catechumenorum ; tertiam, quæ

Digitized by Google

major sit, ad chrisma : et hæc tertia cooperiri debet de panno sericeo albo : prima autem et secunda de sericeo panno alterius coloris sint coopertæ : duas mappulas mundas, sive vela, pro Diaconis qui ampullas oleorum pro chrismate et oleo catechumenorum de sacristia ad chorum portare debent : et ultra hæc, sedem seu faldistorium, et credentiam consuetam. Paratur etiam alia sedes in presbyterio ab opposito altaris, juxta gradus circa finem presbyterii; et ante ipsam sedem versus altare paratur mensa mappis ornata, quæ sit juxta sedem, inter ipsam et altare. Juxta dictam sedem hinc et inde, magis tamen ad finem presbyterii, posita sint scamna pro duodecim Sacerdotibus, ita ut ibidem sedentes facies vertant ad altare.

COMMENTARIUS.

I. Fuisse jam olim vitreas ampullas ad conservandum chrisma adhibitas, testatur quidem S. Optatus Milevitanus lib. II *Contra Donatistas*, ubi etiam cœleste prodigium hominum memoriæ commendat in vitreo vase perfectum, in quo chrisma continebatur : nam, cum illi religionis perduelles, Donati hæretici sectatores, e fenestra vas ipsum in lapidum cumulum conjecissent, tam integrum atque solidum fuit deinde repertum, ut manibus Angelorum exceptum putares. S. Gregorius Pontifex Maximus in suo *Sacramentorum* libro, ubi agit de consecratione oleorum, fieri solita feria V Cœnæ Domini, duas ampullas cum oleo præparari mandat. Quid sit ampulla, docet S. Isidorus lib. XX *Originum*, cap. V : « Ampulla, inquit, » quasi ampla bulla : similis est enim rotun- » ditate bullis quæ ex spumis aquarum fiunt, » atque ita inflantur vento. » Ampullæ aureæ ad consecrandum chrisma, argenteæ vero ad catechumenorum oleum meminere quidem duo manuscripti libri Pontificales Anglicani, annorum circiter mille, quorum alter est monasterii Gemmeticensis, alter Ecclesiæ Rothomagensis.

II. Vetus Ordo Romanus apud Hittorpium non modo mentionem de ampullis olei facit, verum etiam ait ipsas offerri a populis consuevisse, et cooperiri cum sindonibus de albo serico. Ex manuscriptis Pontificalibus, Lyrensis monasterii, annorum circiter septingentorum, Remensi Sancti-Remigii, et Victorino, annorum circiter sexcentorum, præscriptum est ut « fe- » ria V Cœnæ Domini, primo mane custodes » ecclesiæ ordinent omnia quæ ad consecratio- » nem oleorum sunt necessaria : tres videlicet » ampullas de oleo mundissimo plenas, unam » de oleo infirmorum, alteram autem ad cate- » chumenos ungendos, tertiam vero ad conse- » crandum chrisma præparatam. » Tum mandat ut « unaquæque ampullarum discretionis ti- » tulum super se teneat inscriptum : hoc est, » oleum infirmorum, oleum ad baptismum, » oleum chrismatis. » Idipsum præscribit manuscriptus codex monasterii Sancti Albini Andegavensis ad usum Fulconis episcopi qui anno 1324 Sedem Andegavensem adeptus est; hoc unum adjungens, ut maxima ampulla ad conservandum chrisma de albo serico cooperiri debeat, aliæ autem duæ de alio serico, nulla facta coloris mentione.

III. Præter ampullas præparari etiam mandat Rubrica hæc nostri Pontificalis, *duas mappulas mundas, sive vela, pro Diaconis qui ampullas oleorum pro chrismate et oleo catechumenorum de sacristia ad chorum portare debent.* Cujus ritus vestigium observare est in Ordine antiquo Romano; quamvis, ex ipsius præscripto, non Diaconi, sed « duo Acolythi, accipientes illas » duas ampullas quæ ad chrisma et ad oleum » catechumenorum consecrari debent, involutas » cum sindonibus de albo serico, ita ut videri » possint a medio, teneant in brachio sinistro, » projectis sindonibus super scapulam sinistram, » ita ut pertingant ad scapulam dextram, etc. » Brevius idipsum expressum habemus apud Amalarium lib. I *De divinis Officiis*, cap. XII : « Dicit libellus Romani Ordinis de consecra- » tione chrismatis : *Continuo duo Acolythi in- » volutas ampullas cum sindone alba de serico, » ita ut videri possint a medio, teneant in » brachio sinistro.* » Ubi nota antiquitatem Ro-

Digitized by Google

mani Ordinis, quippe qui non semel ab Amalario laudatur, quem docent IX Christi sæculo floruisse. Cætera, quæ in hoc § continentur, opportunius infra explicabuntur.

§ III.

Deinde hora competenti Pontifex venit ad ecclesiam, ubi parat se ad Missam omnibus Pontificalibus ornamentis pretiosis albi coloris. Parant se etiam Ministri Pontificis, et ultra illos, duodecim Presbyteri, septem Diaconi, septem Subdiaconi, Acolythi, et alii necessarii, omnes vestibus albi coloris Ordini suo congruentibus.

COMMENTARIUS.

I. Si veterem Romanum Ordinem consulamus de ritu conficiendi chrismatis feria V Cœnæ Domini; mandat primo quidem ut, absoluta pœnitentium reconciliatione, de qua in titulo præcedenti diximus, « ipso die sonentur campanæ ad Missam, sicut mos est diebus solemnibus, ut omnes veniant ad ecclesiam, in qua chrisma mos est consecrari, et sic sileant usque ad Sabbatum sanctum. » Deinde hæc statim subjicit : « Presbyteri vero et cæteri Clerici hora tertia induant se vestimentis solemnibus, et Diaconi dalmaticis, atque Subdiaconi albis sericis induantur, et stent in ordine suo, singuli in ecclesia, exspectantes usque dum veniat Pontifex cum processione plenaria ad Missam, sicut diebus solemnibus solet, cum septem Diaconibus, et totidem Subdiaconibus, et ceroferariis, et septem cereostatis, et duobus thuribulis cum incenso. »

[In nulla alia ecclesia quam in ipsa cathedrali olei sacri functionem peragendam esse patet ex irrita postulatione Episcopi Torcellensis ad sacram Rituum Congregationem, a qua nullam super hoc dispensationem obtinere potuit, cum dicti Præsulis epistola ab Eminentissimis judicibus, die 21 januarii 1662 examinata fuisset. Eodem sensu oraculum protulit sacer Senatus, die 19 februarii 1707, ad Episcopum Trivicanum.

Quoad vero diem sacræ hujus functionis, ita feriæ V in Cœna Domini affixa est, ut solius Apostolicæ Sedis auctoritate ad alteram diem remitti vel anticipari posset. Exstat exemplum dispensationis hujusmodi in gratiam Caroli Walmesley, episcopi Ramatensis, vicarii Apostolici in Anglia, qui supplex summum Pontificem adierat, rogans ut ipsi liceret chrisma conficere et consecrare feria II majoris hebdomadis, vel altera ejusdem feria, eo quod nec ipse sine gravissimo incommodo feria V a sua residentia abesse poterat, nec sufficientem numerum Sacerdotum illa die simul convocare. Relatione petitionis facta Clementi XIII sanctæ memoriæ, Pontifex, die 9 martii 1765, attentis circumstantiis, gratiam indulsit.]

II. Hora tertia consuevisse olim feria V Cœnæ Domini, non modo Ministros, sed et Pontificem ipsum ingredi sacrarium, ut sacra sibi convenientia vestimenta induerent ad peragendam Missam et consecranda olea, aperte docet S. Gregorius in suo *Sacramentorum* libro : « Inde hora tertia ingressi sacrarium induunt dalmaticas tam Pontifex quam omnes Diaconi, vel omnia ornamenta, etc. » Ferunt institutum jam olim fuisse a S. Telesphoro Papa, ut hora tertia, hoc est nona matutina, Missarum solemnia agerentur. Sed hanc institutionem non ita antiquam esse autumo, ut possit Telesphoro Papæ adscribi, qui floruit Antonio Pio imperatore, circa medium II Christi sæculum. Illis enim primitivæ Ecclesiæ temporibus Missarum solemnia de nocte celebrabantur, uti liquet ex Tertulliano, in libro *De corona Militis*, cap. III, ubi ita inquit : « Eucharistiæ Sacramentum, et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam Præsidentium sumimus. » Quod sane solum fiebat inter Missarum solemnia. Noti sunt illi cœtus antelucani ex Plinio, lib. X, epistola C, ad Trajanum, et ex ipso Tertulliano in *Apologetico*. Porro hæc sacra mysteria Christiani de nocte peragebant, ut sibi, et eorum majestati ac dignitati consulerent, adversus invidiam et furorem pagano

Digitized by Google

rum : idque etiam post tempora Telesphori Papæ, ut scite docet Menardus in *Notis et Observationibus* ad librum *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, pag. 64.

III. Ergo hæc Missarum celebrandarum hora tertia institutio longe posterior fuit Telesphori ævo. Hoc vero die Cœnæ Domini anticipatam autumo ideo fuisse horam, propter benedictionem olei et chrismatis, et propter alios varios ritus qui eadem die agebantur. Eadem hora tertia, teste Menardo, incipiendum statuit Officium vetus manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiæ Remensis. Cæterum, in Concilio Rothomagensi celebrato anno Domini 1072, apud Ordericum Vitalem, lib. IV *Historiæ Ecclesiasticæ*, statuitur quidem canone I « ut chrismatis » et olei Baptismatis et unctionis consecratio » competenti hora, id est post Nonam, secun- » dum statuta Patrum fiat. » Pro varietate locorum et temporum, varia etiam fuit hæc disciplina, alicubi enim citius, alicubi serius Officium istud peragebatur.

IV. Quod autem Episcopus sacris operans numeroso comitatu Sacerdotum et aliorum Ministrorum Ecclesiasticorum stipatus esse debeat, id ab initio cautum fuit ex canone *Episcopus*, qui apud Gratianum, *De Consecratione*, distinctione I, S. Anacleto Papæ adscribitur : « Episcopus, inquit, Deo sacrificans, testes se- » cum habeat, et plures quam alius Sacerdos; » sicut enim majoris honoris gradu fruitur, sic » majoris testimonii incremento indiget. In » solemnioribus quippe diebus, aut septem, aut » quinque, aut tres Diaconos, qui oculi ejus » dicuntur, et Subdiaconos, atque reliquos Mi- » nistros secum habeat, qui, sacris induti vesti- » mentis, a fronte et a tergo, et Presbyteri e » regione dextra lævaque, contrito corde, et » humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custo- » dientes eum a malevolis hominibus, et con- » sensum ejus præbeant Sacrificio. » Variatio numeri, *aut septem, aut quinque, aut tres,* accipienda est pro modo facultatum cujusque Ecclesiæ, ex Glossa canonici juris in loco superius citato; quia plerisque non suppetit facultas alendi septem Diaconos totidemque Subdiaconos. Simeon episcopus Thessalonicensis, Ecclesiæ Græcæ ritus explicans, ait chorum Sacerdotum et Diaconorum celebranti Episcopo assistentium, Apostolos Domini præsentes, eumque intuentes, sanctissimosque Angelos significare.

V. Inter varia Officia quæ celebrari in Ecclesia quotannis solent, nullum profecto videtur solemniori ministrorum apparatu peragi, quam Officium ipsum benedictionis oleorum et chrismatis feria V Cœnæ Domini celebrari solitum. Quod spectat Presbyterorum numerum, non videtur ille olim status fixusque fuisse, sed quotquot præsentes reperiri poterant, Episcopo benedicenti sacris vestibus induti assistebant. Id innuunt vetustissimi omnium Sacramentorum libri, qui de Presbyterorum assistentium numero nil prorsus definiunt. Certe S. Gregorius in suo *Sacramentorum* libro nullam de Presbyterorum numero mentionem facit, ubi ita inquit : « Tunc offertur Pontifici oleum, et » benedicit eum tam ipse quam omnes Presby- » teri, etc. » Similiter vetus Ordo Romanus : « Exorcizet, inquit, Pontifex, et benedicat illud, » tam ipse quam omnes Presbyteri qui adsunt. » His adde Amalarii testimonium, qui lib. I *De ecclesiasticis Officiis*, cap. LII, idipsum docet.

VI. Hunc ritum diu perseverasse in provincia Remensi, aperte deducitur ex manuscripto Ecclesiæ Remensis Ordinario, annorum circiter quingentorum, in quo ita legimus : « Post hæc » (scilicet post Missam), dominus Pontifex re- » sidet in sede sua, et tunc Archidiaconus, » Cantor, et omnes Presbyteri Canonici casulis » induti, Diaconi, et Subdiaconi, et Acolythi, » qui ministraverunt in Missa, vadunt in sa- » crarium, et inde ordinate et cum omni decore » oleum chrismale et oleum catechumenorum » et neophytorum usque ante Archiepiscopum » deferant. » Exstat et idem ritus in manuscripto Laudunensi Ordinario quingentis circiter abhinc annis exarato, cujus hæc verba sunt : « Dum » Missa ab Episcopo celebratur, parati sunt Sa- » cerdotes Ecclesiæ nostræ, et Presbyteri Paro- » chiales, albis et casulis induti, » qui eidem Episcopo sacrum chrisma benedicenti assistant. Ex Noviomensi denique Ordinario annorum circiter quadringentorum, « induit se Episcopus » vestimentis Pontificalibus ad Missam solem- » nem celebrandam, propter chrismatis et olei » sacramentum, et cum eo septem Diaconi et » totidem Subdiaconi et totius urbis Presbyteri, » velut ad Missam cantandam induti. »

VII. Quando autem primum Presbyterorum

Digitized by Google

numerus ad duodenarium redactus sit, difficile est definire. Exstat de ea re quidem Concilii Rothomagensis an. 1072 can. I, sic inquiens: « Hoc etiam debet Episcopus providere, ut » in ipsa consecratione (chrismatis) duodecim » Sacerdotes Sacerdotalibus vestibus indutos, » vel quamplures secum habeat. » Eumdem duodenarium Sacerdotum numerum, jam ante centum et amplius annos quam Concilium istud celebratum sit, adhibuisse in hac cæremonia S. Udalricum Augustanum episcopum, qui desiit vivere anno 973, testatur auctor ejus Vitæ, cap. V, apud Surium, ad diem IV julii. Sed et Benedictus Papa VIII, qui initio sæculi XI floruit, cum duodecim Episcopis aliquando consecrasse chrisma in Ecclesia Bambergensi, legitur in Vita S. Henrici, capite XXIII, apud ipsum Surium, die XIV julii. Tandem res eo devenit, ut in quibusdam Ecclesiis duos tantum Presbyteros sacræ benedictionis coadjutores et testes secum Episcopus assumeret. Id enim præscribunt manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiæ Parisiensis, annorum circiter quadringentorum, et manuscriptum Bajocensis Ecclesiæ Ordinarium, quingentis abhinc annis exaratum.

[Plura hic notanda sunt ex Apostolicis sanctionibus circa numerum ministrorum in sacris oleis consecrandis. Mens sanctæ Sedis est ut cuncta adamussim serventur prout in Pontificali declarantur; ideo nullatenus licet, si non datur dispensatio, aliquid minuere de numero non tantum Presbyterorum, verum etiam Diaconorum et Subdiaconorum. Sic responsum est a sacra Rituum Congregatione, 13 januarii 1608, ad Archiepiscopum Corcyrensem, cui intimatum fuit satius esse ab altera ecclesia sacrum oleum suscipere quam tale præjudicium sacræ functioni inferre. Quoad delectum Sacerdotum Pontificis cooperatorum in tam solemni ritu, hæc sancita sunt: Canonicos non ab hac functione exemptos esse, quatenus sine eis numerus sufficiens non reperiatur (in *Lauretana*, die 9 maii 1600); Canonicos ecclesiæ collegiatæ posse compelli ad assistentiam, si opus sit (in *Spoletana*, 11 augusti 1646.); non sufficientibus Presbyteris ex clero sæculari, Presbyteros regulares ab Episcpo invitandos esse (in *Rithimensi*, 11 novembris 1641). Aliquando tamen dispensatum est a sacra Rituum Congregatione cum Episcopis quorum penes non erat duodecim coadunare Sacerdotes, ut evenit Antistiti Emoniensi in Istria, die 23 januarii 1644, sed onerata ejusdem conscientia, ut fert rescriptum, et consulto ipsomet summo Pontifice pro gratia concedenda. Ut autem amplius intelligatur quæ sit dignitas comministrorum Episcopi in præparatione et consecratione oleorum, prætermittere non licet sententiam quam protulit, instante Episcopo Seguntino, sacra rituum Congregatio die 27 novembris 1657; scilicet, Presbyteros ac Diaconos qui, sacris indumentis amicti, Pontifici in hac functione ministrant, tametsi non fuerint de gremio cathedralis, in communione sacra aliisque actibus præferendos esse reliquis Sacerdotibus ac Diaconis qui, sacris nullatenus induti, de gremio tamen cathedralis existunt.]

VIII. Si quis vero curiosus interroget cur in ipsa oleorum et chrismatis consecratione ex jam communiter recepto Latinæ Ecclesiæ ritu duodenarius Presbyterorum numerus adhibeatur, rem ita explicat lib. V *De divinis Officiis*, cap. XVIII, Rupertus abbas Tuitiensis: « Duo» decim Presbyteri, qui ordinantur juxta Epi» scopum testes et adjutores ejusdem mysterii, » duodecim Apostolos significant, quorum in » præsentia Summus Pontifex Christus hodie » testamentum conscripsit, totamque hæredi» tatem salutis suæque discessionis fructum, id » est Spiritum Paracletum, ostendit, dicens: » *Nisi ego abiero, Paraclitus non veniet ad vos:* » *si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ejus » namque gratiæ Sacramentum chrisma con» tinet. » Testes et cooperatores sacri chrismatis non semel appellantur memorati duodecim Presbyteri in manuscriptis Pontificalibus, et apud auctores complures. In pervetusto Pontificali Bellovacensi dicitur quod Sacerdotes qui Episcopum comitantur, cum ipso sunt consecratores chrismatis, quemadmodum Jesu Christi corpus in Missa consecrant, quando cum Episcopo concelebrant: « Ut in confectione » Corporis Christi simul cum Pontifice verbis » et manibus conficiunt, sic cum Pontifice o» leum conficiunt. » Idipsum docet Amalarius præfato lib. I, cap. XII, ubi ita inquit: « Mos » est Romanæ Ecclesiæ ut in confectione immo» lationis Christi adsint Presbyteri, et simul » cum Pontifice verbis et manibus conficiant. » At, quia in ipsa periocha concluditur conse» cratio olei hujus, oportet ut simili modo, sicut

Digitized by Google

» et cætera, cum Pontifice Presbyteri oleum » conficiant. »

IX. Forte, quod, ex antiquissimo Ecclesiæ usu, una cum Episcopo Presbyteri, si non ut cooperatores, saltem ut tanti mysterii testes, ad oleorum et chrismatis consecrationem adhiberentur, occasionem hæc disciplina præbere Presbyteris potuit quod soli chrisma conficere non semel præsumerent. Ea de re cum conquestus in Concilio Carthaginensi II, anni 390, fuisset Fortunatus episcopus, ab universis Episcopis dictum est, can. III : « Chrismatis con» fectio et puellarum consecratio a Presbyteris » non fiat. » Quem canonem non multo post renovarunt Patres Concilii Carthaginensis III, can. XXXI, statuentes « Ut Presbyter, inconsulto » Episcopo, virgines non consecret, chrisma » vero nunquam conficiat. » Eumdem abusum in Hispania gliscentem compescere quidem sollicite curarunt Patres Concilii Toletani I, anno 400, can. XX : « Quamvis pene ubique custo» diatur ut absque Episcopo chrisma nemo con» ficiat, tamen, quia in aliquibus locis vel pro» vinciis Presbyteri dicuntur chrisma conficere, » placuit ex hac die nullum alium, nisi Epi» scopum, chrisma facere et per diœcesim » destinare. »

X. Vix prævaluere adversus hanc pravam et inolitam consuetudinem hæc et alia sacrorum Conciliorum decreta et Pontificum placita ; cum constet Montanum episcopum, qui circa annum 531 Toletanam regebat Ecclesiam, coactum fuisse durissima ac gravissima Epistola ad Fratres territorii Valentini in eamdem pravam consuetudinem invehere : « Nova namque præ» sumptio præsidentium vobis Presbyterorum » nostrorum pulsavit auditus : si tamen nova » tantum et non detestabilis dicit possit, quæ » ab initio fidei Catholicæ nunquam præter » nunc subrepsisse probatur, ut id quod per » manus Summi Pontificis, trinæ Divinitatis » invocatio sanctificare consuevit, Presbyter » ignarus disciplinæ conficere sibi chrisma » præsumeret. » Nomine Summi Pontificis Episcopum intelligit, qui eo titulo passim olim appellabatur, ut alibi dictum est. In eo autem labi videtur Montanus, quod novam Presbyterorum præsumptionem vocat, cum, ut superius ostensum fuit, longe ante ipsum, in aliquibus Hispaniæ provinciis Presbyteri audebant chrisma conficere. Sed, quidquid de ea re sit, ipsam Presbyterorum præsumptionem sub anathematis interminatione vetuit quidem memoratus Antistes in Epistola ad Theoribium, sic dicens : « Quidam, ut ad nos perlatum est, Presbyteri » ausu temerario res sacras non tam consecrare » quam violare præsumunt, cunctis ab initio » fidei Catholicæ sæculis inusitatum summis » sui ordinis hominibus, nisi tantum Pontifici» bus debitum, jus consecrationis chrismæ, » nescio quo typho an dementia dicam, indu» bitanter assumunt : quod quam sacrilegum » sit, piissimam conscientiam tuam latere non » credo; et ideo spero ut, pro enervanda hac » ipsa superfluitate, severissimi Sacerdotis » auctoritate utaris, et tantæ rei temeratores » districtiori increpatione coerceas. »

XI. Etsi autem solis Episcopis licitum fuerit antiquitus, et liceat modo chrisma ordinarie consecrare; puto nihilominus Presbyteris non jure divino, sed ecclesiastico tantum, prohiberi chrisma conficere. Nam primo, nullum est quidem fundamentum prohibitionem illam divinam adstruendi, nec in Scriptura, nec in Conciliis, nec in Patrum traditione. Secundo, si chrismatis consecratio facta olim per Presbyteros valuit, cur hodie et non valebit, si tamen ab Ecclesia ea provincia ipsis demandaretur ? Audiamus iterum verba Concilii Toletani I, can. XX : « Quamvis, inquit, pene ubique cus» todiatur ut absque Episcopo chrisma nemo » conficiat, tamen, quia in aliquibus locis vel » provinciis Presbyteri dicuntur chrisma con» ficere, placuit ex hac die nullum alium nisi » Episcopum chrisma conficere. » Ubi nota 1° a Concilio irritam non fieri consecrationem chrismatis a Presbytero peractam; 2° Concilii Toletani Patres non juris divini, sed antiquissimæ ac universalis Ecclesiæ praxis auctoritatem proferre, ut præceptum quod sanciunt confirment : « Quamvis, inquit, pene ubique custo» diatur, etc. » Cæterum, etsi plerique hodie contendant irritam esse consecrationem chrismatis, si ab alio quam ab Episcopo fiat, sunt tamen complures qui docent cum cardinali Cajetano id quidem muneris esse et penes Presbyterum, si tamen ab Ecclesia ea provincia ipsi demandata fuerit.

XII. Expediti ab hac quæstione, sciendum est quod, etsi ex nostri hujus Pontificalis Ro-

Digitized by Google

mani, et aliorum etiam præscripto, celebraturus Pontifex parare se debet ad Missam *omnibus Pontificalibus ornamentis pretiosis albi coloris;* mandat tamen manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiæ Senonensis, annorum circiter sexcentorum, ut « Archiepiscopus indutus » Pontificalibus, et rubris melioribus indumen- » tis cum pallio, cum Diacono, et Subdiacono, » et duobus aliis Canonicis Presbyteris vesti- » mentis Sacerdotalibus indutis solemnibus, » accedat ad altare, etc. » Ubi nota varietatem coloris.

§ IV.

Quibus omnibus paratis, procedunt ad altare processionaliter, hoc modo. In primis procedit Thuriferarius, quem sequuntur duo Ceroferarii. Post hos septem Subdiaconi, bini et bini, et in tertio loco tres simul vadunt. Tum septem Diaconi, etiam bini et bini, et in tertio loco tres. Post hos duodecim Presbyteri, bini et bini, quos sequitur Subdiaconus librum Evangeliorum portans ante pectus, cum manipulo in eo reposito. Deinde Diaconus, et a dextris ejus Capellanus assistens : quos demum Pontifex sequitur incedens medius inter duos digniores Canonicos Ecclesiæ, aut in dignitate constitutos, si Pontifex sit in Ecclesia sua, alioquin ibit medius inter Diaconum et Assistentem. Et si Pontifex sit Archiepiscopus, vel Patriarcha, et in Ecclesia sua, portatur etiam in hujusmodi processione crux per unum ex Ministris ad hoc ordinatum, qui medius inter Ceroferarios incedit.

COMMENTARIUS.

I. Præparato et ornato sacris vestibus Episcopo celebraturo ejusque Ministris, antiquus Ecclesiæ Romanæ mos fuit ut Præcentor, stans ante faciem Pontificis, nutum ejus ad psallendum exspectaret. Cumque ille annuisset, Præcentor ante fores secretarii, quod hodie sacristiam barbara voce appellant, egressus, Ministris proclamabat : *Attendite;* accensisque luminaribus, Cantores Antiphonam ad Introitum incipiebant. Varii processionis sive accessus ad altare ritus pro diversitate locorum fuere. Præcedebant ex antiquo Romano Ordine duo thuribula cum incenso, septem Acolythi cum septem cereis ardentibus, septem Subdiaconi, totidemque Diaconi. Videri de ea re potest Jacobus Eveillon in libro *De Processionibus Ecclesiasticis.* In summa veniebat Pontifex *cum processione plenaria ad Missam*, ut inquit vetus Ordo Romanus. Unde mirum videri non debet si in hoc § processio ista describitur, quam ex manuscriptis quibusdam Pontificalibus infra solemniorem referemus. Cæterum S. Gregorius in suo *Sacramentorum* libro, ubi agit de consecratione chrismatis feria v Cœnæ Domini, nulla facta mentione accessus aliorum Ministrorum una cum celebrante Pontifice ad altare, hoc unum dicit, ut « lotis » ipse « manibus » procedat « cum septem cerostatis ad Missam, » id est cum septem candelabris, quorum usus est in altaribus, eaque vox sæpius occurrit apud Anastasium Bibliothecarium in *Vitis Romanorum Pontificum.* Respicit autem numerus is septenarius candelabrorum ad caput I Apocalypsis, ubi Joannes vidit septem candelabra aurea, et in medio candelabrorum similem Filio hominis vestitum *podere*, id est veste Pontificali, quasi accinctum ad sacrificandum. Innocentius III Pontifex Maximus, lib. II *De Mysteriis Missæ*, cap. v, septem hisce candelabris significari tradit, « ut ille per hoc advenisse mon- » stretur, super quem requiescit Spiritus gratiæ » septiformis, secundum vaticinium Isaiæ pro- » phetæ. »

§ V.

Duodecim Presbyteri suo ordine, juxta sedilia in fine presbyterii posita, hinc et inde stabunt, vel sedebunt, aut genuflectent, prout tempus postulabit, facies sem-

Digitized by Google

per ad altare vertentes. Post eos stabunt septem Diaconi, et post Diaconos septem Subdiaconi in gradibus presbyterii. Pontifex vero postquam ante altare pervenerit, facit confessionem, et proceditur in Missa more consueto, usque ad illum locum canonis ubi dicitur : *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas,* exclusive.

COMMENTARIUS.

I. Tempore S. Augustini bis in Cœna Domini Corporis et Sanguinis Christi Sacrificium fuisse oblatum, et quidem semel mane a jejunis, et semel sero a refectis, eumque ritum ab ipso minime improbari, ex eodem Augustino addiscimus in Epistola XLV novæ editionis, in qua Januario respondet, qui eum ea de re interrogaverat. At vero in veteri codice Remensi, Noviomensi Sanctæ-Mariæ, et Gellonensi, atque in Ordine Gelasiano tres Missæ in ipsa die Cœnæ Domini referuntur, quarum prima est pro reconciliatione pœnitentium; altera *Chrismalis* dicta, pro confectione sacri chrismatis; tertia ad vesperum.

II. Dignum notatu est quod legitur in manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Senonensis, annorum circiter sexcentorum. Mandat enim, ubi agit de consecratione oleorum et chrismatis, ut duo Presbyteri Canonici, vestimentis Sacerdotalibus induti, Pontifici ipsi assistant unaque concelebrent. Verba hujus Pontificalis hæc sunt : » Archiepiscopus indutus Pontificali, et rubris » melioribus indumentis cum pallio, cum Dia- » cono et Subdiacono, et duobus aliis Canonicis » Presbyteris, vestimentis Sacerdotalibus indutis » solemnibus, accedat ad altare : qui Presbyteri » Canonici sic induti eodem modo cum Prælato » ad altare accedant dicendo, *Confiteor Deo*, etc., » et omnia alia quæ Prælatus : et stantes cum » Prælato ad altare, dicant omnia et singula » quæcumque Prælatus dicit in Missa, sive » vertendo ad populum, aut alias, submissa » voce tamen : etiam verba consecrationis, sicut » et Prælatus, habent proferre in altari, signa » crucis et prostrationes sicut Prælatus facien- » tes, non tamen corpus Christi levabunt, sed » solus Prælatus. » Tum monet quod in altari coram Pontifice debent esse quatuor hostiæ consecrandæ, quarum una ipse se communicabit Pontifex, duas alias ab ipso dicti duo Presbyteri Canonici in altari assistentes accipient, « reliqua vero hostia pro crastino servitio in » sacrario a Pontifice deportetur. »

§ VI.

Priusquam ergo Pontifex verba ipsa dicat, facta reverentia Sacramento in altari consecrato, retrahit se ad partem Epistolæ altaris, ubi super alium calicem vacuum abluit digitos vino et aqua, et ad purificatorium extergat, et ablutio usque post communionem Pontificis reservatur. Tum facta iterum Sacramento reverentia, descendit primum gradum altaris, et ibidem accepta mitra, vadit ad dictam sedem sibi paratam in presbyterio, ab opposito altaris; et sedet super ipsam versa facie ad altare, dictam mensam ante se habens, circumstantibus Ministris, Sacerdotibus, et aliis paratis prædictis in suis locis manentibus. Tunc Archidiaconus stans apud Pontificem dicit alta voce in tono Lectionis : *Oleum infirmorum.* Et mox unus Subdiaconus ex septem paratis prædictis cum duobus Acolythis, hinc et inde associatus vadit ad sacristiam, ubi, accipiens ampullam olei quod pro infirmis consecrari debet, coopertam, ut invenit, portat eam sinistro brachio circumdatam ante Pontificem, ubi eam tradit in manibus Archidiaconi, plane dicens : *Oleum infirmorum.* Archidiaconus præsentat illam Pontifici ad benedicendum, idem dicens, collocans eam coram eo supra mensam supradictam.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Omnes pene libri Pontificales ac antiqui Sacramentorum codices mandant ut oleum, quod *Infirmorum* dicitur, id est ad ungendum infirmos, priusquam Pontifex ea verba in Missa proferat, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, etc.*, offeratur ipsi benedicendum. Quo ritu id fieret, nonnihil varietatis invenio. In duobus manuscriptis codicibus Anglicanis, uno monasterii Gemmeticensis, altero Ecclesiæ Rothomagensis, annorum circiter mille, dicitur quidem quod « antequam » dicatur, *Per quem hæc omnia, etc.*, tunc » Diaconus Cardinalis sumet oleum pro in- » firmis, portaturque ad Pontificem : at ille » divertens se paululum ab altare, stans in » suo gradu, signans oleum in manu Diaconi, » orationem constitutam supra tacite magis » quam voce alta dicit. » Oratio quam innuunt ii manuscripti libri Pontificales, habetur in libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, estque hujusmodi : « Emitte, Domine, Spiritum san- » ctum tuum Paraclitum de cœlis in hanc » pinguedinem, etc., » ut infra in § VIII. Hac Oratione finita, præscribunt iidem Anglicani Pontificales ut oleum infirmorum ponatur « supra columnam quamdam, seu altare, et » Pontifex Missam ordine suo celebrans dicat : » *Per quem hæc omnia, Domine, etc.* »

II. Ex manuscripto Pontificali Senonensis Ecclesiæ, annorum circiter sexcentorum, cui hac in re consentire videtur manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Parisiensis, annorum circiter quadringentorum, profecto illud cautum est, ut « post hæc canonis verba, « sed veniæ, » quæsumus, largitor, admitte; per Christum » Dominum nostrum; » tunc Archidiaconus stans ante majus altare excelsa voce, dicat : « Oleum ad infirmos, oleum ad infirmos, » oleum ad infirmos, » statimque Subdiaconus, de prædictis septem Subdiaconis Canonicis, indutus alba et tunica solemni, accipiens oleum infirmorum, ipsum præcedentibus duobus pueris cum cereis, et puero portante crucem, et alio portante thuribulum, Magistro puerorum sequente pueros, et Cantore sequente Subdiaconum, ordinate et cum silentio per minorem portam, a parte sinistra accedat ad altare, et offerat Archiepiscopo oleum ipsum ab eodem benedicendum, quod benedicat incontinenti ipse Archiepiscopus ad modum Orationis submissa voce; ita ut tantum possit a circumstantibus audiri; et Sacerdotes Canonici secum assistentes in altari magis basse. » Hæc ad verbum ex ipso manuscripto insignis Ecclesiæ Senonensis Pontificali placuit describere.

III. Porro in nullo alio hunc ritum descriptum æque ac luculentius explicatum invenio, quam in tribus manuscriptis Pontificalibus, uno Lyrensis monasterii, annorum circiter septingentorum, altero Remensi Sancti-Remigii, annorum circiter sexcentorum, tertio Victorino ejusdem ævi. Ex ipsorum siquidem Pontificalium præscripto, cum solemnissima processione tres simul ampullæ ad Pontificem deferebantur benedicendæ, hoc plane ritu : « Dum inchoatur *Te igitur*, stent in choro vestiti Cantores duo altiboando decantantes Letanias. Cumque cœperint Letanias cantare, subito cum gravitate procedant de sacrario Ministri sacris vestibus induti, bini et bini per sex ordines, quia per sex ætates seculi hodierna sunt mysteria præfigurata.

« In primo quidem ordine Diaconi duo procedentes bina efferent vexilla, quasi sacro quadragesimali jejunio expiati, contra versutas diaboli insidias : pro redemptione primi parentis Adæ, Christi victoria triumphantes pugnaturi, vel cælum pro lapsa legione intraturi.

» In secundo quoque duo subsequenter Ceroferarii, qui, velut cælestem proferentes splendorem, sanctam demonstrant Ecclesiam super firmam petram stabilitam sicut arcam Noe in diluvio salicatam, vel populum gentium diei lumine nunc illuminatum, uti tunc hominum nationem tetra caligine absorptam.

» In tertio etiam aqua aspergetur : thimiamateria, ac si holocausta cordis contriti et humiliati Domino thurificaturi, sicut Abraham in typo Christi per oblationem Isaac, ac ut Patriarchas per fidem et devotionem, Dominum in odorem suavitatis cognoscimus.

» In quarto etenim ex sacrario divinæ Scripturæ, pares libri Euangelicæ pacis, prodeant,

Digitized by Google

denunciantes arcam veteris Legis in passione Domini clausam, ac legislatoris Moysi testamenta scisso velo patuisse, simul et novæ gratiæ ac veritatis Euangelium lucidius sole per Jesum Christum ibi claruisse.

» In quinto siquidem tres quam speciosi pronunciatores sacri Euangelii comitentur, sindonibus circumamicti ternis in nomine sanctæ Trinitatis, ante facies suas bajulantes quas supra retulimus, ampullas; quarum duæ purissimi olei liquore erunt refertæ, sigillatim ad singula mysteria benedictione Pontificali consecrandæ. Prima, ad oleum infirmorum, perfecta medicina ad defugandas quasque ægritudines, et ad remissionem peccatorum, ut per Apostolum instruimur : *Infirmatur quis ex vobis? unguatur oleo salutari in nomine Domini, et allevabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Secunda autem ad oleum sanctum, unctio spiritualis ad confirmandos quosque in pectore, et inter scapulas, antequam baptizentur omnes in sacramento Baptismatis regenerandos. Tertia siquidem liquidum similiter continebit oleum, quod balsalmi commistione, divinis sacramentis purificatum, chrisma efficietur sanctificatum, ad consecrationes Ecclesiasticas, ad promovendas dignitates, omnibus etiam ad spem vivam, et beatæ regenerationis novitatem transituris, salubre et proficuum.

» In sexto victoriosa videlicet et adoranda procedat crux Dominica, quasi mystica præcedentium Mysteriorum præfiguratrix, quam in sexta Deus, Dei Filius natus, et in ea passus, sacri Sanguinis lavacro sanctificavit. Cujus victoria Redemptoris nostri vexilla prodeunt, cujus splendore Ecclesia sancta illuminatur, cujus aroma corticis vitali spirans nectare, ubi flagratur, cujus virtute pacis et gaudii charismata euangelizantur, cujus signaculo Baptismi mysterium, et sacri chrysmatis conficitur unguentum, per quæ etiam ineffabilia universalis Ecclesiæ Sacramenta consecrantur. »

IV. Hactenus præfati tres manuscripti libri Pontificales, qui statim etiam mandant ut percantatato *Te igitur*, usque ad ea verba Canonis, *sed veniæ, quæsumus, largitor, admitte*, antequam dicatur, *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, appropinquat cum reverentia Diaconus, et ampullam cum oleo infirmorum humiliter Episcopo præbeat. Itaque cum ex hisce Pontificalibus, tum aliis antiquissimis Sacramentorum libris, et Ordine antiquo Romano, consuevit primo consecrari oleum quod dicitur *Infirmorum*, licet, uti ostensum jam fuit, varii ritus pro varietate Ecclesiarum in ea consecratione servati essent.

[Ita proprium Archidiaconi est præsentandi olea benedicenda vel sacranda Episcopo, ut a nullo alio possit usurpari. Patet ex responso sacræ Rituum Congregationis ad Archiepiscopum Pisanum, die 27 augusti 1822. In ecclesia Pisana, cum Archipresbyter prima Dignitas esset, Archidiaconus vero secunda, mos inoleverat officium Presbyteri assistentis Archipresbytero committi in Missa Pontificali feriæ v in Cœna Domini, Archidiacono ministrante vice Diaconi; ita ut oleorum præsentatio fieret ab Archipresbytero pluviali induto. Abusum reformaverunt Eminentissimi judices, et, salvo ordine Dignitatum Pisanæ Metropolitanæ, jus proprium et abalienabile Archidiacono restitutum fuit.]

§ VII.

Pontifex surgens cum mitra exorcizat et benedicit illud voce demissa, ita tamen quod a circumstantibus Sacerdotibus audiri possit, absolute dicens : *Exorcizo te, immundissime spiritus, omnisque incursio Satanæ, et omne phantasma; in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti; ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici unctio spiritualis ad corroborandum templum Dei vivi; ut in eo possit Spiritus sanctus habitare, per nomen Dei Patris omnipotentis et per nomen dilectissimi Filii ejus Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.* ℟. *Amen.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Oblato Pontifici olei infirmorum vase, ex Ordine quidem antiquo Romano, exorcizat illud tam ipse quam Presbyteri qui adsunt, ut tantum possit a circumstantibus audiri. Idipsum mandat manuscriptus codex monasterii Sancti-Albini Andegavensis, ad usum Fulconis episcopi, qui anno 1324 Sedem Andegavensem regere cœpit, aliique complures manuscripti libri antiqui Pontificales, recentioresque. Aliquid aliud huic ritui adjungunt manuscriptum Pontificale monasterii Lyrensis, annorum circiter septingentorum, et Remense Sancti-Remigii, ac Victorinum, annorum circiter sexcentorum; mandant enim ut, porrecta humiliter a Diacono Pontifici ampulla olei infirmorum, super eam ter ipse crucis signum faciat, ac ter sufflet in illam, perficiatque exorcismum, audientibus tantum qui secus altare stant Ministris, minime dicens *Dominus vobiscum*, nec *Oremus*, sed ita discrete dicat : *Exorcizo te, immundissime, etc.*

II. Porro diversus est hic exorcismus ab illo qui in nostro exstat Romano Pontificali, in Ordine antiquo Romano, et in bene multis manuscriptis Pontificalibus; nam juxta præfatos Pontificales codices monasterii Lyrensis, Remensis Sancti-Remigii, et Victorini, hæc est exorcismi formula : « Exorcizo te, immundissime, et refuga spiritus, omnisque incursio Satanæ, ac omne phantasma nefandorum inimicorum, per Dei omnipotentis Patris majestatem, qui cœlum, terram, mare, et omnia quæ in eis continentur, admirabili sua condidit potentia, ut cum omni falsitatis tuæ veneno procul recedas ab hujus olei creatura, ad superventuram benedictionem, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut fiat omnibus qui ex eo unguendi sunt, spiritualis unctio, et perfecta medicina ad corroborandum humanæ conditionis templum; quatenus in eo perpetualiter Spiritus sanctus inhabitare dignetur, in nomine Dei Patris, et Jesu Christi Filii ejusdem Domini nostri, quibus laus et perpetua manet jubilatio per cuncta sæcula sæculorum. ℟. Amen. » Admonitum hic velim lectorem, in memorato Lyrensis monasterii Pontificali, post illa recitati exorcismi verba, *ad corroborandum humanæ conditionis templum*, hæc tantum sequi verba : *Cooperante in eo gratia, et virtute Spiritus sancti, qui cum Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti laus et perpetua manet jubilatio per cuncta sæcula.* Neque insuper omittendum verba illa post initium exorcismi, *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠ sancti*, quæ in nostro Romano et in aliis Pontificalibus habentur, in antiquo Romano Ordine desiderari.

§ VIII.

Deinde deposita mitra benedicit ipsum oleum, dicens eadem voce : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Emitte, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum tuum Paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis et corporis; ut, tua sancta bene✠dictione, sit omni hoc unguenti cœlestis medicinæ peruncto tutamen mentis et corporis ad evacuandos omnes dolores, omnes infirmitates, omnemque ægritudinem mentis et corporis, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas et Martyres, sit chrisma tuum perfectum, Domine, nobis a te benedictum, permanens in visceribus nostris. In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Nullus est Sacramentorum codex, vel liber Pontificalis, in quo hanc ad benedicendum oleum infirmorum Orationem non invenias: quam egregie explicat Amalarius libro I *De ecclesiasticis Officiis,* cap. XII, postquam de olei natura, et quid significet, et cur ante illa verba, *Per quem hæc omnia, etc.*, consecretur, summatim perstrinxit. Amalarii verba, quæ Durandus in suo *Rationali* inseruit, lib. VI, cap. LXXIV, hæc sunt: « Consequens est ut aliqua tangamus » de verbis consecrationis; ait enim: *Emitte » Spiritum sanctum tuum Paraclitum de cœlis » in hanc pinguedinem olei, quam de viridi » ligno producere dignatus es ad refectionem » corporis. Paraclitum* est hic additum, quod » non invenitur in sequentibus, ut reor, non » sine causa alicujus mysterii. Primo videndum » est quid operetur Spiritus sanctus in singulis; » inde apparebit cur addatur in ista. Exorcis- » mus olei jubet recedere diabolum a catechu- » meno, qui adhuc pro mortuo deputatur, quia » nondum est baptizatus. Chrismalis unctio san- » ctificat jam viventem ex mortuis. Oleum pro » infirmis medelam præstat sauciatis. Unde in » eadem (Oratione) legitur: *ad evacuandos » omnes dolores, omnes infirmitates, omnem » ægritudinem corporis.* Ægritudinem sequitur » dolor, dolorem consolatio. Paraclitus *Conso- » lator* interpretatur. Qui mortuus est, non do- » let, quia non sentit, quem non sequitur con- » solatio. Qui in Christo sanctificatur per » conresurrectionem, non eget consolatione ex » dolore. »

II. Examinanda nunc alia sunt quæ in ipsa Oratione seu Benedictione olei continentur. Primo enim orat Pontifex ut mittatur Paraclitus de cœlis *in hanc pinguedinem olivæ.* Ubi nota nonnisi oleum, quod ex olivarum baccis educitur, materiam esse sacramenti Extremæ Unctionis; eductum enim aliunde, improprie dicitur oleum, et quidem non simpliciter, sed cum addito, « oleum nucum, etc. » Hinc illa Jacobi Apostoli verba in Epistola sua, ubi agit de sacramento Extremæ Unctionis, *Ungentes eum oleo,* de oleo ex olivis educto perpetua Ecclesiæ traditio intellexit. Cur autem oleum potius ex olivis expressum, quam alii quidam liquores, qui eo nomine nonnunquam appellantur, pro memorati Sacramenti materia præscriptum sit, factum id autumo ex congruitate quadam petita ab olei olivarum effectibus. Vix enim hæc quæ scribit Angelicus Magister in *Supplemento,* quæstione XXIX, articulo III, cæteris oleis conveniunt: « Spiritalis sanatio, quæ » in fine adhibetur, debet esse perfecta, quia » post eam alia non relinquitur; et lenis, ut » spes, quæ exeuntibus est maxime necessaria, » non frangatur, sed foveatur. Oleum autem » lenitivum est, et penetrativum usque ad in- » tima, et etiam diffusivum; et ideo, quantum » ad utrumque prædictorum, est conveniens » materia hujus sacramenti. »

III. Nullum alium liquorem infirmorum oleo consecrando admiscendum, docet nos perpetua Ecclesiæ traditio tum Latinæ, tum Græcæ. Neque enim mixtionem aliquam aut *Euchologia* Græcorum, aut Latinorum Pontificalia recensent. Quod autem in ipsa Oratione benedictionis olei infirmorum, ad finem ipsius legatur, *sit chrisma, etc.*, dicendum est, eo loci chrisma generice sumi, nempe pro unguento, seu pro eo omni quo quis ungi potest, non vero specifice, seu, ut sumunt theologi, pro mixtura olei et balsami. Eodem modo explicanda sunt et Innocentii Papæ I verba, qui in Epistola ad Decentium, Extremæ Unctionis materiam videtur dicere esse chrismatis oleum: « Quod non est » dubium de fidelibus ægrotantibus accipi vel » intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis » perungi possunt. » In summa vocabulum *chrisma* in laudatis locis non stricte et proprie, sed large et minus proprie accipi debet; cum in nullo prorsus Pontificali, ut dictum est, vel Ecclesiæ canone ejusmodi mixtura recenseatur.

IV. Notanda præterea sunt illa Orationis verba, quibus de oleo dicitur: *Unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas et Martyres.* Quod olim in veteri Testamento Sacerdotes inungerentur, constat quidem ex cap. VIII *Levitici*, ubi Aaron a Moyse unctus est in Sacerdotem. Ejusque ritus fit etiam mentio capite XIX *Exodi,* ubi Dominus Moysi dixit: *Vestem autem sanctam, qua utetur Aaron, habebunt filii ejus post eum; ut ungantur in ea, et consecrentur manus eorum.* Unctio-

Digitized by Google

nis regum mentio fit passim in libris *Regum;* lib. I, cap. XIX, ita legitur : *Et unges eum ducem super populum meum Israel.* Item cap. X : *Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus, et deosculatus est eum, et ait : Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem.* Exemplum unctionis Prophetarum legi potest lib. III *Regum*, cap. XIX : *Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmehula, unges Prophetam pro te.* Uncti insuper dicuntur Martyres, percipiendo scilicet Confirmationis sacramentum, cujus beneficio divinitus robur ad resistendum diabolo ejusque satellitibus perceperunt; uti videre est in variis sanctorum Martyrum Vitis apud Bollandianos et apud Laurentium Surium.

V. Quamvis denique omnes doctores conveniant oleum, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, esse sacramenti Extremæ Unctionis materiam, ut aperte definit Concilium Tridentinum sessione XIV, *De sacramento Extremæ Unctionis*, cap. I; itemque iidem conveniant Episcopalem olei consecrationem necessariam esse necessitate præcepti Ecclesiastici, quod ipsam scilicet consecrationem præcipiant omnes fere canones in quibus de hoc Sacramento agitur; inter eosdem tamen non constat, 1° an olei consecratio necessaria sit necessitate Sacramenti; 2° an ex suppositione quod absque olei consecratione Sacramentum non valeat, sit necessaria ex præcepto divino, an vero Ecclesiastico tantum ; 3° an olei consecratio Presbyteris, qui non fuerint Episcopi, ex Ecclesiæ dispensatione committi possit.

VI. Inter Thomistas Dominicus Soto in IV *Sententiarum*, distinctione XXIII, quæstione I, articulo III, ita suam de priore quæstione mentem aperit : « Utrum vero (olei consecratio) sit » de essentia Sacramenti, non apparet prima » fronte usque adeo certum; attamen in dubio » tenendum est quod requiritur benedictio olei » tanquam de essentia Sacramenti. » Gulielmus Estius quoad primam partem præfato auctori quidem subscribit; sed docet olei consecrationem Episcopalem esse jure divino necessariam necessitate Sacramenti : « Imo vero, inquit, non » apparet hac in re Pontificem posse dispen » sare, nempe ut per alium quemcumque fiat » olei benedictio; si, quod dictum est, necessi- » tate Sacramenti ipsa benedictio requiratur. » Est et ejus opinionis Sanbovius in tractatu *De Extrema Unctione*, valere Sacramentum illud, quamvis oleum nec ab Episcopo, nec a Presbytero consecratum fuerit. At vero, quod nulla consecratio sive ab Episcopo, sive a Presbytero peracta, necessaria sit in oleo ut Sacramentum valeat, licet id quidem Jueninus doceat in opere suo *De Sacramentis*, ubi de Extrema Unctione agit; placet nihilominus sententia Bellarmini, qui, in suis *Controversiis* de eadem re tractans, diserte docet consecrationem et benedictionem Episcopalem in hoc Sacramento esse de essentia materiæ Sacramenti, non vero accidentariam, ut est consecratio aquæ in Baptismo. Concilia siquidem Florentinum et Tridentinum, quæ propter hæreticos magis distincte hæc omnia explicuerunt, in Baptismo materiam esse dicunt aquam simplicem, nec addunt, *benedictam :* in Extrema vero Unctione, ut etiam in Confirmatione, docent esse oleum ab Episcopo *consecratum.*

VII. Neque Estio et aliis assentiri valeo, aientibus non posse Pontificem dispensare ut Presbyteri oleum infirmorum consecrent; cum apud Græcos constet ab ipsis Presbyteris oleum ipsum liniri, ut docent Joannes Nathanael in Epistola ad Episcopum Anagninum; Petrus Arcudius, libro V, cap. II; Leo Allatius, lib. III *De consensu utriusque Ecclesiæ*, cap. XVI; et eorum *Euchologium.* Quæ quidem praxis ex schismatico animo nequaquam processisse credenda est, cum ipsam potius confirmarit Clemens VIII in instructione directa ad Episcopos Latinos, ubi circa oleum sanctum infirmorum ita scribit : « Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea san- » cta præter chrisma ab Episcopis Latinis diœ- » cesanis accipere; cum hujusmodi olea ab eis, » in ipsa oleorum et Sacramentorum exhibi- » tione, ex veteri ritu conficiantur et benedican- » tur. » Porro testatur Julius Antonius cardinalis in Epistola ad Episcopum Messanensem, « quod apud Græcos hujusmodi oleum non be- » nedicunt Episcopi feria V in cœna Domini, » quemadmodum servat Ecclesia Latina, sicut » nec oleum catechumenorum; verum ipsi » etiam simplices Sacerdotes numero septem in » eo Sacramento exhibendo, illud omnes sigil- » latim antea benedicunt, et eo benedicto infir- » mus primus eorum, et deinde reliqui omnes » simul inunguntur »

Digitized by Google

§ IX.

His expletis, oleum ipsum, eo modo quo apportatum fuit ad sacrarium reportatur, et diligentissime conservatur.

COMMENTARIUS.

I. Benedictione olei infirmorum expleta, mandat quidem vetus Ordo Romanus ut « oleum, eodem ordine quo ascendit, reportetur, et in loco suo conservetur. » Libri manuscripti Pontificales, Lyrensis monasterii, annorum circiter septingentorum, et Remensis Sancti-Remigii, ac Victorinus, annorum circiter sexcentorum, hanc provinciam Diacono soli committunt ut ipsum oleum ab altari removeat. Verum ex manuscriptis Pontificalibus, uno insignis Ecclesiæ Senonensis, annorum circiter sexcentorum, altero Ecclesiæ Parisiensis, annorum circiter quadringentorum, cautum est quidem ut « oleum reportetur a Subdiacono » cum eadem processione, et in locum suum » conservetur. » Qualis esset ritus hujus processionis, diximus supra in Commentario § VI, num. II. De Græcorum ea in re disciplina, vide infra in Appendice.

§ X.

Tunc Pontifex, reassumpta mitra, sedet, et lavat manus : tum surgit, et cum mitra, et cum Ministris suis, cæteris Sacerdotibus et aliis paratis in locis suis manentibus, accedit usque ad gradum altaris, ubi, deposita mitra, facit reverentiam Sacramento : tum ascendit ad altare, et incipiens ubi dimiserat, videlicet *Per quem hæc omnia, etc.*, procedit in Missa usque ad Communionem Corporis et Sanguinis inclusive, quam Pontifex ipse solus sumit. Quo facto, Diaconus ponit Hostiam consecratam pro crastina die reservandam in calicem, seu vasculum ad hoc paratum, et reverenter collocat ipsam super medium altaris. Deinde Pontifex communicat Diaconum et Subdiaconum, ac alios de Clero; et, postquam se purificaverit, ac etiam primam digitorum ablutionem ex alio calice sumpserit, facta reverentia Sacramento in altari posito, in secundo gradu altaris mitram accipit, et redit ad prædictam sedem cum Ministris suis et aliis Assistentibus, eo ordine quo præmissum est, et ibi cum mitra sedet. Tunc Archidiaconus, stans apud Pontificem, dicit alta voce in tono Lectionis : *Oleum sanctum ad chrisma*. Et mox eadem voce in tono Lectionis subjungit : *Oleum catechumenorum*.

COMMENTARIUS.

I. Reportato ad sacrarium sacro infirmorum oleo eadem cum pompa qua ad Episcopum perlatum fuerat benedicendum, lavat Episcopus manus, suisque cum Ministris (cæteris Sacerdotibus et aliis paratis in locis suis manentibus) ad altare accedens, prosequitur Missam, dicens : *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et præstas nobis. Per ipsum, et cum ipso, etc.*, ut in Canone Missæ, usque ad Communionem divinæ Eucharistiæ, id est Corporis et Sanguinis Domini, et quidem inclusive, uti habetur in hoc § et in quibusdam manuscriptis Pontificalibus, ac præsertim in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, in quo iisdem fere verbis hæc Rubrica legitur. Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiæ Senonensis ritus quosdam in Missæ hujus ordine servandos mandat, quos hic describere censui. Vult enim ut, postquam dixit Episcopus *Per ipsum, et cum ipso, etc.*, ostendat

Digitized by Google

populo Hostiam de manu dextera : post Orationem vero Dominicam, « accipiens patenam » inter primum digitum et medium, elevet » sursum et dicat : *Libera nos, quæsumus,* » *Domine, ab omnibus malis præteritis, præ-* » *sentibus et futuris ; et, intercedente beata et* » *gloriosa semper virgine Dei Genitrice Maria,* » *et beatis Apostolis tuis*, *Petro* (tangat de » patena pedem calicis per medium), *Paulo* » (super calicem), *et Andrea* (ad os suum), *cum* » *omnibus Sanctis* (ad oculos, et se signet.) »

II. Ex eodem manuscripto Pontificali, quod ab annis circiter sexcentis exaratum est, imo ex libro *Sacramentorum* S. Gregorii, et ex Ordine antiquo Romano, atque ex plurimis Pontificalibus libris, ante ipsam communionem ab Episcopo accipiendam, ab eodem benedictio dabatur, dicente prius Diacono : « Humiliate » vos ad benedictionem. » Et responso « Deo » gratias, » benedicebat Episcopus hunc in modum : « Benedicat vos Deus, qui per uni- » geniti Filii sui passionem vetus Pascha in » novum voluit converti; concedatque vobis ut, » expurgato veteris fermenti contagio, nova in » vobis perseveret conspersio. Amen. Et, quia » ad celebrandam Redemptoris cœnam mente » devota convenistis, æternarum dapium vobis- » cum epulas reportetis. Amen. Ipsius quoque » opitulante clementia, mundemini a sordibus » peccatorum, qui ad insinuandum humilitatis » exemplum, pedes voluit lavare discipulo- » rum. Amen. Quod ipse præstare dignetur, » cujus regnum et imperium sine fine perma- » net in sæcula sæculorum. Amen. Benedictio » Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et pax » Domini sit semper vobiscum. » In libro *Sacramentorum* S. Gregorii subjungitur, « Et » cum spiritu tuo. » Nulla tamen fit mentio verborum, *Humiliate vos*, *etc.*, quæ ante benedictionem solitus erat Diaconus pronuntiare. Porro hic illud admonendum est, quod, etsi, juxta præscriptum Senonensis Ecclesiæ Pontificalis, duo Canonici Presbyteri una cum Episcopo, ut superius dictum est, die Cœnæ Domini concelebrarent, solus tamen Episcopus benedictionem impertiebatur, ut ibidem notatur.

III. Explicemus nunc alia quæ in hoc nostro § continentur : mandat enim Rubrica ut, postquam communionem accepit Pontifex, Diaconus, qui eidem in altari inservit, ponat « Hostiam consecratam pro crastina die reser- » vandam in calicem, seu vasculum ad hoc » paratum. » Est quidem antiqui moris in Ecclesia Græca toto Quadragesimæ tempore sacrificium Missæ non celebrare, præter quam diebus sabbati ac Dominicis, in quibus non jejunatur, uti constat ex can. XLIX Concilii Laodiceni, quod habitum fuit anno 314, et ex canone LII Concilii Trullani, in quo etiam festus Annuntiationis Deiparæ dies excipitur : « In omnibus, inquit, sanctæ Quadragesimæ » jejunii diebus, præterquam Sabbato et Do- » minica, et sancto Annuntiationis die, fiat » sacrum Præsanctificatorum ministerium, » id est panis antea consecratus ad altare offeratur, et de eo communicent. Ritus ejus apud Græcos is est : Die Dominica, præter illius diei oblationem, quinque alios panes consecrant pro totidem sequentibus feriis usque ad Sabbatum. Tum singulis diebus sub vesperam conveniunt in ecclesia, et in ipso precum vespertinarum Officio, Sacramentum antea consecratum proponunt et sumunt, præmissis Psalmis gradualibus, et recitatis quibusdam Canticis, Lectionibus et Orationibus, quæ legi possunt in *Euchologio* cum notis eruditissimi Jacobi Goar, Ordinis Dominicani scriptoris. Quia autem panem antea consecratum et sanctificatum sumunt, vocant hoc officium Præsanctificatorum, sive antea consecratorum, quo in sola Quadragesima, non in aliis jejuniis, utuntur, quia, ut ait Theodorus Balsamon in notis ad prædictum canonem Trullanum, hoc jejunium præcipuum est, magisque solemne, et a Domino institutum. Plura nos, divino aspirante Numine, de hac re dicemus nostro II tomo *Conciliorum*, ubi canonem ipsum Trullani Concilii explicuerimus. Ergo, ut cum Balsamone concludam, « Præsanctificatorum » ministerium, incruentum sacrificium non » dicimus, sed oblationem prius oblati et per- » fecti Sacrificii, et sacræ actionis jam per- » actæ; » quia nempe ratio sacrificii Missæ consistit in consecratione, et quidem utriusque speciei; unde panem illum ante consecratum, qui ad hujusmodi liturgiam reservatur, Græci in Missa Præsanctificatorum ἅγια λείψανα, id est, *sanctas reliquias* vocant.

IV. Quoad rationem hujus instituti in Ec-

Digitized by Google

clesia pervetusti, eam reddunt memoratus Balsamon, et Joannes Zonaras in scholiis suis ad præfatum Trullanæ Synodi canonem LII, quod nimirum jejuniorum dies sint dies luctus et compunctionis; Deo autem Sacrificium offerre, sit festum agere, quod est hilaritatis et lætitiæ. Cum itaque non conveniant inter se pœnitentiæ lamenta et festivæ celebritatis hilaritas, existimarunt quoque sanctæ Missæ sacrificium jejuniis Quadragesimalibus non convenire. Atque hæc est etiam causa ob quam, ex prisco Ecclesiæ more, neque Sanctorum memorias, neque nuptias, aut natalitia celebrant in diebus Quadragesimalium jejuniorum, ut patet ex canonibus LI et LII ejusdem Concilii Laodiceni, quorum primus ita inquit, juxta editionem Dionysii Exigui : « Non oportet in » Quadragesima Martyrum natalitia celebrare, » sed eorum in Sabbato ac Dominica tantum » memoriam fieri. » Alter vero hæc habet : « Non oportet in Quadragesima, aut nuptias, » vel quælibet natalitia celebrare. »

V. Eadem ratione ducta Ecclesia Latina hunc ritum Missæ Præsanctificatorum observat in die sancto Parasceves, Sacrificio et Consecratione omnino abstinens; quia scilicet est dies luctus publici, et complorationis omnium Christianorum de morte Patris sui, Regis sui, Pastoris sui, Salvatoris sui. Ideo sicut silent signa, seu æra campana, quæ sunt tubæ festivitatis, divina Officia lugubri voce et languenti tenore, aut sub mœsto silentio dicuntur, cessant cæremoniæ splendoris, et celebritatis decus; ita, occiso Pontifice et summo Sacerdote, cessat Sacrificium, quod est caput et decor omnis gloriæ filiæ Regis, sponsæ Dei. Id docet Innocentius I in Epistola ad Decentium Eugubinum episcopum, ubi ita loquitur : « Sexta feria propter » passionem Domini jejunamus, sabbatum » prætermittere non debemus, quod inter » tristitiam atque lætitiam temporis illius vi» detur inclusum. Nam utique constat Apo» stolos biduo isto et in mœrore fuisse, et » propter metum Judæorum se occuluisse. » Quod utique non dubium est in tantum » eos jejunasse biduo memorato, ut traditio » Ecclesiæ habeat isto biduo Sacramenta peni» tus non celebrari. »

VI. Duo in hoc Innocentii testimonio sunt potissimum attendenda. Primum est, Innocentii tempore, qui Pontifex creatus fuit anno Christi 402, traditionem Ecclesiæ fuisse ut feria sexta in Parasceve Sacrificium minime celebraretur, quod indicio est id ex Apostolica traditione fluxisse. Alterum est neque in Sabbato sancto fieri solitum Sacrificium. Neque refert quod Sabbato sancto adsignata Missa sit antiquissima. Utrumque enim in Litteris ad suæ Congregationis Eremitas, libro VI, epistola XXXV, conciliat S. Petrus Damiani, sic inquiens : « Missa, quæ intra Sabbati sancti » diem prohibetur, nocte celebrari præcipi» tur. » Hinc in Synodo Claramontana statuit Urbanus II Pontifex : « Sabbato Paschæ non « nisi post horam nonam Officium celebre» tur. » Id quod antiquo Romano Ordini concinere videtur, qui in Officio diei Parasceves ita quidem præscribit : « Feria sexta Parasce» ves, quæ et sexta Sabbati dicitur, Missa non » cantatur, sed neque in Sabbato sancto usque » ad Vigilias noctis. » Sane dici posset neque hodie Sabbato sancto fieri Sacrificium, quia Missa, quæ eo die celebratur, non pertinet ad ipsum Sabbatum, sed ad Officium noctis Resurrectionis Domini.

VII. Quando autem præcise istud Officium, quod ad præfatam Resurrectionis Dominicæ noctem spectat, mane Sabbati anticipari cœperit, fateor me ignorare. Eruditus Lupus in scholio canonis LII Trullani ait Silvestrum Sguropolum, in historia Synodi Florentinæ, testari quidem, Synodi adhuc ejusdem tempore, apud Latinos Missam istam fuisse media nocte celebratam. At vero, ne dicam labi Sguropolum, non videtur saltem universalis fuisse hæc disciplina, cum constet jam ante Gulielmum Durandum, qui floruit XIII Christi sæculo, celebrari consuevisse ipsam Sabbati sancti Missam die, non autem nocte, sublatumque fuisse antiquum ritum ob scandala quæ in ipsa nocte oriri solita erant. Sic enim inquit, lib. VI *Rationalis*, cap. LXXVIII, num. III : « Sed quia » quod pro devotione fuerat institutum, in » minus honestas actiones, quibus nox facul» tatem præbet, conversum est, institutum fuit » ut Officium ipsius noctis de die celebrare» tur. » Quod non satis attenderunt, qui perperam docent Innocentii locum in Epistola ad Decentium relata in can. *Sabbato*, *De Consecratione*, distinctione III, contraria consuetu-

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1851

dine abrogatum esse, quoad publicum et solemne Officium, ut inde suo modo inferant licere Missam privatam celebrare in Sabbato sancto, quod est plane contra mentem et institutionem Ecclesiæ; ut scite docet vir clarissimus Jacobus Eveillon, *De Processionibus Ecclesiasticis*, cap. XI.

VIII. Ergo in die Parasceves et Sabbato sancto Sacrificium non celebratur ratione luctus ob crudelissimam nostri Pontificis necem, ut passim docent scriptores, qui de Officio horum dierum pertractarunt : « Hac ergo tristi die » (verba sunt Hugonis a Sancto-Victore, *Miscellaneorum* lib. V, cap. XLIII), « contristemur ad » pœnitentiam : ferrum lanceæ Dominicæ per» transeat animam nostram : clavi manuum et » pedum carnem nostram transfigant : Crux » nostram suspendat concupiscentiam : com» patiamur, ut conregnemus : hodie non sa» crificemus, dum nobis hostia de manibus » tollitur : non sacrificent amici, dum truci» dant inimici : differatur usque in diem illum » quo tantus victor resurgens suam nobis victo» riam nuntiabit : profundum interim teneamus » silentium, mœrori amicum. » Eadem plane verba legere est apud Rupertum abbatem Tuitiensem, lib. VI *De divinis Officiis*, cap. III.

IX. S. Thomas, III parte *Summæ Theologiæ* quæstione LXXXIII, articulo II, aliam tradit rationem sacræ hujus antiquæ observationis, quæ digna est ut hic describatur : « Dicendum, in» quit, quod veniente veritate cessat figura. Hoc » autem Sacramentum est figura quædam et » exemplum Dominicæ passionis. Et ideo in » die quo ipsa passio Domini recolitur, prout » realiter gesta est, non celebratur consecratio » hujus Sacramenti. Ne tamen Ecclesia ea etiam » die sit sine fructu Passionis, per hoc Sacra» mentum nobis exhibito, Corpus Christi conse» cratum in die præcedenti reservatur sumen» dum in illo die; non autem Sanguis propter » periculum, et quia Sanguis specialius est » imago Dominicæ passionis . » Ubi nota binas memorati angelici Doctoris rationes, ob quas sola Hostia, non autem Sanguis, die Cœnæ Domini consecratur in crastinum reservanda ; ut evitaretur scilicet periculum effusionis ipsius Sanguinis, *et quia Sanguis specialius est imago Dominicæ passionis*.

X. Præter hasce S. Thomæ rationes, affert et alias Hugo a S.-Victore, libro III *Eruditionis Theologiœ*, cap. XX, cur nimirum Sanguis minime reservetur in Missa diei Cœnæ Domini, ut in die Parasceves una simul cum sacra Hostia sumatur. Proposita enim sibi hac quæstione : « Quare hac die (Parasceves nimirum) non su» matur Sanguis Christi, sicut et Caro Christi, » ita statim respondet : « Ad quod dico, quod » utrumque sub utraque specie sumitur ; sed » quia species vini labilis non potest tuto reser» vari, sine ea Corpus Christi reservari con» stitutum est : vel quia Dominus in Cœna » dixit : *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* » *usque in diem illum, cum illud bibam novum* » *vobiscum in regno meo ;* Ecclesia a die Cœnæ » usque ad diem Paschæ (quæ in vespere incipit ; » unde in cerei benedictione dicitur : *Hæc nox* » *est, etc.*), de hoc genimine vitis bibere non » consuevit. Porro de Sanguine suo, quem » discipulis porrigebat, loquebatur Christus, » quem, quantum ad speciem, *genimen* appella» bat : hoc post resurrectionem in regno suo, » id est in regia claritate, bibit ipse cum disci» pulis suis ; quia in resurrectione totus Christus, » quantum ad corporalem substantiam, innova» tus est. » Græci similiter in Præsanctificatis suis sola specie panis utuntur, licet extra diem Dominicæ Passionis celebrent, ut in eorum *Euchologio* videre est. Cæterum, etsi apud Latinos passim hæc ubique praxis usu recepta esset, ex præscripto antiquorum omnium Pontificalium et codicum Sacramentorum, ut sola Hostia reservaretur, reservatus tamen aliquando videtur etiam et Sanguis, ut constat ex veteri codice *Sacramentorum* Carnotensis monasterii Sancti-Petri, annorum circiter octingentorum, qui, describens ritus diei Parasceves, post adorationem Crucis, ita inquit : « Ingrediuntur duo » Diaconi in sacrario, et procedunt cum Corpore » et Sanguine Domini, quod ante diem remansit, » et ponunt super altare, etc.

XI. Fuit hic forte ritus peculiaris Ecclesiæ Carnotensis, cum, uti dictum est, satis constet solam Hostiam reservari ubique passim locorum omnique ævo consuevisse. Putant nonnulli ritum quo hodie Eucharistia die Cœnæ Domini in crastinum asservanda, cum solemni processione in tabernaculum decenter paratum defertur, et ibidem veluti in sepulcro conditur, esse recentem, summumque Pontificem S. Pium V

Digitized by Google

Missalibus libris suo jussu editis processionem ipsam inseruisse. Sed hi profecto errant; tradit enim Romanus Amelii Ordo, qui longe ante Pium V floruit, Vesperarum tempore Hostiam in crastinum asservandam in armariolum solemniter deferendam cum cruce, cereis et incenso : « Antecedentibus luminaribus, cruce, » incenso, processionaliter portat in armario- » lum.» Quare ista processio antiquior est Pii V ævo ; præsertim cum Joannes Abrincensis, qui Christi XI sæculo floruit, in libro *De Officiis* scribat feria V Cœnæ Domini plures Hostias consecrandas esse pro Cleri et populi communione, earumque dimidiam partem reservandam in crastinum, hasque Hostias a Celebrante et Ministris cum processione, hoc est cum cereis et incenso, deferendas super quoddam altare, ubi pretiosissimis linteis obtegendæ sunt, et ante altare lampas ardenda : « Ipsæ Hostiæ a Sacer- » dote et Ministris altaris indutis, cum proces- » sione, scilicet cum cereis et incenso, super » quodam altare honorifice deportentur, ubi » nitidissimis linteaminibus optime recondan- » tur. »

XII. Explicata jam hac disciplina, occasione Hostiæ consecratæ in Missa Cœnæ Domini reservandæ pro die Parasceves, uti in hoc nostro § præscribitur, dicamus nunc aliqua de generali communione, sine Eucharistiæ sumptione, quæ in Missa ipsa Cœnæ Domini fieri ab omnibus Christi fidelibus solita erat, et quidem post peractam chrismatis benedictionem, juxta præscriptum antiquorum codicum Sacramentorum et librorum Pontificalium. Generalem hanc communionem absolute præscribunt Theodulphi Aurelianensis episcopi *Capitulare;* Valterius item in Anglia episcopus, qui sæculo X florebat; Joannes Abrincensis, scriptor sæculi XI ; aliique sequentis ævi. Unde recte miratur Martenius in opere *De antiqua Ecclesiæ Disciplina in peragendis divinis Officiis*, cap. XXII, § VI, num. X, quod in Cassinensi Ordinario, anno 1387 renovato, hæc legantur : « Feria quinta majoris » hebdomadæ, propter multitudinem pauperum » et hospitum, non communicant Canonici » neque Fratres, sed feria VI in Parasceve, et » Sabbato sancto, et Pascha fiat communio » generalis : et communio, quæ fiebat olim in » hac Cœna Domini, debet fieri in Dominica » prima Quadragesimæ. Communicet tamen » qui ex devotione voluerit. » Plerique libri recentiores, ab annis trecentis aut quadringentis scripti, hanc ad libitum etiam communionem permittunt.

XIII. Quantum ad ritus hujusce communionis, varii olim fuerunt : 1° Romanus Pontifex, qui aliis diebus pretiosum Sanguinem ex calamo haurire solebat, hac tantum die ex ipso bibebat calice, uti docet manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Apamiensis in Syria, anno 1214 exaratum. 2° Concelebrabant olim Presbyteri Missam cum Episcopo, aut Parocho, vel alio Celebrante, ab eoque Eucharistiam accipiebant. 3° Juxta præscriptum Pontificalis manuscripti Senonensis Ecclesiæ, annorum circiter sexcentorum, ponebantur in altari quatuor Hostiæ consecrandæ, quarum una Episcopus se communicabat, duasque alias post ejus communionem ab ipso accipiebant duo Canonici Presbyteri qui una cum illo concelebrabant : quarta reservabatur in crastinum, et a Pontifice in Brerium deportabatur. Testatur Grancolas *In Breviarium Romanum*, cap. LIX, etiam nunc Parisiis duos Archidiaconos ipsa die Cœnæ Domini una cum Episcopo celebrare; Carnuti vero sex adesse Archidiaconos qui Præfationem et *Pater* cum Episcopo decantant, se vertunt simul dicentes *Dominus vobiscum*, et propriis manibus se communicant sub bina specie. 4° Post sacrorum Ministrorum ac Cleri communionem, primi ante alios omnes ad sanctam synaxim accedebant reconciliati pœnitentes, ex præscripto manuscripti Pontificalis Pictaviensis, annorum circiter nongentorum. 5° Insuper hodie passim is ritus servatur, ut Presbyteri cum solo superpelliceo et stola, Clerici vero superpelliceo tantum induti, sub una tantum specie communicent.

XIV. Circa ritum Ecclesiæ Græcæ illud quidem notatu dignum occurrit, permissum iis olim fuisse ut sacram Eucharistiam hac die Cœnæ Domini accipientes ad proprias domos deferrent. Testatur id quidem Joannes Moschus, qui in suo *Prato spirituali*, cap. LXXIX, de quodam sui temporis Christiano hæc habet : « Hic » secundum morem provinciæ die sancto Cœnæ » Dominicæ sumptam communionem involvit » in linteo mundissimo, et in armario reposuit. » Floruit Moschus initio septimi sæculi, ejusque liber in septima generali Synodo citatur. Reti-

Digitized by Google

neri hactenus consuetum hunc morem a Græcis, testatur Leo Allatius in libro III *De Consensu utriusque Ecclesiæ*, cap. XVII, num. VII, his verbis : « Eo scilicet die omnes, qui tamen alia » causa præpediti non sunt, frequenti concursu, » quemadmodum die Paschatis, post Missarum » solemnia communicant. Quibus communio » interdicitur, ii cochleari ex aqua benedicta » magna benedictione festo Epiphaniæ subacta » modicum hauriunt. »

XV. Redeamus ad nostrum nunc ritum, ad illorum scilicet explicationem verborum nostræ Rubricæ, quibus edicitur ut, peracta communione, redeat ad suam Episcopus sedem cum Ministris suis et aliis assistentibus eo ordine quo præmissum est; ipsoque ibi sedente, « tunc Ar- » chidiaconus stans apud Pontificem dicat alta » voce in tono Lectionis, *Oleum ad sanctum* » *Chrisma*, et mox eadem voce in tono subjun- » gat : *Oleum catechumenorum.* » Exstat is plane ritus in manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod in Vaticana Bibliotheca asservatur; non enim in aliis legi quod Archidiaconus, peracta communione, dicat alta voce : « Oleum ad sanctum chrisma; » statimque subjungat : « Oleum catechumenorum. » Sane ex manuscripto Senonensis Ecclesiæ Pontificali, post datam a Pontifice benedictionem, de qua supra initio hujus Commentarii dictum est, Archidiaconus quidem ante majus altare dicebat ter : « Oleum ad catechumenos; » finitaque ipsius olei benedictione, iterum ter Archidiaconus ipse pronuntiabant : « Oleum cum balsa- » mo. » Sed vide quæ infra, juxta præscriptum aliorum Pontificalium librorum et codicum antiquorum Sacramentorum, dicemus.

§ XI.

Quo dicto, oblato Pontifici thuribulo, Pontifex imponit incensum, et benedicit more solito. Tum duodecim Presbyteri, septem Diaconi et septem Subdiaconi parati prædicti, et alii Ministri, quot necessarii fuerint, eo ordine quo venerunt, pergant ad sacrarium ad deferendum cum omni decore et reverentia oleum chrismale et oleum catechumenorum, Ministris tamen Pontificis cum eo remanentibus. Incedunt autem redeuntes ad chorum cum ampullis hoc ordine : primo Thuriferarius cum thuribulo fumigante, quem sequitur Subdiaconus crucem deferens medius inter duos Acolythos cum cereis ardentibus; tum duo Cantores cantantes versus *O Redemptor,* ut infra habentur; quos sequuntur bini et bini Subdiaconi et Diaconi; deinde unus Subdiaconus portans vasculum cum balsamo; tum duo Diaconi ampullas olei, ad sanctum chrisma et pro oleo catechumenorum, portantes, qui habent mappulas mundas sive vela, ad collum, quorum extremitates ante pectus descendent, tenentes ipsas ampullas sinistris brachiis circumdatas, et extremitatibus mappularum, quæ a dextris dependent, involutas et coopertas, ita tamen ut a medio supra videri possint. Diaconus autem, qui oleum ad sanctum chrisma portat, a dextris vadit; hos sequuntur duodecim Sacerdotes, Diaconi et Subdiaconi prædicti, bini et bini. Quibus sic a sacristia versus Pontificem procedentibus, duo Cantores prædicti cantant versus sequentes toni II : *O Redemptor, sume carmen temet concinentium.* Et Chorus idem replicat. Deinde dicti duo Cantores prosequuntur sequentes versus : *Audi, Judex mortuorum, una spes mortalium, audi voces præferentium donum pacis prævium.* Chorus repetit versum : *O Redemptor.* Deinde dicti duo Cantores prosequuntur versus : *Arbor fœta alma luce hoc sacrandum protulit : fert hoc prona præsens turba Salvatori sæculi.* Chorus repetit versum *O Redemptor.* Tum illi duo Cantores prosequuntur versum : *Stans ad*

Digitized by Google

aram, imo supplex infulatus Pontifex, debitum persolvit omne, consecrato chrismate. Chorus repetit versum *O Redemptor.* Deinde illi duo Cantores prosequuntur versum : *Consecrare tu dignare, Rex perennis patriæ, hoc olivum signum vivum, jura contra dæmonum.* Chorus repetit versum *O Redemptor.*

COMMENTARIUS.

I. In sacrorum benedictione oleorum, celeberrima præ cæteris fuit processio qua, oleo infirmorum antea benedicto, ampullæ olei chrismalis oleique catechumenorum una cum balsamo e secretario, seu sacristia, ad altare deferuntur. Est enim ejus ordo ac forma plane singularis, quem ita describit in primis vetus Ordo Romanus : « Exspectante vero in sede sua Pontifice, veniunt ad sacrarium duodecim Presbyteri, et cæteri Clerici, quantum opus sit, ad deferendum cum omni decore oleum chrismale et etiam oleum catechumenorum et neophytorum usque in ecclesiam ante Episcopum. Sint etiam parati iidem Presbyteri, et cum eis cæteri Clerici, casulis et solemnibus vestimentis. Tunc duo Acolythi, accipientes illas duas ampullas quæ ad chrisma et ad oleum catechumenorum consecrari debent, involutas cum sindonibus de albo serico, ita ut videri possint a medio, teneant in brachio sinistro, projectis sindonibus supra scapulam sinistram, ita ut pertingant ad scapulam dextram, quatenus possint dependentia retineri, et procedant. Et ordinent se illi Presbyteri et prædicti Clerici rite et ordinabiliter, ita ut primum ambulent duo Acolythi cum candelabris et ardentibus cereis. Deinde portentur duæ cruces, et inter illas medium chrismale oleum. Post eas portentur duo thuribula cum incenso; et inter illa, sicut prædiximus, medium oleum catechumenorum. Deinde portetur Evangelium, ut impleatur omne bonum. Postea sequantur bini et bini illi duodecim Presbyteri, testes et cooperatores ejusdem sacrosancti chrismalis mysterii. Tunc vero subsequantur pueri in laudem ejusdem mysterii concinentes hos versus : « Audi, Judex mor» tuorum, una spes mortalium, etc. »

II. Eadem et totidem quidem pene verbis, quæ hactenus ex Ordine antiquo Romano descripta sunt, habentur etiam in aliis manuscriptis Pontificalibus libris, non modo recentioribus, sed et vetustis, quales sunt Bisuntinus, septingentis circiter abhinc annis scriptus, Bellovacensis monasterii Sancti-Luciani, annorum circiter octingentorum, et alii, quos tædiosum esset hic recensere. Observandum est quidem in hac processione ritum esse ipsum publicæ oblationis, qua Sacerdotes et Ministri Ecclesiæ nomine populi Christiani offerunt Pontifici oleum ad benedictionem et consecrationem, juxta illud *Exodi* XXVII : *Præcipe filiis Israel, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum.* Sic enim interpretatur Amalarius libro I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XII, ubi ait in *Sacramentario* ita scribi : « Antequam » dicatur : *Per quem hæc omnia, Domine, sem-* » *per bona creas,* levantur de ampullis, quas » offerunt populi, etc. » Quod idem habetur in Ordine antiquo Romano : « Tunc offeratur » Pontifici oleum de ampullis, quas offerunt » populi. » Sed de hac re dictum est alibi : unum hic ego addiderim, hanc populorum oblationem non semel fuisse ab Episcopis redactam in durissimam oblationem, adeo ut pretium pro sacris oleis exigere ipsi non erubescerent, uti constat ex plurimis Conciliis, quæ hujusmodi improbam exactionem proscribunt. Vide eruditissimum Lupum, tomo IV, in secunda proœmiali Dissertatione, cap. VII, ubi agit de simoniæ crimine et variis ad ipsum spectantibus.

III. Observandum est secundo proferri oleum e secretario, seu sacristia, juxta antiquissimum Ecclesiæ morem, quo, ut scite observavit cardinalis Baronius, oblationes fidelium in secretario primum deponebantur, ut ibi inspicerentur et examinarentur, an admittendæ et ad altare deferendæ, an repudiandæ essent. Unde auctor *Apostolicarum Constitutionum*, quæ S. Clementi Papæ vulgo tribuuntur, lib. IV, cap. VI : « Oportet, inquit, ut sciat Episcopus a » quibus accipere oblationes debeat, et a quibus » accipere non debeat. » Neque enim hæreticorum oblationes accipi fas erat, neque eorum

Digitized by Google

qui odiis inter se dissiderent, aut qui pauperes opprimerent, vel qui de alieno raperent, seu qui immunitatem Ecclesiæ violarent. His adde quod, cum non ex omni rerum genere offerri liceret ad altare, oportebat idcirco rerum offerendarum delectum prius haberi. Agit de hac re fuse æque ac eleganter vir clarissimus Franciscus Berlendus, inclyti Ordinis Clericorum Regularium, in aureo opusculo italice scripto *De Oblationibus ad altare*. Cæterum apud Græcos, teste eruditissimo Goar, hodieque id observatur, ut oblatio panis in Missa consecrandi fiat in secretario, priusquam in mensam propositionis inferatur; estque Græcorum antiquus ritus, cum de eodem loquatur S. Germanus Constantinopolitanus episcopus in *Theoria rerum Ecclesiasticarum*, qui obiit nonagenarius anno Christi 730.

IV. Illud tertio observandum est, pertinere quidem ad sanctitatem mysterii quod celebratur, ut materia illius, oleorum scilicet et balsami, reverenter et « cum omni decore, » ut vetus Ordo Romanus et antiqui manuscripti libri Pontificales loquuntur, in hujusmodi processione ad altare ante Episcopum deportetur. Sic hodieque apud Græcos quidem non sine pompa et apparatu defertur unguentum quod et in Cœna Domini consecrari solet. Primum enim, quia in magna Feria quinta (ita diem Cœnæ Domini appellant) propter jejunium et tempus Quadragesimæ celebratur Missa Præsanctificatorum, sanctissimi Sacramenti processionem instituunt; quam quidem cum magno apparatu præcedit is qui magnus Sacerdos vocatur, unguentum illud in vasculo gestans. Audiamus *Euchologium*, ubi de sancti unguenti Officio agit apud eruditissimum Jacobum Goar eximium Ordinis Prædicatorum scriptorem : « Sancta et » magna Feria quinta, hymni cherubici vice » dicimus : *Cœnæ tuæ mysticæ :* cum videlicet » a propositionis mensa ad medium altare » mysteria sacra deportantur. Defert autem » Archipresbyter, sacra mysteria præcedens, » unguentum in alabastro calicis velo tectum; » subsequentibus retro hinc et inde Diaconis, » flabellorum paria septem deferentibus; præ» cedentibus autem domestico, et Diaconis aliis » cum cereis accensis, et ad sacras fores cunctis » adventantibus. Duo quidem flabella, pro more » recepto, intus sacrum tribunal penetrant; alia » vero a sacris foribus usque ad altare stant » hinc et inde combinata. Archipresbyter au» tem, unguentum deferens, Patriarcham præ» stolatur ad sacras fores. Et occurrens Patriar» cha recipit ab eo alabastrum, et in sacræ » mensæ sinistro latere, infra secundum cali» cem, deponit. Atque ita de reliquo sancta » ingrediuntur suo ordine. » Vide in Appendice hunc Ordinem.

V. Dignum quarto observatu est, non modo apud Latinos, sed et apud Græcos, in processione in qua deferebantur ampullæ olei, sive unguenti, fuisse ipsas velo tectas, et ita quidem apud Latinos, ut videri possent. Quem ritum fuse enarrat Amalarius lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, capite XII : « Ampulla cum chrismate » quodammodo corpus Domini ex Virgine » Maria assumptum significat; quod antequam » transiret ad altare crucis, aliquo tempore » coopertum erat, et aliquo nudum. Primævo » tempore coopertum erat, quando ita fugit in » Ægyptum regem Herodem, quasi non esset » Rex regum et Dominus dominantium : » quando ita portatus est ad templum, quasi » non esset Omnipotens, etc. » Explicat ritum velandi vasculum unguenti, aliasque cæremonias Græcorum processionis Simeon Thessalonicensis sic inquiens : « Ante unguentum vero, » et a lateribus ejus, et retro Diaconi sex, » duodecim alas, ut magnus inquit Dionysius, » id est flabella, tenentes adstant. Angelicas » autem sacras Virtutes, et intellectualem in» corporeamque eorum naturam significant : » Seraphim siquidem et Cherubim Prophetis » sub alarum symbolo manifestata sunt : ac » velut illa, dum gratiam accipiunt, se contra» hunt; hoc et nos præstare debemus. » Et post quædam de aligeris Angelorum figuris, deque duorum Seraphinorum aliis senariis arcam obvelantibus, ita subdit : « Duodecim etiam alæ » propter Apostolos a principio Spiritus gratia » perfectos adhibentur; et propter duas Cheru» binorum figuras tabernaculo adstantes, quo» rum alæ duodenarium numerum complebant: » Sex etenim alæ uni, et sex alæ alteri. » Cur tandem in ipsa Græcorum processione unguentum Eucharistiam præcedat, exponit laudatus Simeon, quia scilicet prius unguento ungimur, et deinde Mysteriorum participes efficimur; et altare unguento prius sanctificatur, quam in eo

Digitized by Google

Sacrificii opus peragatur; sanctificari etenim primo nos convenit, et deinde ad sancta suscipienda progredi.

VI. Illud quinto observandum est, præter Presbyteros, Diaconos ac cæteros Clericos de quorum numero alibi locuti sumus, pueros quoque aliosque Cantores fuisse in parte hujus processionis, qui hymnum Christo canentes ei ipsam oblationem commendabant; erantque vice Levitarum atque Cantorum, qui, uti habetur in libro II *Paralipomenon* et in libro *Ecclesiastici*, cap. L, *cum offerrentur holocausta, omni turba adorante, erant in officio suo, canentes laudes Domino, donec compleretur oblatio.* Porro hymni hujus mentionem faciunt passim manuscripti codices antiqui Ponticales, estque is in Ordine antiquo Romano longe prolixior; post versus enim in hoc § nostro descriptos et hi alii sequuntur : « Ut notetur sexus omnis unctione chrismatis, etc. » Qui versus infra alio loco a nostro hodierno Romano Pontificali referuntur.

[Mirari licet qui fiat ut doctissimus Catalanus, alioquin circa scriptorum dotes ingeniumque tam studiosus, de quibus sane enucleatam ratamque plerumque dat sententiam, auctoris Hymni *O Redemptor* nomen ne designet quidem, altumque silentium servet de horum carminum eximia venustate, suavitate atque concinnitate. Fortasse fiduciam, haud immerito, reponebat in lectorum eruditione, quorum revera neminem latet Hymnum *in laudem chrismatis* confectum fuisse a S. Venantio Fortunato, Pictaviensi episcopo (Cs. *Opp.* p. 48, Romæ edit. anno 1786, a M. A. Luchi, monacho Bened. Cassin). Norunt insuper sanctam Romanam Ecclesiam morem illud carmen concinendi in consecratione olei et chrismatis, sumpsisse ab Ecclesiis Galliæ.]

§ XII.

Iis igitur ordine præmisso, in presbyterium ecclesiæ, cantando versus præmissos, provenientibus, crux cum candelabris et incenso situatur prope altare juxta cornu Epistolæ. Archidiaconus, Diaconus et Subdiaconus ministrantes sint circa Pontificem hinc et inde. Sacerdotes vero duodecim parati juxta eos duo cornua faciunt, sex hinc, et sex illinc, vertentes faciem ad altare, a lateribus assistentes Pontifici tanquam ejus testes et Ministri sacri chrismatis cooperatores. Diaconi vero post tergum Pontificis, et post eos Subdiaconi parati stant, tanquam ministri et inspectores. Interim Diaconi ampullas olei chrismalis et olei catechumenorum portantes, et Subdiaconus cum balsamo subsistunt, quousque omnes prædicti in suis locis fuerint ordinati. Omnibus itaque dispositis, Diaconus, ampullam olei chrismalis ferens, venit ante Pontificem, et Archidiaconus illam involutam cum mappula, quam Diaconus ipse circa collum portavit, de manu ejus accipiens, eam sic involutam ostendit Pontifici sedenti, et illam super mensam ante Episcopum positam collocat diligenter, alio Diacono ampullam aliam assidue inter brachia tenente. Tunc Subdiaconus vasculum cum balsamo portans illud tradit Archidiacono, qui balsamum Pontifici similiter ostendens, ipsam supra mensam collocat.

COMMENTARIUS.

I. Summa cum solemnitate ampullam chrismatis consecrandi deferri olim ad Episcopum consecratorem consuevisse, testantur pene omnes manuscripti libri Pontificales. Tradit Durandus lib. VI *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. LXXIV, num. XVII, servatum hunc a nonnullis Ecclesiis suo tempore fuisse ordinem ut ferretur ampulla cooperta sindone alba, eamque lumen præcederet, ac duo Sacerdotes, unus cum thuribulo, alter cum cruce, et in medio eorum Diaconus cum libro Evangelii, super capita autem singulorum mappula seu pallium, et duo cantando antecederent. Longum esset variarum Ecclesiarum ritus eorumque mysteria des

Digitized by Google

cribere, de quibus videri potest Amalarius; Rupertus abbas Tuitiensis, et memoratus Durandus.

II. Quod nostrum hunc spectat §, varius fuit tradendi memoratam ampullam Pontifici. Præscribit quidem vetus Ordo Romanus, aliique non pauci manuscripti libri Pontificales ut, veniente processione in chorum, versibus Hymni in § et Commentario superiori descriptis, ordinent interea se Lectores, Ostiarii, Acolythi et Subdiaconi, et stent in ordine suo secundum eos gradus ubi ascenditur ad altare, ita tamen ut Subdiaconus sit sextus in eminentiori loco, et juxta eum Archidiaconus, involutam ampullam commixtam ita suscipientes, ut gradatim ascendat; dum autem ad ipsum Archidiaconum pervenerit, perferat eam ille ita involutam cum sindone ante Pontificem; interim vero unus e Subdiaconis vasculum cum balsamo alii Diacono porrigat, Diaconus vero Pontifici ante altare.

III. His ita peractis, pergit vetus Ordo Romanus, et mandat ut tunc ordinentur circa Episcopum hinc et inde eadem candelabra, et cruces, et thuribula, atque Evangelium, necnon et prædicti duodecim Presbyteri, testes et adjutores ejusdem mysterii, ita ut Diaconi post dorsum Episcopi stent, Presbyteri vero a dextris et a sinistris, cruces vero et cætera utrinque inter illos media. Quibus ita dispositis, ex præscripto ejusdem Romani Ordinis convertebat se Episcopus ad Clerum atque ad populum, faciebatque ipse sermonem de confectione chrismatis congruentem; vel alteri hanc provinciam demandabat. Eadem fere quæ huc usque descripsimus legere est in aliis manuscriptis Pontificalibus, præsertim in manuscripto Pontificali codice insignis ecclesiæ Conchensis in Hispania, annorum circiter sexcentorum, in quo ritus ita refertur: « Interea, » (id est, postquam pervenit processio ad altare, hymnusque *Audi judex, etc.* decantatus est) « sint parati ad gradus altaris » Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, qui gradatim suscipiant a convenientibus ampullas hoc modo. Primum » ampulla detur Ostiario, qui dabit Lectori, » Lector Exorcistæ, Exorcista Acolytho, Acolythus Subdiacono, Subdiaconus Archidiacono, Archidiaconus Episcopo stanti ad » altare; Episcopus vero ponat super altare. » Similiter aliæ ampullæ gradatim ascendant. » Addit et alia quæ ex Romano antiquo Ordine audivimus, ac tandem mandat ut, « his ita » statutis, faciat Episcopus sermonem ad populum competentem ipsi solemnitati, aut alius, » cui ipse præceperit. »

IV. Satis equidem mirari nequeo cur nulla de hujusmodi sermone habendo mentio fiat in hac nostra Romani hodierni Pontificalis Rubrica; cum cæteroqui præscriptum legamus hunc ritum in manuscripto codice Fulconis episcopi Andegavensis, ante annos quingentos exarato; in manuscripto Pontificalis ecclesiæ Arelatensis, annorum quingentorum; et, ut alia omittam, in manuscripto Pontificali insignis ecclesiæ Bellovacensis, annorum circiter octingentorum, in quo etiam sermo generalis describitur in confectione chrismatis ab Episcopo ad Clerum et ad populum fieri solitus, sive ab alio cui ipse hanc provinciam imponebat. Refert hunc sermonem, una cum ipso ordine Pontificali Bellovacensi agente de die Cœnæ Domini, vir clarissimus Edmundus Martenius, in opere *De antiqua Ecclesiæ Disciplina in divinis celebrandis Officiis*, cap. XXII, post § VIII, pag. 311 et seqq. Cæterum, ut aliqua de ritu Græcorum dicamus, constat ex *Euchologio*, quod, ubi Archipresbyter alabastrum unguenti deferens ad sanctuarii fores perveniebat, Patriarcham ibidem præstolabatur; occurrens autem ille recipiebat ab eo alabastrum, et in sacræ mensæ sinistro latere infra secundum calicem deponebat. Ubi obiter nota 1° plures calices, urgente solemnitatis necessitate, consecrari etiamnum hodie ab orientali Ecclesia: quem pariter usum familiarem habuit olim Latina Ecclesia, uti fuse ostendimus nos tomo II hujus operis, titulo IX, num. II et pluribus sequentibus. Notandum 2° et illud est, vasculum unguenti poni ac benedici super altare.

§ XIII.

Tum Pontifex, deposita mitra, surgit, et versus ad altare, habens ante se super mensam ampullam olei chrismalis, et balsamum, ante omnia benedicit ipsum balsamum, dicens: ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Digitized by Google

OREMUS.

Deus, mysteriorum cœlestium et virtutum omnium præparator, nostras, quæsumus, preces exaudi, hanc odoriferam sicci corticis lacrymam, quæ felicis virgæ profundendo sudorem, Sacerdotali nos opimat unguento, acceptabilem tuis præsta mysteriis, et concessa benedictione sancti✠fica. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Creaturarum omnium, Domine, procreator, qui per Moysen famulum tuum permixtis herbis aromatum fieri præcepisti sanctificationem unguenti : clementiam tuam suppliciter deposcimus, ut huic unguento, quod radix produxit stirpea, spiritualem gratiam largiendo, plenitudinem sancti✠ficationis infundas. Sit nobis, Domine, fidei hilaritate conditum : sit Sacerdotalis unguenti chrisma perpetuum : sit ad cœlestis vexilli impressionem dignissimum; ut quicumque Baptismate sacro renati isto fuerint liquore peruncti, corporum atque animarum benedictionem plenissimam consequantur, et beatæ fidei collato munere perenniter amplientur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Finito sermone, quem ex præscripto antiqui Romani Ordinis, et variorum Pontificalium, post delatas solemni cum pompa ampullas e secretario ad Episcopum, habebat is ad Clerum atque ad populum, consecrationi chrismatis congruentem, cautum est quidem ex ipso antiquo Romano Ordine, aliisque plurimis Pontificalibus libris, ut Episcopus « tunc con- » vertat se ad Orientem, et intret in consecra- » tionem principalis chrismatis, Archidiacono » tenente ante ipsum ampullam in sinistro » brachio involutam in sindone, ut supra dixi- » mus, et primo misceat balsamum cum oleo. » Sequitur benedictio in commixtione olei et balsami : *Oremus Dominum Deum nostrum omnipotentem, etc.*, ut in § sequenti juxta ritum hodierni Romani Pontificalis. Desunt itaque in memorato Ordine antiquo Romano descriptæ binæ Orationes, quibus Episcopus *ante omnia* benedicit ipsum balsamum. Exstant vero in manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Conchensis, in Hispania, annorum circiter sexcentorum, et in aliis; quanquam juxta ritum manuscripti Pontificalis Ecclesiæ Senonensis in Galliis, ejusdem ævi, prius fiebat exorcismus olei catechumenorum, quam benedictio balsami ejusque commixtio.

§ XIV.

Deinde accepta mitra stans adhuc Pontifex miscet super patenam, vel in aliquo parvo vasculo, balsamum cum modico olei de ampulla chrismali sumpti, dicens : *Oremus Dominum Deum nostrum omnipotentem, qui incomprehensibilem unigeniti Filii sui sibique coæterni divinitatem mirabili dispositione veræ humanitati inseparabiliter conjunxit, et, cooperante gratia Spiritus sancti, oleo exsultationis præ*

Digitized by Google

participibus suis linivit, ut homo fraude diaboli perditus, gemina et singulari constans materia, perenni redderetur, de qua exciderat, hæreditati; quatenus hos ex diversis creaturarum speciebus liquores creatos sanctæ Trinitatis perfectione bene✠dicat, et benedicendo sancti✠ficet; concedatque ut simul permixti unum fiant, et quicumque exterius inde perunctus fuerit, interius liniatur, quod omnibus sordibus corporalis materiæ carens, se participem regni cœlestis effici gratuletur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium suum, qui cum eo vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Apud Latinos ex oleo quidem et balsamo chrisma confici, docent passim antiqui Sacramentorum codices, manuscripti prisci libri Pontificales, et scriptores Ecclesiastici passim. Meminit ejus disciplinæ Beda Venerabilis in Canticorum caput I ita scribens : « In vineis » Engaddi balsamum gignitur, quod in chri- » smatis confectione, liquori olivæ admisceri, » ac Pontificali benedictione consecrari solet, » quatenus fideles omnes cum impositione » manus Sacerdotalis, qua Spiritus sanctus » accipitur, hac unctione signentur. » Ex quibus patet, temere Græcos Latinis sæculo nono objecisse quod ex aqua fluminis chrisma conficerent : quam quidem calumniam Latinis impactam confutavit Nicolaus Papa I, in Epistola LXX, ad Episcopos Galliæ. Sane error Armeniorum fuit, qui, ut ait S. Gregorius VII, lib. VIII, epistola I, ad Archiepiscopum Synnadensem, « non ex balsamo sanctum chrisma, « sed ex butyro conficiebant. » Errorem corrigi Pontifex mandat; at dudum non fuisse correctum constat ex celebri Joannis Chernacensis, ordinis Prædicatorum, Epistola ad Fratres Orthodoxos de erroribus suæ gentis, quæ exstat apud Clementem Galanum, ubi ait non habere Armenios sacramenta Confirmationis et Extremæ Unctionis; nempe quod neque balsami neque legitimi olei haberent copiam, utrumque hoc Sacramentum expunxerunt.

II. Sunt qui contendunt usum admiscendi oleo balsamum pro faciendo chrismate post sæculum Christi sextum obtinuisse, tum quod Latini auctores, qui ante sæculum sextum scripserunt, admixtionis de qua agitur, nullam faciant mentionem; tum etiam quia SS. Apostoli eorumque successores pauperes erant, paupertatemque profitebantur; adeoque balsamum, quod est pretiosissimi liquoris genus, habere minime poterant, ad consignandos omnes fideles, præsertim cum in Actis Apostolorum legamus, uno die tria millia, et alio quatuor millia hominum, et Philippo evangelizante totam Samaritanorum civitatem credidisse, quibus omnibus post baptismum Apostoli manus imposuerunt.

III. Sed hoc argumentum ex Actis Apostolorum petitum parum concludit. Cum enim ea quæ ad ritus Sacramentorum pertinent, secretissima haberentur, ac fere sola voce quasi per manus traderentur, facile responderi potest, S. Lucam, Actorum Apostolorum auctorem, neque elementum neque verbum hujus Sacramenti scripto prodere voluisse, ideoque usum fuisse solo vocabulo manus impositionis, quæ generalis quædam cæremonia est, varie adhiberi solita, quemadmodum ex compluribus Scripturæ locis manifestum est. Quo fit ut non solum sacramentum Confirmationis significet, sed et sacramentum Ordinationis et Reconciliationis, et interdum alios hujusmodi actus solemnes, ut patet perlegenti veterum scripta. Sed neque dici potest pauperes adeo fuisse Apostolos, ut non possent sibi emere aliquas guttas balsami ad chrisma conficiendum; cum liquido constet ex ipsis Apostolorum Actis, c. IV, consuevisse priscos fideles agros ac domos suas vendere, eorumque pretia ante pedes Apostolorum ponere.

IV. Quod autem nulla chrismatis mentio apud antiquos Ecclesiæ Patres habeatur, id quidem falsum videtur. Luculentum etenim S. Cyrilli Hierosolymitani de ea re testimonium esse autumo, qui in sua *Catechesi* III *Mystagogica*,

Digitized by Google

ita quidem scribit : « Nobis, postquam ex aquis » sacri lavacri ascendimus, datum est chrisma, » quod imaginem gerit illius quo unctus est » Christus. De quo et beatus Isaias in sua pro- » phetia ex persona Christi locutus est : *Spiri- » tus Domini super me, quapropter unxit » me, etc.* » Et non multo post addit, unguentum illud non esse « unguentum nudum, ne- » que commune, sed charisma Christi, quod » adventu Spiritus sancti, per ipsius divinitatem » energiam habet. » Cui adde aliud celebre testimonium S. Dionysii Areopagitæ, vel saltem vetustissimi auctoris libri *De Ecclesiastica Hierarchia,* qui, cap. IV, hæc habet : « Sic ergo » statuimus unguenti (confirmatorii) confectio- » nem concretionem esse quamdam rerum » bene olentium, quæ in se magnam vim et » copiam fragrantium qualitatum contineat, » cujus qui facti sunt participes, odorem bo- » num per se afflant pro portione fragrantis » communionis, quæ in eis inest. »

V. Afferri et alia possent aliorum SS. Patrum loca, quibus paginas opplere esset omnino supervacaneum. Eo autem consilio bina ex duobus priscis Græcis Patribus attulimus testimonia, ut refellere eisdem valeas opinionem Juenini, qui in opere *De Sacramentis*, dissertatione III, quæstione II, cap. IV, articulo II, non contentus asseruisse nullum apud Latinos auctores qui ante sæculum VI scripserunt, admixtionis de qua agitur, balsami nempe cum oleo, vestigium reperiri, ulterius etiam progrediens, scriptum reliquit, illam Latinorum praxim de immiscendo balsamo cum oleo Græcos postea imitatos esse, eamque in sua *Euchologia*, prout nunc in eis legitur, retulisse. Verum ipse est Juninus, qui in citato loco, articulo I, ut ostendat, præter oleum et balsamum, ex aliis aromatum speciebus chrisma confirmatorium apud Orientales componi, descripto a nobis superius Dionysii loco utitur. Licet autem nonnulli rigidissimi librorum et scriptorum antiquorum censores, libros qui nomine sancti Dionysii circumferuntur, non esse genuinum Dionysii Areopagitæ fœtum dicant, neminem tamen ex illis invenies qui auctorem illum, quicumque is sit, post sæculum VI rejiciat.

VI. Est nunc et hic alia breviter celebris quæstio examinanda, utrum ad Sacramentum chrismatis conficiendum, admixtio balsami oleo sit necessaria. Docent plerique non contemnendi auctores, hujusmodi admixtionem non esse nisi de necessitate præcepti solum ecclesiastici, non vero divini; probantque ex eo quod Innocentius III, rogatus an iteranda esset Confirmatio cujusdam hominis, qui per errorem oleo simplici in fronte fuerat obsignatus, ita respondit : « In talibus non est aliquid iteran- » dum, sed caute supplendum quod incaute » fuerat omissum. » Exstat hæc Innocentii responsio in cap. *Pastoralis* I, *De Sacramentis non iterandis :* eamque ponderans Estius, in libri IV distinctionem septimam § VIII, id quidem infert, Innocentium responsurum fuisse affirmative, et expresse iteratum debuisse Sacramentum, si illud in casu de quo agebatur, nullum ac irritum credidisset; quemadmodum absolute ac simpliciter dicimus iterandum esse Baptisma quod absque debita forma ac requisita materia collatum fuerit.

VII. Juxta hanc non improbabilem opinionem, ad ea quæ in contrarium objiciuntur facile respondetur, requiri quidem balsamum, ut necessarium necessitate præcepti, atque etiam institutionis Christi, ut aliqui docent, non autem necessitate Sacramenti. Quod eo quidem modo intelligendum est, quo S. Cyprianus, in Epistola LXVIII, ad Cæcilium scribens de Sacramento Dominici calicis, aquam ex ejusdem Christi institutione docet esse necessario miscendam vino in calice, quæ tamen si omittatur, constabit nihilominus substantia Sacramenti, ut omnes theologi docent. Ad id tandem quod ex ratione materiæ objicitur, theologi quibus persuasum est manuum impositionem esse adæquatam Confirmationis essentialem materiam, consequenter docent balsami cum olei admixtionem necessitate Sacramenti non requiri. Cæterum cum nostrum sit præcipuum institutum potius de ritibus quam de re theologica disserere, quæ hactenus diximus sat esse arbitror : videri tamen potest eruditissimus Lupus, tomo III, in dissertatione de VIII Synodo generali, pag. 345, ubi contra Morinum defendit chrisma esse omnino necessarium Christianæ confirmationis elementum a Christo Domino institutum.

VIII. Ergo, ut rem nostram agamus, si quispiam quærat quodnam balsamum pro confectione chrismatis requiratur : respondebo cum eruditissimo Sambovio, balsamum sive Judai-

Digitized by Google

cum, sive Indicum perinde esse. Soli quidem Judææ olim concessam balsami arbusculam putavit Plinius, lib. XII *Naturalis Historiæ*, cap. XXV, nec nisi in duobus illius terræ hortis balsamum reperiri scripsit. Verum in Indiis utrisque repertæ sunt postea arbusculæ, ex quibus quod exsudat asportatur ad nostras regiones; imo et apud nos quædam invisuntur arbusculæ basalmi ex Indiis ipsis delatæ : sicque parum refert, si pro confectione chrismatis balsamum Judaicum sit, vel Indicum, sive Europæanum. Si quis vero scire desideret quantum balsami in ipso oleo misceretur, ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Moguntinæ, annorum circiter quingentorum, addiscere poterit; præscribit siquidem ut « Episcopus, conversus ad » altare, vertens se ad Orientem, unam mode- » ratam particulam balsami, videlicet unam » guttam vel duas ad plus, ponat in ipsum » oleum chrismale, et dicat expressa voce : » Hæc commixtio liquorum fiat omnibus per- » unctis propitiatio, et custodia salutaris in » sæcula sæculorum. Amen. » Ex antiquo Suessionensis ecclesiæ Rituali, tempore Nivelonis II episcopi exarato, atque ex aliis quibusdam Pontificalibus libris, ubi Episcopus balsamum cum oleo miscebat, excelsa voce Hymnum incipiebat, *Veni, creator Spiritus, etc.*

IX. Etsi autem hæc commixtio ex præscripto plurimorum Pontificalium ab Episcopo super altare, vel supra mensam prope ipsum altare, juxta ritum nostri hodierni Romani Pontificalis peragatur, ex *Sacramentario* nihilominus S. Gregorii Papæ, et ex quibusdam manuscriptis antiquis Pontificalibus ante Missam fieri ab Episcopo debuit : « Hora tertia ingressi sacra- » rium induunt dalmaticas, tam Pontifex quam » omnes Diaconi, vel omnia ornamenta, sedente » Pontifice in sella sua : et præparentur am- » pullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur » Pontifici, ut accepto balsamo et commiscitato » cum oleo, manu sua impleat eam. » Verba sunt memorati libri *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, ubi agit de feria V in Cœna Domini. Porro post Præfationem, sive post Communionem, solemni Ministrorum ac rituum apparatu a sacrario consecrandum oleum illud mistum cum balsamo ad altare deferebatur. Certe Græci suum chrisma paucis ante Cœnam Domini diebus præparant, illudque conficiunt ex oleo, balsamo, aliisque herbis odoriferis, uti in *Euchologio* videre est egregiis notis a viro clarissimo Jacobo Goar illustrato.

X. Quod tandem apud Latinos « Pontifex » miscet super patenam, vel in aliquo vasculo, » balsamum cum modico olei de ampullâ chri- » smali sumpti, » edicit quidem Pontificale Senonensis Ecclesiæ, annorum circiter sexcentorum, et alia nonnulla, ex quorum etiam præscripto solus Episcopus miscet balsamum, et in ipsa commixtione dicit Orationem in § nostro descriptam, quam legere est in antiquo Romano Ordine, licet in quibusdam manuscriptis Pontificalibus desideretur. Cæterum tradit Amalarius, libro I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XII, odorem balsami in oleo opinionem bonarum virtutum late dispersam, operante gratia Spiritus sancti, demonstrare; addi autem oleo balsamum, quia nitet in vultu Christi cœlestis splendor. Idem docet Durandus, lib. VI *Rationalis divinorum Officiorum*, cap. LXXIV, num. X, ubi etiam ita inquit : « Sciendum est quod » chrisma conficitur ex balsamo et oleo propter » mysticam rationem, quoniam per oleum nitor » conscientiæ designatur, juxta illud Evangelii : » *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis* » *suis cum lampadibus, etc.* Per balsamum vero » exprimitur odor famæ, per quod in libro » Sapientiæ dicitur : *Sicut balsamus aromati-* » *zans dedi odorem.* Oleo ergo, quod lucet, » additur balsamum, quia, fide operante, per » dilectionem lucere, et bona fama redolere, ad » honorem Dei et ad utilitatem proximi debe- » mus. » Ita ille, qui exscripsisse videtur mysticas rationes quas affert Innocentius III Pontifex Maximus in laudato cap. I *De sacra Unctione.*

§ XV.

Quo facto, sedet Pontifex retenta mitra, et halat plane tertio in modum crucis super os ampullæ chrismalis involutæ, ante se super mensam stantis. Deinde duodecim Sacerdotes parati, qui juxta eum sunt, ordinatam facientes reverentiam

Digitized by Google

Sacramento in altari posito, et Pontifici, ad mensam prædictam accedunt, et stantes ante eam singuli successive, eodem modo ut Pontifex fecerat, in modum crucis super os ampullæ prædictæ halant. Tum reverentiam ut supra facientes, ad loca sua revertuntur.

COMMENTARIUS.

I. Præscribit in suo *Sacramentorum* libro sanctus Gregorius ut, delata e sacrario olei ampulla commixta cum balsamo ab Acolythis, ab iisque Subdiacono tradita, et a Subdiacono alii Ministro, qui erat Archidiaconus, quique illam deferebat Pontifici ante sedem, « tunc » Pontifex stans in sede, et respiciens ad Orien- » tem, Archidiacono tenente ante ipsum am- » pullam in sinistro brachio revoluta sindone... » halet in ipsa ampulla. » Ubi nota 1° ritum esse antiquum ut Episcopus halet super ampullam chrismatis; 2° nullam hic fieri mentionem halandi ter et in modum crucis; 3° altum hic haberi silentium de Presbyteris, qui alias, ex præscripto plurimorum Pontificalium, eodem modo ut Pontifex fecerat, halant et ipsi ter in modum crucis super ipsam ampullam. Ex præscripto manuscripti Pontificalis Ecclesiæ Conchensis in Hispania, annorum circiter sexcentorum, « suspenso balsamo convertit Epi- » scopus intentionem ad oleum chrismale, et » halat prius solus ter super illo in modum » crucis, exorcizantibus similiter remissius Sa- » cerdotibus. » Alludit ad exorcismum in § sequenti descriptum, quem Sacerdotes submissiori voce dicere debebant. Juxta antiquum Romanum Ordinem solus Pontifex « halat ter » super ipsam ampullam, et dicit lenta voce » exorcismum chrismalis olei. » Verum jam dixi debere Presbyteros, ex aliis manuscriptis Pontificalibus, eamdem actionem facere in modum crucis. Servabatur autem alicubi hic ritus postquam Episcopus liquores commiscuit, dixitque illam verborum formulam, « Hæc com- » mixtio liquorum fiat, etc., » de qua infra, juxta nostri Romani Pontificalis ordinem. Ex manuscripto quidem Pontificali Ecclesiæ Moguntinæ cautum fuit ut post ipsa verba, et post factam commixtionem, « halet ter Episcopus » insuper ipsam ampullam, et postea deferatur » per Capellanum Episcopi per circuitum illo- » rum duodecim Presbyterorum, et quilibet » Presbyterorum etiam ter halet super ipsam » ampullam. »

II. Signum crucis ter factum potius manu quam halando super ampullam, innuere videtur manuscriptus codex insignis Ecclesiæ Ebroicensis, annorum circiter nongentorum, ubi ita inquit : « Faciat super eam ter signum crucis, » suffletque in ea. » Fuit sane antiquus Ecclesiæ ritus ut signum crucis super oleum et balsamum consecrandum efformaretur; testantur id enim antiqui Ecclesiæ Patres, inter quos hæc habet Augustinus, tractatu LXXXVIII, in Joannem : « Quod (id est signum crucis) nisi adhi- » beatur sive frontibus credentium, sive ipsi » aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo » chrismate unguntur, sive sacrificio quo » aluntur, nihil horum rite perficitur. » De S. Udalrico episcopo Augustano, qui sæculo X floruit, legimus in ejus Vita, quod allata sibi ad altare die Cœnæ Domini magno cum apparatu ampulla chrismatis consecrandi, humillime illam suscepit, totamque rogavit Synodum, quam ipsa die a diœcesanis suis collegerat, « ut, quando ille crucem benedicendo super » illud faceret, et ipsi cum eisdem XII Presby- » teris, qui in processione erant, et sibi assis- » tebant, benedicere non desisterent. »

III. Quid tandem ritus iste halandi super ampullam significet, exponit Amalarius, lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XII, sic dicens : « Halitus ab interioribus et secretis procedit ad » publicum, et revocatur spiritus; de quo » Isaias : *Quiescite ab homine cujus spiritus* » *in naribus ejus est.* Pontifex per spiritum » suum substantiam Spiritus sancti nuntiat in » corpore assumpto a Divinitate inhabitare, cu- » jus adventu renovata sunt omnia : ampulla » enim cum chrismate quodammodo corpus » Domini ex Virgine Maria assumptum signi- » ficat. » Alias mysticas rationes apud Durandum legere est lib. VI *Rationalis divinorum Officiorum*, capite LXXIV, num. XX. Istiusmodi insufflationes antiquissimæ sunt in Ecclesia, earumque passim SS. Patres meminere, quos longo agmine Joseph Vicecomes, aliique de Baptismi ritibus agentes afferunt. Sed et in

Digitized by Google

Evangelio Joannis legimus, cap. xx, Christum Dominum insufflasse in discipulos, ubi dixit, *Accipite Spiritum sanctum, etc.* Unde satis liquet temere ac inepte sectarios Romanam Ecclesiam, propter hujusmodi ritus usum, superstitionis arguere.

§ XVI.

Quo facto surgit Pontifex, et stans cum mitra, legendo dicit exorcismum chrismale absolute, dicens.

BENEDICTIO CHRISMATIS.

Exorcizo te, creatura olei, per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, ut omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, omnisque incursio et omne phantasma Satanæ eradicetur et effugetur a te, ut fias omnibus, qui ex te ungendi sunt, in adoptionem filiorum per Spiritum sanctum. In nomine Dei Pa✠tris omnipotentis, et Jesu ✠ Christi Filii ejus Domini nostri, qui cum eo vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus ✠sancti.

COMMENTARIUS.

I. Postquam tam Pontifex quam duodecim Presbyteri ter super ampullam chrismatis in modum crucis halarunt, mandat quidem Romanum hoc nostrum Pontificale ut Episcopus legendo exorcismum chrismalem pronuntiet. Est autem, teste S. Isidoro Hispalensi episcopo, exorcismus græce, latine conjuratio seu sermo increpationis adversus diabolum, ut discedat; de eoque nos aliqua, quemadmodum et de benedictionibus diximus, tomo II hujus operis, initio tituli I, num. IX, quod eo quidem consilio a nobis factum fuit, quod in decursu ipsius operis benedictiones et exorcismi passim occurrant. Locus ille igitur a curioso rerum Ecclesiasticarum lectore consulendus.

II. Quod vero præsentem § spectat, nulla fit exorcismi hujus mentio in libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, et in quibusdam aliis Pontificalibus, ex quorum præscripto halat in ampulla Pontifex, *et intrat in consecrationem chrismatis*, dicendo Præfationem de qua nos in § sequenti agemus juxta Romani hodierni Pontificalis ritum, quod hac in parte, non modo plurimis Pontificalibus libris, verum etiam antiquo Romano Ordini consentit, ubi primum iste exorcismus legitur, et deinde Præfatio.

§ XVII.

Deinde deposita mitra, extensis manibus ante pectus, dicit Præfationem : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui in principio inter cætera bonitatis tuæ munera terram producere fructifera ligna jussisti, inter quæ hujus pinguissimi liquoris ministræ olivæ nascerentur, quarum fructus sacro chrismati deserviret. Nam et David, prophetico spiritu gratiæ tuæ Sacramenta prænoscens, vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantavit : et cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso, similitudinem futuri muneris columba demonstrans per olivæ ramum pacem terris redditam nuntiavit. Quod, in novissimis temporibus, manifestis est effectibus declaratum,*

Digitized by Google

cum Baptismatis aquis omnium criminum commissa delentibus, hæc olei unctio vultus nostros jucundos efficit ac serenos. Inde etiam Moysi famulo tuo mandatum dedisti ut Aaron fratrem suum, prius aqua lotum, per infusionem hujus unguenti constitueret Sacerdotem. Accessit ad hoc amplius honor, cum filius tuus Jesus Christus Dominus noster lavari se a Joanne undis Jordanicis exegisset, ut, Spiritu sancto in columbæ similitudine desuper misso Unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuisse testimonio obsequentis vocis ostenderes, et hoc illud esse manifestissime comprobares, quod cum oleo lætitiæ præ consortibus suis ungendum David Propheta cecinisset. Te igitur deprecamur, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eumdem Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, ut creaturæ pinguedinem sancti✠ficare tua bene✠dictione digneris, et sancti ✠ Spiritus ei admiscere virtutem, cooperante Christi Filii tui potentia, a cujus nomine sancto chrisma nomen accepit, unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, et Martyres; ut spiritualis lavacri Baptismo renovandis creaturam chrismatis in Sacramentum perfectæ salutis, vitæque confirmes; ut, sanctificatione unctionis infusa, corruptione primæ nativitatis absorpta, sanctum uniuscujusque templum acceptabilis vita innocentiæ odore redolescat; ut secundum constitutionis tuæ sacramentum, Regio et Sacerdotali Propheticoque honore perfusi, vestimento incorrupti muneris induantur; ut sit his qui renati fuerint ex aqua et Spiritu sancto chrisma salutis, eosque æternæ vitæ participes, et cœlestis gloriæ faciat esse consortes. Quod sequitur dicit submissa voce legendo, ita tamen quod a circumstantibus audiri possit. *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Finito exorcismo, cautum est ex antiquo Romano Ordine ac priscis manuscriptis Pontificalibus, ut Episcopus hanc Præfationem dicat, et quidem *excelsa voce*, et descriptis versiculis, uti in *Sacramentario S. Gregorii Papæ* habetur, et in ipso Ordine Romano; sive *cum nota*, ut constat ex manuscripto Pontificali ecclesiæ Moguntinæ, annorum circiter quingentorum. In plurimis Pontificalibus, ac præsertim in ipso *Sacramentorum* libro S. Gregorii hæc Præfatio appellatur principalis consecratio chrismatis; « quia ad ejus unctionem principalis » spiritus tribuitur. » Verba sunt Amalarii in laudato libro I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XII, ubi etiam varia quæ in ipsa Præfatione continentur, egregie exponit. Confer quæ et nos scripsimus supra in Commentario § VIII, num. IV.

II. Ut autem aliqua et hic dicamus, quod in ipsa Præfatione dicitur, cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso, similitudinem futuri muneris columbam demonstrantem, per olivæ ramum pacem terris redditam nuntiasse, dictum jam id olim fuisse a Tertulliano in libro *De Baptismo*, cap. VIII, ubi ita inquit: « Quemadmodum post aquas diluvii, quibus » iniquitas antiqua purgata est, post baptismum, ut ita dixerim: mundi pacem cœlestis » iræ præco columba terris adnuntiavit dimissa » ex arca, et cum olea reversa: quod signum » etiam apud nationes paci prætenditur. Eadem » dispositione spiritalis effectus terræ, id est » carni nostræ emergenti de lavacro post vetera » delicta columba sancti Spiritus advolat, pacem Dei adferens, emissa de cœlis, ubi Ecclesia est arca figurata. » Hunc quidem locum imitatus est S. Hieronymus in Epistola ad Oceanum, ut scite observat eruditissimus Tertulliani annotator.

III. Audiamus de eadem re eximium Cassio-

Digitized by Google

dorum, qui in Psalmum XXII quædam docet : quibus Præfatio ipsa quam maxime illustratur : « Sed quid est, inquit, quod species ipsa be- » nedictionis sanctæ frequenter adhibetur ? » Unxit Prophetas, consecravit reges, « non im- » merito, quia arbor ipsa pacis etiam præstabat » indicium quod ejus specialiter munus nosci- » tur esse divinum, liquor arboreus, pinguedo » lætificans, magnarum gratia dignitatum, cu- » jus folia in viriditatis suæ pulchritudine per- » severant. Hæc etiam Noe per columbam nun- » tiavit terris redditam sospitatem ; ut merito » tantæ benedictionis capax esse videatur, quæ » fructus sui magno decore simul et utilitate » perfruitur. » Hinc recte in *Euchologio* Græcorum ramus olivæ appellatur *reconciliationis symbolum, salutis et gratiæ post diluvium mysterium.* Affinis fere est nostræ Præfationi Oratio illa quam apud Græcos dicit Pontifex, postquam sanctum unguentum detexit, et ter illud signavit. Vide ipsam Orationem, et ritum Græcorum infra in Appendice.

§ XVIII.

Præfatione hujusmodi finita, Pontifex balsamum cum illo modico olei ex ampulla chrismali sumpto mistum commiscet sancto chrismati, reponens ipsum in ampullam chrismalem, et dicens : *Hæc commixtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio et custodia salutaris, in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Sunt multi manuscripti libri Pontificales, qui, sequentes Ordinem antiquum Romanum, hanc quidem describunt formulam, ubi primum Pontifex commiscet liquores balsami nimirum ac olei, antequam halet ter super ipsam ampullam, et legendo dicat exorcismum chrismalem, juxta ea quæ superius adnotavimus in Commentario § XIII. Ex libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, jam diximus factam olei et balsami commixtionem in sacrario, et quidem sine ulla verborum formula quæ hodie exstat. Fuit et illud quoque a nobis notatum ex Rituali insignis Ecclesiæ Suessionensis, tempore Nivelonis II Episcopi exarato, ubi Episcopus faciebat commixtionem balsami cum oleo, excelsa voce incœpisse Hymnum *Veni, creator Spiritus :* post quem ter super ampullam halabat, et lenta voce exorcismum dicebat. Longum esset alios hic libros Pontificales enumerare ; fere enim in omnibus legitur quod initio hujus Commentarii animadvertimus : vixque antiquum manuscriptum Pontificalem codicem, vel Ritualem librum invenies, qui in hac parte nostræ huic Rubricæ non consentiat. Videsis infra in Appendice integrum Ordinem Gulielmi Durandi, quem ex manuscripto codice Vaticano descripsimus, quemque aliquibus notis illustravimus.

§ XIX.

Tunc Diaconus qui ampullam chrismalem de sacristia portavit, deponit mappulam sive velum de ipsa ampulla, dimissa ei serica veste alba quam ante habebat, et Pontifex capite inclinato salutat chrisma, dicens : *Ave, sanctum chrisma.* Et hoc secundo et tertio facit, semper altius dicendo. Quod postquam tertio dixerit, osculatur labium ampullæ. Quo facto, sedet Pontifex, et accipit mitram. Tum singuli duodecim Sacerdotes parati prædicti accedunt successive per ordinem ad mensam supra quam posita est ampulla chrismatis, et, factis reverentiis Sacramento in altari posito, et Pontifici, tertio in varia distantia genuflectunt coram ampulla, qualibet vice semper altius dicendo in tono prædicto : *Ave, sanctum chrisma.* Quo tertio dicto, labium ampullæ reverenter osculantur, et ad sua loca revertuntur.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Antiquissimus quidem est ritus ut benedicta ampulla chrismatis ab Episcopo et ab aliis honorifice salutetur : « Ampulla autem, » inquit in suo libro *Sacramentorum* S. Gregorius, « quæ cum chrismate est, statim ut be» nedicta fuerit, cooperitur, ut a nemine » videatur, sed tenente eam Acolytho, omnes » per ordinem eam salutent. Nam Episcopus » et Diaconi omnes eam nudam salutant. » Recensetur deinde hæc cæremonia in antiquo Romano Ordine, ubi hæc habet : « Finita » benedictione, dominus Episcopus salutet » chrisma nudum, et Ministri qui juxta eum » sunt; et ita iterum per ordinem descendat, » sicut ascendit. Et, tenente ampullam Acoly» tho, deferatur omnibus cooperta ad salu» tandum per ordinem, ita ut a nemine nuda » videatur. » Ex duobus manuscriptis vetustissimis codicibus, Pontificali scilicet Egberti Eboracensis archiepiscopi, et Pontificali Turpini archiepiscopi Remensis, annorum circiter mille, ita ritus describitur : « Subdiaconus » suscipiens de manu Archidiaconi (ampullam) » portat cunctis in presbyterio stantibus ad » osculandum. » Pontificale manuscriptum Pictaviense, annorum circiter nongentorum, ita inquit : « Ampullam in qua est chrisma, sta» tim ut benedicta fuerit, Episcopus et Diaconi » nudam salutant, et statim operitur, ut a ne» mine nuda videatur; sed tenente eam Aco» lytho in dextra parte altaris, qui eam a » Subdiacono illi reddente, cum ordine invo» lutionis et disvolutionis receperat, omnes » eam per ordinem salutant. »

II. Rursus ex manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Ebroicensis, nongentis circiter ab hinc annis scripto, cautum fuit ut, peracta benedictione chrismatis, « stet Episcopus in » dexteram partem altaris cornu, et deferatur » chrisma ab Acolytho illi ad osculandum. » Antequam autem deosculetur, innuat Can» tatori (Episcopus) incipi *Agnus Dei*, deo» sculatoque ab Episcopo chrismate, secedat » Acolythus cum chrismate prope chorum in » dexteram partem, et cantato ter *Agnus Dei*, » accedat primum Presbyter unusquisque in » ordine suo ad deosculandum sanctum chri» sma, et tunc pergant ad Episcopum com» municare de sacro Corpore Domini; quod » tradente illis Episcopo deosculari debet unus» quisque Presbyterorum, ut pergant ad ca» licem Sanguinis, qui in sinistra teneatur. » Tum paucis interjectis addit : « Chrisma autem » adoretur a cunctis et deosculetur, ac com» municent omnes Clerici. »

III. Satis profecto recitata hactenus Pontificalium loca egregie sectarios refellunt, qui propter hujusmodi ritus usum, idololatriæ criminis Ecclesiam Romanam insimulare non erubescunt. Sed videamus quibus ritibus sacra ampulla chrismatis in aliis Ecclesiis salutaretur, quo magis magisque hæreticorum perfidia confringatur. Pontificale manuscriptum insignis Ecclesiæ Bellovacensis, annorum circiter octingentorum, hæc habet : « Finita bene» dictione, dominus Episcopus salutat chrisma » nudum, et qui juxta eum sunt, dicendo : *Ave*, » *sanctum chrisma*. Et ita per ordinem descen» dit, sicut ascendit, et deferatur omnibus co» operta ad salutandum. » Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Apamiensis in Syria, ante annos quingentos exaratum, ait : « Primum » Pontifex, deinde Presbyteri, Diaconi, et cæ» teri omnes juxta ordinem suum, salutant ter» tio ampullam in qua est chrisma, sic dicen» do : *Ave, sanctum chrisma;* et deosculentur » eam. » Sed nimis tædiosum est omnes codices Pontificales recensere, cum in omnibus ritus iste legatur, etsi aliqui parum varient. Ut autem alios omittam, mandat codex manuscriptus Pontificalis Ecclesiæ Moguntinæ, annorum circiter quingentorum, ut, « dicta » Præfatione, Episcopus salutet sacrum chrisma » humiliato capite ter, ita dicens : *Ave, sacrum* » *chrisma; ave, sacrum chrisma; ave, sacrum* » *chrisma*. Hoc facto, deportetur sacrum chri» sma per circuitum duodecim Presbyterorum, » et quilibet salutet ipsum chrisma sigillatim » dicens : *Ave, sacrum chrisma; ave, sacrum* » *chrisma; ave, sacrum chrisma*. Completo cir» cuitu, reportetur sacrum chrisma super al» tare. »

IV. Quæ huc usque ad memorati ritus comprobationem retulimus ex variarum Ecclesia-

Digitized by Google

rum Pontificalibus, suo profecto non vacant mysterio, quod ita, post Amalarium, exponit Durandus libro VI *Rationalis*, capite LXXIV, numero XIX : « Ampulla statim postquam bene» dicta fuit, ex parte cooperta, et ex parte » discooperta, ut allata fuerat, salutatur ab » Episcopo et Presbyteris; quia Christus post» quam transivit ad altare crucis, id est ad im» molationem, et se Deo Patri, sicut ampulla » ad consecrationem Episcopi, aliqua parte » corpus suum nudum monstravit, et Thomæ, » et aliis suis discipulis, quos voluit esse testes » suæ resurrectionis; aliis vero invisibilis fuit. » Vel ideo pro parte nuda, et pro parte co» operta salutatur, quia Christus in humani» tate manifestus, et in divinitate occultus ab » omnibus veneratur. » Addit, ideo salutari quinquies ab Episcopo, ut de quinque vulneribus gratiarum actio Christo reddatur. Sed hæ sunt piæ interpretationes, præsertim cum ex recitatis Pontificalium locis constet non quinquies, sed ter ab Episcopo ipsam ampullam sacri chrismatis salutari consuevisse. Aiunt nonnulli auctores adhiberi salutationem in signum gaudii, ut cum S. Paula salutavit Bethlehem, cum eam primum vidit, teste S. Hieronymo in ejus Epitaphio; ad Christum autem referri, cujus chrisma est symbolum. Docet hoc inter alios Jueninus, cui assentiri nequeo, cum constet ex recitatis locis Pontificalium, et ex sententia complurium theologorum, salutationem et osculum quod fit ad sacri ampullam chrismatis non fieri in signum gaudii, sed religiosi cultus, ut aiunt, relativi. Cæterum fateor in nullo antiquo me adhuc invenisse manuscripto Pontificali, quod Presbyteri ter genuflectant, ubi ampullam ipsam salutant.

§ XX.

Quo peracto, ampulla in uno latere mensæ prædictæ collocatur. Et mox Diaconus aliam ampullam sua veste coopertam cum oleo catechumenorum ferens, accedit ad præsentiam Pontificis, et ampullam ipsam sine mappula, quam Diaconus ipse circa collum retinet, tradit Archidiacono, qui, illam suscipiens, eam ostendit Pontifici, et collocat supra mensam prædictam in medio ante Pontificem; super quam ampullam statim tam ipse quam etiam duodecim Presbyteri prædicti halant, prout supra de ampulla chrismatis factum est. Quo facto, Pontifex surgens cum mitra, submissa voce legendo absolute exorcismum olei catechumenorum, dicit :

BENEDICTIO OLEI CATECHUMENORUM.

Exorcizo te, creatura olei, in nomine Dei Pa✠tris omnipotentis, et in nomine Jesu ✠ Christi, et Spiritus ✠ sancti, ut in hac invocatione individuæ Trinitatis, atque unius virtute Deitatis, omnis nequissima virtus adversarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta incursio, omne confusum et cæcum phantasma eradicetur et effugetur, et discedat a te, ut divinis Sacramentis purificata fias in adoptionem carnis et spiritus eis qui ex te ungendi sunt, in remissionem omnium peccatorum; ut efficiantur eorum corpora ad omnem gratiam spiritualem accipiendam sanctificata. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Salutata ab Episcopo et Presbyteris sacra ampulla chrismatis, mandat vetus Ordo Romanus ut « summo honore procuretur usque dum » altera ampulla ascendat, et iterum descendat

Digitized by Google

» ut ambæ honorifice ad locum suum redeant. » Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Moguntinæ, et aliis plurimis, ponebatur interim super altare; non desunt tamen alii codices, qui præscribunt ut ad locum suum cum processione a Diacono reportetur, id est ad sacrarium, unde solemni, ut vidimus, cum processione jam olim consuevit ad Pontificem consecranda deferri. Quidquid autem de hoc ritu sit, consuevit fieri benedictio olei catechumenorum post absolutam benedictionem chrismatis, ut ex libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, Ordine antiquo, et omnibus libris manuscriptis Pontificalibus liquet; iidemque fere omnes ritus servabantur qui antea in benedictione chrismatis peracti fuerant. Hinc in manuscripto codice Fulconis Episcopi, qui anno 1324 creatus fuit Andegavensis episcopus, legitur: « Descendente autem » ampulla cum chrismate, statim alia cum oleo » catechumenorum cooperta ascendat sicut prior » usque ante dominum Archiepiscopum, et » anhelat ter in ipsam sicut in priorem, et in » primis faciat exorcismum, et benedicat eam » quasi legens Lectionem, *Exorcizo te, etc.* »

II. Idipsum legere est in aliis plurimis Pontificalibus libris, inter quos Moguntinus ita mandat, postquam sacrum chrisma super altare reportatum fuit: « Postea offeratur Episcopo » ampulla cum oleo olivæ pro oleo catechume- » norum benedicendo, et Episcopus ter in eam » halet: quo facto, deferatur per circuitum » Presbyterorum, et quilibet in eam halet ter, » et postea coram Episcopo super altare reportetur, et Episcopus alta voce et plana, sine » nota, sic tamen quod a circumstantibus audiri » possit et intelligi, dicat: *Exorcizo te, crea- » tura olei, etc.* » Meminit et hujus benedictionis olei catechumenorum Amalarius, lib. I *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XII; Innocentius III, in cap. I *De sacra Unctione;* Honorius Augustodunensis, lib. III, cap. LXXXI; Durandus, lib. VI, cap. LXXIV; et ante ipsum Joannes Belethus in sua *Divinorum Officiorum explicatione*, cap. XCV, ex quo auctore, uti alibi notavimus, plura desumpsit Durandus ad adornandum opus suum quod inscripsit: *Rationale divinorum Officiorum.*

III. Ergo triplex oleum benedicitur separatim ac divisim feria quinta Cœnæ Domini, nempe oleum pro infirmis, oleum ad chrisma, et oleum catechumenorum, seu quo catechumeni unguntur, juxta antiquissimum Ecclesiæ ritum, de quo ii videri possunt qui fuse ac erudite de Baptismi cæremoniis egerunt. Cur autem ipsorum oleorum benedictionibus, electa fuerit præ cæteris quinta Cœnæ Domini dies, id contigit, « quia dies illa satis congruit ad » materias Sacramentorum, qua fuit Euchari- » stiæ sacramentum institutum, ad quod omnia » alia Sacramenta quodammodo ordinantur; » ut scite docet S. Thomas in III parte, quæstione LXXII, articulo XII ad III. Sed de hac re jam nos superius disseruimus, variasque ejus rei rationes attulimus; quibus adde ea quæ scribit Rupertus abbas Tuitiensis, lib. V *De divinis Officiis*, cap. XVII.

§ XXI.

Deinde deposita mitra Pontifex stans benedicit dictum oleum catechumenorum eadem voce dicens: ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, incrementorum omnium et profectuum spiritualium remunerator, qui virtute sancti Spiritus imbecillarum mentium rudimenta confirmas; te oramus, Domine, ut emittere digneris tuam bene✠dictionem super hoc oleum, et venturis ad beatæ regenerationis lavacrum tribuas per unctionem hujus creaturæ purgationem mentis et corporis, ut, si quæ illis adversantium spirituum inhæsere maculæ, ad tactum sanctificati olei hujus abscedant; nullus spiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus sit facultas, nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur. Sed venientibus ad finem servis tuis, et sancti Spiritus tui operatione

Digitized by Google

mundandis, sit unctionis hujus præparatio utilis ad salutem, quam etiam cœlestis regenerationis nativitate in Sacramento sunt Baptismatis adepturi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. ℟. *Amen.*

§ XXII.

Deinde Pontifex, et successive duodecim Sacerdotes prædicti reverenter salutant oleum ipsum, dicentes tertio, in tono Lectionis : *Ave, sanctum oleum.* Et postquam tertio id fecerint, osculantur os ipsius ampullæ, prout supra de chrismate positum est.

COMMENTARIUS.

Legitur et hæc Oratio, in § xx descripta, in libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, in Ordine antiquo Romano, et in omnibus Pontificalibus libris, ubi enarrant Ordinem benedicendi oleum catechumenorum, id est ad catechumenos inungendos. Illo siquidem catechumeni inunguntur, ut, si quæ maculæ inhæserunt corpori aut menti, postquam ad scrutinium accesserunt, recedant; et munimentum deinceps habeant per hanc unctionem, ut non possit diabolus repedare, ut verba Orationis hæc demonstrant, quam scite omnes fere per partes Amalarius exponit, lib. I, cap. XII, et Durandus, lib. VI, capite LXXIV; ubi docent valere hujus olei unctionem non modo ad purgationem macularum, uti dictum est, verum etiam ad tutelam, ut nimirum diabolus expulsus redire non audeat; legitur enim in Oratione : « Nullus » spiritualibus nequitiis locus, nulla refugis » virtutibus sit facultas, nulla insidiantibus » malis latendi licentia relinquatur. » Addunt, quod ex eo diabolus se damnandum maxime, ac cruciandum in futuro judicio novit, idcirco Orationem terminari : « Per eumdem Dominum » nostrum Jesum Christum Flium tuum, qui » venturus est judicare vivos et mortuos, et » sæculum per ignem : » item, quia hoc oleo perfusi, et baptizati spem regni habent, terminare Orationem : *Per eumdem Dominum nostrum, etc.* De salutatione ac osculo religioso sacri olei catechumenorum ampullæ tum ab Episcopo, cum a Presbyteris exhibendo supervacaneum est hic immorari, cum passim is ritus in libris Sacramentorum et Pontificalibus inveniatur quæ supra attulimus, ubi de salutatione et osculo egimus, quod vasculo sive ampullæ sacri chrismatis ab Episcopo primum, et deinde a Presbyteris præstari solitum erat.

§ XXIII.

His itaque peractis, ambæ ampullæ per dictos duos Diaconos eo ordine et decore quo delatæ fuerant, ad sacrarium sive sacristiam processionaliter reportantur. Interim, dum reportantur, duo præmissi Cantores cantant hos versus : *Ut novetur sensus omnis unctione chrismatis; ut sanetur sauciata dignitatis gloria.* Chorus repetit totum versum : *O Redemptor.* Tum dicti duo Cantores prosequuntur versum : *Lota mente, sacro fonte aufugantur crimina; uncta fronte sacrosancta influunt charismata.* Chorus replicat versum : *O Redemptor.* Deinde dicti duo Cantores prosequuntur versus : *Corde natus ex parentis, alvum implens Virginis, præsta lucem, claude mortem chrismatis consortibus.* Chorus replicat versum : *O Redemptor.* Quo replicato, dicti duo Cantores prosequuntur versum : *Sit hæc dies festa nobis sæculorum sæculis : sit sacrata digna laude, nec senescat tempore.* Chorus replicat versum : *O Redemptor.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Omnes manuscripti libri Pontificales qui Romanum antiquum Ordinem sequuntur, hoc quidem mandant ut, his ita peractis, terminatis nempe chrismatis ac olei ad catechumenos inungendos benedictionibus, ampullæ *eodem ordine ac decore quo ascenderant in ecclesiam, redeant ambæ in sacrarium.* Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Moguntinæ, annorum circiter quingentorum, cautum est ut oleum hoc catechumenorum jam benedictum, et ter tum ab Episcopo, tum a Presbyteris humiliato capite salutatum, super altare primum portetur, et deinde « ordinent se Ostiarii, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, et Presbyteri prædicti cum luminaribus, cruce, thuribulo, et textu Evangeliorum, et reportent ad sacrarium tres istas ampullas, videlicet oleum infirmorum, et sacrum chrisma, et sanctum oleum catechumenorum; et resument illi duo pueri ultimum versum : *Sit dies hæc festa nobis sæculorum, etc.* » Rituale insignis Ecclesiæ Suessionensis, Nivelonis II Episcopi tempore scriptum, mandat ut « post salutationem reportentur cum summo honore omnes ampullæ ad locum in quo per totum annum reservantur : interea lavet Episcopus manus suas, et Archidiaconus dicat : *Humiliate vos ad benedictionem.* Et tunc fit benedictio super populum ab Episcopo. » Porro legi in quibusdam manuscriptis Pontificalibus, cujusmodi et Pictaviensis Ecclesiæ Pontificale, annorum nongentorum, ut, finita Missa, « tunc Pontifex revertatur in sacrarium cum ordine ministrorum sibi obsequentium, præcedente eum Acolytho cum chrismate. »

II. Quod tandem versus hoc nostro § descriptos spectat, sunt plane antiqui, exstantque in vetere Ordine Romano, ex cujus præscripto omnes quidem decantabantur, ubi cum solemni primum processione ipsæ ampullæ chrismatis et olei catechumenorum e sacrario ad altare deferebantur, ut ab Episcopo consecrarentur. Verum, ex manuscripto Senonensis Ecclesiæ Pontificali, annorum circiter sexcentorum, et aliis nonnullis ejusdem fere ævi, satis constat mediam ipsorum versuum partem decantatam fuisse in priori processione e sacrario ad altare; alteram vero partem in processione posteriori, cum scilicet jam consecratæ ad sacrarium deportarentur.

§ XXIV.

Vetus autem chrisma, et oleum catechumenorum ac infirmorum, si quod remanserat in ampullis, ponitur in lampadibus ecclesiæ ante Sacramentum, ut comburatur. Reliquum autem, quod est in pyxidibus sive capsulis cum bombyce, igni comburitur. Interim dum chrisma et oleum catechumenorum ad sacristiam portantur, Pontifex sedens cum mitra, lavat manus, deinde redit ad altare, prosequitur Missam, ut in Missali habetur, et dicto *Ite, Missa est,* dat benedictionem, et dicens Evangelium sancti Joannis, accedit ad faldistorium, ubi sedet cum mitra, et jubet Presbyteros attente ut, juxta Canonum traditionem, chrisma et olea fideliter custodiant, et nulli sub prætextu medicinæ vel maleficii tradere præsumant, alioquin honore priventur.

COMMENTARIUS.

I. Mandat quidem tam liber *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, quam vetus Ordo Romanus, omnesque fere libri manuscripti Pontificales, ut, dum sacræ ampullæ ad sacrarium deferuntur, prosequatur Episcopus Missam, in qua etiam, post cantatum scilicet versiculum qui *Communio* appellatur, Vesperæ canebantur, ex præscripto manuscripti Pontificalis Ecclesiæ Moguntinæ, ex antiquo Rituali Ecclesiæ Suessionensis, atque ex manuscripto Ecclesiæ Arelatensis Pontificali, in quo etiam edicitur ut, finitis cum Missa Vesperis, « deinde Archi-

Digitized by Google

» episcopus descendat in sacrarium, mandans » Presbyteris ut, juxta Canones, chrisma sub » sigillo custodiant, et nulli sub prætextu me- » dicinæ vel maleficii tradere præsumant; quod » si fecerint, honore priventur. »

II. Postquam insuper manuscriptum Pontificale Pictaviensis Ecclesiæ, annorum circiter nongentorum, edixit ut, terminata Missa, tunc Pontifex in sacrarium revertatur cum ordine Ministrorum sibi obsequentium, præcedente Acolytho cum chrismate; hæc statim adjungit: « Et tunc, si hora permiserit, datur ipsum » chrisma per manum Archidiaconi tam lega- » tis Monasteriorum ad hoc ipsum recipiendum » missis, quam Presbyteris oppidanis atque vi- » canis; sin autem, reservatur in crastinum. » Qua ratione ac ritu novi chrismatis ac olei distributio fieret, ita explicat Concilium Rothomagense anni 1072, canone III, « Chrismatis et » olei distributio a Decanis summa diligentia » et honestate fiat; ita ut interim dum distri- » buerint, albis sint induti; et talibus vasculis » distribuatur, ut nihil inde aliqua negligentia » pereat. » Fuit sane mos antiquus, ut absentes Parochi non per homines laicos, aut per simplices Clericos, verum vel per Diaconos, aut Subdiaconos ab Episcopis suis chrisma peterent; uti constat ex Concilio Toletano I, anno 500 celebrato, can. XX: « De singulis Ecclesiis » ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi des- » tinentur aut Subdiaconi, ut confectum chri- » sma ab Episcopo destinatum ad diem Paschæ » possint ad tempus deferre. » Ex concilio Carthaginensi IV, can. XXXIV, cautum fuit ut « Pres- » byteri qui per diœceses Ecclesias regunt, non » a quibuslibet Episcopis, sed a suis, nec per » juniorem Clericum, sed omni anno aut per » seipsos aut per illum qui sacrarium tenet, ante » Paschæ solemnitatem chrisma petant. »

III. Concilium Vasense, habitum anno 402, can. III, per Subdiaconum saltem deferri jubet; cumque canonem renovat Wormatiensis Synodus celebrata anno 868, addens ita deferri debere chrisma « sicut reliquiæ Sanctorum de- » portari solent. » Est plane antiquus ritus, cujus meminit Concilium Antissiodorense, anni 578, can. VI, ubi ita statuit: « Ut a media Qua- » dragesima Presbyteri chrisma petant; et si » aliquis infirmitate detentus venire non po- » tuerit, ad Archidiaconum, vel Subarchidia- » conum transmittat, sed cum chrismario et » linteo, sicut reliquiæ Sanctorum deportari » solent. » Chrismarium vas est in quo chrisma reponebatur, linteum autem vestis qua illud obtegebatur. Sumitur etiam chrismarium pro theca reliquiarum, ut pro utraque significatione videre est eruditum Carolum Ducange in suo *Mediæ et infimæ latinitatis Glossario*, verbo *Chrismarium*.

IV. Cum in cathedralibus ecclesiis, absente vel impedito Episcopo, chrisma ac olea minime benedicantur, a viciniori solebant requiri, et tunc cum solemni processione recipiebantur, quam ita describit vetus Processionale, tempore Nivelonis II Episcopi exaratum: « Decanus » enim Christianitatis ex præcepto majori Ar- » chidiaconi affert illud (chrisma) usque ad ali- » quam Parochiarum nostrarum, extra muros » tamen civitatis; repositumque illud super » altare honorifice servatur, donec prædictus » Decanus Decano nostro hoc signaverit. Quo » facto, veniet Decanus ad ecclesiam, facietque » Clerum convocari, et hoc sine signi sono. Et » tunc induant se albis tam duo Acolyti quam » Subdiaconus hebdomadarius, et desuper » palliolis. His peractis, itur pompatice ad Pa- » rochiam; quibus introgressis salutatur a qui- » buslibet, dicentibus, *Ave, sacrosanctum chri- » sma;* et deosculatur. Similiter et reliquæ » ampullæ, et sic recedatur. Clericulus primum » cum laterna, igne intus accenso. Deinde Aco- » lythus cum oleo infirmorum. Post hæc alter » cum oleo catechumenorum. Quem Subdia- » conus cum chrismate sacrosancto sequatur; » et sic usque ad sacrarium sequente Clero » chrisma sæpedictum honorifice cum reliquis » ampullis deferatur. »

V. Vetant etiam Concilia expresse ne quid exigatur vel petatur pro sanctorum oleorum distributione. Concilium Bracarense II, anni 575, can. IV, ita statuit: « Placuit ut modicum » balsami, quod benedictum pro Baptismi sa- » cramento per ecclesias datur, quia singuli » tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius » exigatur; ne forte, quod pro salute animarum » per invocationem sancti Spiritus consecra- » tur, sicut Simon magus donum Dei pecunia » emere, ita et nos venundare damnabiliter » videamur. » Idipsum statuit Barcinonensis Synodus, anno 599 celebrata, can. II dicens:

Digitized by Google

« Cum chrisma Presbyteris diœcesanis pro » confirmandis neophytis datur, nihil pro li- » quoris pretio accipiatur, ne gratia Dei pre- » tio benedictionis affecta, simoniacum in- » teritum ementibus vendentibusque associet. » Cautum præterea fuit ex Concilio Meldensi, anni 845, can. XLV, ut « nemo Episcopus vel » quilibet Minister Ecclesiasticus propter sa- » crum chrisma aliquid muneris accipiat, neque » denarios vel quælibet munuscula, quæ per » Ministros Episcoporum inordinabiliter exi- » guntur. » Vide eruditissimum Lupum, qui tomo IV, in secunda proœmiali dissertatione *De simoniæ crimine, etc.*, pag. 67 et seq., vitium hoc simoniæ ubique fere locorum grassantis, allatis variorum Conciliorum decretis, fuse perstringit.

VI. Puto equidem, ex prava hac consuetudine aliquid exigendi pro chrismate, ortum fuisse alium abusum, cui mederi conati sunt Patres Concilii Rothomagensis, anni 1072, ubi ita inquiunt, can. II : «In quibusdam provinciis » mos detestabilis inolevit, quod quidam Ar- » chidiaconi Pastore carentes, ab aliquo Epis- » copo particulas olei et chrismatis accipiunt, » et ita oleo suo commiscent, quod et damna- » tum est : sed unusquisque Archidiaconus » chrisma et oleum suum totum Episcopo, a » quo consecrabitur, ut proprio Episcopo præ- » sentet. » Cæterum si oleum sacrum, chrismave intra annum deficiat, neque aliunde haberi posset, tunc quidem docet sanctus Carolus, omnesque fere scriptores, posse Parochum sensim tantum infundere, ut hoc tamen quod infundit, minus sit quam illud quod consecratum benedictumve est,

VII. Tandem, facta novi chrismatis oleorumque consecratione, juxta præscriptum manuscriptorum Pontificalium, Constantinopolitani, Bellovacensis et Sylvanectensis quod supererat ex veteri cum recens benedicto miscebatur; verum comburendum esse illud ac in ecclesiæ lampades immittendum, alibi quidem diximus; constatque etiam ex manuscriptis Pontificalibus, Apamiensi in Syria, Gulielmi Durandi, et aliis. Quibus adde decretum S. Caroli, qui in concilio Mediolanensi provinciali IV, Constitutionum parte II, paulo post initium, ita mandat : « Pa- » rochus ubi primum olea sacra nova acceperit, » vetera statim comburat in lampade quæ ante » sanctissimum Sacramentum collucet, hom- » bice in sacrario plane exusto. » Idipsum inculcat parte IV auctorum in *Instructionibus de administratione Baptismi*, ubi etiam Parochum monet, ut veteri vel oleo sancto vel chrismate minime utatur, nisi, antequam novum habeatur, necesse habeat vetus adhibere.

VIII. Ut chrisma, quod ipsi Parochi susceperunt, sub sigillo custodiatur et sera, neque ulli donare præsumant pro aliqua necessitate, neque sub prætextu medicinæ vel maleficii, non modo ex libris Pontificalibus, verum etiam ex variis Synodis cautum est. Moguntina, anni 813, canone XXVII, et Arelatensis VI, eodem anno in Galliis habita, can. XVIII, inquiunt : « Presbyteri » sub sigillo custodiant chrisma, et nulli sub » prætextu medicinæ vel maleticii donare inde » præsumant. » Tum statim addunt : « Quod » si fecerint, honore priventur. » Idipsum in aliis passim Conciliis præscriptum legimus; indiciumque est, variis in locis atque temporibus exsecrandum hunc abusum viguisse, ad quem profecto evertendum, ita statuit anno Christi 1215 Concilium Lateranense IV, canone XX : « Statuimus ut in cunctis ecclesiis chrisma » et Eucharistia sub fideli custodia clavibus ad- » hibitis conserventur : ne possit ad illa teme- » raria manus extendi, ad aliqua horribilia vel » nefaria exercenda. Si vero is ad quem spectat » custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensi- » bus ab officio suspendatur. Et si per ejus in- » curiam aliquid nefandum inde contigerit, » graviori subjaceat ultioni. »

IX. Fateri cogimur adeo invaluisse abusum surripiendi sacrum chrisma, illudque ad nefarios usus adhibendi, ut, etiam post memoratæ œcumenicæ Lateranensis Synodi decretum, coacti fuerint Episcopi in aliis suis Conciliis decretum ipsum repetere. Oxionense, anno 1222 habitum, can. XVI, ait : « Provideant » Archidiaconi quod diligenter, juxta formam » Concilii generalis (nempe Lateranensis), Eu- » charistia, chrisma et oleum sanctum salva » sub clavibus recondantur. » Rursus Concilium Ravennatense, tempore Clementis V, anno 1311, rubrica VII, inquit : « Statuimus » quod Eucharistia, Viaticum, sive Corpus » Christi, chrisma, oleum sanctum et oleum » infirmorum, sic devote, tute et secrete cu- » stodiantur et reponantur in locis aut sacri- » stiis ad hoc deputatis et aptis, quod ad ea non

Digitized by Google

» possit manus nefaria accedere, seu sacrilega, » et maxime mulierum. » Saleburgense tandem, ut alia omittam tam ante quam post Lateranense IV Concilia habita, celebratum temporibus Martini V, cap. XXVIII, ita edicit : «Statuimus ut in cunctis ecclesiis Baptismus, » chrisma, oleum, et Eucharistia sub fideli cu» stodia clavibus adhibitis asserventur, ne pos» sint ad illa manus temerariæ extendi. »

X. Cautum est præterea ex sacris Conciliis, sub sigillo quidem custodiri chrisma, quia scilicet vigebat et illa olim superstitio, ut plerique rei, eo uncti aut potati, putarent se nullo examine deprehendi posse. Huc spectat Gerardi Turonensis episcopi Constitutum, cap. XXII, ubi ita inquit : « Ut chrisma pro subvertendis » judiciis nemini detur, et ut sub sigillo custo» diant. » Ex libro III *Capitularium* Caroli Magni, cap. LV : « Si Presbyter chrisma dede» rit, ab Episcopo degradetur, et postmodum » a judice manum perdat, si propter judicium » subvertendum hoc fecerit. » Quid sit subversio judicii, explicuerunt jam nobis Patres Concilii Turonensis III, anni 813, can. XX, ita pronuntiantes : « Item Presbyteris injungendum » est ne sacrum chrisma foras conclave dimit» tant, ubi a quolibet contingi possit. Nam cri» minosos eodem chrismate unctos aut potatos » nequaquam ullo examine deprehendi posse, a » multis putatur. »

XI. Quoniam insuper de chrismate et sacris oleis egimus in usum quorumdam Sacramentorum, et benedictionum nonnullarum rerum Ecclesiasticarum, reliquum est ut illud non omittamus, aliud fuisse olim oleum, et quidem diversum ab hactenus explicatis, quod a Pontificibus aut viris sanctitate conspicuis benedicebatur, et quo fideles ad pellendos morbos, aut dæmones ab energumenis fugandos utebantur. Testatur Tertullianus in libro *Ad Scapulam*, cap. IV, Severum imperatorem, Antonini patrem, memorem Christianorum fuisse ; « nam » et Proculum Christianum . . . . qui eum per » oleum aliquando curaverat, requisivit, et » in palatio suo habuit usque ad mortem ejus. » S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis refert quod « concurrebant Episcopi, Presbyteri, Clerico» rum et Monachorum greges...., sed et po» tentes viri, ut benedictum ab eo panem vel » oleum acciperent. » Addit agricolas serpentibus et animalibus venenatis percussos, accepto oleo ab illo benedicto vulnera sua ungentes pristinæ sanitati fuisse restitutos, aliosque a morte ejusdem olei unctione liberatos. Tradit Severus Sulpitius in Vita S. Martini, dialogo III, cap. III : « Avitiani comitis uxorem » misisse Martino oleum, quod ad diversas » morborum causas necessarium, sicut est con» suetudo, benediceret. » Hæc consuetudo liquido apparet in variis Sanctorum Vitis apud Laurentium Surium, et novissime apud Bollandianos, in quibus legimus passim, varios morbos sæpissime curatos fuisse a sanctis viris oleo benedicto adhibito.

APPENDIX

In qua varii Ordines describuntur ad benedicendum oleum catechumenorum et infirmorum, atque ad conficiendum chrisma, feria V *Cœnæ Domini.*

ORDO I.

Ex manuscripto Pontificali Vaticano codice Gulielmi Durandi. Num. 4744.

DE CRISMATE CONFICIENDO.

Tertio loco crisma et olea conficiuntur. Hac itaque die in toto orbe terrarum crisma confi-

Digitized by Google

vandum, quoniam novum est sacramentum, et vetus in ecclesia concremandum. Hoc profecto a sanctis Apostolis, eorumque successoribus accepimus. Hoc sancta Romana Ecclesia et Antiochena a tempore Apostolorum custodit. Hoc Constantinopolitana, Yerosolomitana, Alexandrina, et Ephesina Ecclesia tenet. Mane itaque Mansionarii quæ ad crismatis consecrationem necessaria sunt, parent, videlicet tres ampullas oleo mundissimo plenas, quas in sacrario ponant et diligenter custodiant : unam ad oleum infirmorum, secundam ad oleum catechumenorum, tertiam, quæ major sit, ad crisma. Et hæc cooperiri debet de panno serico albo : aliæ autem duæ ampullæ de serico alterius coloris sint cooperta. Pontifex vero de balsamo procuret habere.

Mane, hora quasi sexta, reconciliatis jam penitentibus, pulsentur campanæ, ut moris est in diebus solempnibus, ut omnes conveniant ad ecclesiam in qua debet crisma consecrari. Et tunc Pontifex, dicta primo Sexta, faciat sermonem ad populum de crismatis consecratione, vel, si malit, post Euangelium hoc fiat. Quo facto intrans sacrarium, dicit Nonam, parans se ad Missam celebrandam cum solempnioribus vestibus albi coloris, propter reverentiam albi coloris chrismatis. Parent se etiam Ministri, et insuper omnes Archidiaconi, et septem Presbyteri, et VII Dyaconi ad minus, septem Subdiaconi, et Accoliti, et alii necessarii, cum vestibus ejusdem coloris; videlicet Sacerdotes cum casulis : Dyaconi cum dalmaticis : Subdyaconi cum tunicellis : Accoliti, et alii cum albis et aliis indumentis ordini suo congruentibus. Tunc Cantor inchoat Introytum : *Nos autem gloriari oportet, etc. Deus misereatur nostri.* Cumque incipit *Gloria Patri*, quod tamen Ecclesia Romana non dicit, tunc Pontifex cum tota processione solempni, et cum cruce, Euangelio, cerophorariis duobus, turribulo et incenso, procedit ad altare, et dicit *Gloria in excelsis Deo.* Sed quando crisma non conficitur, nec *Gloria*, nec *Credo*, nec *Ite Missa est* dicuntur. Et Missa ordine solito prosequatur usque ad locum illum Canonis exclusive : *Per quem hæc omnia, etc.* Et parentur Hostiæ pro eis qui communicare velint; et quæ pro sequenti die conservari debent.

Prius ergo quam Antistes ipsa verba dicat, descendat ad sedem sibi paratam in presbyterio ab opposito altaris juxta gradus per quos ascendit a choro in presbyterium, et ante ipsam sedem versus altare parata est mensa mappis mundis ornata : sedet super sedem istam, circumstantibus Ministris, respiciens ad altare, habens mensam ipsam ante se : Sacerdotes vero parati, et post ipsos Dyaconi et Subdyaconi per Choros ab utroque latere versus altare seriatim maneant dispositi. Tunc unus Archidiaconus alta voce clamat, ter dicens : *Oleum* (a) *infirmorum.* Et mox unus Subdyaconus, a duobus Accolitis hinc inde ductus, a sacrario veniens bajulat solepmniter ampullam in qua est oleum, quod sacrari debet ad inungendos infirmos et energumenos, quod a Presbyteris debet offerri; præsentantque illam eidem Archidiacono, dicentes plana voce : *Oleum infirmorum.* Et Archidiaconus, idem dicens, præsentat illam Antistiti ad benedicendum, collocans eam coram Episcopo super mensam supradictam. Tunc Pontifex se erigens exorcizat et benedicit illud, dicens legendo, mitra deposita et voce dimissa, ita tamen quod a Sacerdotibus circumstantibus audiri possit, qui similiter tacite eadem dicere et exorcizare debent. Incipiens absolute, sine *Dominus vobiscum.*

Exorcismus olei infirmorum : *Exorcizo te, immundissime spiritus, etc.* (b).

Benedictio olei infirmorum, quæ similiter dicitur lenta voce : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Emitte, quæsumus, Domine, in visceribus nostris, etc.*

Hiis expletis, oleum ipsum, eo modo quo apportatum fuit, ad sacrarium reportetur, et diligentissime conservetur. Tunc Pontifex rediens cum Ministris ad altare, ceteris in ordine suo manentibus, lotis prius manibus, dicit : *Per quem hæc omnia, etc.*, et in Missa usque ad benedictionem Episcopalem solem-

(a) In margine legitur : *In tono Lectionis.*

(b) Ait auctor hujus Pontificalis, in quibusdam quidem Ecclesiis conclusionem hujus exorcismi, sicut et sequentis benedictionis, fieri per ea verba : *Qui venturus est, etc.* In suo ipse Pontificali mandat, tantummodo responderi *Amen* ad illa verba, *Domini nostri Jesu Christi*, in fine exorcismi et benedictionis.

Digitized by Google

pnem procedit, quæ est : *Benedicat vos Deus, qui per unigeniti Filii sui, etc.*

Qua finita, et dicto *Pax ejus sit semper vobiscum;* et respondetur : *Et cum spiritu tuo;* subsistit, nec cantatur *Agnus Dei*, nec Communio, donec consecratio crismatis sit finita. In alio Pontificali continetur quod dicitur *Agnus Dei*, et ipso dicto, subsistitur, nec cantatur Communio, donec consecratio crismatis sit finita, et melius; sed tunc Pontifex solus communicat; et mox Dyaconus coperit cum sindone super altare sacratas hostias de quibus Clerus et populus communicare debent, et quæ pro die sequenti reservari debent.

Deinde Pontifex, postquam communicavit, redeat ad prædictam sedem cum Ministris, aliis assistentibus eo ordine quo præmissum est. Et tunc statim veniunt alii quinque Presbyteri ad instar priorum parati, ut sic ad consecrationem chrismatis sint duodecim Sacerdotes : veniant et alii duo Subdyaconi in tunicis offerentes cruces, et alius Accolitus similiter cum alba ad thuribulum deferendum. Ipsi ergo duodecim Presbyteri, Dyaconi et Subdyaconi, et alii Ministri quot necessarii fuerint, pergant ad sacrarium ad deferendum cum omni decore et reverentia oleum crismale et oleum catechumenorum, Ministris cum Pontifice remanentibus. Tunc Archidiaconus clamat alta voce, ter dicens in tono Lectionis : *Oleum ad sanctum crisma :* et statim post iterum clamat, dicens similiter : *Oleum catechumenorum.* Et prædicti ordinent se hoc modo in sacrario : duo enim Archidiaconi accipiant ampullas cum oleis quæ ad crisma et ad oleum catechumenorum consecrari debent, tenentes eas super sinistra, et reflexis brachia involvant cum sindonibus ita quod videri possint a medio supra, projectis sindonibus super scapulas sinistras, et reflexis ad dextras ita ut possint descendentia a parte anteriori in manibus retineri, et cum illis ampullæ, ut præmissum est, involvi. Incedant autem hoc ordine : procedant etiam pariter duo Accoliti cum turribulo et incenso : tertio loco portatur pallium sive mappula a quatuor Clericis, albis seu superpelliceis indutis, super summitate quatuor baculorum protensa, et sub ipsa mappula incedunt pariter prædicti duo Archidiaconi ferentes ampullas. Quarto vero loco secuntur duo ceroferarii. Quinto loco subsequitur alius Subdiaconus cum alia cruce, et turiferarius cum turribulo et thure. Sexto vero loco sequitur Dyaconus cum Euangelio. Postea sequuntur duo pueri pluvialibus induti, in audem ejusdem misterii canentes infrascriptos versus : *O Redemptor, etc.* Deinde secuntur bini et bini, et postea Dyaconus, et post eos duodecim Presbyteri. Post quemlibet autem versum a pueris cantatum, Chorus et ipsa Processio repetunt : *O Redemptor.* Et cum ventum fuerit ad versum : *Ut novetur*, subsistitur usque ad Præfationem consecrationis crismatis, et demum reportandum illud ad sacrarium : versus ipse, et residuum modo prædicto cantentur. versus : *O Redemptor, sume carmen.*

Hic pausetur donec crisma fuerit consecratum : *Ut novetur sexus omnis unctione crismatis, etc.*

Eis igitur ordine præmisso in presbyterium ecclesiæ cantando præmissos versus descendentibus, et prima parte versuum finita, Archydiaconus, et Dyaconus et Subdyaconus ministrantes sint juxta Pontificem hinc inde; et post eos Sacerdotes facientes coronam sive Chorum versus altare ante Episcopum, et a lateribus ejus tanquam testes, et Ministri sacri crismatis cooperatores : Dyaconi vero se post tergum Pontificis ordinent tamquam coadjutores; Subdiaconi in gradibus ante altare se ordinent tamquam testes et inspectores. Cruces vero, Euangelium, candelebra et turribula inter Sacerdotes et Subdyaconos seriatim disponantur. Accoliti autem et alii ministri tamquam ad ministerium parati undique discurrant. Hiis itaque dispositis, Archidyaconus ampullam olei crismalis involutam ferens accedit ad Pontificis præsentiam, et alter Archidyaconus major illam de manu ejus recipiens, eam sic involutam præsentat Pontifici sedenti, et super mensam collocat diligenter, alio Archidiacono semper ampullam aliam inter brachia tenente. Tunc unus Subdyaconus affert vasculum cum balsamo, quod Archidiaconus major suscipiens præsentat Pontifici et collocat super mensam. Tunc Pontifex se erigens, et versus altare prospiciens, habens ante faciem suam super mensam ampullam olei chrismalis, incipit crismatis benedictionem, benedicens ante omnia balsamum.

Digitized by Google

Benedictio balsami. Oratio. *Oremus. Deus misteriorum cœlestium, etc.*

Alia benedictio, quam quidam dicunt : *Creaturarum omnium, Domine, etc.*

Deinde misceat, et conficiat super patenam, vel in aliquo parvo vasculo, balsamum cum modico olei de ampulla sumpti, dicens in ipsa commistione : « Oremus Deum, Patrem omni- » potentem, qui incomprehensibilem Filii sui » sibique coeterni divinitatem, etc. »

Tunc quæ prius in parvo vasculo mixta fuerant, commisceantur cum oleo quod est in ampulla pro crismate parata, dicente Pontifice : *Hæc commixtio liquorum fiat, etc.*

Deinde, priusquam crisma benedicatur, Pontifex alet plane ter in modum crucis super os ipsius ampullæ involutæ. Similiter alent omnes Sacerdotes successive, quibus per ordinem per Archidiaconum ipsa deferatur ampulla. Quo facto, ampulla ipsa super mensam exposita, Pontifex stans lenta voce, quasi Lectionem legens, incipit absolute hunc exorcismum crismalem.

Exorcismus olei crismalis : *Exorcizo te, creatura olei, per Deum Patrem omnipotentem, etc.*

Deinde dicit mediocri voce, manibus junctis ante pectus : *Per omnia secula seculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui in principio, etc.*

Prephatione finita, Pontifex salutat ter crisma nudum sive ampullam absque velamine, dicens ter inclinando illi semper : *Salve, sanctum crisma.* Et ultimo deobsculetur ampullam, et similiter duodecim Sacerdotes qui juxta eum sunt, faciant successive, ad quos per per ordinem Dyaconus deferat ampullam, velatam tamen ut a nemine ipsorum videatur. Quo peracto, ampulla in uno mensæ latere collocetur. Et mox Archidiaconus aliam ampullam involutam cum oleo catechumenorum ferens accedit ad præsentiam Pontificis, quam involutam major Archidiaconus de manibus illius suscipiens præsentat Pontifici; qui etiam duodecim Presbyteri alant plane ter in ipsam velatam, eo ordine quo jam de præcedenti dictum est.

Exorcismus olei catechumenorum : *Exorcizo te, creatura olei, in nomine Dei Pa* ✠ *tris, etc.*

Benedictio olei catechumenorum etiam similiter dicitur lenta voce : Et dicit Pontifex. ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus.* Oratio. *Deus incrementorum omnium, et profectuum spiritualium, etc.*

Tunc Pontifex et duodecim Sacerdotes qui juxta eum sunt, reverenter salutent oleum ipsum, dicendo ter in tono Lectionis, semper capita inclinando : *Ave, sanctum oleum.* Et mox deobsculantur ampullam per Archidiaconum ad quemlibet delatam, sicuti de altera est præmissum.

Hiis itaque peractis, ambæ ampullæ, eo ordine et decore quo in presbyterium descenderunt, in sacrarium processionaliter reportentur; et reportando præmissi duo pueri cantent præmissos versus : *Ut novetur, etc.*, et sequentes quos prius dimiserant.

Vetus autem crisma et oleum cathecumenorum ponantur in lampadibus ecclesiæ, et comburantur. Tunc Pontifex lavat manus rediens ad altare, et Dyaconi ad altare accedentes discoperiunt sacratas hostias, et ex eis communicantur Clerus et populus ordine suo, et reserventur aliquæ de quibus Sacerdotes communicent in Officio diei Parasceves : Sanguis vero Domini eadem die penitus assumatur, et nil ad diem sequentem reservetur.

Deinde cantatur *Agnus Dei*, et pax non datur. Secundum alium librum dicitur : *Agnus Dei*, ante consecrationem crismatis cantatur. Communio : *Dominus Jesus, etc.*

Hiis expletis, Cantor inchoat Antiphonam ad Vesperas : *Calicem salutaris.* Interim autem, dum dicuntur Psalmi, Corpus Domini reservatum defertur reverentur sub pallio (*a*) cum luminaribus (*b*) in pisside vel calice ad sacra-

(*a*) In margine legitur : *vel papilione.*

(*b*) In margine additur : *et squilla*, estque genus campanæ, de qua meminit inter alios Durandus, lib. I *Rationalis divinorum Officiorum*, tit. I, cap. IV. Quomodo Eucharistia in Missa diei Cœnæ Domini asservaretur in crastinum, non unus fuit Ecclesiarum et temporum mos. Romanus Amelii Ordo tradit, quod Vesperarum tempore

Digitized by Google

rium vel alium locum, in quo veneranter in sequentem diem custodiatur, et nunquam ibi sine lumine maneat.

Sequitur ordo ad complendam Missam. Oratio : *Refecti vitalibus Sacramentis, etc.* Qua finita, Dyaconus dicit : *Ite, Missa est* (*a*); et sic Vesperæ simul finiuntur cum Missa. Deinde Pontifex dat Indulgentiam : et mox accedit ad sacrarium, jubens attente Presbyteris, ut juxta Canonum (*b*) traditionem crisma et olea fideliter custodiantur, et nulli sub prætextu medicinæ vel maleficii tradere præsumant, alioquin omni honore priventur. Et inde distribuat unicuique Presbyterorum Dyaconus, sicut decet et fuerit opportunum. Post hæc altaria (*c*) denudentur, etc.

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali Barensi, quod asservatur Romæ in bibliotheca Angelica Fratrum Eremitarum sancti Augustini.

INCIPIT ORDO ROMANUS QUALITER AGENDUM SIT QUINTA FERIA IN CENA DOMINI.

Statio ad sanctum Johannem ad Lateranum. Hac die sacrificium sacri Corporis et Sanguinis ab ipso Domino nostro Jesu Christo celebrationis sumpsit initium. Hac autem die in toto orbe sanctum chrisma conficitur. Hac die etiam pœnitentibus per indulgentiam subvenitur. Mane hujus diei primo Mansionarii præparent omnia quæ necessaria sunt ad consecrationem chrismatis. Tres ampullas oleo mundissimo plenas. Maximam vero ampullam, quæ ad chrisma debet fieri, de panno serico albo, alias autem de alio serico coopertas. Sit autem pannus adeo subtilis, quod ampullæ possint videri per eum. Hora vero tertia vel sexta sonetur signum, et veniant omnes ad ecclesiam in qua chrisma consecrari debet. Tunc egrediantur penitentes de loco in quo penitentiam fecerunt, ut gremio ecclesiæ præsententur a Pontifice, qui sedere debet præ foribus ecclesiæ et reconciliare eos cum Antiphonis et Orationibus, quas require infra. Quibus finitis pulsentur campanæ sicut mos est in solempnibus diebus; et ex tunc sileant campenæ usque ad diem sabbati : antequam domnus Papa exeat de camera, dicit Tertiam et Sextam; hora vero sexta exit domnus Papa de palatio cum Cardinalibus et Episcopis, et cum toto apparatu curie veniens ad palatium majus, ubi solet esse hospitium Episcopi Albanensis. Stans ibi in loco eminenti, sermocinatur ad populum,

Hostia in crastinum asservanda in armariolo solemniter deferitur, hoc est cum cruce, cereis et incenso : *Antecedentibus luminaribus, cruce, incenso, processionaliter portat ad armariolum.* Ex antiquis Usibus Cisterciensium, parte I, cap. XXXI, feria V, post communionem Religiosorum reservabatur in crastinum communionis particula, in ciborio quod in superiori altaris parte erat suspensum, et die crastina Celebrans ex eodem ciborio particula accepta seipsum communicabat, et ministros. Joannes Abrincensis, qui anno 1069 mortuus est, in libro *De Officiis*, ait, feria V in Cœna Domini plures Hostias consecrandas esse pro Cleri et populi communione, earumque dimidium sine vino reservandum in crastinum, hasque Hostias a Celebrante et Ministris, cum processione, hoc est cum cereis et incenso, honorifice deferendas super quoddam altare, ubi nitidissimis linteis obtegantur. In *Statutis* Lanfranci, parari jubetur locus decentissime ornatus pro asservanda Eucharistia. In *Ordinario* Carthusiensium, cap. XLIX, habetur, Eucharistiam in eodem loco esse asservandam ubi custodiri solet, nempe in majori altari, vetanturque parari sepulcra et altaria, ut sæculares faciunt, Monachorum solitudini non convenientia : *Eucharistia reponatur in loco consueto majoris altaris, prohibentes fieri pro ea reservanda more sæcularium monumenta, vel alios apparatus nostræ solitudini non convenientes.* Solum in crastinum diem corpus Domini reservari omnes pene libri Missales præcipiunt. Verum, licet hæc praxis ubique passim locorum servaretur, constat tamen ex veteri codice *Sacramentorum monasterii Carnotensis Sancti-Petri*, annorum circiter octingentorum, Sanguinem etiam cum Corpore Domini reservatum fuisse. Ubi enim codex ipse describit sequentis diei ritus post crucis adorationem, sic inquit : *Ingrediuntur duo Diaconi in sacrario, et procedunt cum Corpore et Sanguine Domini, quod ante diem remansit, et ponunt super altare, etc.* Reconditam in sacrario seu sepulcro Eucharistiam clave obserari jubet Missale Augustodunense. Missale Mozarabum addit ut cum sera duobus sigillis obsignetur, ad similitudinem haud dubie Sepulcri, quod Pilatus signari jussit cum custodibus. Tandem, tametsi alicubi simpliciter Eucharistia asservaretur, hodie summa rituum pompa ad sacellum decentissime ornatum cum multis luminibus deducitur, ibique asservatur.

(*a*) In margine legitur : *Et hoc si crisma conficiatur.*

(*b*) Allatos de ea re canones vide supra in Commentario § XXIII.

(*c*) Sequuntur varii ritus celebrari soliti feria ipsa V Cœnæ Domini, de quibus vide Grancolas in *Breviarium Romanum*, cap. LXI et seqq.; Martene *De antiqua Ecclesiæ Disciplina in divinis celebrandis Officiis*, cap. XXII; et alios.

Digitized by Google

ut moris est, et post recitantur sententie. Et, facta confessione per Dyaconum cardinalem, et absolutione per Papam, datur populo indulgentia. Peractis hiis omnibus, descendit ad ecclesiam Lateranensem et intrat ecclesiam Sancti-Thomæ, et dicit cum Capellanis suis Nonam. Sed, si est ad ecclesiam Sancti-Petri, descendit ad præfatam ecclesiam, veniens ante secretarium ad ecclesiam Sancti-Gregorii, et dicit ibi Nonam. Deinde tam Pontifex quam Episcopi et Presbyteri, Dyaconi et alii Clerici, et quisque induatur ornatus (*a*) sui ordinis. Pontifex induit vestimenta alba, Episcopi pluvialia, Presbyteri planetas, Dyaconi dalmaticas, pro reverentia crismatis. Pontifex vero jam indutus dalmaticam, habens manum ad collum, sedeat in sede sua, crisma cui præsentetur ampulla quæ major est cum oleo ab Acolitis et balsamum, et ipse Pontifex balsamum cum oleo misceat et conficiat, circumvolvendo cum palmis baculum missum in ampulla; omnes vero ampullæ remaneant ibi, et diligenter custodiantur quousque ad altare portentur. Postmodum autem Pontifex lotis manibus induit planeta; procedit cum Episcopis et Presbyteris, Dyaconibus et omnibus ordinibus, et habeant in processione crucem, Euangelium, vii candelabra, thuribulum cum incenso, et sic processionaliter pergant ad altare cum ampulla, et facta confessione et reverentia ascendit sedem suam, et dicit in excelsa voce *Gloria in excelsis Deo*. Interim autem decantetur a Cantoribus Introytus sine *Gloria Patri*, et finito versu, prius repetatur Introytus. Dicta Oratione, lectis Epistola et Euangelio, factoque sermone ad populum, si voluerit, et *Credo in unum Deum* decantato, prosequitur Missam ordine suo. Postquam domnus Papa intrat ad sacrificandum, tunc Acolitus conducit juniorem Dyaconum cardinalem, et cum eo plures Subdyaconi. Unus autem ex eis Subdyaconis portet crucem, Acolito antecedente cum thuribulo et thure, et sic processionaliter vadant ad ecclesiam Sancti-Thomæ vel Sancti-Gregorii, ubi ampullæ cum crismate et oleo conservantur. Cardinalis Dyaconus accipit illam ampullam quæ est crismatis, duo alii Subdiaconi accipiant illas duas, olei exorcizati et olei infirmorum, portantes eas super brachium sinistrum, et eo modo quo iverunt revertantur. Venientes autem ad altare, antequam Domnus Papa dicat, *Per quem hæc omnia*, Subdyaconus qui bajulat ampullam olei infirmorum, repræsentet eam summo Pontifici ad benedicendum; Pontifex vero, et omnes Episcopi et Presbyteri cardinales, et alii Episcopi assistentes dicant plana voce.

Benedictio : *Exorcizo te, etc.* Benedictio olei infirmorum : *Emitte, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum Paraclitum, etc.*

Hiis benedictionibus peractis, revertatur ad altare, et dicat, *Per quem hæc omnia, etc.*, usque *Pax Domini sit semper vobiscum. Agnus Dei* cantatur, pax non datur. Veruntamen scire nos convenit quod, si fuerit Pontifex Laterani, decantato *Credo in unum Deum*, et antequam intret ad sacrificandum, a Presbyteris et Dyaconibus levatur mensa de altari, palliis desuper complicatis, et cum reverentia et omni devotione ab eisdem reportetur in Capella Sancti-Pancratii juxta claustrum Canonicorum, quia ibi est locus conservationis, et cum omni cautela usque in die sabbati custoditur.

Deinde Pontifex venit ad altare, accipiens ampullam vitream, quæ intus se continet quoddam vasculum aureum, et in illo vasculo est lapis preciosus concavus, et in illa concavitate lapidis est diligenter preciosus Christi Sanguis inclusus, qui annualiter extrahitur, et reponitur ibi in concavitate lapidis archæ; et tunc lavatur a Pontifice, et ostenditur, ut tota turba populi valeat cum timore et reverentia et omni devotione eum videre : postea traditur custodienda Priori et Canonicis ejusdem ecclesiæ usque in diem sabbati. Tunc Pontifex intrat ad sacrificandum solus infra archam, ut significetur quod in veteri Testamento scriptum est quod solus Pontifex intrabat semel in anno in Sancta sanctorum, tantum cum cruce et linteamine superpositis Episcopo vel Cardinali, cum Cappellano Sacerdote ministrante sibi.

Confecto itaque sacrificio, Pontifex solus communicat super altare sine Ministris; et non cum calamo, sed cum calice tantum se confirmet illo die et sexta feria; et ponit illam quartam partem in calice : postquam autem communicaverit, ponit calicem super altare, et

(*a*) Lege, *ornatu*.

Digitized by Google

patenam juxta eum cum Corpore Domini reservato, quod sexta feria de ipso sacrificio resumit, et cohoperitur utrunque sindone munda.

Percepto itaque Corpore et Sanguine, domnus Pontifex ascendit sedem ligneam, et continuo duo Accoliti deferunt ampullas involutas cum sindone alba serica in sinistro brachio, ita ut videri possint a medio, et Dyaconus qui assistit domno Papæ accipit ampullam unam mixtam cum balsamo, et representa eam Summo Pontifici, tenens eam in sinistro brachio involutam. Tunc Pontifex alet ter in ipsam (*a*): alent et in ipsam omnes Episcopi qui assistunt ibi, et Presbyteri cardinales, et dicat sine cantu et sine *Dominus vobiscum : Esorcizo te, creatura olei, per Deum Patrem omnipotentem, etc.*

Deinde dicat excelsa voce, Episcopi et Presbyteri dicant submissa : *Per omnia secula seculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est.* Prephatio. *Æterne Deus, qui in principio, etc.*

Tunc Episcopus salutet crisma nudum (*b*), et ceteri omnes. Quo expleto, benedicat ampullam olei delatam eo ordine quo supra, et similiter alet Pontifex ter in ipsam, sed tacite, et post ipsum omnes Episcopi, et Presbyteri cardinales, et alii Episcopi alent ter in ipsam, et tunc dicat sine cantu et sine *Dominus vobiscum.* Exorcismus olei (*c*) : « Exorcizo te, crea» tura olei, in nomine Dei Patris ✠ omni» potentis, etc. » Et dicit Pontifex : *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus.* Oratio. « Deus incrementorum omnium, etc. »

Post benedictionem vero istam omnes Episcopi et Presbyteri, et alii Episcopi salutent sanctum crisma et oleum, et in salutando inclinent capita, dicentes ter pro quolibet, *Ave, sanctum oleum,* et deosculentur ampullam semel tantum; et deferatur a Subdyacono ampulla olei, et Summus Pontifex salutet oleum, et deosculando ampullam, sicut fecit de crismate, et ceteri omnes salutent per ordinem ampullam in deosculando : postea reportentur ampullæ processionaliter, sicut fuerunt adductæ, ad sacrarium, vel locum ubi sedere debent, et tunc distribuatur unicuique sicut decet et fuerit opportunum. Pontifex vero in sede sua communicat illos qui communicari volunt. Reserventur tamen oblatæ integræ de Corpore Domini in die Parasceve; Sanguis vero Domini penitus assumatur. Pacis osculum non datur. *Agnus Dei* dicatur, et Communio *Dominus Iesus.* Sed antequam Pontifex revertatur ad altare ad complendam Missam, junior Presbyterorum cardinalium portat Corpus Domini depositum in piside ad locum præparatum, præcedentibus eum cum cruce et luminaribus et papilione desuper. Tunc Pontifex revertitur ad altare, et dicit hanc Orationem : *Refecti vitalibus alimentis.* Qua completa, Dyaconus dicit : *Ite, Missa est.*

ORDO III.

Ex eodem manuscripto Barensi Pontificali.

INCIPIT ORDO ROMANUS QUALITER AGENDUM SIT QUINTA FERIA IN COENA DOMINI.

Hora sexta ingrediuntur sacrarium tam Pontifex quam omnes Dyaconi, et induuntur dalmaticis et omni ornamento, et sedet Pontifex in sede sua; et præparentur ampulle tres cum oleo : quarum melior defertur Pontifici, ut accepto balsamo misceat cum oleo manu sua, dicens : « Hæc commixtio liquorum fiat omnibus per» unctis propitiatio et custodia salutaris in se» cula seculorum. Amen. » Illam vero aliam Ministri teneant plenam, et Pontifex lotis manibus procedat cum VII cereastris ad Missam. Et antequam dicat *Per quem hæc omnia, Domine,* benedicat oleum pro infirmis. Exorcismus est iste : « Exorcizo te, immundissime spiritus, om» nisque incursio sathanæ, et omne phantasma, » in nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiri» tus ✠ sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit » effici unctio spiritualis, etc. »

Benedictio olei infirmorum : « Emitte, quæ» sumus, Domine, Spiritum sanctum Paracli-

(*a*) In margine legitur : *Antequam alet, Episcopus ministrat balsamum cum tribus ramusculis palmarum benedictarum, et primum dicat, cum immiscet :* Hæc commistio liquorum fiat omnibus peruntis propitiatio, et custodia salutaris in secula seculorum. Et hiis dictis alet ter, et dicat : *Exorcizo te.*

(*b*) In margine : *dicentes ter :* Ave, sanctum crisma; *et ultimo loco deosculantur ampullam.*

(*c*) In margine : *Pro oleo catechumenorum.*

Digitized by Google

» tum de celis in hanc pinguedinem olivæ, » quam de viridi liquore producere dignatus es » ad refectionem mentis et corporis, ut tua » sancta bene ✠ dictione sit omni unguentum » hoc tangenti tutamentum mentis et corporis, » ad evacuandos omnes dolores, omnes infir» mitates, omnemque ægritudinem mentis et » corporis : unde unxisti Sacerdotes et Reges, » Prophetas et Martyres tuos; sit crisma tuum » perfectum nobis a te benedictum, permanens » in visceribus nostris, in nomine Domini nostri » Jesu Christi. Per quem hæc omnia, Domine. » Et cetera usque, « Per omnia secula secu» lorum. ℟. Amen. Oremus. Præceptis saluta» ribus moniti ; » et cetera usque « Pax Domini » sit semper vobiscum. »

Qua expleta, communicat Episcopus solus ante altare, et Dyaconus confirmat eum cum calice illa tantummodo die. Postquam autem communicaverit, ponit calicem super altare, et patenam juxta eum, et cooperitur statim uterque de sindone munda post corporale expansum : et continuo duo Acoliti tenent ampullas involutas cum sindone alba serica in sinistro brachio ita ut videri possint a medio; et veniens Dyaconus accipit ampullam unam cum balsamo, et dat Archidyacono, et ille defert ante altare. Tunc dicat Pontifex : « Oremus Dominum » nostrum omnipotentem, qui incomprensibilem » Filii sibi coeterni divinitatem mirabili dispo» sitione veræ humanitati inseparabiliter con» junxit, etc. »

Hic commisceantur, dicente Pontifice : « Hæc » commixtio liquorum fiat omnibus perunctis » propiciatio et custodia salutaris in secula » seculorum, Amen. »

Tunc Pontifex respiciens ad Orientem, et Dyaconus tenet ipsam ampullam in sinistro brachio involutam de sindone. Antequam benedicatur, halat ter in ampullam, et intret in consecrationem crismatis, et dicat Pontifex : « Exorcizo te, creatura olei, per Deum Patrem » omnipotentem, qui fecit celum et terram, » mare, et omnia quæ in eis sunt, ut omnis » virtus adversarii, omnisque exercitus dyaboli, » omnisque incursio, et omne fantasma satha» næ eradicetur et effugetur a te, ut fias omni» bus qui ex te ungendi sunt, in adoptionem » filiorum per Spiritum ✠ sanctum, in nomine » Pa ✠ tris omnipotentis, et Filii ✠ ejus Domini » nostri, qui cum eo vivit et regnat Deus in » unitate ejusdem Spiritus sancti. »

Hic dicit excelsa voce : *Per omnia secula seculorum.* ℟. *Amen.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℣. *Et cum spiritu tuo.* ℣. *Sursum corda.* ℟. *Habemus ad Dominum.* ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* ℟. *Dignum et justum est.* Prephatio : *Æterne Deus, qui in principio, inter cetera bonitatis et pietatis tuæ munera, terram producere fructifera ligna jussisti, etc.*

Tunc Episcopus salutet crisma nudum (*a*), et cæteri omnes.

Postea ducatur ampulla cathecumenorum cooperta, et Episcopus ter halet in ipsam, et dicat : « Exorcizo te, creatura olei, in nomine » Dei Pa ✠ tris omnipotentis, et in nomine Jesu » Christi ✠ Filii ejus, et in virtute Spiri» tus ✠ sancti, ut in hac invocatione suæ pote» statis, atque unius virtute Deitatis omnis » nequissima virtus adversarii, et omnis inve» terata malitia dyaboli, omnis violenta incursio, » omne confusum et cecum fantasma eradicetur » et effugetur, et dyscedat a creatura hujus » olei ad utilitatem hominum constituta, ut fiat » hæc unctio divini sacramenti purificata in » adoptionem carnis et spiritus hiis qui ex eo » ungi debent, in remissionem omnium pecca» torum, ut efficiantur eorum corpora ad om» nem gratiam spiritualem accipiendam sancti» ficata. Per eundem. »

Hic dicat Pontifex : *Dominus vobiscum.* Prephacio : « Deus incrementorum omnium, » et profectuum spiritualium remunerator, qui » virtute sancti Spiritus tui imbecillarum men» tium rudimenta confirmas : te oramus, Do» mine, ut venturis ad beatæ regenerationis » lavacrum tribuas per unctionem istius crea» turæ purgationem mentis et corporis, ut si » quæ illis adversantium spirituum inhæserint » reliquiæ vel maculæ, ad tactum sanctificati » olei hujus abscedat. Nullus spiritualibus ne» quitiis locus : nulla refugis virtutibus sit fa» cultas : nulla insidiantibus malis latendi » licentia relinquatur. Sed venientibus ad fi» nem servis tuis, et sancti Spiritus tui opera» tione mundandis, sit unctionis hujus præpa-

(*a*) In margine : *dicens ter :* Ave, sanctum chrisma ; *et ultimo osculatur ampullam.*

Digitized by Google

» ratio utilis ad salutem, quam etiam per » celestis regenerationis nativitatem in sacra- » mento sunt baptismatis adepturi. Per Domi- » num nostrum. »

Tunc Pontifex, et qui juxta eum sunt, salutent ipsum oleum (*a*) .Ampulla autem quæ cum crismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut a nemine videatur. Sed, tenente eam Acolito, omnes per ordinem eam salutent. Hiis ita peractis, eodem ordine quo ascenderunt in ecclesiam, redeant ambæ ad sacrarium ; et Pontifex lavet manus suas : et Dyaconi vadant ad altare, et discooperiant Sancta ; et Pontifex veniat ad altare, et dividat oblatas ad frangendum, et sumat de ipsis oblatam integram, ad servandum usque in diem Parasceven, de quibus communicet absque Sanguine Domini. Sanguis vero eadem die penitus consumatur. Scola dicit *Agnus Dei,* tribus vicibus. Communio : *Dominus Jesus*, cum Psalmo, et *Gloria.* Fractis oblatis communicent Presbyteri et Dyaconi et ceteri omnes, et ita perficiatur Missa ordine suo. Et Pontifex descendat in sacrarium mandans Presbyteris quid voluerit. Tunc crisma et oleum dividantur per Presbyteros, et ita compleatur. Ipsa vero die omne Officium diurnale insimul cantatur.

ORDO IV.

Ex antiquo Romano Ordine apud Melchiorem Hittorpium, p. 41 et seqq.

« Tunc (*b*) offeratur Pontifici oleum de am- » pullis quas offerunt populi ad ungendos tam » infirmos quam energumenos, et in ultimo, » antequam dicatur : *Per quem hæc omnia,* » *Domine, semper bona creas*, exorcizet, et be- » nedicat illud tam ipse quam omnes Presby- » teri qui adsunt, ut tantum possint a circum- » stantibus audiri. Ita : »

Exorcismus olei.

Exorcizo te, immundissime spiritus, omnisque incursio satanæ, et omne phantasma, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici unctio spiritualis ad corroborandum templum Dei vivi, ut in eo possit Spiritus sanctus habitare, per nomen Dei Patris omnipotentis, et per nomen dilectissimi Filii ejus Domini nostri Jesu Christi. *Et non peragatur conclusio.*

Benedictio ejusdem.

Emitte, Domine, Spiritum tuum Paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis et corporis, ut, tua sancta benedictione, sit omni tangenti hoc unguentum salubre cœlestis medicinæ, tutamen mentis et corporis, et ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnemque ægritudinem mentis et corporis : unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas et Martyres, crisma tuum sit perfectum nobis a te, Domine, benedictum, permanens in visceribus nostris in nomine Domini nostri Jesu Christi.

Tunc dicatur : Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et præstas nobis : per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria : per omnia secula seculorum. « Et oleum » eodem ordine quo ascendit reportetur, et in » loco suo conservetur. Missa vero ordine suo » agatur, usque dum benedictiones Episcopales » solvantur, dicente in altum Episcopo : » Oremus. Præceptis salutaribus moniti, et divina instituti formati, audemus dicere : Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris, et, intercedente beata et gloriosa semper Virgine Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea, cum omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut, ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus, in unitate Spiritus sancti. Per omnia secula seculorum. Amen.

(*a*) In margine legitur : *Salutent ter dicentes :* Ave, sanctum oleum.

(*b*) Id est ante ea Canonis verba : *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, etc.*

Digitized by Google

Pronunciante Diacono « Humiliate vos ad be- » nedictionem, Deo gratias, » sequantur benedictiones Episcopales in hunc modum : « Benedicat vos Deus, qui per Unigeniti sui Passionem, vetus Pascha in novum voluit converti, concedatque vobis ut, expurgato veteris fermenti contagio, nova in vobis perseveret conspersio.℟. Amen. Et, quia ad celebrandum Redemptoris nostri Cœnam mente devota convenistis, æternarum dapium vobiscum epulas reportetis. ℟. Amen. Ipsius opitulante clementia, mundemini a sordibus peccatorum, qui, ad insinuandum humilitatis exemplum, pedes voluit lavare Discipulorum. ℟. Amen. Quod ipse præstare dignetur. Et pax Domini sit semper vobiscum. »

« Tunc communicet solus Pontifex ante » altare, et Diaconus offerat ei calicem, et non » frangat oblatas, nisi eam solam unde ille » communicat. Illo tantummodo die, postquam » communicaverit Episcopus, ponat Diaconus » calicem super altare. Deinde acceptam a » Subdiacono patenam ponat juxta calicem de » latere sinistro, et statim a duobus Diaconibus » utrumque cooperiatur de sindone munda, » quam prius præparaverant in ora altaris e » regione Pontificis post corporalem expansum. » Tunc Dominus Episcopus vadat ad sedem » suam, et expectet. »

Ordo de consecratione principalis chrismatis.

« Expectante vero in sede sua Pontifice, » veniant ad sacrarium duodecim Presbyteri » et cæteri Clerici, quantum opus sit ad defe- » rendum cum omni decore oleum chrismale » et etiam oleum catechumenorum et neophy- » torum usque in ecclesiam ante Episcopum. » Sint etiam parati iidem Presbyteri, et cum » eis ceteri Clerici casulis et solemnibus vesti- » mentis. Tunc duo Acolythi, accipientes illas » duas ampullas quæ ad chrisma et ad oleum » catechumenorum consecrari debent, involutas » cum sindonibus de albo serico, ita ut videri » possint a medio, teneant in brachio sinistro, » projectis sindonibus super scapulam sinistram, » ita ut pertingat ad scapulam dextram, quate- » nus possint dependentia detineri, et procedant. » Et ordinent se illi Presbyteri et prædicti Cle- » rici rite et ordinabiliter, ita ut primum am- » bulent duo Acolythi cum candelabris et » ardentibus cereis. Deinde portentur duæ » cruces, et inter illas medium chrismale oleum. » Post eas portentur duo thuribula cum incenso, » et inter illa, sicut prædiximus, medium oleum » catechumenorum. Deinde portetur Euange- » lium, ut impleatur omne bonum. Postea » sequantur bini et bini illi duodecim Presby- » teri, testes et cooperatores ejusdem sacrosancti » chrismalis mysterii. Tunc vero subsequantur » pueri, in laudem ejusdem mysterii concinen- » tes hos versus ad hoc congruentes.

Ave, judex mortuorum,
Una spes mortalium.
Audi voces proferentem
Donum pacis prævium.

» Et Chorus respondet :

O Redemptor, sume carmen
Temet concinentium.
Arbor fœta alma luce,
Hoc sacrandum protulit;
Fert hoc prona præsens turba
Salvatori seculi.
O Redemptor, etc.
Stans ad aram, immo supplex
Infulatus Pontifex
Debitum persolvit omne
Consecrato chrismate.
O Redemptor.
Consecrare tu dignare,
Rex perennis patriæ,
Hoc olivum, signum vivum
Jura contra dæmonum.
O Redemptor.
Ut novetur sexus omnis
Unctione chrismatis,
Medeatur sauciata
Dignitatis gloria.
O Redemptor.
Lota mente sacro fonte,
Aufugantur crimina.
Uncta fronte, sacrosancta
Influunt charismata.
O Redemptor.
Corde natus ex Parentis,
Alvum implens Virginis,
Præsta lucem, claude mortem
Chrismatis consortibus.
O Redemptor.
Sit dies hæc nobis festa
Seculorum seculis;
Sit sacrata digna laude,
Nec senescat tempore.
O Redemptor.

» Venientibus autem eodem ordine in cho- » rum, et stantibus ad Orientem versis, versi- » busque finitis, interea ordinent se Lectores,

Digitized by Google

» Ostiarii, Acolythi et Subdiaconi, et stent in » ordine suo secundum eos gradus ubi ascen- » ditur ad altare, tanti, ut Subdiaconus sit » sextus in eminentiori loco; et juxta eum Ar- » chidiaconus, qui legebat, ita involutam am- » pullam commixtam suscipientes per ordi- » nem, ut ascendat, et dum pervenerit ad » Archidiaconum, ille proferat eam ita invo- » lutam una cum sindone ante Pontificem. » Interim autem unus Subdiaconus deferat » vasculum cum balsamo alii Diacono, et ille » Pontifici ante altare.

» Tunc ordinentur circa Episcopum hinc et » inde eadem candelabra et cruces et thuri- » bula, atque Euangelium, necnon et prædicti » duodecim Presbyteri, testes et adjutores ejus- » dem mysterii, ita ut Diaconi post dorsum » Episcopi stent, Presbyteri vero a dextris et a » sinistris, cruces vero et cetera utrinque in- » ter illos media.

» His ita statutis, convertat se Episcopus, » aut cui ille præceperit, tam ad Clerum quam » ad populum, et faciat sermonem (*a*) de con- » fectione chrismatis congruentem. Tunc con- » vertat se ad Orientem, et intret in consecra- » tionem principalis chrismatis, Archidiacono » tenente ante ipsum ampullam in sinistro » brachio involutam in sindone, ut supra dixi- » mus, et primo misceat balsamum cum oleo. »

Benedictio in commixtione olei et balsami.

Oremus Dominum nostrum omnipotentem, qui incomprehensibilem unigeniti Filii sibique coæterni divinitatem mirabili dispositione veræ humanitati inseparabiliter conjunxit, et gratia cooperante sancti Spiritus, oleo exultationis præ participibus suis linivit, ut homo, fraude diaboli perditus, gemina et singulari constans materia, perenni redderetur, de qua exciderat, hæreditati : quamvis hos ex diversis creaturarum speciebus liquores creatos, sanctæ Trinitatis perfectione benedicat, et benedicendo sanctificet, concedatque ut simul permixti unum fiant, et quicumque exterius inde perunctus fuerit, ita interius liniatur, quo, omnibus sordibus corporalis materiæ carens, se participem regni cælestis efficiat gratulatur. Per eundem Dominum nostrum.

« Hic commisceantur, dicente Episcopo : » *Hæc commixtio liquorum fiat omnibus per-* » *unctis propitiatio et custodia salutaris in* » *secula seculorum.* Deinde, antequam bene- » dicatur, halat ter super ipsam ampullam, et » dicit lenta voce exorcismum chrismalis olei. »

Exorcismus chrismalis olei.

Exorcizo te, creatura olei, per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cælum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, ut omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, omnisque incursio, et omne phantasma satanæ eradicetur, et effugetur a te, ut fias omnibus qui ex te ungendi sunt, in adoptionem filiorum, per Spiritum sanctum, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in charitate Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, qui cum eo vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti.

Tunc dicat alta voce : « Per omnia secula » seculorum. ℟. Amen. Dominus vobiscum. » ℟. Et cum spiritu tuo. Sursum corda. ℟. Ha- » bemus ad Dominum. Gratias agamus Domino » Deo nostro. ℟. Dignum et justum est. »

Præfatio.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui in principio, inter cætera bonitatis tuæ munera, terram producere fructifera ligna jussisti, inter quæ hujus pinguissimi liquoris ministræ oleæ nascerentur, quarum fructus sacro chrismati deserviret. Nam et David, prophetico spiritu gratiæ tuæ sacramenta prænoscens, vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantavit : et, cum mundi crimina diluvio quondam exinanirentur effuso, similitudinem futuri muneris columba demonstrans, per olivæ ramum pacem terris redditam nunciavit. Quod, in novissimis temporibus, manifestis est effectibus declaratum, cum baptismatis aquis omnium criminum commissa delentibus, hæc olei unctio vultus nostros jucundos efficit ac serenos. Inde etiam Moysi famulo tuo man-

(*a*) Id quidem, uti etiam alibi notatum est, sacri Canones frequenter inculcant, ut Episcopi vel Parochi, ubi Ecclesiasticas cæremonias peragunt, easdem populo exponant. Materiam ad sermonem habendum in solemni consecratione unctionis sacræ legere est apud Humbertum de Romanis, lib. II, *De modo prompte cudendi sermones*, tractatu II, sermone XXXIV.

Digitized by Google

datum dedisti, ut Aaron fratrem suum, prius aqua lotum, per infusionem hujus unguenti constitueret Sacerdotem. Accessit ad hoc amplior honor, cum Filius tuus Jesus Christus Dominus noster lavari se a Joanne undis Jordanicis exegisset, ut, Spiritu sancto in columbæ similitudine desuper misso, Unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuisset, testimonio subsequentis vocis ostenderes, et hoc illud esse manifestissime comprobares, quod eum oleo lætitiæ præ consortibus suis ungendum David Propheta cecinisset. Te igitur deprecamur, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eundem Jesum Christum Dominum nostrum, ut hujus creaturæ pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris, et sancti Spiritus ei admiscere virtutem, cooperante potentia Christi tui, a cujus sancto nomine chrisma nomen accepit : unde unxisti Sacerdotes et Reges, Prophetas et Martyres, ut spiritualis lavacri baptismo renovandis creaturam chrismatis in sacramentum perfectæ salutis vitæque confirmes, ut, sanctificatione unctionis infusa, corruptione primæ nativitatis absorpta, sanctum uniuscujusque templum acceptabilis vitæ innocens odore redolescat, ut, secundum constitutionis tuæ sacramentum, regio et sacerdotali propheticoque honore perfusi, vestimento incorrupti muneris induantur, ut sit his qui renati fuerint ex aqua et Spiritu sancto chrisma salutis, eosque æternæ vitæ participes, et cælestis gloriæ facias esse consortes. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti, per omnia secula seculorum. Amen.

» Finita benedictione, dominus Episcopus » salutet chrisma nudum, et Ministri qui juxta » eum sunt, et ita iterum per ordinem descen- » dat sicut ascendit. Et, tenente ampullam » Acolytho, deferatur omnibus cooperta ad » salutandum per ordinem, ita ut a nemine » nuda videatur. Hoc facto, summo honore » procuretur, usque dum altera ampulla ascen- » dat, et iterum descendat, ut ambæ honori- » fice ad locum suum redeant. »

Incipit exorcismus olei, quo ungendi sunt catechumeni.

« Descendente autem ampulla cum chrisma- » te, statim alia cum oleo catechumenorum » cooperta ascendat sicut prior, usque ante » Episcopum, et halat in ipsam ter, sicut in » priorem, sed tacite, ordine quo in supra de- » latam. Et in primis faciat ei exorcismum, et » benedicat eam quasi legens Lectionem. »

Exorcismus olei catechumenorum.

Exorcizo te, creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi, et Spiritus sancti, ut in hac invocatione trinæ potestatis, atque unius virtute Deitatis, omnis nequissima virtus adversarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta incursio, omne confusum et cæcum phantasma eradicetur et effugetur, et discedat a creatura hujus olei ad utilitatem hominum constituta, ut fiat hæc unctio divinis Sacramentis purificata in adoptionem carnis et spiritus eis qui ex eo ungi debent in remissionem omnium peccatorum, ut efficiantur eorum corpora ad omnem gratiam spiritalem accipiendam sanctificata. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est.

Tunc dicatur : « Dominus vobiscum. ℟. Et » cum spiritu tuo. »

Oremus. Deus incrementorum omnium, et profectuum spiritualium munerator, qui virtute sancti Spiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas : te oramus, Domine, ut venturis ad beatæ regenerationis lavacrum, tribuas per unctionem istius creaturæ purgationem mentis et corporis, ut, si quæ illis adversantium spirituum inhæsere maculæ, ad tactum sanctificati olei hujus abscedant. Nullus spiritualibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus sit facultas, nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur; sed venientibus ad fidem servis tuis, et sancti Spiritus tui operatione mundandis, sit unctionis hujus præparatio utilis ad salutem, quam etiam cælestis regenerationis nativitate in sacramento sunt Baptismatis adepturi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est.

« Tunc dominus Episcopus et qui juxta » eum sunt salutent eam, et descendat per » ordinem, sicut altera, et deferatur omnibus » ad salutandum.

« His ita peractis, eodem ordine et decore

Digitized by Google

» quo ascenderant in ecclesiam, redeant ambæ » ad sacrarium. Tunc Pontifex lavet manus, » et Diaconi vadant ad altare, et discooperiant » Sancta. Et Pontifex, veniens ad altare, dividat » oblatas ad frangendum, et communicet omnis » populus ordine suo, et sumat de ipsis oblatas » integras ad servandum usque mane diei » Parasceves : de quibus communicent absque » Sanguine Domini. Sanguis vero eadem die » penitus consumatur. Et Schola dicat : *Agnus* » *Dei,* absque osculo; et Communionem : *Do-* » *minus Jesus,* cum Psalmo, et *Gloria.* Fractis » autem oblatis, communicent Presbyteri pri- » mo, postea Diaconi, et ceteri omnes. Et ita » perficiatur Missa pleniter ordine suo. »

Postcommunionem : Refecti vitalibus alimentis, quæsumus, Domine, Deus noster, ut quod tempore nostræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere consequamur. Per.

Super populum : Concede quæsumus, Domine, ut perceptum novi Sacramenti mysterium et corpore sentiamus et mente. Per.

« Et Pontifex descendat in sacrarium, man- » dans Presbyteris quid voluerit. Tunc chrisma » novum misceatur cum veteri, si quid resi- » duum fuerit. Similiter et oleum, et ita divi- » datur per Presbyteros. Et finita sunt ista. »

ORDO V.

Ex Euchologio Græcorum apud Jacobum Goar, pagina 501 et seqq.; et Isaacium Habertum, in libro Pontificali Ecclesiæ Græcæ, pag. 695 et seq.

SANCTI UNGUENTI OFFICIUM.

« Sancta et magna feria (a) quinta, Hymni » Cherubici vice dicimus : *Cœnæ Domini.* Cum » videlicet a Propositionis mensa ad medium » altare mysteria sacra deportantur. Defert » autem Archipresbyter, sacra Mysteria præce- » dens, unguentum (*b*) in alabastro, calicis » velo (*c*) tectum : subsequentibus retro hinc » et inde Diaconis, flabellorum (*d*) paria se- » ptem deferentibus, præcedentibus autem » domestico et Diaconis aliis cum cereis ac- » censis; et ad sacras fores cunctis adventan- » tibus. Duo quidem flabella pro more recepto » intus sacrum tribunal penetrant. Alia vero » a sacris foribus usque ad altare, stant hinc » et inde combinata. Archypresbyter autem, » unguentum deferens, Patriarcham præstola- » tur ad sacras fores : et accurrens Patriarcha » recipit ab eo alabastrum, et in sacræ mensæ » sinistro latere infra secundum (*e*) calicem » deponit; atque deinceps Sancta ingrediuntur » suo ordine. Mox Diaconus in ambone stans » exclamat : *Orationem nostram compleamus.* » Postquam vero Patriarcha dixerit : *Et con-* » *cede nobis uno ore, etc. Et erunt misericordiæ* » *magni Dei,* Diaconus quidem in ambone stat » tacitus, Patriarcha vero conscensa sacræ » mensæ crepidine, sanctum unguentum de- » tegit, et ter illud signat, subjiciens secreto » orationem hujusmodi : »

Domine misericordiarum, et Pater luminum, a quo munus omne bonum, et donum omne perfectum provenit, præbe etiam nobis indignis gratiam in ministerium magni hujus et vivifici mysterii, quam Moysi fideli tuo famulo, et Samueli servo tuo, et sanctis tuis Apostolis elargitus es, et in unguentum hoc sanctissimum Spiritum tuum emitte. Per illud regale unguentum, spirituale unguentum, vitæ præsidium, animarum et corporum sanctificativum, oleum exultationis, quod in Lege quidem præcessit,

(*a*) Sancta et magna feria v, in qua, ut multiplicibus mysteriis honorata, juxta auctorem *De unctione Chrismatis,* inter opera S. Cypriani, divinæ sanctitatis abundantius in Ecclesia homines fiunt participes, sanctum etiam et præ cunctis magnum unguentum communi utriusque Occidentalis et Orientalis Ecclesiæ consensu consecratur; ejusque usus varias causas superius enarravimus.

(*b*) Vasculum sacri unguenti vocari *Alabastrum,* docet etiam Simeon Thessalonicensis, ubi hanc ejus nominis rationem tradit : « Sancta et magna feria quinta inducitur unguentum hoc in cratere sibi proprio, cui nomen Ala- » bastrum, ad instar effusi illius super caput Jesu a meretrice, vel a sorore Lazari Maria, unguenti. »

(*c*) Cur sacrum hoc unguentum velo tegatur, exponit Amalarius, lib. II *De Ecclesiasticis Officiis,* cap. XXI; et laudatus Thessalonicensis, cujus verba attulimus supra in Commentario ad § VIII.

(*d*) Flabella sacrum unguentum velantia enarrat S. Dionysius, vel alius antiquus auctor, in lib. *De ecclesiastica Hierarchia,* cap. IV; sed paria eorum sex tantum enumerat, totidemque recenset memoratus Thessalonicensis, Dionysium secutus.

(*e*) Plures calices adhibitos olim in Ecclesia Latina in quibusdam solemnitatibus, jam diximus tomo II hujus operis, in Commentario ad titulum IX.

Digitized by Google

effulsit autem in novo Testamento, quo Reges, Pontifices, Prophetas, et omnes ab eis deinceps, et subsequentibus Episcopis et Presbyteris per iteratæ nativitatis lavacrum usque hodie regeneratos unxerunt. Ita, Domine, Deus omnipotens, fac illud adventu sancti et adorandi tui Spiritus esse incorruptionis indumentum, signaculum perfectivum, lavacro tuo insignitis divinam tuam, et unigeniti Filii tui, et sancti Spiritus appellationem imprimens, ut per sanctam hanc obsignationem germani, familiares, cives, servi et ancillæ, anima corporeque sanctificati, ab omni nequitia alieni, omni peccato exempti, illibatæ gloriæ tuæ ceu vestimenti amictu, coram te a sanctis Angelis et Archangelis et ab omni cælesti Virtute agnoscantur, malignis autem et impuris dæmonibus formidandi appareant : ut sint acquisitus et peculiaris populus, regale Sacerdotium, gens sancta, et, illibato hoc mysterio signati, Christum in cordibus suis, inhabitaculum tuum, Dei et Patris in Spiritu sancto ferant. Quia sanctus es Deus noster, et in Sanctis requiescis ; et tibi gloriam referimus, Patri, et Filio, et sancto Spiritui : nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

« Deinde Pontifex ait (*a*) : *Pax omnibus*. Diaconus : *Capita vestra Domino inclinate*. Subjungit orationem Patriarcha : » Tibi omnium, Deo et Regi, cordis cervicem gratias agentes inclinavimus, eo quod nos dignos divinorum istorum mysteriorum fieri Ministros voluisti : misericordiam tuam idcirco prædicamus, quam abunde super nos effudisti, et, ut sanctificationem recipiat, et operetur sicut unguentum capiti superfusum, precamur : quia unguentum effusum est nomen unigenito Filio tuo Christo Deo nostro, in quo mundus omnis visibilis et invisibilis bono repletur odore. Tu enim adorandus ubique es et glorificatus ; et tibi gloriam et cultum referimus Patri, et Filio, et sancto Spiritui : nunc et semper, et in secula seculorum.

« Illud denique cruce signatum operit. Et » conversus qui in ambone stat Diaconus, ait : » *Dominum Sanctorum memoriam recolentes, etc.* Stant autem flabella, donec dicatur : » *Repleatur*. Cum vero Sancta proferri debent, » stante coram sacris foribus Archipresbytero, » assumit Patriarcha unguentum, delatumque » Archipresbytero tradit. Et tunc moventur fla- » bella, et in altum tolluntur : proceduntque » Diaconi eo quo venerunt cum flabellis ordine. » Atque ita contentum alabastro unguentum, » in vas ubi nardus asservatur, ab Achipre- » sbytero (*b*) reponitur. »

ORDO VI.

Ex Allatiano Euchologio manuscripto, apud eumdem Jacobum Goar, pag. 511, ad faciendum et præparandum sanctum unguentum.

Hæc sunt concurrentia in portionem materiæ totius compositionis. Vinum redolens, et aqua pro olei quantitate, in prima decoctione præmittitur, simulque oleum commiscetur : atque ita caminum succendi oportet. Adhibe myrti folia, rorem marinum, lauri folia, ladanum, aspalathum, elenium, irin, aristolochiam, cassiam, balsamum, balsami lignum, nardi stachyn, junci aromatici florem, ejus lignum, folia stachyos recentia, caryophylla sicca, terebinthum nardum vocatum.

Et dum hæc fuerint excocta, prout præfectus operis juxta quantitatem et qualitatem admixtarum specierum judicaverit expedire, tum ignis extinguitur ; opere vero tepefacto, et e cacabo educto, rursum et secundo redolens vinum cum aqua tepida, simulque cum superius memoratis condimentis præcoctum oleum immittitur ; cui adjunguntur et species aliæ, in minuta segmenta pro operis quantitate succisæ. Piper, cynnamomum, cynnamomi lignum, cardamomum, gladiolum, piper longum, cachreon, viscum, zinziber siccum, asarum, cyperim, caryophylla, nucem muscatam, et, in decoctionis finem, styracem, potitem et ladanum, et, post alteram horam, moschum purum et aloes lignum apponunt.

Operis vero præfectum oportet vigilem esse, nec dormire, sed apertis oculis attendere : aliosque ministros sedulos et sobrios opus incæptum

(*a*) De hac Episcopali salutatione, vide opusculum nostrum *De codice sancti Evangelii, etc.*, lib. II, cap. XV.

(*b*) Cautum est ex § ultimo tituli IV nostri Romani hodierni Pontificalis, ut Episcopus Presbyteris jubeat *ut, juxta canonum traditionem, chrisma et olea fideliter custodiant, etc.* Porro, teste Arcudio, hodie Patriarcha Constantinopolitanus consecratum semel in anno chrisma ad Metropolitanos, isti ad Episcopos, Episcopi vero ad Presbyteros mittunt.

Digitized by Google

commoventes, super aquæ ebullitioni jugiter oculos advertentes præponere; ut ne signo in cacabo invisibili facto, totum supra modum efferveat opus, cunctosque cum præfecto consumat, et effundatur. Ignis itaque ministros moneri oportet, ut fornacem nimis accensam frigida compescant et extinguant; et, si quando opus ipsum superaverit factum in cacabo signum, aqua tepida adjecta retundatur.

Secunda decoctio penes artificis judicium stabit, uno verbo, pro quantitate olei, concurrentumque et admixtarum specierum numero.

Decoctionis autem cæremonia incipit in fine quartæ jejuniorum hebdomadis, feria nempe sexta, qua solet venerandorum exaltatio celebrari. Quære post Missæ finem, nona hora jam absoluta, *in Menæo videlicet.*

Pontifex deinde papyros tres sumit, eosque aqua benedicta intingit; mox ter sancto Hymno decantato, pretiosam Crucem in aquam immergit, et eductam abstergit; et aqua quidem benedicta in crastinum reservatur, simul et papyri, et dimissione facta, cuncti ad proprias sedes secedunt.

Sabbati autem vespere, cum lucernarius terminatur Hymnus, ecclesiæ illius vasorum custos cum subjectis sibi chartulariis, et chartularii cum subditis pariter sibi vigilibus, ad coctorium proficiscuntur; et stant casulis ornati. Et, benedictione præmissa a Sacerdote cui, juxta consuetudinem, hebdomada illa oblationem perficere incumbit, incipiunt Hymnum *Ter sanctus*, ut compleatur opus. Aqua vero sancta a magno vasorum custode in cacabum immittitur, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti.

Præfati vero papyri a magno vasorum custode tribus cereis appositis succenduntur, et ab artificii præfecto immittuntur in pyram, ad inflammandam totam lignorum struem, et vasorum quidem custos digreditur, ministrosque suos chartularios ibi dimittit, aliosque hujusmodi operis et artificii componendi et absolvendi experientiam nactos. Et ignis quidem ardet ab illa hora usque ad primam noctis vigiliam, id est usque ad quartam horam. Mox extinguitur, ministris cunctis ad somnum diversuris. In Laudibus autem profunda nocte celebrandis, surgunt omnes, divinos Hymnos persoluturi : et opus illud tota die Dominica curatur, adjuncta prima noctis vigilia; tum ad matutinum usque crepusculum quieti se componunt, fornace nimirum penitus extincta.

Circa secundum vero diei horam, nardum tepidum existentem adveniunt operis curatores transfusuri, et in scaphum missuri. Et cacabo loto vinum aliud rursum infunditur, et aqua tepida adjicitur, priore videlicet ejecta, et in invio loco cum omni exusta materia ejecta. A nona autem hora feriæ secundæ incipit decoctio fieri cum speciebus in alia secunda decoctione superius descriptis. Absolvitur autem cum Deo hujusmodi opus circa mediam noctem illucescentis feriæ tertiæ, et usque ad horam diei tertiam intactum et inexhaustum opus totum manet. Post prandium autem magnus vasorum custos, et chartularii, et qui sub eis sunt vigiles, cum Ministris gloriam Deo rependunt hoc pacto :

« Pax omnibus.

» Dominum precemur.

» Gratias tibi agimus, Domine, Deus omnipo-
» tens, æterne, et Domine Jesu Christe unige-
» nite, splendor Patris, et Spiritus a Patre
» procedens, et in Filio manens, qui omnia
» consummas et sanctificas, in tribus personis
» unitas, natura indivisa : quia opus istud ad
» finem nos deducere fecisti ad sanctificatio-
» nem et gloriam fidelium Christianorum. In-
» tercessionibus super omnes gloriosæ Deiparæ,
» immaterialium Ministrorum tuorum, sancto-
» rum et valde celebrium Apostolorum, et
» omnium Sanctorum tuorum, qui a seculo tibi
» placuerunt. *Populus :* Amen. »

Et responso *Amen,* unguenti sancti artifex præcipuus, in auditu omnium, suavi et sonora voce intonat : *Coronatum es, opus, jam absolutum es.* Et, populo idem reboante, dicit rursus artifex : *Precibus super omnes sanctæ Deiparæ.* Populus : *Coronatum es, opus, jam absolutum es.* Et, acclamatione dimissioneque facta, cuncti ad propria divertunt. Feria tandem quarta nardum e cacabo deducunt, et in vasa sandarica juniperi bene uncta infundunt; et usque ad magnam feriam quintam custoditur.

NOTA.

Latinorum theologorum opinioni, quæ balsamum esse de necessitate materiæ remotæ sacramenti Confirmationis affirmat, mirum in modum favent Græci, qui etiam præter balsa-

Digitized by Google

mum et oleum, quæ sola Patres antiqui Latini chrismatis componendo requirunt, plures alias bene olentes, juxta veterem majorum suorum disciplinam, species adjungunt. Quamvis autem S. Dionysius, in libro *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. IV, sacrum hoc unguentum, « rerum bene olentium coacervationem in unum » collectam, qualitates fragrantes in se ubertim » et abunde complexam » nuncupet, nusquam tamen inficias iero, ex jam nominatis aromatibus quædam, vel prout nupera eorum inventio vel usus commendata reddebat aut reperta facilia erant, de novo fuisse a moderni temporis Orientalibus assumpta; nam, ut scite observat eruditissimus Goar, et moschum ignotum antiquitas habuit, et vocum quorumdam in hoc *Euchologii* Ordine positarum barbaries novitatem ipso suo sono arguit. Quantum ad ipsas rerum voces quibus Græci sacrum unguentum seu chrisma componunt, videri potest, præter laudatum Goar, Isaacius Habertus in suis *Ad ritum chrismatis Observationibus.*

TITULUS V.

ORDO AD SYNODUM.

I. Quamvis ea quæ nostro primo tomo *Conciliorum*, in Prolegomenis ad œcumenicas Synodos fuse exaravimus, satis ad explicationem tituli hujus esse possent, operæ nihilominus pretium esse censemus, ordinem nostri hodierni Romani Pontificalis sequentes, singulas rubricas, preces, Orationesque juxta methodum hactenus servatam exponere. Sunt autem Synodi quadruplicis generis: nam aliæ sunt generales et œcumenicæ, quædam nationales, nonnullæ provinciales, aliæ tandem Episcopales seu diœcesanæ appellantur. Generalis et œcumenica Synodus ita dicitur, quasi universo orbe convocata, seu ex Orientali et Occidentali Ecclesia, ut in ea sit totius Christiani nominis repræsentatio, ut ait Tertullianus in lib. *De Jejunio,* cap. XIII. Nationalis est illa quæ constat Episcopis complurium provinciarum ejusdem nationis; appellaturque major Synodus in canone XII Concilii Antiocheni, et apud S. Augustinum Synodus plenaria et universalis. Hujusmodi sunt Toletanæ et Carthaginenses Synodi, aliæque plurimæ. Provincialis Synodus dicitur illa quæ instituitur inter Episcopos ejusdem provinciæ: diœcesana vero, sive Episcopalis, quæ ex Presbyteris constat ejusdem diœcesis a proprio Episcopo convocatis.

II. Priscis Ecclesiæ sæculis frequentissimos fuisse Episcoporum cum suo respective Clero quasi cum senatu, quem Presbyterium vocare solebant, conventus, quos hodie Synodos provinciales et diœcesanas dicimus, sat ex antiquis sacris Conciliis et sanctis Patribus liquet. Concilium Nicænum, can. V, ita statuit: « Bene » placuit, annis singulis per unamquamque » provinciam bis in anno Concilia celebrari, » ut communiter, omnibus simul Episcopis » congregatis provinciæ, discutiantur hujus- » modi quæstiones. » Et infra, definiens tempus quo ipsa Concilia celebrari debeant, sic inquit: « Concilia vero celebrentur, unum » quidem ante Quadragesimam Paschæ, ut omni » dissensione sublata, munus offeratur Deo » purissimum: secundum vero circa tempus » autumni. » In sequioris ævi Conciliis, præsertim Chalcedonensi, can. XIX, nihil frequentius inculcatur, quam ut Concilia bis in annos singulos celebrentur. Vide in ipsum canonem, nostro I tomo *Conciliorum*, plenum æque ac doctum commentarium amici nostri Bonaventuræ Sculco, patricii Crotoniatæ.

III. Labentibus sæculis, cum paulatim invaluisset ut Synodi provinciales singulis annis semel duntaxat haberi deberent, una quoque invaluit ut diœcesanæ Synodi semel etiam annuatim celebrarentur. Hanc enim Lateranensis Synodus IV œcumenica, ab Innocentio III anno 1215 habita, can. VI, consuetudinem quidem supposuit, et tacite saltem approbasse videtur. Nam, jubens singulis annis celebrari

Digitized by Google

Synodum Episcoporum provincialem, una quoque præcipit ut ea « quæ statuerint fa» ciant observari, publicantes ea in Episco» palibus Synodis per singulas diœceses ce» lebrandis. » Porro etsi, post hoc Concilii Lateranensis decretum, in plerisque Conciliis injunctum fuerit ut diœcesanæ Synodi annuatim haberi deberent, in aliquibus tamen Ecclesiis consuetudo remansit ut, juxta pristinam disciplinam, bis in singulos annos celebrarentur; quam quidem expresse supponit et probat Concilium Basileense, sessione xv, decernens Synodum diœcesanam ad minus semel in anno, ubi non est consuetudo bis annuatim celebrari. Hinc legimus in Concilio Coloniensi, habita anno 1549, constitutum fuisse ut Synodus diœcesana quotannis bis pro veteri more celebretur. Tum vero hæc addit : « Suf» fecerit tamen in diœcesi Leodiensi, propter » ejus latitudinem, et multitudinem Prælato» rum, semel quotannis recte et studio fer» venti celebrari. »

IV. Synodus Tridentina, tametsi frequentiorem Synodorum celebrationem pro reformatione morum desideret, amplexa nihilominus est moderationem Concili Lateranensis, mandatque idcirco sessione xxiv, *De Reformatione*, cap. ii, ut « Synodi diœcesanæ quotannis cele» brentur. » Hoc decretum cum passim nostro hoc sæculo negligeretur, Benedictus XIII, Pontifex Maximus, sacrorum canonum atque Ecclesiasticæ disciplinæ observantissimus, inter alia saluberrima decreta quæ in Concilio suo Romano edidit, anno 1725, ita statuit, titulo ii, capite iii : « Decreto simili Episcopis » omnibus, ac insuper Archiepiscopis Suffra» ganeos non habentibus, mandamus ut, cum » nulli Episcoporum liceat propria apud se» metipsum Concilia facere, præter eos quibus » sunt metropoles concreditæ, studeant et ipsi » semel saltem in anno Synodum cogere diœ» cesanam. »

V. Quantus fuerit laudati Pontificis eximius zelus in celebrandis Synodis tum provincialibus tum diœcesanis, manifeste nos docent plurimi codices editarum ab ipso Synodorum provincialium, ac præsertim diœcesanarum. Quam consuetudinem, in Ecclesia Beneventana per triginta et octo annos religiose servatam, creatus Pontifex Maximus etiam retinuit, celebravitque idcirco Romæ anno Jubilæi 1725 in Ecclesia Lateranensi Concilium provinciale complurium Episcoporum; quod cum unum e præclarioribus gestis ipsius Pontificis sit, sapientissime curarunt ejusdem tumuli constructores, nuper in templo Sanctæ-Mariæ super Minervam erecti, ut ipsum Lateranense Concilium in tabula marmorea insculperetur.

VI. Sed hisce omissis, quantum ad ritum ac ordinem spectat celebrandi provinciales aut diœcesanas Synodos, diserte illum nobis describunt Concilia, Toletanum iv, anni 636, can. iv; et Salegunstadiense, anni 1022; itemque vetus Ordo Romanus; ac veteres æque ac recentiores manuscripti libri Pontificales, quorum loca in decursu commentariorum ad hunc titulum referimus. Porro hic illud non omittendum, quod initio celebrandæ Synodi faciendum statuit Salegunstadiense Concilium, apud Burchardum Wormatiensem episcopum, post editos libros viginti decretorum : « Sella, » inquit, ponatur in medio, et super eam sa» cræ reliquiæ, et plenarium cum stola po» nantur. » Sacras Sanctorum reliquias ex vicinis locis, ad sacra Episcoporum Concilia fuisse delatas, ut, earum præsentia, et vires acciperet zelus Episcopalis, et malignorum consilia retunderentur, ostendimus nostro i tomo *Conciliorum*, in Prolegomenis, cap. xx. Quod in eisdem Conciliis sacri Evangelii codex honorificentissimo collocaretur throno, dictum a nobis fuit in opere nostro, *De codice sancti Evangelii, etc.*, libro iii, cap. x. *Plenarii* verbo significari librum Missalis, in quo Evangelia descripta sunt, id etiam in Prolegomenis nostri i tomi *Conciliorum*, cap. citato, demonstratum est.

§ I.

Sacerdotes et Clerici universi qui ad Synodum de jure vel consuetudine venire tenentur, conveniant in civitate, vel alio loco, prout Pontifex ordinaverit.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Quemadmodum, ut nostro primo tomo Conciliorum dictum est, œcumenicæ Synodi convocatio ad Romanum Pontificem Maximum, nationalis ad Primatem nationis, et provincialis ad metropolitanum Antistitem spectat, ita ad diœcesanum Episcopum pertinet convocatio Synodi Episcopalis, seu diœcesanæ. Id quidem passim sacri canones docent, ac præsertim Concilium Tridentinum, sessione XXIV, *De reformatione*, capite II. Ex cap. *Conquerente*, XVI, *De officio Judicis Ordinarii;* et ex cap. *Quod super his*, IX, *De Majoritate et Obedientia*, aperte deducitur, ad eam partem jurisdictionis Episcopalis quæ venit appellatione legis diœcesanæ, pertinere et Synodum sive Synodi convocationem. Quando et quomodo indicenda diœcesana Synodus sit, in suo provinciali IV Concilio Mediolanensi, Constitutionum parte III, docet S. Carolus, cap. *De Synodo diœcesana*, ubi, postquam laudavit quorumdam suæ provinciæ Ecclesiarum morem, in prima proxima diœcesana Synodo certum diem Synodalem constituendi, quo Clerus ad illam conveniat, hæc statim subjungit : « Hic autem dies in singulos etiam » annos cathedrali in ecclesia, de suggestu, die » Epiphaniorum, vel kal. januarii, ut alios » solemnes dies denuntiari consuetudinis est, » indictus, kalendario etiam adscribatur quod » in singulos annos confici solet. » Tum etiam addit certum illum diem, prout causa postulabit, modo prorogare, modo accelerare ac mutare, in Episcopi arbitrio esse; ita tamen ut neque sex mensium spatium post celebratum Concilium provinciale, nec rursus ullus annus prætereat quo Synodum non habeat.

II. Est et in Episcopi arbitrio eo quo ipsi libuerit tempore, in sua cathedrali vel alia diœcesis ecclesia Synodum celebrare; ad quam, ex Concilii Tridentini decreto, Exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere tenentur; ratione tamen parochialium aut aliarum sæcularium ecclesiarum, etiam annexarum, debent ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse. Ex decreto itaque Concilii Tridentini aliisque in eo contentis manifestum fit, ex mente ipsius Concilii esse ut diœcesanæ Synodo hi præ cæteris interveniant qui una cum ipso curam animarum, et regimen spirituale Ecclesiæ sustinent. Quod mirum videri non debet; quandoquidem in hisce Synodis et conventibus, ut scite observat Vanespen, part. I *Juris Ecclesiastici universi*, tit. XVIII, cap. I, num. VII, præcipue de regimine animarum, et quæ ad illud spectant tractandum sit; ut propterea Episcopi, quo tempore secundum canones una cum suo Clero, cujus præcipua portio sunt Presbyteri curam animarum sustinentes, negotia suarum Ecclesiarum absolvebant, in effectu synodaliter regere, et causas tractare et examinare dicerentur.

III. Vi hujus Tridentini decreti Regulares omnes, sive sint exempti sive non, qui vel Capitulis generalibus non subduntur, vel curam animarum exercent, tenentur et cogi possunt ad Synodum accedere, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ ipso facto incurrenda, aliisque pœnis arbitrio Episcoporum, etiam excommunicationis : adeo ut jus declarandi et pœnas imponendi ad Episcopos, exemptione non obstante, pertineat. Quemadmodum sacra Congregatio apud Fagnanum ad cap. *Quod super his*, IX, *De majoritate et obedientia*, num. VIII, declaravit. Porro præter curam animarum exercentes, qui Synodo assistere debeant, non ex canonum sanctionibus duntaxat, sed et varia locorum consuetudine petendum est; ut aperte ex nostra hac rubrica edicitur : « Sacerdotes et Clerici uni» versi qui ad Synodum de jure vel consue» tudine venire tenentur, etc. » Idipsum edicit in suo Romano Concilio anni 1725 Benedictus XIII, tit. II, cap. III, citans in margine canonem *Propter*, distinctione XVIII. Sed audiendus est S. Carolus, qui in Concilio Mediolanensi provinciali V de ea re hæc habet : « Synodo diœcesanæ universi et singuli Sa» cerdotes, et Clerici cujuscumque ordinis, » intersint, quicumque Canonum jure, vel » Ecclesiasticis sanctionibus, vel Tridentino » decreto, vel consuetudine aliave ratione in» teresse possunt, aut plane debent. » Addit

Digitized by Google

cos quoque diœcesanæ Synodo interesse debere, qui beneficium ecclesiasticum in ea diœcesi obtinent ubi Synodus ipsa celebratur, etsi alibi domicilium habeant; atque, in iis quidem quæ ad illud beneficium pertinent, ejusdem Synodalibus decretis jussisque debere obtemperare.

IV. Jam non semel, sed iterum in anno haberi Synodum episcopalem antiqui juris fuit, unam nempe pro Presbyteris, alteram vero pro Abbatibus, constatque ex can. VII Concilii Antissiodorensis, cujus hæc sunt verba : « Ut » medio maio omnes Presbyteri ad Synodum » in civitatem veniant, et kalendis novembris » omnes Abbates ad Concilium conveniant. » Eam fuisse consuetudinem Carnotensis Ecclesiæ, ut annuatim congregaretur Synodus diœcesana VII kal. novembris, testatur Ivo episcopus Carnotensis in Epistola sua LXI, ubi ait se eo tempore Synodum celebrasse : « Præ» ter hoc, secundum consuetudinem Ecclesiæ » nostræ, Synodum VII kal. novembris cele» brare debemus, in qua, de negotiis eccle» siasticis et pace totius patriæ, multa nobis » tractanda sunt, quæ sine præsentia nostra » vel non tractarentur, vel tractata non ter» minarentur. » Gandavensium singulare privilegium fuit, ne Episcopus Synodum celebraret, nisi quoque triennio, idque per se, non per Vicarium : teste Jacobo Meyer, in suis *Annalibus Belgicis*, anno 1191. Hodie labuntur lustra, ne dicam sæcula, et multis in locis minime Synodi habentur.

§ II.

Prima autem die Synodi, Pontifex summo mane, cappam indutus, ab universo Clero cum superpelliceis comitatus ad ecclesiam pergit; paratur in sede; celebrat Missam de Spiritu sancto, et præbet Clero sacram communionem.

COMMENTARIUS.

I. Prima, secunda, tertia et quarta die consuevisse olim provinciale Concilium celebrari, ex Ordine antiquo Romano addiscimus, in eo titulo qui inscribitur : *Ordo qualiter agatur Concilium provinciale.* Prima quoque, secunda et tertia die celebrandam esse diœcesanam Synodum, diserte mandant libri Pontificales editi longe ante emendationem Clementis VIII, itemque manuscriptus Pontificalis codex Gulielmi Durandi, estque hæc hodieque omnium fere Episcoporum consuetudo celebrandi tribus diebus suas diœcesanas Synodos, et quidem ut plurimum Dominica II post Pascha, et duabus diebus sequentibus. Codex manuscriptus Sancti-Martialis Lemovicensis, enarrans modum celebrandi Synodum diœcesanam Lemovicensem, postquam dixit *Canones Apostolorum* jubere bis in anno Concilium celebrandum, triduo habendum ait, *hoc est* IV, V, VI *feria in hebdomada Pentecostes, et similiter post festum omnium Sanctorum.* In Concilio Salegunstadiensi anni 1022, ubi agitur de ritu quo initianda sit diœcesana Synodus, quatuor dies in ejusdem celebratione adhibendos repe-rio. S. Carolus, in Concilio suo provinciali Mediolanensi V, cap. *Quæ ad Synodum, congregationesque alias Clericales, et visitationem attinent*, inter alia nos docet « Synodali ce» lebritati triduum veteri ritu præstitutum » fuisse; » pro rerum nihilominus, quæ gerendæ sunt ratione, debere Episcopum non solum breviori, sed etiam longiori tempore Synodum agere, et Synodales actiones tractare, diserte affirmat.

II. Multa sunt in recitato Mediolanensis V provincialis Concilii capite, quæ hic describenda censui, eosque præsertim ritus ac preces qui Synodum ipsam diœcesanam præcedere debent. Ergo ante statam Synodi diem, per mensem quinta quaque feria, in Missæ sacrificio, si Quadragesima est, Oratio de Spiritu sancto dicenda est; alio autem tempore, die eodem Missa, cæteraque præstanda quæ in Concilio Mediolanensi provinciali II, ab eodem S. Carolo edito, tit. II, decreto VIII, sancita sunt; ut nimirum cum primum provincialis aut diœcesanæ Synodi indicta est dies, illud Metropolita atque Episcopi curent, ut in omnibus et urbis

Digitized by Google

et diœcesis suæ parochialibus ecclesiis quinta quaque feria in singulas hebdomadas, quoad illud de more absolutum ac dimissum erit, Missa de Spiritu sancto celebretur; in cathedrali autem et collegiatis ecclesiis processionum præterea munus singulis diebus Dominicis obeatur, ex animoque preces fiant pro optimo ipsius Concilii eventu.

III. Hæc quidem statuit Concilium ipsum provinciale II. In V autem sancitum est ut, ubi Synodus per Parochos populo indicta est, eorum uniuscujusque officium sit, parochialis suæ Ecclesiæ homines docere, tum quam sanctum salutareque sit Synodalis diœcesanæ actionis institutum, tum quam ob causam quotannis ea actio suscipiatur, tum denique, ut illos excitet non modo ad frequentius orationis studium Synodalibus illis diebus adhibendum, sed etiam ad id singulos inflammet ut, die Dominico statam Synodalem diem antecedente, vere pœnitentes et confessi sacram communionem sumant; hoc præcipue precantes ut quæ ad eorum salutem pertinent, Dei auxiliante misericordia, per Episcopum in Synodo diligenter sancteque agantur.

IV. Longum esset integrum caput ex ipso Mediolanensi V Concilio hic velle describere, ac ea præsertim quæ ex ipsius præscripto diœcesanam Synodum præcedere debent. Quod itaque ritus spectat qui stata Synodi die agendi sunt, mandat ut summo mane, et cæteris deinceps Synodalibus diebus, in cathedrali ecclesia certis campanæ ictibus ad Synodum Clerus convocetur, ejusque rei significatio in tabella fiat cura Magistri cæremoniarum publice loco suo affixa, qua Synodalis sessionis certa hora indicatur; ut nimirum ipsa hora universi et singuli qui in Synodo interesse debent, in ecclesia cathedrali non raptim, sed gravi incessu conveniant, ibique, loco constituto, superpellicea, quæ munda ac decentia sint, et almutias cappasve, pro Ecclesiæ instituto et usu, induant quicumque Dignitates Canonicatusve in Ecclesia Cathedrali obtinent, et qui Collegiatis ecclesiis quocumque nomine præpositi sunt : quibus recte et decenter induti, inde ad statum sessionalem locum non turbulenter, sed quiete, et, quoad ejus fieri potest, bini veniant, atque ordine consideant.

V. Nulla in hoc S. Caroli Concilio habetur de eo ritu mentio, ut scilicet, quemadmodum in nostra hac Rubrica præscriptum est, « prima die » Synodi Pontifex summo mane, cappam indutus » ab universo Clero cum superpelliceis comita- » tus ad Ecclesiam pergat. » Quem ritum puto in hoc nostro hodierno Romano Pontificali adjunctum a Clemente VIII, Pontifice Maximo, cum in editis ante ipsum Romanis Pontificalibus nihil de ea re exstet. Legimus siquidem in eo titulo qui inscribitur : « Ordo ad Concilium » provinciale, seu Synodum (id est diœcesanam), » celebrandum, » quod « Sacerdotes et Clerici » universi qui ad Concilium provinciale seu Syn- » odum de jure vel consuetudine venire tenen- » tur, conveniunt in civitate, vel alio loco, » prout Pontifex ordinaverit : prima autem die » Concilii seu Synodi, mane conveniunt in » Ecclesia in qua debet Concilium seu Synodus » celebrari, ubi Pontifex Missam audit. » Ubi nota nullam fieri ejus ritus mentionem in nostra rubrica præscripti, ut prima die Synodi Pontifex summo mane, cappam indutus, ab universo Clero cum superpelliceis comitatus ad Ecclesiam pergat.

VI. Exstat quidem ejus ritus vestigium in manuscripto codice Sancti-Martialis Lemovicensis, qui, ubi dixit nullum laicorum debere interesse Synodo, sed, clausis omnibus ostiis, Ecclesiæ omnes Sacerdotes et reliquos Clericos, indutos dalmaticis sedere, et jejunos exspectare adventum Episcopi, hæc statim subdit : « Circa » horam tertiam procedit ad eos Episcopus in- » dutus vestimentis sacris, et cappa Romana, » virgam pastoralem habens in manu. Præcedit » eum Archidiaconus dalmatica indutus, tenens » textum Evangelii, et Acolythi cum candela- » bris hinc et inde, et alius cum thuribulo. Cum » ad locum pervenerit ubi parata est cathedra » ad sedendum, mittit Episcopus thymiama in » thuribulo, et incensat Diaconus textum Evan- » gelii, quod jam posuerat in quadrato ornato » quod fasistorium dicimus : post defert incen- » sum ad odorem Episcopi, et qui Episcopo cir- » cumadstant. Deinde sedet Episcopus, et om- » nes Clerici post eum. Abbates, et Archidiaconi, » et Archipresbyteri, et doctiores Clerici in » circuitu Episcopi sedent. Abbatem Sancti- » Martialis jubet Episcopus juxta se consedere » in alia cathedra. Omnes Abbates ibi adstantes » virgas pastorales tenent in manibus. » Placuit

Digitized by Google

prolixum hunc locum describere, quod multos continet ritus qui non ita passim in aliis manuscriptis Pontificalibus inveniuntur.

VII. Est et aliud discrimen inter editos ante Clementem VIII, et hodiernum Romanum codicem Pontificalem, quod, juxta illorum præscriptum, Pontifex, ubi ad ecclesiam pervenit in qua debet Synodus celebrari, Missam audit; juxta illud autem quod in nostra hac rubrica habetur, Pontifex quidem « celebrat Missam de » Spiritu sancto, et præbet Clero sacram com- » munionem. » Missam Pontificalem ab Episcopo in prima sessione Synodi celebrandam præscribit in suo provinciali Concilio IV Mediolanensi S. Carolus, *Constitutionum* parte II, cap. *Quæ pertinent ad sanctissimum Missæ sacrificium, et divina Officia;* itemque in laudato provinciali V Mediolanensi Concilio, ubi statutum est ut « primo Synodi die Episcopus, » processione solemni primum peracta, Missæ » sacrificium celebret: tum precibus statis, et » cæremoniis ad ejusdem Synodi inchoationem » e libro Pontificali rite adhibitis, sermonem » Clero habeat eo de genere quod Synodalibus » tractationibus et sanctæ disciplinæ accommo- » datum sit. »

VIII. De sermone habendo in Synodis innumera exstant in antiquis Conciliis, Pontificalibus manuscriptis libris, et apud scriptores Ecclesiasticos testimonia, quæ huc afferri supervacaneum puto. Non omittendus tamen videtur ritus in manuscripto codice Sancti-Martialis Lemovicensis præscriptus: jubente enim Episcopo, dicebat Archidiaconus, *Jube, Domne, benedicere,* dataque ei ab Episcopo benedictione, legebat ipse Archidiaconus lectionem, sive de Epistolis S. Petri, vel de Homiliis S. Gregorii, et S. Augustini, et aliorum Doctorum, qui de ædificatione Ordinis pastoralis disserunt. Post finem lectionis, qui Episcopi arbitrio terminabatur, faciebat Episcopus ipse sermonem, vel ille qui ab Episcopo jussus fuerat.

§ III.

Qua finita, paratur faldistorium ante medium altaris juxta inferiorem gradum, per quem ad altare ascenditur, et alia sedes in plano altaris (poterit tamen faldistorium suo tempore, loco secundæ sedis, cum tempus erit, poni). Pontifex vero supra rochettum, vel, si sit regularis, supra superpelliceum, amictu, stola, pluviali rubeo, et mitra pretiosa induitur : quibus paratus, baculum Pastoralem manu ferens, accedit coram altari, Diacono et Subdiacono paratis rubeis ornamentis, ac si in Missa servire deberent, ipsum hinc et inde associantibus, et ibi ante faldistorium sibi paratum genuflexus, deposita mitra, incipit, Schola prosequente, Antiphonam toni VIII : *Exaudi, Domine, quoniam benigna est misericordia tua : et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.* Psalmus LXVIII : *Salvum me fac, Deus, etc.* Incœpto Psalmo, sedet Pontifex accepta mitra, et sic manet quousque finiatur Psalmus, et Antiphona repetatur.

COMMENTARIUS.

I. Quibus olim ornati vestibus Episcopi atque Presbyteri interessent Synodis, dictum a nobis fuit nostro I tomo *Conciliorum*, in Prolegomenis, capite XVI. Quod in nostra hac Rubrica præscriptum est, habetur quidem in manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi. In Ordine antiquo Romano ac in aliis passim manuscriptis antiquis Pontificalibus libris nulla fit mentio de ritibus, Antiphona, ac Psalmo in ipsa Rubrica præscriptis. Ex Romano ipso antiquo Ordine, cui Synodus Salegunstadiensis consonat, cautum est ut, Synodum ingrediens, Episcopus, vel ejus Vicarius, primum salutet Clerum et populum, et versus in Orientem mediocri voce dicat hanc Orationem : « Deus, hu- » milium visitator, qui nos fraterna dilectione » consolaris, prætende societati nostræ gratiam » tuam, ut, per eos in quibus habitas, tuum in » nobis sentiamus adventum. Per Dominum » nostrum Jesum Christum. » Porro in Ordine

Digitized by Google

agendi Synodum juxta ritum Ecclesiæ Senonensis, edito ab erudito Martene, libro III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. I *De Conciliorum celebratione*, ordine IX, post alios in ipsa Synodo adhibitos ritus, si provincialis Synodus agebatur, sedente Archiepiscopo, Episcopus Carnotensis, si erat præsens, seu major Episcoporum post eum debebat incipere Antiphonam *Exaudi nos, Domine*, et Psalmum, *Salvum me fac*, cum *Gloria Patri, etc.* Si vero Synodus erat diœcesana, Præcentor Antiphonam ipsam et Psalmum incipiebat.

II. Tandem, ut alios omittam manuscriptos libros Pontificales seu rituales, ex manuscripto codice Sancti-Martialis Lemovicensis, in ordine celebrandi Concilium apud Lemovicum urbem, initio Synodi, Archidiaconus dalmatica indutus stans ante altare excelsa voce dicebat Antiphonam, *Exaudi, Domine*, cum Psalmo *Salvum me fac, Deus :* eoque finito, innuebat Primas cui volebat aut de Episcopis aut de Abbatibus, ut inciperet Litaniam modulando, quæ etiam in uno loco ab omnibus stantibus, versis vultibus ad altare sive ad Orientem, dicebatur.

§ IV.

Finito Psalmo, et repetita Antiphona, Pontifex surgit, et, deposita mitra, et versus ad altare, dicit : *Adsumus, Domine sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati : veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris : doce nos quid agamus; quo gradiamur, ostende; quid efficiamus, operare. Esto solus et suggestor et effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et ejus Filio nomen possides gloriosum : non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summe diligis æquitatem; ut sinistrum nos non ignorantiæ trahat; non favor inflectat; non acceptio muneris, vel personæ corrumpat : sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero; quatenus, in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.* Respondetur ab omnibus, *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco specialiter aggregasti; mentes nostras, quæsumus, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem; cunctosque in tua fide et charitate corroboret, ut, excitati a temporali Synodo, proficiamus ad æternæ felicitatis augmentum. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

COMMENTARIUS.

Etsi neutra Oratio in hoc § IV descripta exstet in Ordine antiquo Romano, in Concilio Salegunstadiensi, et in manuscriptis non paucis Pontificalibus libris, habetur nihilominus prima in vetusto manuscripto codice Floriacensi; in manuscripto Pontificali Bisuntino, annorum circiter septingentorum; et in aliis multis sequioris ævi, præsertim vero in manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, in quo, sicut in nostro hoc § habetur, utraque Oratio legitur. Juxta manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiæ Parisiensis, annorum circiter qua-

Digitized by Google

dringentorum, obseratis ecclesiæ januis, atque in diuturno silentio Episcopo ac Presbyteris residentibus, dicebat Archidiaconus : *Orate;* statimque agebatur Litania, omnesque incurvabantur, Episcopus æque ac Presbyteri, orantes diutius tacite cum fletibus atque gemitibus. Tum surgens Episcopus, cunctisque incurvatis, hanc palam ad Dominum Orationem fundebat : *Adsumus, Domine, etc.* Sequebatur Hymnus : *Veni, creator Spiritus,* de quo nos infra suo loco.

§ V.

Finita Oratione, accepta mitra, procumbit supra faldistorium prædictum, aliis omnibus genuflectentibus, et Cantores dicunt Litanias; et, postquam dictum fuerit : *Ut omnibus fidelibus defunctis, etc.* ℟. *Te rogamus, audi nos,* Pontifex surgit, et, baculum Pastoralem in sinistra tenens, stans versus ad Synodum, dicit : *Ut hanc præsentem Synodum visitare, disponere, et bene✠dicere digneris.* ℟. *Te rogamus, audi nos.* Producens signum crucis pariter super omnes. Quo facto, iterum accumbit, Cantoribus Litanias perficientibus. Quibus dictis, surgunt omnes, et Pontifex, deposita mitra, dicit stans versus ad altare : *Oremus.* Et Ministri : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Da, quæsumus, Ecclesiæ, misericors Deus, ut, Spiritu sancto congregata, secura tibi devotione servire mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Litanias in Synodorum celebratione cantandas præscribunt quidem nonnulli manuscripti libri Pontificales, præsertim vero Vaticanus Gulielmi Durandi, qui et in eo ritu, sicut in cæteris passim, cum nostro hodierno Pontificali Romano concinit. Ex Chartulario Sancti-Romani de Blavia de modo celebrandæ Synodi in Abbatis Sancti-Salvatoris de Blavia, « primo » celebratur Missa conventualis. Missa celebra- » ta, Archidiaconus incipit Litaniam, cantando, » iisque ad finem, de singulis Sanctis quatuor vel » quinque. Qua finita, sine intervallo ab ipso Epi- » scopo, vel Presbytero Blaviæ, vel ab uno alio » Presbytero incipitur *Veni, creator Spiritus;* » et dicitur totum Hymnum, etc. » Expressius idipsum docet nos Ordo provincialis Concilii Senonensis, apud Martenium, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. I, ordine IX, ubi, post Antiphonam *Exaudi nos, Domine*, et Psalmum *Salvum me fac, etc.*, ut supra in § III habetur, sancitum et illud est, ut statim dicatur Litania, et, cum ventum fuerit ad illud versiculum *Ut Pontificem nostrum, etc.*, surgat D. Archiepiscopus, et dicat ter cum nota : *Ut huic sacro præsenti Concilio adesse digneris, Te rogamus, audi nos.* Tum mandat ut ipse Archiepiscopus sedeat donec Litania fuerit finita per eum qui incepit, eaque finita, surgat Archiepiscopus ipse, et se prosternat, incipiendo *Veni, creator Spiritus.* Eadem servari jubet in ordine ad agendam diœcesanam Synodum. In Ordine antiquo Romano, aliisque Pontificalibus non paucis, et in Salegunstadiensi Synodo varii leguntur Psalmi et Orationes, imo etiam septem Psalmi quos pœnitentiales vocant.

II. Dictum jam superius fuit in Commentario ad § III, statim post Antiphonam *Exaudi, Domine*, et Psalmum *Salvum me fac, Deus*, ex manuscripto codice Sancti-Martialis Lemovicensis, jussu Primatis debuisse aliquem ex Episcopis aut Abbatibus qui Synodo intererant, modulando incipere Litaniam, quam in uno loco omnes stantes, versis vultibus ad altare sive ad Orientem, prosequebantur. Restat hic ea describere quæ ex eodem manuscripto codice statim sequuntur : « Et cum finita, inquit, Litania

Digitized by Google

» fuerit, innuit Primas Archiepiscopo, vel uni » ex senioribus, ut dicat : *Oremus*. Tunc Dia- » conus dicit : *Flectamus genua*. Tunc omnes, » positis genibus, diutius profundis gemitibus et » lacrymis orant, nec ante dicit Diaconus *Le- » vate*, quousque jubeatur a Primate. Et post- » quam secrete diutius oraverint, incipiat Pri- » mas v Psalmos, *Ad Dominum cum tribularer*, » pro pace et salute totius Ecclesiæ ; et, finitis » Psalmis, dicit Diaconus *Levate*. Tunc omnes » surgunt, et dicit Archiepiscopus capitula et » preces pro pace, et tribulatione, et pro pec- » catis, et pro rege, et pro Ecclesia, et pro se- » metipsis, et pro defunctis : *Da pacem, Domi- » ne, in diebus nostris. Fiat pax in virtute tua. » Da nobis, Domine, auxilium de tribulatione. » Et clamaverunt ad Dominum, cum tribu- » larentur. Peccavimus cum patribus nostris. » Domine, non secundum peccata nostra. Do- » mine, salvum fac regem. Salvos fac servos » tuos et ancillas tuas. Mitte eis, Domine. Sal- » vum fac populum tuum, Domine. Fiat mise- » ricordia tua, Domine, super nos. Sacerdotes » tui induantur justitiam. Oremus pro fidelibus » defunctis. Domine, exaudi orationem meam.* » Et mox incipit Orationem modulando, ita di- » cens : *Actiones nostras, quæsumus, Domine.* » Et dicat : *Per Dominum nostrum.* » Huc usque laudatus manuscriptus codex.

§ VI.

Deinde Pontifex accepta mitra ascendit ad sedem sibi paratam in plano altaris, ita ut in ea sedens dorsum suum vertat ad altare. Et imponit incensum in thuribulum, et benedicit more solito. Diaconus, dalmatica indutus, præcedentibus thuriferario et duobus ceroferariis, et Subdiacono tunicella induto, paramentis rubeis, benedictione accepta a Pontifice, cantat in loco convenienti.

Sequentia ✠ sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. IX.

In illo tempore : Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et misit illos prædicare verbum Dei, et sanare infirmos. Et ait ad illos : Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. Egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique.

COMMENTARIUS.

I. Cantari consuevisse Evangelia in Synodorum celebratione, docet nos Ordo antiquus Romanus, ac Concilium Salegunstadiense, ac bene multi manuscripti libri Pontificales. Ex ipso Romano Ordine ; et Salegunstadiensi Concilio, habito anno 1222 ; atque ex manuscripto codice Sancti-Martialis Lemovicensis in ordine celebrandi Concilium, prima die cantanda erat a Diacono, et quidem solemniter, Evangelii Lectio desumpta ex Evangelio S. Joannis, c. XX, vers. XIX et seqq. *Cum esset sero die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, etc.* Sed audiamus antiquum Romanum Ordinem, quomodo ritum ipsum describat post recitatam ab Episcopo Orationem : *Deus, humilium visitator, etc.*, in Commentario ad § III descriptam : « Tunc, inquit, » procedens Diaconus cum Subdiacono, thuri- » bulo, et ceroferariis duobus, benedicente Pon- » tifice, legat Evangelium in ambone : *Cum » esset sero die illo, etc.* » Recitari consuevisse Evangelium in ambone, fuse ostendimus in opere nostro *De codice sancti Evangelii, etc.*, lib. II, c. VI. Dum illud autem cantatur, deponi debere ab Episcopis mitram, et ab aliis quævis

Digitized by Google

capitis operimenta, abunde ibidem probavimus cap. XXI et cap. XXIV.

II. Juxta Pontificalium diversitatem, diversas invenio Evangelii lectiones in celebratione Synodorum cum pompa decantatas. Ex manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Parisiensis, annorum circiter quadringentorum, in ordine qualiter Synodus ab Episcopo agatur, dicebatur primum Hymnus *Veni, creator Spiritus, etc.*, una cum precibus *Pater noster*, *Ave Maria :* tum vero ab Archidiacono legebatur Evangelium secundum Joannem, cap. X : *In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis, etc.* Ex Chartulario Sancti-Romani de Blavia, de modo agendæ Synodi in Abbatia Sancti-Salvatoris de Blavia, in quo fit mentio duplicis Synodi quotannis celebrandæ, hiemalis nempe, die martis ante festum Apostolorum Simonis et Judæ, et Paschalis, die Martis post Dominicam in qua cantatur *Jubilate,* de illo quidem ritu monemur, ut nimirum in Paschali Synodo legendum sit Evangelium *Ego sum pastor bonus* ; in hiemali vero Evangelium *Designavit Dominus, etc.* In ipso memorato ordine nulla aliorum Evangeliorum habetur mentio ; ex quo satis liquet, uno tantum die consuevisse absolvi Synodum in dicta Abbatia Sancti-Salvatoris de Blavia. Cæterum, si quis antiquitatem codicis hujus scire desiderat, est quidem initio XI sæculi exaratus. Sic enim in fine laudati Ordinis ad agendum Synodum legimus : *Et hæc facta fuerunt in dicto loco...., anno Domini* 1003, *in Synodo Paschali.*

III. Lecto Evangelio, juxta veterem Romanum Ordinem et Salegunstadiensem Synodum, descendente ab ambone Diacono, dicebat statim Pontifex, vel ejus Vicarius : « Sancta Maria, et » omnes Sancti et electi Dei, intercedite pro » nobis peccatoribus ad Dominum Deum no- » strum, ut mereamur ab eo adjuvari et salvari, » qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. » Amen. » Sequuntur mox variæ preces et Orationes. Tum mandant ut septem Psalmi pœnitentiales decantentur, eisque finitis, aliæ preces et Orationes dicantur, inter quas legitur illa quæ descripta est § IV, *Adsumus, Domine, sancte Spiritus, etc.*

§ VII.

Quo finito, liber Evangeliorum apertus per Subdiaconum portatur Pontifici per eum osculandus, qui et deinde incensatur. Quo facto, Pontifex ipse ante sedem suam prædictam, deposita mitra, versus ad altare, atque alii omnes in locis suis genuflectunt. Tum Pontifex, sic genuflexus, incipit cantando, Schola prosequente, Hymnum *Veni, creator Spiritus.* Et dicitur totus. Finito primo versu, Pontifex surgit usque ad finem Hymni : similiter omnes alii cum Pontifice surgunt.

COMMENTARIUS.

I. Quanta solemni cum pompa a Diacono sacris induto vestibus suo Ordini congruentibus decantandum sit Evangelium, vide opusculum nostrum *De codice sancti Evangelii, etc.*, lib. II, cap. VII et aliis sequentibus, præsertim vero cap. XXVII, ubi de ritu exosculandi sacrum codicem post ipsius lectionem nonnulla scitu digna enarravimus. Quod spectat Hymnum *Veni, creator Spiritus,* consuevisse et ipsum in celebratione Synodorum cani, ex cunctis pene libris Pontificalibus liquet. Meminit ejus ritus Odo episcopus Parisiensis in synodicis suis *Constitutionibus*, sæculo XII editis, cap. I, *De modo et tempore celebrandi Synodum*, ubi ita inquit : « In principio Synodi, antequam cantetur » *Veni, creator Spiritus,* quæratur utrum præ- » sentes sint Abbates et Sacerdotes qui tenentur » Synodo interesse. Et, hoc facto, incipiat Epi- » scopus alta voce : *Veni, creator.* Quo finito, » dicuntur Orationes, etc. » Ubi nota variis cum precibus et Orationibus, ut suo loco dicemus, celebrari jam olim Synodos fuisse solitas. Ex Chartulario Sancti-Romani de Blavia, de modo celebrandæ Synodi in Abbatia Sancti-Salvatoris de Blavia, finito ipso Hymno, dici debuit versiculus ille : *Emitte Spiritum sanctum tuum,*

Digitized by Google

et creabuntur; et Oratio *Deus, qui corda fidelium.* Tandem ex ordine agendæ diœcesanæ Synodi Senonensis, cautum est ut, « Litania » finita, incipiat D. Archiepiscopus *Veni, crea-* » *tor;* et dicat flexis genibus, mitra deposita. » Tum hæc addit : « Quo incœpto statim repona- » tur mitra, et residuum Hymni per assistentes » decantetur. Quo finito, dicat Archidiaconus » alta voce sic : *Orate.* Et, prostratis omnibus, » excepto D. Archiepiscopo et servientibus ei, » qui dicat hanc Orationem, *Assumus, etc.* »

§ VIII.

Expleto Hymno, omnes sedent in silentio, et Pontifex, accepta mitra, sedens in sede prædicta supra in plano altaris posita, eos, si placet, in hanc sententiam alloquitur : *Venerabiles Consacerdotes et Fratres nostri charissimi, præmissis Deo precibus, oportet ut ea quæ divinis Officiis vel sacris Ordinibus, aut etiam de nostris moribus, et necessitatibus Ecclesiasticis a nobis conferenda sunt, cum charitate et benignitate unusquisque vestrum suscipiat, summaque reverentia, quantum valet, Domino adjuvante, percipiat; vel quæ emendatione digna sunt, omni devotione unusquisque fideliter studeat emendare : et, si cui forte quod dicetur aut agetur displiceat, sine aliquo scrupulo contentionis, palam coram omnibus conferat : quatenus, Domino mediante, et hoc ad optimum statum perveniat, ita ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ locum inveniat, neque iterum in perquirenda veritate vigor nostri ordinis vel sollicitudo tepescat.*

§ IX.

Post allocutionem hujusmodi, vel prius, prout magis placuerit Pontifici, fit per aliquem virum doctum idoneum sermo, in quo tractatur de disciplina Ecclesiastica, de divinis mysteriis, et de correctione morum in Clero, secundum ea quæ Pontifici videbuntur. Et post sermonem, querelæ, si quæ sunt, audiantur.

COMMENTARIUS.

I. Exstat hæc allocutio Episcopi in Ordine antiquo Romano; et in Concilio Salegunstadiensi, sed fere in fine ordinis observandi primo Synodi die. Etenim, juxta ipsum Romanum Ordinem, post Orationem *Adesto nobis, quæsumus, Domine, etc.*, tacentibus cunctis, ex Nicæno I generali Concilio, Symbolum fidei a Diacono legebatur; qui etiam alba indutus codicem canonum in medio proferens, capitula quædam ex variis Conciliis pronuntiabat; eoque ritu peracto, Episcopus, vel, ejus jussu, Diaconus ipse Concilium alloquebatur cum exhortatione hujusmodi : « Ecce, sanctissimi Fratres, » præmissis Deo precibus fraternitatem vestram » pia exhortatione convenio, et per divinum » nomen obtestor, ut ea quæ a nobis de Deo, » et sacris Ordinibus, vel sanctis moribus vobis » fuerint dicta, cum summa reverentia perfi- » cere contendatis. Quod si forsitan aliquis » vestrum aliter quam dicta fuerint, senserit, » in nostrum omnium collatione ea de quibus » ipse dubitaverit, conferenda reducat; qualiter, » Deo mediante, aut doceri possit, aut doceat. » Deinde simili vos obtestatione conjuro, ut » nullus vestrum in judicando aut personam » accipiat, aut quolibet favore vel munere pul- » satus a veritate discedat; sed cum tanta pie- » tate quidquid cœtui nostro se judicandum » intulerit, retractate, ut nec discordans con- » tentio ad subversionem justitiæ inter nos » locum inveniat, nec item in perquirenda » æquitate vigor nostri ordinis vel sollicitudo » tepescat. »

II. Eadem esse videtur hæc allocutio, saltem

Digitized by Google

quoad sensum, etsi quoad verba in multis variet cum illa quæ in nostro hoc § habetur. Exstat similis allocutio seu admonitio, sed longe prolixior in manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Parisiensis, annorum circiter quadringentorum, et in aliis plurimis antiquioribus libris Pontificalibus, in quibus etiam, sicut et in Ordine antiquo Romano, et in citato Concilio Salegunstadiensi, habetur quod, « post hanc » exhortationem, quisquis Clericorum velit, » conferat querelam. Et admonendi sunt ut » nullus ad Synodum veniat nisi jejunus, vel » a cœtu communi secedat ante quam generalis » secessio adveniat : et sic quoque Synodus » primæ diei solvatur. » De sermone habendo in Synodo dictum supra a nobis fuit. Est quidem ritus quem passim antiqui pariter et recentiores libri Pontificales inculcant; eaque in re varia possent afferri exempla sermonum habitorum in Synodis; qui etiam, ut plurimum, sunt de Ecclesiastica disciplina, de divinis mysteriis, ac de corrigendis moribus, præsertim Clericali militiæ addictorum. Sed de his iterum infra.

§ X.

Deinde Archidiaconus ex suggesto alta voce legit Decreta sacri Concilii Tridentini de residentia, et de professione fidei, quam tunc emittent omnes qui ad eam tenentur in manibus Pontificis juxta formam infra positam; item de eligendis examinatoribus, qui statim nominantur et approbantur; et jurant in manibus Pontificis, demum de eligendis judicibus causarum, qui similiter proponuntur, ut supra. Postremo charitative monentur omnes quod, durante Synodo, honeste se habeant in domibus, et extra, ita quod eorum conversatio cæteris sit merito in exemplum. Quo facto, surgit Pontifex, et solemniter omnibus benedicit, dicens : *Sit nomen Domini benedictum, etc.*, more consueto : qua dicta, discedunt omnes.

FORMA JURAMENTI.

Ego N., firma fide credo et profiteor omnia et singula quæ continentur in Symbolo fidei quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet : « Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine; et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur : qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. » Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejudem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam, juxta eum sensum quem tenuit et tenet sancta

Digitized by Google

mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor. Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Catholicæ Ecclesiæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto : omnia et singula quæ de peccato originali et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum Anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi ac Deiparæ semper virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesiam relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnia a sacris Canonibus et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego, idem N., spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

COMMENTARIUS.

Initium hujus Rubricæ est certe adjunctum nostro hodierno Romano Pontificali post editum Concilium Tridentinum, cujus decreta de residentia, et de professione fidei, ac de aliis

Digitized by Google

negotia Ecclesiastica spectantibus, ex suggesto alta voce legere in hoc § jubetur Archidiaconus. In editis ante Clementem VIII Romanis Pontificalibus, post allocutionem ab Episcopo faciendam iis verbis : *Venerabiles consacerdotes, etc.*, et sermonem ab aliquo viro docto habendum de disciplina Ecclesiastica, de divinis mysteriis, et de correctione morum in Clero, hac Rubrica primus Synodi dies absolvitur : « Et mox post » sermonem, querelæ, si quæ sint, audiuntur. » Postremo charitative monentur omnes quod, » durante Concilio seu Synodo ipsa, honeste se » habeant in domibus et extra ; ita quod eorum » conversatio cæteris sit merito in exemplum. » Quo facto, surgit Pontifex, et solemniter omnibus benedicit, dicens : *Sit nomen Domini* » *benedictum, etc.*, more consueto : qua data, » discedunt omnes. »

II. Fuit vetus in celebrandis Synodis mos, ut decreta quædam Conciliorum prius habitorum legerentur. Id quidem constat ex Concilio Toletano IV, can. IV, in quo celebrandæ Synodi forma describitur : « Sicque omnibus, inquit, » in suis locis in silentio considentibus, Diaconus alba indutus codicem canonum in » medio proferens, capitula de Conciliis agendis » pronuntiet : finitisque titulis, metropolitanus » Episcopus Concilium alloquatur, dicens : Ecce » sanctissimi Sacerdotes, recitatæ sunt ex canonibus SS. Patrum sententiæ de Concilio » celebrando : si qua igitur quempiam vestrum » actio commovet, coram suis fratribus proponat. Tunc si aliquis quamcumque querelam, quæ contra canonem agit, in audientia » Sacerdotali protulerit, non prius ad aliud » transeatur capitulum, nisi primum, quæ proposita est actio terminetur. » Habes et in hoc canone alium morem proponendi et audiendi atque examinandi querelas in Synodis, adversus Episcopos et Clericos qui forte aliquem læserant. Est ritus de quo passim sacræ Synodi ac antiqui libri Pontificales loquuntur.

III. Quomodo Episcopi ac Presbyteri se gerere in Synodis debeant, fuse diximus nostro I tomo *Conciliorum*, cap. XXII. Ut autem aliqua et hoc loco dicamus, satis est hic recensere quod in Concilio Mediolanensi V statuit S. Carolus, ita inquiens : « Cum porro Clericalis » ordinis homines omni tempore alios vitæ » exemplo ad virtutem inflammare debeant ; » tum maxime cum synodales actiones haben- » tur, ita se gerant in verbo, in conversatione, » in charitate, quemadmodum Apostolus monet, » cum eos posuerit Deus in acquisitione salutis, » atque in ædificationem, officii sui memores, » ambulent digne Deo, sancteque, sicut decet » Ministros mysteriorum Dei, vivant. Nec vero, » ut plerique solent, cum in civitate sunt, per » plateas vagentur ; sed causam ob quam con- » vocati sunt, tota animi cogitatione tunc attenti » in eo versentur, ut et Episcopo in ea actione » puris castisque precibus auxilium, et sibi et » populis salutarem inde fructum ferant. » Tum mandat ut qui Sacerdotes sunt, singulis diebus quibus synodalis conventus habetur, Missæ sacrificium celebrent, reliqui Clerici saltem primo die Synodi, sacram communionem sumant ; idque summo mane, facientes obsecrationes, orationes, et gratiarum actiones, postulationes pro sancta Ecclesia Dei, pro Summo Pontifice, pro principibus Christianis, pro uberrimo synodalium et aliarum Pastoralium actionum fructu.

IV. Quoniam insuper prima et maxima Pastorum cura versari debet in iis quæ ad fidem Catholicam, quam sancta Romana Ecclesia colit et docet, et *sine qua impossibile est placere Deo*, ut ait Apostolus in Epistola ad Hebræos, cap. XI, integre inviolateque conservandam pertinent, jure ac merito fidei formula a Pio IV Pontifice Maximo præscripta adversus nostri temporis hæreses, adjuncta est nostro hodierno Romano Pontificali, ex cujus præscripto omnes qui ad eam tenentur, in manibus Pontificis emittere debent. Est mos Ecclesiæ pervetustus, ut Patres initio Synodi fidei formulam pro temporum necessitate editam profiterentur. Id enim passim et sacra Concilia, et manuscripti libri Pontificales præscribunt, quorum testimonia luculentissima supervacaneum est hic recensere.

V. Dicam ergo, quod ad rem nostram pertinet, in suo Mediolanensi provinciali primo Concilio S. Carolus Borromæus statuit, dicens ut nimirum « qui in Synodum diœcesanam » convenire debent, in ea Synodo quæ primo » quoque tempore celebrabitur, omnia et sin- » gula a sancto Concilio Tridentino definita et » statuta palam recipiant ; veram obedientiam » Summo Romano Pontifici spondeant ; simul-

Digitized by Google

» que hæreses omnes publice detestentur et ana-
» thematizent; fidem profitentes eisdem verbis
» quibus, ex formula a sanctissimo D. N. Pio IV
» Pontifice Maximo præscripta, nos et Coepi-
» scopi nostri initio hujus sanctæ Synodi jurati
» præstitimus et professi sumus, etiamsi antea
» in diœcesana Synodo id officium ad exsequenda
» jussa Tridentini Concilii, quacumque ratione
» et modo obierint. » Habitum est hoc I provinciale Concilium Mediolanense a sancto Carolo Mediolanensi antistite anno 1565, paulo post celebratam Tridentinam Synodum œcumenicam.

VI. Fidei professionem juxta formam a Pio IV præscriptam in Conciliis emittendam, mandat quidem inter alios, in sua Romana Lateranensi Synodo anni 1725, Benedictus XIII, tit. I, *De summa Trinitate et fide Catholica*, cap. I, ubi etiam varias personas recenset quæ ad illam emittendam extra synodales conventus tenentur. « 1° inquit, Episcopi, aliique de Clero recens
» Ecclesiasticis de beneficio provisi, aut sacris
» Ordinibus initiati, in diœcesana Synodo,
» primo celebranda. 2° Dignitates et Canoni-
» catus obtinentes, post acceptam possessionem,
» tum in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii
» generalis, tum in Capitulo infra bimestre.
» 3° Beneficia cum animarum cura habentes,
» post ipsorum possessionem, infra idem tempus
» in manibus tantummodo Episcopi, vel Vicarii
» generalis, prout et in alterutrius manibus.
» 4° Quicumque alia beneficia obtinentes.
» 5° Item novus Vicarius generalis : Vicarii
» Foranei : procuratores et promotores fisci
» Episcopalis ; Cancellarii, cæterique ministri
» ejusdem curiæ. 6° Novi concionatores, etiam
» Regulares. 7° Novi Confessarii, etiam Monia-
» lium. 8° Docentes publice, vel privatim, theo-
» logiam, philosophiam, jus canonicum aut
» civile, vel inferiores quaslibet disciplinas,
» etiam grammaticam. 9° Ac tandem medici-
» nam et chirurgiam exercentes. »

VII. Quod tandem solemnem benedictionem spectat ab Episcopo omnibus impertiendam post absolutum synodale primi diei judicium, ex manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Parisiensis, annorum circiter quadringentorum, « surgens Archidiaconus alta voce dicebat : *In*
» *nomine Domini nostri Jesu Christi eamus in*
» *pace.* » Statimque Episcopus istam benedictionis formulam pronuntiabat : « Qui dis-
» persos congregat, hic vos et ubique custo-
» diat. Amen. Et non solum vos custodiat,
» sed ovium suarum idoneos custodes efficiat.
» Amen. Et cum summo Pastore Christo de
» gregum suorum pastione gaudeatis. Amen. »
Vide in appendice formula manuscripti Pontificalis Barensis.

§ XI.

Secunda die convenientibus iterum omnibus in ecclesia, finita Missa, Pontifex paratus ut supra, procedit coram altari, Diacono et Subdiacono, paratis ut supra, ipsum associantibus, et ibi in faldistorio, ante medium altaris, juxta inferiorem gradum, ibi parato genuflexus, deposita mitra, inchoat, Schola prosequente, Antiphonam toni VIII : *Propitius esto peccatis nostris, Domine, nequando dicant gentes : Ubi est Deus eorum.* Finita Antiphona, et incœpto Psalmo, sedet Pontifex, reassumpta mitra, usque ad finem Psalmi. Psalmus LXXVIII : *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, etc.*

COMMENTARIUS.

I. Si manuscriptum Pontificale Vaticanum Gulielmi Durandi, aliaque pauca excipias, nullibi Antiphonam ac Psalmum in hac Rubrica præscriptum invenies, secundo Synodi die canendum. In editis Romanis ante Clementem VIII Pontificalibus, Psalmus ipse LXXVIII, *Deus, venerunt gentes, etc.*, a nono versiculo incipit, nempe *Adjuva nos, Deus salutaris noster, etc.* Juxta antiquum Romanum Ordinem, et Concilium Salegunstadiense anni 1022, « secunda
» die, quando Episcopus vel ejus Vicarius Sy-
» nodum ingreditur, in loco suo stans, dicit :

Digitized by Google

» *Dominus vobiscum*, cum Oratione : Deus » qui nobis in famulis tuis præsentiæ tuæ signa » manifestas, mitte super nos spiritum chari- » tatis, ut in adventu fratrum conservorum- » que nostrorum, gratia nobis tuæ largitatis » augeatur. Per. » Sequitur deinde Evangelii lectio, de qua nos suo loco dicemus.

§ XII.

Deinde finito Psalmo, et repetita Antiphona, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus ad altare, dicit :

OREMUS.

Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quæsumus ut bonum quod in nobis a te requiritur, exsequamur, scilicet ut prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduæ subtile judicium faciamus, ac, misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitæ actionis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Mentibus nostris, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum benignus infunde : quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, et dictis exsequamur et factis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen. Oremus.* Et Ministri dicunt. *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Deus, qui nos justitiam loqui, et quæ recta sunt præcipis judicare; tribue nobis ut neque iniquitas in ore, nec pravitas inveniatur in mente; ut puro cordi purior sermo consentiat, ostendatur in opere justitia, neque appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Est quoddam editum Romanum Pontificale Lugduni anno 1542, in quo tres quidem descriptæ Orationes leguntur; cum cæteroqui prima Oratio in Pontificali Romano Venetiis edito apud Juntas, anno 1572, desideretur. In manuscripto Parisiensis Ecclesiæ Pontificali, annorum quadringentorum, pro secunda die Synodi, prima sola Oratio *Nostrorum tibi, Domine, etc.*, legitur. In Ordine antiquo Romano, et Concilio Salegunstadiensi, pro secunda Synodi die legitur primum Oratio *Deus, qui nobis in famulis tuis, etc.*, ut in Commentario ad § XI descripta; tum Evangelium : *Designavit Dominus et alios septuaginta duos, etc.;* deinde variæ preces et Orationes, nulla tamen ex iis quæ in nostro § habentur. Sed vide integrum hunc Ordinem Romanum infra in Appendice.

§ XIII.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, et sedet in sede seu faldistorio ibidem sibi parato. Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et

Digitized by Google

Pontifex imponit incensum : deinde Diacono benedicit, qui, procedens ad locum consuetum, signat, incensat, et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem prædictam sine mitra verso ad Diaconum stante.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. x.

In illo tempore : Designavit Dominus et alios septuaginta duos : et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus. Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : Pax huic domui; et, si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis : et curate infirmos qui in illa sunt; et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei.

COMMENTARIUS.

I. Idem hoc Evangelium secunda Synodi die a Diacono solemniter decantantum legitur quoque in Ordine antiquo Romano, et in Concilio Salegunstadiensi. In manuscripto Pontificali Ecclesiæ Parisiensis istud Evangelium dicendum præscribitur tertia Synodi die, pro secunda enim dici mandat Evangelium secundum Matthæum, cap. v: *In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Vos estis sal terræ, etc.*, vel Evangelium istud secundum Lucam, cap. vi : *In illo tempore : Dixit Jesus discipulis suis : Estote misericordes, etc.* In Ordine diœcesanæ Synodi ab Archiepiscopo Senonensi celebrandæ, secundum cujus præscriptum una sola die videtur celebrari Synodus, Evangelium in hoc nostro § descriptum legendum sancitur. Postquam enim dixit debere primum in media navi ecclesiæ Senonensis parari sedilia cum pannis sericeis pro præsidentibus in Synodo, itemque sedem D. Pontificis in medio positam in eminentiori et altiori gradu aliis sericis pannis parari; ac deinde, ut, Missa primitus celebrata per eum, veniat idem Pontifex Pontificalibus indumentis cum pallio, ut in Missa, ornatus, ad cathedram; ita statim de ipso Evangelio cantando ac de ritibus in ejusdem lectione servandis subjungit : « D. Archiepiscopo sedente in cathedra sua, Præcentore » et Archidiacono cappis sericeis indutis, sibi » ad dextram et ad sinistram partem assistentibus, et Abbatibus in cappis et baculis Pastoralibus, et Decanis ruralibus in sedibus altioribus circumquaque, cæteris vero Curatis » in inferioribus residentibus per plateam, » præsentibus, debet Archidiaconus Senonensis venire si sit præsens, vel alius loco sui, » cum Subdiacono, cruce, cereis et libro, thuribulo et incenso, et debet petere benedictionem ab Archiepiscopo : qua obtenta, legit » Evangelium : *Designavit Dominus et alios* » *septuaginta duos, etc.* Quo incœpto, surgat » D. Archiepiscopus, et, eodem Evangelio perlecto, Subdiaconus deferat librum ad Archiepiscopum, et tradat Archidiacono, et » Archidiaconus D. Archiepiscopo ad osculandum, et, osculando, mitram suam faciat per » Capellanum sibi servientem removeri, et » nulli alii tradatur liber osculandus. » Jam non modo dum Episcopus Evangelium osculatur, verum etiam dum illud a Diacono cantatur, debere Episcopum ipsum sine mitra stare constat ex hoc nostro § xiii; estque antiqua Ecclesiæ disciplina, ut caput ad lectionem sancti Evangelii aperiatur, quemadmodum a

Digitized by Google

nobis ostensum fuit in opere *De codice sancti Evangeli, etc.*, lib. II, cap. XXIV, ubi varia exempla, et veterum eam in rem testimonia adduximus.

§ XIV.

Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex sine mitra, ante sedem prædictam, versus ad altare, et aliis omnibus in suis locis genuflexis, incipit, Schola prosequente, Hymnum *Veni, creator Spiritus*. Et dicitur totus, quem Schola prosequitur, ut in primo die. Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus ad altare, detecto capite, usque ad finem Hymni. Simili modo faciunt omnes alii.

§ XV.

Expleto Hymno, omnes sedeant in silentio. Tunc Pontifex sedens in sede prædicta, cum mitra, Synodum his verbis alloquitur, si velit : *Venerabiles et dilectissimi Fratres nostri, oportet ut, sicut hesterna die admonuimus benignam mansuetudinem vestram, de divinis Officiis, aut sacris altaris gradibus, aut etiam de moribus, aut necessitatibus Ecclesiasticis, quæcumque emendanda vel renovanda sunt, charitas omnium vestrum, ubicumque noverit aliqua emendatione condigna, in medium proferre non ambigat; ut per vestræ charitatis studium, Domino largiente, ad optimum perveniant statum, ad laudem et gloriam nominis Jesu Christi Domini nostri.*

COMMENTARIUS.

I. Finito Evangelio, peractisque ritibus qui ad ejus finem fieri solent, ex manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, omnia fiunt quæ in his nostris §§ descripta sunt. Mandat vero manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Parisiensis ut post hæc, per ordinem, sicut prius, cuncti in suis resideant sedibus, eosque deinde alloquatur Episcopus. Antiquus Romanus Ordo, et Concilium Salegunstadiense, post decantatum Evangelium hæc servanda præscribunt : « Deinde dicat Pontifex vel ejus Vicarius » preces : *Sancta Maria, et omnes Sancti, etc.* » sicut superius. Tunc omnes prostrati pro » peccatis decantent hos Psalmos : *Domine, ne* » *in furore. Benedixisti. Inclina, Domine;* cum » *Kyrie, eleison,* et *Pater noster,* et precibus » istis : *Ego dixi Domine. Convertere, Domine.* » *Adjutorium nostrum. Domine, exaudi oratio-* » *nem meam. Dominus vobiscum.* Precibus no- » stris, quæsumus, Domine, aurem tuæ pietatis » accommoda, et orationes supplicum, occul- » torum cognitor, benignus exaudi, ut, te lar- » giente, ad vitam perveniant sempiternam. » Per. »

II. Hæc quidem ad verbum ex ipso antiquo Romano Ordine, et ex Concilio Salegunstadiensi, ubi sola recitata Oratio desideratur. Ex utroque autem cautum est ut postea decantentur Psalmi isti pro regis, reginæ, et aliorum regni primatum sospitate, nempe : *Domine, quid multiplicati sunt? Exaudiat te Dominus. Deus, auribus nostris;* cum *Kyrie, eleison* et *Pater noster;* cum precibus istis : *Domine salvum fac regem. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. Salvum fac populum tuum, Domine. Fiat pax in virtute tua. Exsurge, Domine, adjuva nos. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.* Sequuntur mox Orationes, quarum prima in Ordine antiquo Romano hæc est : « Quæsumus, omnipotens Deus, ut famu- » lus tuus rex noster, qui tua miseratione su- » scepit regni gubernacula, virtutum etiam » omnium percipiat incrementa, quibus decen- » ter ornatus et vitiorum monstra devitare, et

Digitized by Google

» ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosus » valeat pervenire. Per. » Altera Oratio : «Deus » regnorum omnium, et Christiani maxime » protector imperii, da servo tuo imperatori » nostro triumphum virtutis tuæ scienter exco- » lere, ut, qui tua constitutione est princeps, » tuo semper munere sit potens. » Tertia : « Guberna, Domine, famulam tuam, et tuis » beneficiis semper accumula, ut et præsentis » vitæ subsidiis gaudeat, et æternæ. Per. » Quarta : « Prætende, Domine, famulis tuis » dexteram cœlestis auxilii, ut te toto corde » perquirant, et quæ digne postulant, conse- » qui mereantur. Per. »

III. In memorato Salegunstadiensi Concilio duæ ex his tantum exstant Orationes, secunda scilicet et quarta. In eo autem vetus Ordo Romanus et Concilium istud conveniunt, quod mandant ut deinde, pro infirmis et salute totius Ecclesiæ, istos Psalmos decantent : *Beatus qui intelligit. Domine, Deus salutis meæ. Domine, refugium;* cum *Kyrie, eleison* et *Pater noster;* cum precibus istis : *Castigans castigavit me Deus. Nihil proficiet inimicus in eo. Exsurge, Domine, adjuva nos. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.* Oremus. «Deus, » infirmitatis humanæ singulare præsidium ; » auxilii tui super infirmos famulos tuos et fa- » mulas tuas ostende virtutem, ut, ope miseri- » cordiæ tuæ adjuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ re- » præsentari mereantur. Per. » Sequitur in Ordine antiquo Romano alia Oratio, quæ in Concilio ipso Salegunstadiensi non habetur, estque hujusmodi : « Ascendant ad te, Domine, » preces nostræ, et ab Ecclesia tua cunctam » repelle nequitiam. Per. » Addit mox Ordo ipse Romanus ut omnes laici et mulieres egrediantur, et legatur Homilia S. Gregorii incipiens a versu isto : *Messis quidem multa,* usque ad ea verba : *patres esse minime recognoscunt.* De egressu laicorum et mulierum a Synodi loco, qui est ecclesia, nil quidem ait Salegunstadiense Concilium, in cæteris cum Ordine antiquo Romano consonat, quemadmodum et in his quæ statim sequuntur : » Tunc si Clerici querelam non habeant con- » ferendam, laici intromittantur. Illis etiam au- » dientibus, lectio Nicæni Concilii recitetur. Ju- » dices nonnisi jejuni leges et judicia discer- » nant. Quisquis ex laicis habet querelam, » judicibus proferat; et Synodus secundæ diei » sic solvatur. »

§ XVI.

Post allocutionem hujusmodi, vel prius, si magis placet Pontifici, fit sermo per aliquem doctum idoneum, in quo iterum tractetur de disciplina Ecclesiastica. et aliis de quibus Pontifici videbitur. Deinde Archidiaconus alta voce legit Apostolicas Constitutiones ibi non promulgatas, vel alias, pro Pontificis arbitrio. Quo finito, leguntur Constitutiones per Synodum approbandæ : quibus lectis, habito scrutinio, quæ placent per Patres confirmantur. His peractis, Pontifex surgens benedicit omnibus solemniter, ut heri. Deinde omnes discedunt.

COMMENTARIUS.

I. Plura quæ in hoc § continentur, dicta superius sunt. Quod, peracto sermone, Archidiaconus vel Episcopus silentium indicet, et deinde idem Archidiaconus vel Canonicus Diaconus decreta lecturus ad Episcopum accedat, a quo illa quæ legenda sunt cum acceperit, de suggesto alta voce pronuntiet, præscribit quidem in suo provinciali v Mediolanensi Concilio S. Carolus, cap. quod inscribitur : *Quæ ad Synodum congregationesque alias Clericales, et visitationem attinent* : in quo multa exstant, quæ non modo hanc Rubricam, sed et integrum titulum illustrant. Quod benedictionem spectat ab Episcopo solemniter præstandam, cautum est ex manuscripto Parisiensis Ecclesiæ Pontificali, ut, hora sexta vel nona expleta, pronuntiante Archidiacono *In nomine nostri Domini Jesu Christi, eamus in pace,* Episcopus hanc benedictionis formulam elargiatur : « Dominus » mentis, et linguæ corporalis et spiritualis

Digitized by Google

» det vobis incrementa gratiæ Sacerdotalis. » Amen. Atque nobis ad dexteram constitutis » participium cœlestis tribuat regni. Amen. » Quod ipse præstare dignetur, qui nos, ante » constitutionem mundi prædestinatos, et ante » finem sæculi justificatos, præscivit, per in- » finita sæcula sæcularum. Amen.

§ XVII.

Die tertia, conventione facta in ecclesia, finita Missa, Pontifex paratus ut heri, assistentibus sibi Diacono et Subdiacono paratis, genuflexus in faldistorio juxta inferiorem gradum ante medium altaris sibi parato, deposita mitra incipit, Schola prosequente, Antiphonam : *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua : et secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.* Psalmus LXVIII : *Salvum me fac, Deus.* Et dicitur totus. Incœpto Psalmo, Pontifex sedet et accipit mitram, sic manens quousque Psalmus finiatur, et Antiphona repetatur; qua repetita, deposita mitra surgit, et stans versus ad altare, dicit :

OREMUS.

Ad te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, unanimiter postulamus ut, respectu tuæ gratiæ solidati, præcones veritatis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui sacro verbi tui oraculo promisisti, ubi duo vel tres in nomine tuo congregati essent, te medium fore : adesto cœtui nostro propitius, et cor nostrum illumina misericors, ut a bono misericordiæ tuæ nullatenus aberremus, sed rectum justitiæ tuæ tramitem in omnibus tencamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

OREMUS. Et Ministri dicunt : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.*

Deus, qui populis tuis et indulgentia consulis et amore dominaris, da Spiritum sapientiæ tuæ, quibus dedisti regimen disciplinæ; ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna Pastorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Exstat hæc quidem Rubrica cum Antiphona et Psalmo, ac duabus tantum Orationibus, secunda nimirum et tertia, in editis ante Clementem VIII Pontificalibus, ubi tertia die Synodus agitur. Legitur prima Oratio in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Parisiensis, sed absque Antiphona et Psalmo. In Ordine antiquo Romano, et in Concilio Salegunstadiensi, et in nonnullis etiam Pontificalibus libris præscriptum est ut tertia die, cum Episcopus aut ejus Vicarius, ut in cæteris diebus, Synodum ingreditur, dicat *Dominus vobiscum;* et Ora-

Digitized by Google

tionem istam : « Protege, Domine, quæsumus, » nos famulos tuos subsidiis mentis et corpo- » ris, et, spiritualibus enutriens alimentis, » propitius redde securos ab hostibus uni- » versis. Per Dominum nostrum Jesum Chris- » tum. » Jam alibi notatum est, Ordinem Romanum toties in hoc titulo a nobis laudatum, illum esse in quo de ritu agendæ Synodi provincialis agitur, quem integrum infra in Appendice referemus.

§ XVIII.

Post hæc Pontifex, accepta mitra, ascendit ad planum altaris, sedens in sede seu faldistorio ibidem sibi parato. Tum accedit Diaconus cum thuriferario, et Pontifex imponit incensum : deinde benedicit Diacono, qui procedens ad locum consuetum signat, incensat, et cantat Evangelium, ut heri, Pontifice ante sedem prædictam, sine mitra, verso ad Diaconum stante.

Sequentia sancti ✠ Evangelii secundum Matthæum, cap. XVIII.

In illo tempore, dixit Jesus discipulis suis : Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum : si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. Iterum dico vobis : quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quacumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum dixit : Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus : Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.

§ XIX.

Quo finito, et per Pontificem libro osculato, et ipso incensato, Pontifex sine mitra ante sedem prædictam versus ad altare, atque aliis omnibus in locis suis genuflexis, incipit, Schola prosequente, Hymnum : *Veni, creator Spiritus*. Et dicitur totus. Finito primo versu, Pontifex surgens stat versus ad altare detecto capite usque ad finem Hymni. Simili modo faciunt omnes alii.

COMMENTARIUS.

Evangelium quod tertio Synodi die legitur, ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Parisiensis, annorum circiter quadringentorum, desumptum est ex cap. X Evangelii S. Lucæ : *In illo tempore, designavit Dominus Deus, etc.* Ex Ordine tamen antiquo Romano, et ex Concilio Salegunstadiensi, sancitum est ut legatur Evangelium Matthæi, capite IX : *Circuibat Jesus omnes civitates, et castella, etc.* Deinde sequebantur Psalmi pro defunctis, *Verba mea. Domine, ne in furore tuo*, I. *Ad te, Domine, levavi;* cum *Kyrie, eleison* et *Pater noster*, ac precibus istis : *Requiem æternam dona eis, Domine. In memoria æterna erunt justi. A porta inferi. Dominus vobiscum.* « Oremus. » Inveniant quæsumus, Domine, animæ fa-

Digitized by Google

» mulorum famularumque tuarum omnium in » Christo quiescentium lucis æternæ consor- » tium, qui, in hac luce positi, tuum conse- » cuti sunt sacramentum. Per. » Rursus pro irreligiosis et isti Psalmi decantabantur : *Ad te clamabo. Benedicam Domino. Deus, venerunt gentes. Voce mea;* cum *Kyrie, eleison* et *Pater noster,* ac precibus istis : *Fiat pax in virtute tua. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. Deus, tu conversus vivificabis nos. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.* « Oremus. Deus, qui infide- » les deseris, et juste indevotis irasceris, po- » pulum tuum, quæsumus, ad te converte » propitius, ut qui te per duritiem irreligiosæ » mentis semper offendunt, ad sancta officia » promerenda, tuæ miserationis gratia inspi- » rante, convertas. Per. » In Ordine Romano hæc alia Oratio sequitur, qui in ipso Salegunstadiensi Concilio desideratur : « Deus, qui » errantibus, ut in viam possint redire justi- » tiæ, veritatis tuæ lumen ostendis : da cunctis » qui Christiana professione censentur, et illa » respuere quæ huic inimica sunt nomini, et » ea quæ sunt apta sectari. Per. » Tum mandat ut, si quæ sint quæstiones vel querelæ, conferantur, et sic Synodus tertiæ diei solvatur. Idipsum præscribit Concilium Salegunstadiense post recitatam Orationem, *Deus, qui infideles deseris, etc.* Cætera quæ in § XIX descripta sunt, exstant quidem in editis omnibus ante Clementem VIII Pontificalibus, et in manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, annorum circiter quingentorum.

§ XX.

Expleto Hymno, omnes sedent in silentio. Tunc Pontifex, sedens in sede prædicta cum mitra, Concilium seu Synodum his verbis alloquitur, si velit. Poterit tamen hujusmodi allocutionem omittere, et quod ejus loco, si placebit, per aliquem doctum idoneum, de his quæ in allocutione continentur, et aliis opportunis sermo fiat, committere : *Venerabiles et dilectissimi Fratres, convenit ut ea quæ de Ecclesiasticis officiis, et sacerdotalibus gradibus, vel etiam canonicis sanctionibus, propter diversas occupationes, aut, quod negare non possumus, propter nostram aliorumque desidiam, non tam plene, ut oportet, exsecuta sunt; omnium nostrum unanimi consensu et voluntate requirantur, et humiliter coram charitate vestra recitentur; ut, quæ digna sunt emendatione, ad meliorem statum, auxiliante Domino, perducantur. Et cui fortasse aliquid quod digestum est displicet charitati vestræ, cum benignitate et modestia intimare non differat; quatenus totum quod synodali conventione nostra statutum fuerit vel renovatum, absque omni contrarietate, concordia sanctæ pacis, ab omnibus æque custodiatur ac teneatur, ad augmentum æternæ beatitudinis omnium nostrum.*

COMMENTARIUS.

I. Varios sermones in Synodis habitos, Synodorum plurimarum Acta nos docent. Lectu quidem sunt digni sermones quidam in diversis Conciliis recitati, qui inter opera S. Bernardi exstant, volumine III ultimæ editionis Venetæ, anni 1727, columna 818 et sequentibus plurimis : itemque sermones duo eruditissimi æque ac religiosissimi beati Humberti de Romanis, Ordinis Prædicatorum quinti Generalis magistri, lib. II *De Modo prompte cudendi sermones*, tract. II, num. I et II; quorum alterum in Conciliis, alterum in Synodis habendum concinnavit. Aureum hoc opus atque rarissimum, ab erroribus expurgatum pene innumeris, ac notis auctum, elapso anno, Romæ nos typis mandavimus, quia nimirum lectu dignum censuimus ab Episcopis, Parochis, Concionatoribus, atque ab omnibus sacrorum Rituum studiosis; dicavimusque Reverendissimo Patri F. Thomæ Ripoll, memorati Ordinis Prædica-

Digitized by Google

torum Magistro, quod ipse Ordo de nostra Congregatione Oratorii in ædibus primum Sancti-Hieronymi Charitatis, a S. Philippo Nerio anno 1558 fundata, optime meritus sit, præsertim vero, quod S. Pius V Pontifex Maximus, Dominicanæ familiæ alumnus, optimis relationibus duorum ejusdem familiæ Fratrum, sacræ Theologiæ Magistrorum, vivæ vocis oraculo, ut dici assolet, anno 1570 approbavit.

II. Sed hisce omissis, ut alios sileam zelantissimos Ecclesiarum Pastores, consueverunt quidem in suis Synodis, tam provincialibus quam diœcesanis, sermones ipsimet facere ad Clerum, S. Carolus archiepiscopus Mediolanensis, et Benedictus XIII Pontifex Maximus, uti videre est in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, et in variis Beneventanæ Ecclesiæ Conciliis, quam triginta et octo annis Benedictus ipse, antequam creatus esset Pontifex Maximus, summa vigilantia rexerat. Hos imitatus vir clarissimus Dionysius Pieragostini, ubi in sua Septempedana Ecclesia Synodos habuit, non aliorum ministerio usus est, qui in Synodis suis sermones facerent, sed ipsemet concionatus est. Vide memorati Episcopi Synodum Septempedæ habitam anno 1733, Dominica secunda post Pascha, et duabus sequentibus feriis, XIX, XX et XXI mensis aprilis.

III. Quod non modo Episcopi in suis Synodis, sed etiam alii eorum jussu in eisdem sermones haberent, præter sermones Petri Blesensis et aliorum in Synodis habitos, celebre est quod narrat Thomas Cantipratanus, lib. I *De Apibus*, cap. XX, de concione facta a quodam Clerico in Synodo per mandatum diaboli, sic inquiens : « Sed et illud solemne miraculum ad terrorem omnium Prælatorum enarrabo : Clericus quidam, in Synodo Episcoporum prædicare compulsus, angustiabatur non modicum quidnam digne posset coram tot Prælatis Ecclesiæ prædicare. At, ubi accessurus in oratione jaceret, venit ad eum diabolus, et dixit ei : « Quid angustiaris istis Clericis prædicare? » dicas eis istud, et non aliud : Principes in- » fernalium tenebrarum, Principes Ecclesiæ » salutant : læti omnes nos gratias eisdem re- » ferimus, quia cum ipsis eorum nobis affe- » runtur subditi, et per eorum negligentiam » ad nos devolvitur totus pariter fere mundus. » Invitus quidem tibi dico, quod dico, sed Al- » tissimi jussione coactus. » Respondit Clericus : « Mihi quidem, si hæc eis retulero, non » credent. » Tunc diabolus tangens maxillam ejus : « Ecce, ait, signum, nigredo insolita fa- » ciei. Hanc, antequam prædices, non contin- » gas, quia frustra : post prædicationem vero » aqua benedicta delebis. » Processit ergo Clericus in Synodo prædicaturus; et, admirantibus cunctis in signo indito faciei, tantum illa quæ sibi jussa sunt, recitavit, et ad horrorem maximum cunctorum corda permovit. Hæc anno ab Incarnatione Domini 1248 fuerunt Parisiis coram omni Clero et populo solemniter recitata. » Hactenus Cantipratanus, cui fides profecto adhibenda, fuit enim vir doctus ex inclyto Ordine Prædicatorum, sæculoque ipso XIII floruit.

§ XXI.

Post hæc leguntur constitutiones, si quæ sint, per Synodum approbandæ : quibus lectis, et per Patres, si placet, confirmatis, atque omnibus terminatis, Pontifex sedens cum mitra, omnium orationibus se commendat. Deinde leguntur nomina omnium qui Synodo interesse debent, et præsentes ad sua nomina surgunt, et respondent singuli, *Adsum*. Absentes vero notantur, et per Pontificem debita pœna mulctantur.

COMMENTARIUS.

I. S. Carolus in provinciali V Mediolanensi Concilio id quidem inter alia præscribit ut tertio Synodi die, decreta, si quæ Episcopus nova conficienda consuevit, de suggestu promulgentur. Quantum ad lectionem nominum illorum qui Synodo interesse debent, sancivit quidem in constitutionibus suis Odo episcopus Parisiensis, qui vixit XII sæculo, cap. I, ut in

Digitized by Google

principio Synodi cantetur *Veni, creator Spiritus*, quæratur utrum præsentes sunt Abbates et Sacerdotes qui interesse Synodo tenentur. De verbo *Placet*, jam olim in Conciliis usurpato, nonnulla diximus nostro I tomo *Conciliorum*, in Prolegomenis, cap. IV. Qui autem Concilio provinciali interesse teneantur, fuse explicuimus in canonem XIX Concilii Chalcedonensis, pag. 369. Sat erit hoc loco, ad nostrum hunc § illustrandum, Concilii Tridentini decretum describere ex sessione XXIV, *De Reformatione*, cap. II, ubi de Synodis diœcesanis hæc habet : « Synodi quoque diœcesanæ quot» annis celebrentur; ad quas exempti etiam » omnes, qui alias, cessante exemptione, in» teresse deberent, nec capitulis generalibus » subduntur, accedere teneantur; ratione ta» men parochialium, aut aliarum sæcularium » Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii » qui illarum curam gerunt, quicumque illi » sint, Synodo interesse. Quod si in his tam » Metropolitani quam Episcopi, et alii supra» scripti negligentes fuerint, pœnas sacris ca» nonibus sancitas incurrant. »

II. Certe ex Concilio Tarraconensi, anno Christi 516 habito, can. VI, cautum est ut Episcopus, qui a Metropolitano commonitus ad Synodum non venerit, excommunicetur. Ex Concilio Aurelianensi V, anni 349, sex mensibus a Missarum Officio suspenditur. Apud Gratianum, distinctione XVIII, recensetur canon Concilii Arelatensis, ita inquiens : « Si quis » autem Synodo adesse neglexerit, vel cœtum » fratrum, antequam Concilium dissolvatur, » crediderit esse deserendum, alienum se a » Fratrum communione agnoscat; nec eum » recipi liceat, nisi in sequenti Synodo fuerit » absolutus. » Vide Concilium Toletanum XI, can. XV, et Basiliense, sessione VIII.

§ XXII.

Demum Pontifex adhuc in sede prædicta cum mitra sedens, si placet, congregatos admonet et exhortatus sub hujusmodi verbis : *Fratres dilectissimi, et Sacerdotes Domini, cooperatores ordinis nostri estis. Nos, quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos autem locum Eleazari et Ithamari. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta discipulorum estis. Nos pastores vestri sumus; vos autem pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo Pastori nostro Domino Jesu Christo; vos de plebibus vobis commendatis. Et ideo, Fratres dilectissimi, videte periculum vestrum. Admonemus itaque et obsecramus fraternitatem vestram, ut, quæ vobis suggerimus, memoriæ commendetis, et opere exercere studeatis. In primis admonemus ut vita et conversatio vestra sit irreprehensibilis. In domibus vestris mulieres non cohabitent. Omni nocte ad nocturnas horas surgite. Officium vestrum horis certis decantate. Nullus nisi jejunus Missam celebret, et non in vestibus communibus, sed sacris et nitidis, amictu, alba, cingulo, manipulo, stola et casula, quæ ad alios usus non serviant. Missas religiose celebrate : Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi cum omni reverentia et tremore sumite. Corporalia mundissima sint. Vasa sacra propriis manibus abluite, et extergite diligenter. Nulla femina ad altare Domini accedat, nec calicem Domini tangat. Altare sit coopertum mundis linteis saltem tribus diversis : et desuper nihil ponatur nisi reliquiæ, ac res sacræ et pro sacrificio opportunæ. Missale, Breviarium, et Martyrologium unusquisque habeat. Ecclesiæ vestræ bene sint coopertæ, et mundæ. In sacristiis sive secretariis, aut juxta altare majus sit locus præparatus ad infundendum aquam ablutionis corporalium, et vasorum sacrorum, ac manuum, postquam sanctum chrisma,*

Digitized by Google

aut oleum catechumenorum vel infirmorum tractaveritis : ibique pendeat vas cum aqua munda pro lavandis manibus Sacerdotum, et aliorum qui rem sanctam et officium divinum sunt peracturi, et prope, linteum mundum ad illas abstergendum. Atria ecclesiæ sint bene munita. Nullus sine scitu et consensu nostro per potestatem sæcularem ecclesiam obtineat. Nullus ecclesiam ad quam intitulatus est, dimittat, et ad aliam, quæstus gratia, se transferat. Nullus plures ecclesias sine titulo, et contra sacrorum canonum dispositiones nancisci præsumat. Nullatenus etiam una ecclesia inter plures dividatur. Nullus extra ecclesiam in locis non consecratis celebret. Nullus alterius parochianum nisi itineruntem, et tunc de Rectoris sui licentia, ad communionem recipiat. Nullus in alterius parochia absque proprii Sacerdotis licentia Missam celebret. In celebratione quisque calicem, et oblata, non circulo aut digitorum vacillatione, ut quidam faciunt, sed junctis et extensis digitis cruce signet, sicque benedicat. Calix et patena sint aurei vel argentei, non ærei aut aurichalcei, vitrei, vel lignei. Quisque Presbyter Clericum habeat vel scholarem, qui cum eo Psalmos cantet, Epistolam et Lectionem legat, et in Missa respondeat. Ipse quoque Presbyter infirmos visitet et reconciliet, et, juxta Apostolum, propria manu communicet, oleo sancto inungat. Nullus præsumat tradere communionem laico aut feminæ, ad deferendum infirmo. Nullus pro baptizandis infantibus sive adultis, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium vel munus exigat. Per negligentiam vestram nullus infans sine Baptismo, et adultus sine Communione pereat. Nullus vestrum sit ebriosus, aut litigiosus. Nullus arma ferat. Nullus canum aut avium jocis inserviat, nullus in tabernis bibat. Quisque vestrum, quantum sapit, de Evangelio Dominico et cæteris festivis diebus suæ plebi annuntiet. Verbum Domini prædicate. Curam pauperum, peregrinorum, viduarum et orphanorum habete, ipsosque peregrinos ad prandium vestrum vocate. Estote hospitales, aliis exinde bonum exemplum præbentes. Singulis diebus Dominicis ante Missam, aquam, qua populus aspergatur, benedicite, ad quod vas proprium habete. Vasa sacra et vestimenta Sacerdotalia nolite negotiari, aut tabernario in pignus dare. Minus digne pœnitentem cujuscumque rei gratia ad reconciliationem non adducite, neque ei reconciliationis testimonium perhibete. Usuras non exigite. Nec facultates vestras post ordinationem vestram acquisitas alienate, quoniam Ecclesiæ sunt. Nullus etiam res, possessiones, aut mancipium ecclesiæ vendere, commutare, aut quocumque ingenio præsumat alienare. Nullus decimam alterius recipiat. Nullus pœnitentem carnem manducare aut vinum bibere invitet, nisi pro eo tunc eleemosynam fecerit. Quisque fontes Baptismales lapideos habeat bene mundos, quos si habere non poterit, vas aliud ad hoc opus solum deputatum teneat. Omnibus Parochianis vestris Symbolum et Orationem Dominicam insinuate. Jejunia quatuor temporum et alia Ecclesiæ mandata significate observanda. Ante quadragesimam quarta feria populum ad confessionem invitate, et confessis juxta qualitatem criminum pœnitentiam injungite. Tribus temporibus in anno, id est, Nativitate Domini, Pascha, et Pentecoste, omnes fideles accedere ad communionem Corporis Domini nostri Jesu Christi

Digitized by Google

admonete, et ne omittat quin saltem in Pascha communicet. Certis temporibus conjugatos abstinere ab uxoribus exhortamini. Nullus vestrum rubeis, aut viridibus, vel laicalibus vestibus utatur. Diem Dominicam et cæteras festivitates absque opere servili a vespera in vesperam celebrari docete. Cantus et choreas mulierum in atrio ecclesiæ prohibete. Incantationes super mortuos nocturnis horis, a vulgo fieri consuetas, sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare : nec quis vestrum in eorum præsentia celebrare præsumat; quod etiam plebi nuntiate. Et nullus ex plebe uxorem domum ducat, nisi prius nuptiæ, temporibus ab Ecclesia permissis, publice fuerint celebratæ. Quod nullus ad raptam vel consanguineam accedat, aut alterius sponsam ducat, omnimodis prohibete. Porcarios et alios pastores saltem Dominica die faciatis venire ad Missam. Patrinos, ut filiolos Symbolum et Orationem Dominicam doceant aut doceri faciant, exhortamini. Sacramentum Eucharistiæ, sanctum chrisma, et oleum catechumenorum, ac sanctum seu infirmorum, in ecclesia in loco mundo, condecenti et securo, sub sera et fida custodia diligenter servate. Quisque vestrum expositionem Symboli et Orationis Dominicæ juxta orthodoxorum Patrum traditiones penes se habeat, easque, atque Orationes Missarum, et Epistolas, Evangelia, et Canonem bene intelligat, ex quibus prædicando populum sibi commissum sedulo instruat, et maxime non bene credentem. Introitum Missæ, Orationes, Epistolam, Graduale, Evangelium, Symbolum, et cætera non secreta, alta et intelligibili voce proferat. Secreta vero et Canonem morose et distincte submissa voce legat. Psalmorum verba et distinctiones regulariter cum Canticis consuetis intelligibiliter pronuntiet. Symbolum sancti Athanasii de Trinitate et fide catholica memoriter teneat. Exorcismos et orationes ad catechumenos faciendos, ac reliquas preces super masculum et feminam, pluraliter, vel singulariter, vel respective, distincte proferat. Ordinem baptizandi, et ad succurrendum infirmis, reconciliationis, et commendationis animæ, et in agendis exsequiis defunctorum juxta modum canonicum observet. Exorcismos et benedictiones salis et aquæ pertinenter legat. Canticum diurnum et nocturnum sciat. Computum etiam minorem ad inveniendum litteram dominicalem, tempus intervalli diei Paschæ et majorum mobilium festorum non ignoret. Volumus autem, Fratres dilectissimi, quatenus, quæ nostra percepistis traditione, bonis studeatis operibus adimplere, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre et Spiritu sancto est honor et gloria in sæcula sæculorum.

COMMENTARIUS.

I. Pervetus illud institutum est, tum sanctorum Patrum usu, tum Ecclesiæ auctoritate comprobatum, ut quæ Sacerdotalem Clericalemque disciplinam, officia, ac partes ejus maxime attingunt, ea, certis monitionibus comprehensa, ab Episcopo in Synodis Clero proponantur. Observat hæc quidem in suo Concilio provinciali Mediolanensi IV S. Carolus, *Constitutionum* parte III, cap. *Monitiones;* ejusque instituti ratione atque exemplo adductus, de Episcoporum consilio atque assensu qui Concilio interfuerant, saluberrimas monitiones edidit, facultate Episcopis relicta ut, pro libito suo, unusquisque eisdem addat ac detrahat,

Digitized by Google

prout Ecclesiæ suæ Clero, pro temporum ratione, utile esse viderit : tum illas in unaquaque diœcesana Synodo, sessione publica, universo Clero de libro accurate legi graviterque pronuntiari mandet; ut, quo sæpius repetitæ, frequentiorique studio illæ traditæ atque expositæ sunt, eo diligentius ac religiosius sanctis Ecclesiasticæ disciplinæ vitæque officiis universus Clerus in omnes sese partes conformet.

II. Exstat veteris admonitionis formula sub nomine *Inquisitionis*, duobus libris distincta, apud Reginonem abbatem Prumiensem, qui IX Christi sæculo floruit. In fronte libri primi ponitur inquisitio sive formula inquisitionis, secundum quam Episcopi interrogare debebant de vita et conversatione Clericorum; initio autem libri secundi, inquisitio ab Episcopo facienda circa laicos. Pro quo notandum, quod scite docet Van-Espen, tomo V Operum, part. V, cap. I, ubi agit de collectione memorati Reginonis, jam pridem in more positum fuisse ut Presbyteri qui plebes regebant, semel in anno, Episcopo ejusve Ministris in Synodo reddere deberent rationem suæ villicationis, tam de fide catholica, quam de administratione Sacramentorum, aliisque quæ statum interiorem et exteriorem parochiæ suæ concernebant.

III. Porro, ut Presbyteri juxta sacros canones officii sui rite admonerentur, et de omnibus debita fieret inquisitio, mediis sæculis, cum esset magna in Presbyteris et Clero canonum ignorantia, necesse fuit, inquit Van-Espen, componi brevissimum canonum seu regularum breviarium, quo continebantur ea de quibus Presbyteri præcipue essent admonendi, aut super quibus inquirendum. Hunc in finem edita videtur *Admonitio* illa quæ sub nomine Leonis IV exstat tomo VIII *Conciliorum*, pag. 33, in qua continentur vivendi et docendi Ecclesiasticæ regulæ; eratque communis hæc admonitionis sive inquisitionis formula omnibus provinciis, et non modo coram Presbyteris in Synodo legebatur, sed Episcopus insuper, ejusve Ministri, munus visitationis obeuntes, secundum titulos in ipsa admonitione comprehensos, inquirebant de vita et conversatione tam Clericorum quam laicorum; atque eo titulo formula illa, nunc *Admonitio*, nunc *Inquisitio* dicta fuit.

IV. Confirmat et hanc sententiam hodiernus Ecclesiæ usus, secundum quem ipsa admonitio, quamvis nonnihil immutata, ab Episcopo mitra insignito, hodieque in sua diœcesana Synodo legi solet, ex præscripto Romani hodierni Pontificalis in hoc præsenti § XXII. Mutata est autem in aliquibus formula antiqua, ejusque mutationis exempla varia adducit laudatus Van-Espen. Sic admonitio moderna vult quidem ut Presbyteri, id est Parochi, tribus temporibus in anno, Nativitate Domini, Pascha, et Pentecoste, omnes fideles accedere ad communionem Corporis Domini nostri Jesu Christi admoneant; statimque subjungit hanc clausulam : *Et ne omittant quin saltem in Pascha communicent*. Quæ verba in articulo LVIII *Inquisitionis* Reginonis desiderantur; indiciumque non obscurum est, addita ipsa fuisse postquam, ex decreto Concilii Lateranensis IV, capite XXI, obligatio communicandi ad solam solemnitatem Paschalem restringi cœpit. Rursus *Admonitio* nostra habet ut Presbyteri conjugatos exhortentur ab uxoribus abstinere. Inquisitio vero Reginonis, articulo LIX, ita interrogare jubet : « Si » illud etiam admoneat, quibus temporibus » conjugati se abstinere debent a propriis uxo- » ribus. » Hos binos articulos, quos exempli causa retulimus, si quis diligenter expendat, facile et illud addiscet, quod auctores eruditi docent, priorem labentis, imo collapsæ disciplinæ præferre ætatem : cum Ecclesia, infirmitate filiorum coacta, multa intra limites consilii permittere debuit, quæ melior ætas vinculo legis concluserat.

V. Non omittendum denique est, conflatam esse vel ipsam *Admonitionis* veteris formulam ex variis decretis Conciliorum, atque Pontificum placitis; quæ quidem magna ex parte sparsim in decursu hujus operis, ac præsertim in Commentariis nostris ad Concilia œcumenica fuse explicavimus.

§ XXIII.

Tum Pontifex dimissa mitra surgit, et, stans versus ad altare, dicit absolute :

Digitized by Google

OREMUS.

Nulla est, Domine, humanæ conscientiæ virtus, quæ inoffensæ possit tuæ voluntatis judicia experiri; et ideo, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa, misericors Deus, quod perfecto veritatis fine concludere peroptamus : te in nostris principiis occursorem poposcimus, te in hoc fine judiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus speramus, scilicet ut ignorantiæ parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris; et, quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit justitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut, si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus; ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Synodum, a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum; qualiter et transgressores venia, et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XXIV.

Deinde benedicit omnibus solemniter dicens : *Sit nomen Domini benedictum, etc.* Et dat indulgentiam. Quibus peractis, Archidiaconus stans juxta Pontificem, dicit alta voce : *Recedamus in pace.* Et respondent omnes : *In nomine Christi.* Tunc omnes pariter surgentes Pontificem cappa indutum cum superpelliceis ad domum reducunt. Si vero in primo die vel in secundo omnia negotia Synodi expediuntur, approbatis omnibus, et conclusione Synodi facta, Pontifex sedens cum mitra, ut supra, commendat se omnium orationibus, et leguntur nomina interesse debentium : admonentur per Pontificem congregati, et alia fiunt, prout supra ordinata.

COMMENTARIUS.

I. Cautum est ex manuscripto Parisiensis Ecclesiæ Pontificali, ut, omnibus tandem expletis quæ in Synodo pertractari necessaria fuerant, descriptam in § XXIII Orationem dicat Episcopus super cunctos Clericos, *Nulla est, Domine, humanæ conscientiæ virtus, etc.;* quæ quidem Oratio aliter in Romanis editis ante Clementem VIII Pontificalibus legitur, tametsi in ipsa Oratione cum nostro hodierno Romano Pontificali concordet vetustus manuscriptus codex Floriacensis, et alii manuscripti libri Pontificales non pauci, inter quos non omittendus est vetus Ordo Romanus, qui ipsam Orationem in fine Synodi quartæ diei describit. Ut ut sit ea varietas, mandat præterea ipsum Ecclesiæ Parisiensis Pontificale ut recitatæ in ipso § XXIII Orationi paterna Oratio adjungatur, et, cunctis adhuc incurvatis, hæc benedictio proferatur : « Omnipotens Dei Filius, qui est initium et finis, » complementum vobis tribuat charitatis. Amen. » Et qui vos ad expletionem hujus fecit pervenire Synodi, ab omni absolutos vos efficiat » contagione delicti. Amen. Et ab omni reatu » liberiores effecti, absoluti etiam per donum » Spiritus sancti, felici reditu vestrarum sedium » cubilia repetatis illæsi. Amen. Quod ipse præstet, etc. » Tum subjungit ut dicatur Hymnus *Te Deum laudamus;* eoque expleto, et dicente Archidiacono : *In nomine Domini nostri Jesu Christi eamus in pace. Amen,* tunc omnes surgant, et ad propria cum pace redeant. Juxta ordinem celebrandæ diœcesanæ Synodi Senonensis, ante benedictionem ab Episcopo largiendam, dicit primum Archidiaconus : *Humiliate*

Digitized by Google

vos ad benedictionem : qua ab Episcopo data, subjungit ipse Archidiaconus : *Ite in pace;* eoque dicto incipit Episcopus *Te Deum*, descendendo de cathedra, et eundo ad majus altare, Decano, Præcentore, Archidiaconis, Abbatibus, et Decanis ruralibus Episcopum in suo ordine præcendentibus.

II. Ex constituto S. Caroli in suo Concilio v provinciali, ubi agit de iis quæ ad diœcesanam Synodum attinent, varii hic describendi sunt ritus : « Episcopus, inquit, antequam Synodum » dimittat, sermonem habeat, paternis monitio- » nibus plenum, et dimissioni accommodatum. » Processio solemnis deinceps ab universo Clero » agatur. A qua cum reditum erit, Clerus uni- » versus genibus flexis tacitus per horam dimi- » diam oret pro rebus publicis, quarum causa » Oratio Episcopi jussu indicatur. Tum postea » acclamationes sancte fiant ex formula ab Epi- » scopo præscripta. Acclamationibus factis, » omnes Sacerdotes et Clerici surgentes cum » reverentia osculum pacis ab Episcopo acci- » piant, et sibi invicem dent cum timore et » amore Dei. Si vero Cleri qui convenerit » numerus is est ut longius hic osculi ritus du- » catur, ea ratio ineatur ut Præpositi et Archi- » presbyteri solum ab Episcopo illud accipiant, » qui deinceps suo quique Clero dent; isque » inter se mutuo item. »

III. Varios ritus in Conciliis servatos enarravimus nos nostro I tomo *Conciliorum*, in Prolegomenis. Quod spectat illum nostræ hujus Rubricæ articulum, ut nimirum omnes Pontificem cappa indutum cum superpelliceis ad domum reducant, nihil exstat in Romanis editis ante Clementem VIII Pontificalibus, multo minus in manuscriptis codicibus. Quod vero pacis osculum spectat, de quo loquitur S. Carolus in loco descripto, est ritus antiquus, ejusque meminit vetus Ordo Romanus, et vetustus manuscriptus codex Floriacensis in ordine agendi Synodum. Ait enim ut, ubi dictum fuerit ab ipso Archidiacono : *In nomine Domini nostri Jesu Christi eamus in pace*, omnes illico pariter exsurgentes, residente Metropolitano, ab ipso primum incipientes, osculum sibi invicem omnes pariter dent, sicque, data sibi invicem pace, conventus Concilii absolvatur. Idipsum et alii manuscripti libri Pontificales passim præscribunt. Monet autem S. Carolus in ipso Concilio v Mediolanensi ut, « quod sancti osculi significa- » tione ostendunt, id re ipsa præstent : ut con- » junctissimis animis, concordique voluntate, » et pacis atque charitatis studio, quæcumque » lecta sancitave sunt, sollicite exsequantur. »

IV. Reliquum est ut quartæ diei ordinem explicemus, qua juxta veterem Romanum Ordinem, et Concilium Salegunstadiense, absolvebatur Synodus : « Quarta vero die, inquit, » Episcopus ante Synodum ingrediens, sic pro- » cedat : Primum portentur ante eum duo » candelabra cum cereis incensis ; quæ sequun- » tur duo Acolythi cum thuribulo et thymiaterio. » Deinde Subdiaconus portans Evangelium : » duæ cruces hinc inde ; deinde Diaconus ; » postremum Episcopus, Episcopalibus vesti- » mentis indutus et cappa, ingreditur. Et in » sede sua stans, dicat : *Dominus vobiscum.* » *Oremus. Nostrorum, Domine, tibi curvantes* » *genua cordium, quæsumus ut bonum quod* » *in nobis a te requiritur, exsequamur, scilicet* » *ut prompta tecum sollicitudine gradientes,* » *discretionis arduæ subtile judicium faciamus,* » *ac misericordiam diligentes clareamus studiis* » *tibi placitæ actionis. Per.* Postea legatur » Evangelium solito more : *Respiciens Jesus* » *discipulos suos, dicit Simoni Petro : Si pecca-* » *verit in te frater tuus.* »

V. Nihil deinde aliud legitur in ipso Concilio Salegunstadiensi : at in Ordine antiquo Romano statutum lego, ut « sequantur septem Psalmi » cum precibus quibus placuerit : quibus finitis, » Episcopo et cæteris in ordine sedentibus, ab » ipso Episcopo sive a Diacono ex ipsius persona » legatur hæc admonitio : *Fratres, et Presbyteri,* » *et Sacerdotes Domini, cooperatores Ordinis* » *nostris estis, etc.*, » ut supra in § XXII. Ex eodem tandem antiquo Romano Ordine cautum est quidem ut, post ipsam Orationem in nostro § XXIII recitatam, dicat hanc Episcopus Orationem, quam Gregorianam appellat : « Deus, » qui nos Pastores in populo vocari voluisti, » præsta, quæsumus, ut hoc quod humano ore » dicimur, in tuis oculis esse valeamus. Per. »

VI. Finitis istis, Missa de omnibus Sanctis solemniter celebrabatur ; plenaque processione Pontifex procedens Clerum monebat, ac populum docebat, atque in fine prædicationis peccatorum remissionem largiebatur. Completa vero Missa, signis seu campanis consonantibus, in

Digitized by Google

laudem Dei Cantor alta voce incipiebat *Te Deum laudamus.* Tum a populo cum ea laude decantabatur *Kyrie, eleison.* Deinde dicebat Cantor Antiphonam *In viam pacis.* Sequebatur Psalmus seu Canticum *Benedictus.* Finitaque Antiphona, Diaconus stolam in humero habens dicebat alta voce : *Humiliate vos ad benedictionem.* Responso *Deo gratias,* sequebatur benedictio : « Christus Filius Dei, qui est initium et » finis, etc. » At supra ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Parisiensis, cui concinit manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Barensis, de quo infra in Appendice, his omnibus finitis, cum dictum fuerat ab Archidiacono, *In nomine Domini Jesu Christi eamus cum pace*, omnes illico, ab ipso primum incipientes Episcopo, osculum sibi invicem dabant, sicque, data sibi invicem pace, conventus Concilii absolvebatur.

APPENDIX

In qua manuscripti Ordines ad celebrandam Synodum recensentur.

ORDO I.

Ex manuscripto Pontificali Barensi, quod Romæ asservatur in Bibliotheca Angelica Fratrum Eremitarum Sancti-Augustini.

ORDO ROMANUS QUALITER CONCILIUM AGATUR.

Conveniente universo cetu Episcoporum, Abbatum, Presbyterorum, atque Dyaconorum, ceterorumque Ecclesiasticorum in nomine Domini, sive in ea civitate Metropoli, sive in ea quam metropolitanus Episcopus una cum consensu ceterorum Episcoporum devenerit ad Concilium faciendum. Post Orationes solitas congregantur omnes in ecclesia majori, ubi Concilium celebrandum est, sedentque in ordine suo cum silentio. Tunc cantatur a Scola Antiphona ad Letaniam, *Exaudi nos.* Et postea erigens se metropolitanus Episcopus dicit : *Oremus;* Dyaconus : *Flectamus genua.* ℟. *Levate.* Et ipse metropolitanus Episcopus cum aliis senioribus dat hanc Orationem : « Omnipotens » sempiterne Deus, qui misericordia tua nos in» columes in hoc loco specialiter aggregasti; » mentes nostras, quæsumus, Paraclitus, qui a te » procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut » tuus promisit Filius, veritatem, cunctosque in » tua fide et caritate corroboret, ut, exercitati a » temporali Concilio, proficiamus ad æternæ » felicitatis augmentum. Per eundem... in uni» tate ejusdem. »

Post Collectam fit Letania; qua finita, dicit Episcopus : *Oremus;* Dyaconus : *Flectamus genua. Levate.* Oratio : « Da, quæsumus, Ecclesiæ » tuæ, misericors Deus, ut Spiritu sancto con» gregata, secura tibi devotione servire merea» tur. Per Dominum... in unitate ejusdem. »

Finita Oratione, et responso ab omnibus *Amen*, cum timore et disciplina sedent Episcopi et Presbyteri in silentio magno. Tunc Dyaconus progrediens de altari sacra veste indutus portat Evangelium usque ad (*a*) amonem, et in medio choro ad legendum stans dicit : *Dominus vobiscum;* et reliqua, sicut mos est; et legit Lectionem ad hoc pertinentem, sive Evangelium. Quo finito, incipit Pontifex ymnum *Veni, creator Spiritus.* Quo expleto, omnes sedeant. Tunc alloquitur Metropolitanus Concilium, dicens : « Ecce, beatissimi et venerabiles Sacerdotes, et » Patres ac Fratres nostri, missis ad Deum pre» cibus, sanctitatem vestram oportet ut ea quæ » de divinis et sacris ordinibus, aut etiam de » nostris moribus, et necessitatibus Ecclesiasti» cis a nobis conferenda sunt, cum caritate et » benignitate unusquisque vestrum suscipiat, » summaque reverentia, quantum valet, Domino » adjuvante, perficiat; vel quæ emendatione » digna sunt, omni devotione unusquisque fide» liter studeat emendare. Et si cui forte quod » dicitur displiceat, sine aliquo scrupulo con» tentionis palam coram omnibus conferat :

(*a*) Legendum : *ambonem;* in eoque consuevisse olim legi Evangelium, diximus in opere nostro, *De codice sancti Evangelii, etc.*, lib. II, cap. VI.

Digitized by Google

» quatinus, Deo mediante, et hoc ad optimum » (*a*) stastum perveniat; ita ut (*b*) discordans » contentio ad subversionem justitiæ locum in» veniat, nec iterum in perquirenda veritate vi» gor vestri ordinis vel sollicitudo tepescat. »

Post allocutionem tractet apud se de divinis ministeriis, et de Ecclesiasticis disciplinis, vel quibuslibet necessariis: canonesque ibi legantur, aut liber Officiorum, nec aliquis inde exeat antequam omnia ista explicentur : et ita totis tribus diebus agatur : etiam, de hiis qui foris sunt si quis Concilium pro qualibet causa appellare voluerit, Archidiaconus Ecclesiæ Metropolitano causam suam intimet, et ille in Concilium proferat: et ita introeundi detur ei licentia. Concilium autem nullus solvere audeat, nisi cuncta fuerint terminata.

Item, alterius diei conventione facta, dicit Metropolitanus : *Oremus;* Dyaconus : *Flectamus genua. Levate.* Oratio : « Mentibus no» stris, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum » benignus infunde, quatinus in nomine tuo » collecti sic in cunctis teneamus cum mode» ramine pietatis justitiam, ut hic a te in nullo » dissentiat voluntas nostra, sed semper ratio» nabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, » dictis exequamur et factis. Per Dominum » nostrum Jesum Christum... in unitate ejus» dem. »

Post Letaniam Oratio : « Deus, qui nos justi» tiam loqui, et, quæ recta sunt, præcipis ju» dicare, tribue nobis ut nec iniquitas in ore, » nec pravitas inveniatur in mente; ut puro » corde purus sermo consentiat; ostendatur » in opere justitia, nec appareat dolus in lin» gua, sed ex corde veritas proferatur. Per » Dominum. »

Finita (*c*) Orationem, legitur Lectio sicut superius continetur; post Lectionem vero et ymnum alloquitur Episcopus verbis hujusmodi : « Reverentissimi et (*d*) sanctissimi nobis » Domini et Patres nostri, piam sollicitudinem » vestram oportet ut, sicut hesterno ammo» nuimus benignam mansuetudinem vestram » de divinis Officiis, et sacris altaris gradibus, » aut etiam de consuetudine, et necessitatibus » Ecclesiasticis, quæcumque emendanda vel » renovanda sunt, quod caritas omnium vestrum » ubicumque noverit aliqua emendatione con» dignum, in medium proferre non ambigat, » ut per vestræ sanctitatis studium, Domino » largiente, ad optimum perveniant statum, » ad laudem nominis Christi Domini nostri. »

Post allocutionem, ammoneat Episcopus, ut supra, et de divinis tractent inter se.

Item Ordo tertiæ diei. Conventione facta, dicit Metropolitanus : *Oremus;* Dyaconus: *Flectamus genua. Levate.* Oratio : « Omnipotens, » sempiterne Deus, qui sacro verbi tui oraculo » promisisti, ut (*e*) duo vel tres in nomine tuo » congregati essent, te medium fore : adesto » cetui nostro, et cor nostrum illumina mise» ricors, ut a bono misericordiæ tuæ nullate» nus aberremus, sed rectum justitiæ tuæ tra» mitem in omnibus teneamus. Per. »

Post Letaniam Oratio : « Deus, qui populis » indulgentia consulis, et amore dignaris : da » eis spiritum sapientiæ tuæ, quibus dedisti » regimen disciplinæ, ut de provectu sancta» rum ovium fiant gaudia æterna Pastorum. » Per Dominum... in unitate ejusdem. »

Finita Oratione, legitur Lectio sicut superius continetur; post Lectionem vero alloquitur Episcopus verbis hujusmodi : « Dilectissimi, ac » venerabiles Patres Domini nostri, beatitu» dinem vestram oportet ut ea quæ de Eccle» siasticis officiis, et Sacerdotalibus gradibus, » vel etiam canonicis sanctionibus propter di» versas occupationes, aut, quod negare non » possumus, propter nostram aliorumque de» sidiam, non tam pleniter ut oportet executa » sunt, vestrum omnium unanimi consensu » et voluntate requirantur, et humiliter coram » sanctitate vestra recitentur, et quæ condigna » sunt emendatione, ad meliorem statum, » auxiliante Domino, perducantur; et cui for» tasse displicet quod digestum est, sanctitati » vestræ, cum benignitate et modestia intimare

(*a*) Legendum : *statum.* — (*b*) Legendum : *ita ut nec discordans.* — (*c*) Lege : *Oratione.*

(*d*) Sanctissimi, et sanctitatis, sive beatitudinis titulum, quo hodie Romanus solus Pontifex Maximus insignitur, dari olim omnibus Episcopis consuevisse, ex priscis scriptoribus et Pontificalibus libris constat. S. Augustinus Petilianum Episcopum, tametsi hæreticum, sanctissimum appellabat. Vide notas nostras in selectas S. Hieronymi Epistolas, lib. I, pag. 3.

(*e*) Supplendum : *ubi*, loco *ut*.

Digitized by Google

» non differat; quatinus totum quod nostra » sinodali conventione statutum fuit vel re- » novatum, absque omni contrarietate, con- » cordia sanctæ pacis ab omnibus eque custo- » diatur ac teneatur, ad augmentum æterne » beatitudinis omnium nostrum. »

Post allocutionem ammoneat Episcopos, ut supra, et de divinis Scripturis tractent inter se, et statuant quæ necesse fuerit emendare. Terminatis autem omnibus, ultima die Concilii elevant se omnes cum reverentia de sedibus suis, et dicit metropolitanus Episcopus : *Oremus;* Dyaconus : *Humiliate vos ad orationem.* Tunc omnes prostrati in terram orent non modico intervallo. Et dicit Dyaconus : *Levate.* Et Episcopus dat istam Orationem : « Exaudi, » quæsumus, Domine, supplicum preces, et » confitentium tibi parce peccatis, ut, si quid » offensionis in hac Concilii celebritate con- » traximus, te miserante, indulgentiam sen- » tiamus, ut in eo quod soluturi sumus ag- » gregatum Concilium, a cunctis primum » absolvamur nostrorum nexibus delictorum, » per quod a cunctis nos excessibus, Domine, » quæsumus propitiatus absolve; et, quia im- » perfectum nostrum oculi tui vident, per- » fectioni deputa misericors quod perfecto » equitatis fine concludere peroptamus. Per » Dominum. »

Dicatur omnibus a Metropolitano benedictio hiis verbis : « Omnipotens Dei Filius, qui est » initium et finis, complementum vobis tri- » buat suæ caritatis. » Respondeant omnes : « Amen. »

« Et qui vos ad expletionem hujus fecit ve- » nire Sinodi, absolutos vos efficiat ab omni » cogitatione delicti. ℟. Amen. »

« Et ut, ab omni reatu liberiores effecti, ab- » soluti etiam per Sinodum, Spiritus sancti » felici redditu vestrarum sedium cubilia re- » petatis illesi. ℟. Amen. »

« Quod ipse præstare dignetur, qui cum Pa- » tre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, in » secula seculorum. ℟. Amen. »

Quibus expletis dicit Archidiaconus : *Recedamus cum pace.* ℟. *In nomine Christi.* Tunc omnes pariter exurgentes pacifice redeant in domos suas.

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali codice Vaticano Gulielmi Durandi, 4744.

ORDO AD CONCILIUM SEU SYNODUM CELEBRANDUM. RUBRICA.

Synodus diœcesana, seu Concilium provinciale, celebratur hoc modo : Sacerdotes enim et Clerici universi qui ad Synodum sive ad Concilium jure vel consuetudine venire tenentur, veniant in civitate aut loco, prout Episcopus ordinaverit. Prima autem die Synodi, mane conveniant in ecclesia in qua debetur Synodus celebrari. Tunc Pontifex, audita Missa, cum amictu, stola, alba, pluviali, baculo Pastorali et mitra, paratus accedit coram altari, et ibi incipit, flexis genibus et mitra deposita, Schola prosequente, Antiphonam : *Exaudi nos, Domine, etc. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Gloria.* Et repetitur Antiphona : *Exaudi nos.* Post hæc Pontifex se erigens dicit : *Oremus.* Oratio : « Omnipotens sem- » piterne Deus, qui misericordia tua, etc. »

Finita Collecta, dicitur Lethania, quam require supra sub ordinatione Subdiaconi, Episcopo ante altare super faldistorium cum mitra in capite recumbente, et omnibus (*a*) flectentibus. Et postquam Cantores in Lethania dixerint : *Ut obsequium servitutis, etc.*, et idem a Choro responsum fuerit; Pontifex se erigens, et ad chorum se vertens, dicit : *Ut hanc præsentem Synodum visitare et bene ✠ dicere digneris, te rogamus, audi nos :* producens signum crucis pariter super omnes. Quo finito, iterum accumbit, Cantoribus resumentibus Lethaniam. Qua finita, erigens dicit : *Oremus;* et Ministri : *Flectamus genua. Levate.* « Da, » quæsumus, Ecclesiæ tuæ, etc. » ℟. ab omnibus : « Amen. »

Deinde ad suam sedem accumbit, et Dyaconus dalmatica indutus, benedictione accepta, legit Euangelium ad sinistram partem Presbyterii. Euangelium vero est : *Convocatis Jesus duodecim discipulis, etc.* Require feria quinta post Pentecosten. Vel aliud : *Qui vos audit, me audit.* Require sub festo S. Felicis. Quo

(*a*) Deest : *genu*.

Digitized by Google

finito, Pontifex, flexis genibus et mitra deposita, incipit coram altari alta voce ymnum *Veni, creator Spiritus.* Quo expleto, omnes sedeant in silentio, et Pontifex si velit, eos alloquitur, dicens : « Ecce, beatissimi et ve- » nerabiles consacerdotes ac fratres nostri, » missis Deo precibus, sanctitatem vestram » oportet ut ea quæ de divinis Officiis, etc. »

Post allocutionem hujusmodi, vel prius, quod est melius, fiat sermo, in quo tractetur de disciplina Ecclesiastica, de divinis misteriis, et de correctione morum in Clero, secundum ea quæ in nostris constitutionibus synodalibus inter instructiones clarius demonstratur. Et mox post sermonem, querelæ, si quæ sunt, audiantur. Postremo charitative moneantur omnes, et durante ipsa Synodo honeste se habeant in domibus et extra, ita quod eorum honesta conversatio ceteris sit merito in exemplum.

Secunda quoque die, convenientibus omnibus in Ecclesia, Pontifex dicit Missam : qua finita, paratus ut supra, procedit coram altari, ibi inchoans, Schola prosequente, Antiphonam : *Propitius esto peccatis nostris, Domine. Oremus.* Oratio. « Mentibus nostris, quæsu- » mus, Domine, etc. » *Oremus;* et Dyaconus : *Flectamus genua. Levate.* Oratio. « Deus, qui » nos justitiam loqui, etc. » Post hæc transit ad sedem, et legit Euangelium : *Designavit Dominus, etc.* Require in festo S. Lucæ. Quo finito, incipit Pontifex ympnum *Veni, creator Spiritus, etc.*, ut supra. Deinde, sedentibus omnibus, alloquitur Pontifex, si velit, Synodum hiis verbis : « Reverendissimi et sanctis- » simi nobis Domini et Patres nostri, piam soli- » citudinem vestram oportet ut, sicut hesterna » die, etc. » Post hujusmodi allocutionem, vel prius, quod est melius, fit sermo, et post sermonem constitutiones promulgantur et leguntur. Et si tunc Synodus finiatur, recommendentur Religiosi, et Pontifex se orationibus omnium commendet devote. Et omnes qui adesse debent, nominatim vocantur, et contra absentes proceditur, prout Episcopo visum fuerit expedire. Expeditis igitur omnibus quæ expedienda sunt, omnes cum reverentia surgant de sedibus suis, et Pontifex dicit : *Oremus.* Oratio. « Exaudi, quæsumus, Domine, » supplicum preces et confitentium tibi parce » peccatis, ut, si quid offensionis in hac Syn- » odi celebritate contraximus, te miserante » indulgentiam sentiamus, ut in eo quod so- » luturi sumus aggregatam Synodum, a cun- » ctis primum absolvamur nostrorum nexi- » bus delictorum, propter quod nos a cunctis » excessibus, Domine, quæsumus, propitiatus » absolve, et quod imperfectum nostrum oculi » tui vident, perfectioni deputa, misericors, » quod perfecto æquitatis fine concludere per- » optamus. Per Dominum, etc. » Deinde Dyaconus dicit alta voce : « Humiliate vos ad » benedictionem, *vel* mansuetudinem, *vel* ca- » ritatem, etc. » Require infra de solempni Episcopali benedictione. Et Pontifex dat benedictionem, dicens : « Omnipotens Dei Filius, » qui est initium et finis, etc., » vel aliam. Require inter nostras benedictiones. Et dat indulgentiam. Quo facto, omnes in pace ad propria redeant. Si vero propter aliquas necessitates oportet Synodum tribus diebus celebrari, tunc non in secunda sessione, sed in tertia datur dicta benedictio solempnis : « Om- » nipotens Dei Filius. » Et in secunda, datur illa : « Sit nomen Domini benedictum. » Et in tertia, non in secunda, recommendantur Religiosi, et se Pontifex orationibus omnium se recommendat; et qui adesse debent, vocantur et licentiantur. Et dicitur Oratio : « Exaudi, quæsumus, Domine, etc. » Et indulgentia conceditur, ut præmissum est.

In ipsa autem tertia sessione eodem modo proceditur sicut in secunda, nisi quod tunc prima Oratio hæc est : « Omnipotens sempi- » terne Deus, qui sacro verbi tui oraculo pro- » misisti, ubi duo vel tres in nomine tuo ag- » gregati essent, te medium fore : adesto cetui » nostro, et corda nostra illumina misericors, » ut a bono misericordiæ tuæ nullatenus aber- » remus, sed rectum justitiæ tuæ tramitem in » omnibus teneamus. Per Dominum. Amen. »

Secunda Oratio hæc est : « Deus, qui popu- » lis tuis indulgentiam (*a*) consulis, et amorem » dominaris, da eis spiritum sapientiæ tuæ, » quibus dedisti regimen disciplinæ, ut de pro- » fectu sanctarum ovium fiant gaudia sempi-

(*a*) Legendum : *indulgentia..... et amore.*

Digitized by Google

» terna (*a*). Per Dominum... in unitate ejusdem.» Euangelium require, ut supra : *Designavit Jesus, etc.* Allocutio est hæc : « Dilectissimi » ac venerabiles Patres ac Domini nostri, oportet ut ea quæ de Ecclesiasticis officiis, et Sacerdotalibus gradibus, vel etiam canonicis » sanctionibus, etc., ad augmentum æternæ » beatitudinis omnium nostrum. »

ORDO III.

Ex antiquo Romano Ordine, apud Hittorpium, pag. 111.

QUALITER AGATUR CONCILIUM (*b*) PROVINCIALE.

Prima die, et secunda, et tertia, omnes ante Missam sequantur crucem cum Letania, et ita suscripto ordine ingrediantur Synodum.

Ordo primæ diei.

Hora convenienti, quando Episcopo vel ejus Vicario visum fuerit, omnes expellantur ab Ecclesia, obseratisque foribus cunctis, ad unam januam, per quam Sacerdotes ingredi oportet, ostiarii stent, et sella ponatur in medio, et supra eam sacræ reliquiæ, et plenarium cum stola ponantur. Deinde convenientes Presbyteri omnes intrent, et secundum ordinationis suæ tempus resideant. Post hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo poposcerat interesse. Exinde introducantur laici bonæ conversationis, vel qui electione (*c*) conjugale interesse meruerit. Tunc ingrediatur Episcopus si voluerit, vel, si necessitas exegerit, etsi non aderit Episcopus, ejus Vicarius eadem faciat.

Prima die, quando Episcopus vel ejus Vicarius Synodum ingreditur, salutet ex omni parte non solum Clerum, sed et populum, et versus ad Orientem mediocri voce dicat : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* « Oremus. Deus humilium visitator, qui nos fraterna dilectione consolaris, prætende societati » nostræ gratiam tuam, ut, per eos in quibus » habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. » Per. »

Tunc procedens Diaconus cum Subdiacono, thuribulo, et ceroferariis duobus, benedicente Pontifice, legat Euangelium in ambone : *Cum esset sero die illo.* Eo autem descendente, dicat Pontifex, vel ejus Vicarius : « Sancta Maria, et » omnes Sancti, et electi Dei, intercedite pro » nobis peccatoribus ad Dominum Deum nostrum, ut mereamur ab eo adjuvari et sanari, qui vivit et regnat in secula seculorum. » Postea duabus vicibus dicat : *Deus, in adjutorium meum intende*, Clero respondente : *Domine ad adjuvandum me festina.* Item tertio dicatur : *Deus, in adjutorium meum intende,* Clero respondente : *Domine, ad adjuvandum me festina :* cum *Gloria*, et *Kyrie, eleison,* et *Pater noster*, cum precibus istis : *Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum. Adjuva nos, Deus salutaris noster. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis. Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* « Oremus. Exaudi nos, Deus » salutaris noster, et dies nostros in tua pace » dispone, ut, a cunctis perturbationibus liberati, tranquilla tibi servitute famulemur. »

Deinde pro universis Ordinibus, nec non pro statu Papæ, et Antistitis ejusdem Sedis decantant Psalmos hos : *Miserere mei, Deus. Deus, in nomine tuo. Miserere mei, Deus, miserere mei. Deus misereatur nostri. Deus, in adjutorium meum. Pater noster*, cum precibus istis : *Sacerdotes tui, Domine, induant. Memento, Domine, congregationis tuæ. Salvos fac, Domine, Deus noster. Ut confiteamur nomini sancto tuo. Adjutorium nostrum in nomine Domini. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.* « Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, cujus spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur et regitur, exaudi nos » pro universis Ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per. »

Deinde dicat Orationem : « Deus omnium » fidelium pastor et rector, famulos tuos, quos » Pastores Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice : da eis, quæsumus, verbo et » exemplo, quibus præsunt ita proficere, ut ad

(*a*) Deest : *pastorum.*

(*b*) Spectat is ordo celebrationem Concilii diœcesani sive Episcopalis, non vero provincialis, uti ex ipso Ordine liquet. Dicitur autem idcirco *Ordo qualiter agatur Concilium provinciale,* quia aliquando eo nomine diœcesanum seu Episcopale Concilium appellatur.

(*c*) Legendum : *electioni Concilii*, prout habetur in Concilio Toletano IV, anni 633, cap. III, ubi agitur de formula secundum quam debeat Synodus celebrari.

Digitized by Google

» vitam una cum grege sibi credito perveniant » sempiternam. Per. »

His expletis, septem Psalmos pœnitentiæ pro peccatis decantent, cum precibus istis : *Kyrie, eleison* et *Pater noster. Ego dixi : Domine, miserere mei. Convertere, Domine, usquequo. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. Domine, Deus virtutum, converte nos. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.* « Oremus. Dies nostros, quæsumus, Domine, » placatus intende, pariterque nos et a peccatis » absolve propitius, et a cunctis eripe benignus » adversis. Per. »

Post hæc vero egrediantur omnes, exceptis Presbyteris et ceteris idoneis Clericis, factoque silentio, dicat Pontifex vel ejus Vicarius hanc Orationem palam : « Oremus. Adesto nobis, » quæsumus, Domine, sancte Spiritus, peccati » quidem immanitate detentis, sed in nomine » tuo specialiter aggregatis. Veni ad nos, et di- » gnare illabi cordibus nostris, etc., » ut in Pontificali Romano. »

Tunc, tacentibus cunctis, ex Nicæno Concilio Fides Catholica a Diacono legatur : « Cre- » dimus in unum Deum Patrem omnipotentem, » omnium visibilium nec non et invisibilium fa- » ctorem, et in unum Dominum Jesum Chri- » stum Filium Dei, natum ex Patre unigeni- » tum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex » Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo » vero, natum, non creatum, homousion, hoc » est ejusdem cum Patre substantiæ, per quem » omnia creata sunt, cælestia, et aerea, qui » propter nos homines et propter nostram sa- » lutem descendit, et incarnatus est, et homo » factus est, passus est, et resurrexit tertia die, » ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, » venturus est inde judicare vivos et mortuos. » Et in Spiritum sanctum. Eos autem qui di- » cunt : Erat tempus quando non erat, et quia » ex nullis subsistentibus factus est, aut ex alia » substantia vel essentia, aut dicunt esse trepton, » hoc est, convertibilem aut mutabilem Filium » Dei, hos anathematizat Catholica et Aposto- » lica Ecclesia. »

Tunc Diaconus, alba indutus, codicem Canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronunciet, 1um de Concilio Toletano IV : « Sancta Synodus bis in anno Ecclesia- » stica decrevit haberi concilia, unum æstate, » aliud tempore autumni. Quisquis autem Cle- » ricorum ad hæc venire distulerit absque ne- » cessitatis causa, anno integro Missas celebrare » non præsumat. » Item de eodem Concilio : (a) « Interdixit per omnia magna Synodus, non » Episcopo, non Presbytero, non Diacono, non » alicui omnino qui in Clero est, licere intro- » ductam habere mulierem, nisi forte matrem, » aut sororem, aut amitam, vel eas tantum per- » sonas quæ suspiciones effugiunt. »

Finitisque titulis, et cunctis in ordine cum silentio sedentibus, Episcopus, vel, si voluerit, Diaconus Concilium alloquatur cum exhortatione hujusmodi : « Ecce, sanctissimi Fratres, » præmissis Deo precibus, fraternitatem vestram » pia exhortatione convenio, et per divinum » nomen obtestor ut ea quæ a nobis de Deo, et » sacris Ordinibus, vel sanctis moribus vobis » fuerint dicta, cum summa reverentia perficere » contendatis. Quod si forsitan aliquis vestrum » aliter quam dicta fuerint senserit, sine aliquo » scrupulo contentionis, in nostrum omnium » collatione, ea de quibus ipse dubitaverit con- » ferenda reducat, qualiter, Deo mediante, aut » doceri possit aut doceat. Deinde simili vos » obtestatione conjuro ut nullus vestrum in » judicando aut personam accipiat, aut, quoli- » bet favore vel munere pulsatus, a veritate di- » scedat : sed cum tanta pietate quicquid cœtui » nostro se judicandum intulerit, retractate, ut » nec discordans contentio ad subversionem » justitiæ inter nos locum inveniat, nec item in » perquirenda æquitate vigor nostri ordinis vel » sollicitudo tepescat. »

Post hanc exhortationem, quisquis Clericorum velit, conferat querelam : et admonendi sunt ut nullus ad Synodum veniat nisi jejunus, vel a cœtu communi secedat ante quam generalis secessio adveniat. Et sic quoque Synodus primæ diei solvatur.

Ordo alterius diei.

Secunda die, quando ingreditur Synodum Episcopus vel ejus Vicarius, in loco stans, dicat : *Dominus vobiscum.* « Oremus. Deus, qui » nobis in famulis tuis præsentiæ tuæ signa

(a) Est quidem is canon III Concilii I Nicæni, de quo vide nostrum I tomum *Conciliorum.*

Digitized by Google

» manifestas, mitte super nos Spiritum chari-
» tatis, ut in adventum Fratrum conservorum-
» que nostrorum, gratia nobis tuæ largitatis
» augeatur. Per. »

Postea legatur Euangelium : *Designavit Dominus et alios septuaginta duos.* Deinde dicat Pontifex vel ejus Vicarius preces : *Sancta Maria, et omnes Sancti*, sicut superius. Tunc omnes prostrati pro peccatis decantent hos Psalmos : *Domine, ne in furore. Benedixisti. Inclina, Domine*, cum *Kyrie, eleison*, et *Pater noster*, et precibus istis : *Ego dixi : Domine. Convertere, Domine. Adjutorium nostrum. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.* « Precibus nostris, quæsumus, Domine, aurem
» tuæ pietatis accommoda, et orationes suppli-
» cum, occultorum cognitor, benignus exaudi,
» ut, te largiente, ad vitam perveniant sempi-
» ternam. Per. »

Postea decantent Psalmos istos pro regis nostri, et reginæ, et aliorum, seu regni primatum sospitate : *Domine, quid multiplicati sunt. Exaudiat te Dominus. Deus, auribus nostris :* cum *Kyrie, eleison* et *Pater noster*, cum precibus istis : *Domine, salvum fac regem. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. Salvum fac populum tuum, Domine. Fiat pax in virtute tua. Exurge, Domine, adjuva nos. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.* « Oremus. Quæsumus, omnipotens Deus, ut
» famulus tuus rex noster, qui tua miseratione
» suscepit regni gubernacula, virtutum etiam
» omnium percipiat incrementa, quibus decen-
» ter ornatus, et vitiorum monstra devitare, et
» ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosus va-
» leat pervenire. Per.» Alia. « Deus, regnorum
» omnium, et Christiani maxime protector im-
» perii, da servo tuo imperatori nostro trium-
» phum virtutis tuæ scienter excolere, ut, qui
» tua constitutione est princeps, tuo semper
» munere sit potens. » Alia. « Guberna, Domi-
» ne, familiam tuam, et tuis beneficiis semper
» accumula, ut et præsentis vitæ subsidiis gau-
» deat, et æternæ. Per. » Alia. « Prætende,
» Domine, famulis tuis dexteram cælestis auxi-
» lii, ut te toto corde perquirant, et, quæ digne
» postulant, consequi mereantur. Per. »

Deinde pro infirmis, et salute totius Ecclesiæ istos Psalmos decantent : *Beatus qui intelligit. Domine, Deus salutis meæ. Domine, refugium :* cum *Kyrie, eleison* et *Pater noster*, cum precibus istis : *Castigans castigavit me Dominus. Nihil proficiet inimicus in eo. Exurge, Domine, adjuva nos. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.* « Oremus.
» Deus, infirmitatis humanæ singulare præsi-
» dium, auxilii tui super infirmos famulos tuos
» et famulas tuas ostende virtutem, ut, ope mi-
» sericordiæ tuæ adjuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ
» repræsentari mereantur. Per. Ascendant ad
» te, Domine, preces nostræ, et ab Ecclesia tua
» cunctam repelle nequitiam. Per. »

Iterum omnes laici et mulieres egrediantur, et legatur a Diacono Homilia S. Gregorii, incipiente a versu isto, *Messis quidem multa*, usque, *Patres esse minime recognoscunt.* Tunc si Clerici non habeant querelam conferendam, laici intromittantur ; illis etiam audientibus Lectio recitatur Niceni Concilii : *Judices nonnisi jejuni leges et judicia decernant. Quisque ex laicis habeat querelam, judicibus proferat.* Et Synodus secundæ diei sic solvatur. »

Ordo tertiæ diei.

Tertia die, cum Episcopus vel ejus Vicarius Synodum post Missam, sicut in ceteris diebus, ingreditur, dicat : *Dominus vobiscum.* Oremus. « Protege, Domine, quæsumus, famulos tuos sub-
» sidiis mentis et corporis, et, spiritualibus enu-
» triens alimentis, propitius redde securos ab
» hostibus universis. Per. » Postea legatur Euangelium : *Circuibat Jesus civitates et castella.* Dein istos Psalmos pro defunctis : *Verba mea. Domine, ne in furore tuo* 1. *Ad te, Domine, levavi ;* cum *Kyrie, eleison* et *Pater noster*, ac precibus istis : *Fiat pax in virtute tua. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. Deus, tu conversus vivificabis nos. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum.* « Oremus. Deus, qui infideles deseris, et juste
» indevotis irasceris, populum tuum, quæsu-
» mus, ad te converte propitius, ut, qui te per
» duritiam irreligiosæ mentis semper offendunt,
» ad sancta officia promerenda, tuæ misera-
» tionis gratia inspirante, convertas. Per. Deus,
» qui errantibus, ut in viam possint redire ju-
» stitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis, da cun-
» ctis qui Christiana professione censentur, et
» illa respuere quæ huic inimica sunt nomini,
» et ea quæ sunt apta sectari. Per. »

Digitized by Google

Si quæ sint quæstiones vel querelæ, conferantur, et sic Synodus tertiæ diei solvatur.

Ordo quartæ diei.

Quarta vero die Episcopus, ante Missam, Synodum ingrediens sic procedat. Primum, portentur ante eum duo candelabra cum cereis incensis : quæ sequuntur duo Acolythi cum thuribulo et tymiaterio : deinde Subdiaconus portans Euangelium, duæ cruces hinc inde : deinde Diaconus, postremum Episcopus, Episcopalibus vestimentis indutus et cappa, ingreditur; et in sede sua stans, dicat : *Dominus vobiscum.* Oremus. « Nostrorum, Domine, tibi » curvantes genua cordium, quæsumus, ut bo» num quod in nobis a te requiritur exequa» mur, scilicet ut, prompta tecum sollicitudine » gradientes, discretionis arduæ subtile judi» cium faciamus, ac, misericordiam diligentes, » clareamus studiis tibi placitæ actionis. Per. » Postea legatur Euangelium solito more : *Respiciens Jesus discipulos suos, dicit Simoni Petro: Si peccaverit in te frater tuus.* Sequantur septem Psalmi cum precibus quibus placuerit. Quibus finitis, Episcopo, et ceteris in ordine sedentibus, ab ipso Episcopo, sive a Diacono ex ipsius persona, legitur hæc admonitio :

« Fratres, et Presbyteri, et Sacerdotes Domini, cooperatores ordinis nostris estis. Nos quidem, quamvis indigni, locum Aaron tenemus, vos autem locum Eleazari et Ithamari. Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta discipulorum estis. Nos vero pastores vestri sumus, vos autem pastores animarum vobis commissarum. Nos de vobis rationem reddituri sumus summo Pastori nostro Jesu Christo, vos de plebibus vobis commendatis. Et ideo, Charissimi, videte periculum vestrum. Admonemus itaque et obsecramus fraternitatem vestram ut, quæ vobis suggerimus, memoriæ commendetis, et opere exercere studeatis. Imprimis admonemus ut vita et conversatio vestra irreprehensibilis sit. Secundo, ut cella vestra sit juxta ecclesiam, et in domo vestra feminas non habeatis. Omni nocte ad nocturnas surgite. Cursum vestrum horis certis decantate. Missarum celebrationes religiose peragite. Corpus et Sanguinem Domini cum timore et reverentia sumite. Vasa sacra propriis manibus abluite et extergite. Nullus cantet Missam nisi jejunus. Nullus cantet sine amicto, alba, stola, fanone, et casula. Et hæc vestimenta munda sint, et ad nullos usos alios sint. Nullus in alba qua in suos usus utitur, presumat Missam cantare. Nulla femina ad altare Domini accedat, nec calicem Domini tangat. Corporale mundissimum sit. Altare sit coopertum de mundis linteis. Super altare nihil ponatur, nisi capsæ, et reliquiæ, aut forte quatuor Euangelia, aut pixis cum Corpore Domini, ad viaticum infirmis. Cætera in nitido loco recondantur. Missalem plenarium, Lectionarium, et Antiphonarium unuscuisque habeat. Locus in sacrario aut juxta altare sit præparatus, ubi aqua effundi possit, quando sacra vasa abluuntur. Et ibi vas nitidum cum aqua dependeat, ut ibi Sacerdos manus lavet post Communionem. Ecclesiæ sint bene coopertæ, et cameratæ. Et atrium sit sepe munitum. Nullus extra ecclesiam per domos, nec in locis non consecratis Missam cantet. Omnis presbyter Clericum habeat vel Scholarem, qui Epistolam vel Lectionem legat, et ad Missam respondeat, et cum quo Psalmos cantet. Infirmos visitate, et eos reconciliate, et, juxta Apostolum, oleo sancto inungite, et propria manu communicate; et nullus præsumat tradere communionem laico aut feminæ ad deferendum infirmo. Nullus vestrum pro baptizandis infantibus, aut infirmis reconciliandis, aut mortuis sepeliendis, præmium vel munus exigat. Videte ut per negligentiam vestram nullus infans sine baptismo moriatur. Nullus vestrum sit ebriosus, et litigiosus, quia servum Dei non oportet litigare. Nullus arma ferat in seditione, quia arma nostra spiritualia debent esse. Nullus canum aut avium jocis inserviat. Nolite in tabernis bibere. Unuscuisque vestrum, quantum sapit, plebi suæ de Evangelio, populo, die dominico vel festis diebus annunciet. Verbum Domini debetis prædicare. Curam pauperum, peregrinorum, et orphanorum habete, et eos ad prandium vestrum invitate. Estote hospitales, ut a vobis alii exemplum bonum sumant. Omni die Dominico ante Missam aquam benedictam facite unde populus adspergatur : et ad hoc solum vos habete. Sacra vasa, et vestimenta Sacerdotalia nolite in vadimonium dare negociatori aut tabernario. Nullus vestrum minus digne pœnitentem, cujuscunque rei gratia, ad recon-

Digitized by Google

ciliationem adducat, et ei testimonium reconciliationis ferat. Nullus vestrum usuras exigat, et conductor sui fœnoris existat. Res et facultates quas post diem ordinationis vestræ acquiretis, sciatis ad Ecclesiam pertinere. Nullus sine scientia et consensu vestro acquirat. Nullus per potestatem secularium, ecclesiam obtineat. Nullus, per pecuniam, alterius ecclesiam supplantet. Nullus ecclesiam ad quam titulatus est dimittat, et ad aliam quæstus gratia migret. Nullus plures ecclesias teneat sine adjutorio aliorum presbyterorum. Nullatenus una ecclesia inter plures dividatur. Nullus alterius parochianum, nisi in itinere, vel, si sibi placitum fuerit, ad Missam recipiat. Nullus in alterius parochia Missam cantet absque proprii Presbyteri voluntate et rogatu. Nullus decimam ad alium pertinentem recipiat. Nullus pœnitentem invitet carnem manducare, et bibere vinum, nisi pro eo ad præsens eleemosynam faciat. Nullus præsumat baptizare, nisi pro vigilia Paschæ et Pentecostes, nisi in periculo mortis. Unuscuisque fontes lapideos habeat, et, si non potest habere lapideos, habeat vas aliud ad hoc paratum, in quo nihil aliud fiat. Videte ut omnibus parochianis vestris Symbolum et Orationem Dominicam insinuetis. Jejunium quatuor Temporum, et Rogationum, et Litaniæ majoris, plebibus vestris omnimodis observandum insinuate. Feria quarta ante Quadragesimam, plebem ad confessionem invitate, et ei juxta qualitatem delicti pœnitentiam injungite, non ex corde vestro, sed sicut in Pœnitentiali scriptum est. Tribus temporibus in anno, id est in Natali Domini, Pascha, et Pentecoste, omnes fideles ad communionem Corporis et Sanguinis Domini accedere admonete. Certis temporibus conjugatos ab uxoribus abstinere exhortamini. Eulogias post Missam in diebus festis plebi tribuite. Nullus vestrum induatur vestibus laicalibus. Nullus rem, aut possessionem, aut mancipium ecclesiæ vendere, aut commutare, aut quocumque ingenio alienare præsumat. Diem Dominicum et alias festivitates, absque opere servili a vespera in vesperam celebrare docete. Cantus et choros mulierum in atrio ecclesiæ prohibete. Carmina diabolica, quæ super mortuos nocturnis horis vulgus facere solet, et cachinnos, quos exercet, sub contestatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare. Nullus illis præsumat Missam cantare : sed et plebibus commissis vobis hoc annunciate. Ad nuptias nullus vestrum eat. Omnibus nunciate ut nullus uxorem accipiat, nisi publice celebratis nuptiis. Raptum omnimodis prohibete, et ut nullus ad proximam sanguinis sui accedat, et ut alterius sponsam nemo ducat. Porcarios et alios pastores, Dominica die ad Missam facite venire. Patrini filiolis suis Symbolum et Orationem Dominicam insinuent aut insinuari faciant. Chrisma semper sub sera sit aut sub sigillo, propter quosdam infideles. Volumus autem, Fratres charissimi, quatenus quæ nostra percepistis traditione, quantum humana patitur infirmitas, bonis studeatis operibus adimplere. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu sancto. »

Jam tunc, si est Synodus illa in vernali tempore, ab Episcopo vel Archidiacono denunciandum est qualiter Officia decantanda sint usque in aliam Synodum autumnalem ; et, si est autumnalis, denunciandum est quantæ hebdomadæ de Nativitate Domini usque ad initium Quadragesimæ, vel qualiter officia sint cantanda, et indictum jejunium et quatuor Tempora quibus temporibus sint observanda, et in quos fines Episcopus causa Officii sui sit hoc anno iturus, vel qui anathematizati vel anathematizandi sint. His omnibus rite peractis, Litania voce excelsa a duobus, Synodo respondente, cantetur. Ea finita, dicant, *Pater noster*, cum precibus, et tunc Episcopus dicturus est hanc Orationem : « Nulla est, Domine, humanæ con» scientiæ virtus, etc., » ut in Romano Pontificali.

Deinde Gregorianam Orationem dicat :

« Deus qui nos Pastores in populo vocari » voluisti, presta, quæsumus, ut hoc quod hu» mano ore dicimur, in tuis oculis esse valea» mus. Per. »

Finitis istis, Pontifex inde procedat, et, quia omnes Clerici in laudem Dei conveniunt, de omnibus Sanctis Missa erit solemniter celebranda. Et Pontifex, plena processione procedens more solito, moneat Clerum, et doceat populum, atque in fine prædicationis remissionem peccatorum faciat, quia dies illa secunda dies Indulgentiæ habetur. Completa vero Missa, signis consonantibus in laudem Dei, Cantor

Digitized by Google

alta voce *Te Deum laudamus* imponat. Et cum ea laude decantetur *Kyrie, eleison* a populo. Finita laude ea, dicat Cantor Antiphonam *In viam pacis*. Psalmus *Benedictus*. Antiphona finita, Diaconus stolam in humero habens dicat alta voce : « Humiliate vos ad benedictionem. » ℟. Deo gratias. » Sequitur benedictio : « Christus Filius Dei, qui est initium et finis, complementum vobis tribuat charitatis. ℟. Amen. » Et qui nos ad expletionem hujus fecit venire » concilii, absolutos vos efficiat ab omni contagione delicti. Amen. Ut ab omni reatu liberiores effecti, absoluti etiam per donum » Spiritus sancti, felici reditu vestrarum cubilia sedium repetatis illæsi. Amen. Quod ipse » præstare dignetur, et benedictio Dei Patris, » et Filii, et Spiritus sancti descendat super » vos, semperque maneat vobiscum. ℟. Amen. »

Quibus expletis, dum dictum fuerit ab Archidiacono : « In nomine Domini Jesu Christi, » eamus cum pace, » omnes illico, ab ipso primum incipientes Episcopo, osculum sibi invicem dabunt. Sicque, data sibi invicem pace, conventus Concilii absolvetur.

ORDO IV.

Ex eodem antiquo Romano Ordine, apud memoratum auctorem, pag. 109 et sequenti.

QUALITER CONCILIUM AGATUR (*a*) GENERALE.

Conveniente itaque universo cœtu sanctorum Episcoporum, Abbatum, Presbyterorum, atque Diaconorum, ceterorumque Ecclesiasticorum in nomine Domini, sive in civitatem Metropolim, sive in eam quam metropolitanus Episcopus una cum consensu ceterorum Episcoporum decreverit ad Concilium faciendum, post Orationes solitas, venientes omnes in ecclesiam majorem, ubi Concilium celebrandum est, sedet (*b*) in ordine suo cum silentio. Tunc cantet Schola Antiphonam ad Introitum, *Exaudi nos, Domine*, et postea erigens se metropolitanus Episcopus dicat : *Oremus. Flectamus genua ;* et post paululum : *Levate*. Et ipse metropolitanus Episcopus, aut alius ex senioribus dicat hanc Orationem : « Omnipotens sempiterne Deus, qui nos » misericordia tua incolumes, etc., » ut supra in Pontificali Romano.

Post Collectam dicatur Litania. Ea finita, dicat Episcopus : *Oremus* : Et Diaconus : *Flectamus genua*. Et iterum. *Levate*. Sequitur Oratio : « Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, etc.,» ut supra.

Finita Oratione, et respondentibus omnibus *Amen*, cum timore et disciplina sedeant omnes tam Episcopi quam Presbyteri in silentio magno. Tunc Diaconus progrediens de altari, sacra veste indutus, portans Euangelium usque ad ambonem in medio chori ad legendum, dicat : *Dominus vobiscum*, et reliqua, sicut mos est, et legat Lectionem ad hoc pertinentem, vel, si Euangelium non legitur, librum aptam Lectionem continentem, aut Canonem. Lectione finita, alloquatur metropolitanus Episcopus Concilium, dicens : « Ecce, beatissimi et venerabiles Consacerdotes, et Patres ac Fratres » nostri, præmissis Deo, etc. »

Post allocutionem, tractent apud se de divinis mysteriis, et ecclesiasticis disciplinis, vel quibuslibet necessariis, canonesque ibi legantur, aut liber Officiorum, nec aliquis inde antea transeat, quam ista omnia explicentur. Et ita totis tribus diebus agatur. Nam de his qui foris sunt, si Concilium pro qualibet causa appellare habent, Archidiacono Ecclesiæ metropolitanæ causam suam intiment, et ille in Concilio proferat, et ita introeundi detur eis licentia. Concilium autem nullus solvere audebit, nisi fuerint finita certamina.

Item ordo alterius diei.

Conventione facta, dicit Metropolitanus : *Oremus*. Et Diaconus : *Flectamus genua*. Et dat Orationem Episcopus, sicut mos est : « Mentibus » nostris, quæsumus, Domine, etc. Deus qui » nos justitiam loqui, etc. »

Finita Oratione, legatur Lectio, sicut superius continetur ; post Lectionem alloquatur Episcopus hujusmodi : « Reverendissimi et sanctissimi nobis Domini et Patres nostri, pia sollicitudine vos oportet, etc. » Post allocutionem admoneat Episcopus, ut supra, ut de divinis Scripturis tractent inter se.

(*a*) Satis ex contextu perspicuum est hunc ordinem ad celebrationem Concilii provincialis pertinere, quod hic minus proprie *generale* dicitur.

(*b*) Legendum *sedent*.

Digitized by Google

Item ordo tertiæ diei.

Conventione facta, dicit Metropolitanus : *Oremus;* et Diaconus : *Flectamus genua.* Et Episcopus det Orationem : « Omnipotens sem» piterne Deus, qui sacro, etc. » Alia : « Deus » qui populis tuis et indulgentia, etc. » Finita Oratione, legatur Lectio, sicut superius continetur. Post Lectionem, alloquatur Episcopus hujusmodi : « Dilectissimi igitur et venerabiles » Patres ac Domini nostri, beatitudinem ve» stram oportet, etc. » Post allocutionem, admoneat Episcopus ut de divinis Scripturis tractent inter se, et constituant quod necesse fuerit emendare. Terminatis autem omnibus, ultimo die Concilii, elevantibus se omnibus cum reverentia de sedibus, dicat metropolitanus Episcopus : *Oremus;* et Diaconus dicat : *Humiliate vos ad orationem.* Tunc omnes prostrati in terram orent non modico intervallo. Et dicat Diaconus : *Levate.* Episcopus det Orationem : « Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum pre» ces, et confitentium tibi parce peccatis, ut, si » quid offensionis in hac Concilii celebratione » contraximus, te miserante, indulgentiam sen» tiamus. Per. » Alia. « A cunctis excessibus » nos, Domine, quæsumus propiciatus absolve, » et, quia imperfectum nostrum oculi tui vi» derunt, perfectioni deputa, misericors, quod » perfecto æquitatis fine concludere peropta» mus. Per. » Alia. « Intende, quæsumus, Do» mine, preces nostras, ut, qui te in principio » operum nostrorum occursorem adesse popo» scimus, te quoque in hoc fine nostri Concilii » indultorem esse nostris excessibus sentiamus. » Per. »

Hac Oratione finita, ille Episcopus in cujus sede ipsum Concilium celebratur, dicat omnibus de benedictionis verbis : « Christus Filius Dei, etc., » ut sup. in fine Ordinis III.

Tunc surgentes omnes cum reverentia, incipientes a Metropolitanis, osculum pacis sibi invicem dent cum timore et amore Dei. Et dicat iterum Pontifex : *In nomine Domini nostri Jesu Christi, ite in pace.* Et respondetur ab omnibus : *Deo gratias.* Et ita conventus absolvitur.

TITULUS VI.

ORDO SUSPENSIONIS, RECONCILIATIONIS, DEPOSITIONIS, DISPENSATIONIS, DEGRADATIONIS ET RESTITUTIONIS SACRORUM ORDINUM.

I. Multa præsens ac generatim amplectitur titulus, quæ in sequioribus §§ ac titulis speciatim agenda sunt. Respicit pœnas canonicas, quas semper Ecclesia habuit, quibus, certis cum ritibus ac cæremoniis, malefactores coerceret. Conjunguntur autem hoc titulo suspensio, depositio et degradatio, quia, licet distinctæ sint, et suspensio sit censura, cum tamen depositio et degradatio tales non sint, habent nihilominus inter se connexionem, et una, quod alia dicit, aliquid de novo superaddit. Pœnæ quibus Ecclesia ipsa utitur communiter in Clericos et laicos, sunt quidem, ut scite docet Humbertus de Romanis, lib. II, *De Modo prompte cudendi Sermones*, tractatu II, cap. LXXII, excommunicatio et interdictum : aliæ nempe, quibus solum adversus Clericos utitur, sunt suspensio, et hæc magna ; depositio, et hæc major; degradatio, et hæc maxima. Per suspensionem enim quis privatur officio, vel beneficio, vel utroque, ad tempus : per depositionem, simpliciter : per degradationem non solum istis, sed cum istis statu Clericali et privilegiis annexis exuitur; quod significatur per exspoliationem qua exuitur vestimento Ordinis sui degradandus.

II. Docet hæc quidem Humbertus loco citato, notatque ibidem « quod, sicut in porta orientali, » qua ascendebatur in templum, erant septem » gradus, sicut dicitur cap. XL Ezechielis, ita » sunt septem gradus ordinum quibus ascen» ditur ad culmen Clericalis dignitatis : et ideo » dejectio a Clericali honore dicitur degradatio, » quia sicut per gradus ascenditur ad istum » honorem, ita abjectio ab isto honore per om-

Digitized by Google

» nes istos gradus, recte degradatio nuncupa-
» tur. » Ita ille, qui, in eo quod ait septem esse gradus ordinum, opinionem sequitur theologorum, nam canonici juris consulti, inter quos Prosper Fagnanus, acerrime propugnant, novem esse ordinum gradus : nam præter septem a theologis recensitos, enumerant etiam Episcopatum et Clericalem tonsuram. Sed quidquid sit de hac quæstione, quam theologis ipsis et canonici juris consultis relinquimus, plura de degradatione dicemus infra suo loco. Nunc ordinem nostri Romani Pontificalis sequentes, de suspensione, quæ levior est cæteris pœnis canonicis, agamus, ut deinde ad graviores recto gradu transeamus.

§ I.

Prænotandum est quod Clericus quandoque suspenditur, quandoque deponitur, quandoque degradatur. Suspenditur quis quandoque ab homine, quandoque a jure; et quandoque ad tempus, quandoque in perpetuum. Ab homine, quando Prælatus sic in scriptis pronuntiat : *Quia constat te* tale quid *commisisse, ideo ab officio et exsecutione Ordinum tuorum te suspendimus.* Vel quando fit in genere, dicit : *Quicumque* tale quid *fecerit, aut non fecerit, ipsum in his scriptis suspendimus,* vel *in his scriptis noverit se suspensum.*

COMMENTARIUS.

I. Suspensio definitur « censura Ecclesiastica » per quam Presbyter vel Clericus abstinetur » ab officio, et ordine, vel beneficio, vel a ju- » risdictione, ex parte vel in totum, ad tempus » vel in perpetuum. » Desumpta a politicis videtur, in quibus decurio ad tempus ordine suo movebatur; leg. II, in principio, ff. *De Decurionibus.* Antiqui Patres, et canones nomen illud suspensionis non habent; Græci sæpius eam vocant ἀφορισμὸν, Latini *abstentionem.* Antiquissimus ejus censuræ usus in Ecclesia memoratur; testemque habemus S. Cyprianum Carthaginensem episcopum, qui, in Epistola sua IX, Presbyteros quosdam ea pœna mulctavit, quod lapsos tempore persecutionis, nondum peracta pœnitentia, suscepissent : « Scientes quoniam, si in eisdem persevera- » verint, utar ea admonitione qua me uti Do- » minus jubet, ut interim prohibeantur offerre, » acturi et apud nos, et apud Confessores ipsos, » et apud plebem universam causam suam, » cum, Domino permittente, in sinum matris » Ecclesiæ recolligi cœperimus. » Ubi nota 1° verbum *admonitionis* idem esse ac *suspensionis censuram,* ut interpretatur Baronius, hunc Cypriani locum referens; 2° Christum Dominum dedisse hanc potestatem Præsulibus Ecclesiæ, ut ipsa suspensionis censura delinquentes Clericos mulctare possint : *Utar ea admonitione qua me uti Dominus jubet, etc.*

II. Occurrit *abstentionis* vox passim pro suspensione apud ipsum Cyprianum : in Epistola LV, ad Cornelium de Fortunato, et Felicissimo Episcopo; et in Epistola LXII, ad Pomponium, de quibusdam virginibus quæ detectæ fuerant in eodem lecto pariter mansisse cum masculis, ex quibus unus erat Diaconus, quem Pomponius ipse, Dionysianensis in provincia Byzacena Episcopus, ab officio suspenderat : « Et idcirco » consulte, et cum vigore fecisti, Frater charis- » sime, abstinendo Diaconum qui cum virgine » sæpe mansit. » Quibus adde canonem LIII pervetusti Concilii Illiberitani, in quo ita statutum legimus : « Placuit cunctis, ut ab eo » quis recipiat communionem, a quo abstentus » in crimine aliquo fuerit. » Afferri possent et alia fere innumera Patrum et canonum loca, quæ nos docent verbo *abstentionis* non modo suspensionem, sed et excommunicationem significari. Quando autem censura, quam initio hujus Commentarii definivimus, suspensio vocari cœperit, putat Franciscus Roye, lib. III *Juris Canonici Institutionum,* tit. XII, eam denominationem cœptam fuisse post quintum aut sextum sæculum; citatque in suæ opinionis comprobationem Concilium III et V Aurelia-

Digitized by Google

nense, et Epistolam II Felicis II Summi Pontificis.

III. Sunt qui fuse de hac censura scripserunt, theologi æque ac canonici juris consulti. Nos ad nostram respicientes Rubricam, illud quidem non prætermittimus, suspensionem, vel a jure, vel ab homine inferri. A jure, cum quis *ipso facto*, absque judicis ministerio, suspensioni subjicitur, quæ et idcirco latæ sententiæ suspensio nominatur. Ab homine suspensio infertur, cum Prælatus vel alius judex Ecclesiasticus inobedientem sive contumacem sententia sua suspendit. Quod quidem scripto facere debet, expressa causa, et præcedente triplici monitione, ex præscripto cap. IX Concilii Lateranensis IV, et cap. I *De Sententia Excommunicationis* in VI. Procedunt hæc autem, ubi agitur de suspensione a judice proferenda, non autem de suspensione quam vocant *latæ sententiæ*, quæ nimirum a lege seu canone infligitur; non enim in hac suspensione monitio requiritur, ut passim auctores docent.

IV. Quamvis autem suspensio ac reliquæ censuræ Ecclesiasticæ non fiant ad tempus, ne rei eas contemnant, dum nempe illius lapsum exspectent, ut ab iis ipso jure liberentur, et vix alium possint habere terminum quam donec reus a culpa recedat, et satisfaciat; attamen ea suspensionis natura est, ut ad tempus sit; idque vox ipsa indicat, et in eo differt a depositione, ut infra videbimus. Porro autem sæpius judex certum tempus suspensioni addit; interdum etiam, quamdiu resipiscat reus, tamdiu mereatur indulgentiam, uti habetur in cap. XXXIII extra, *De testibus*. Plurimum autem refert quid ipse judex addiderit. Nam si certum tempus, eo elapso, non est opus absolutione, ut existimat *Glossa Canonici Juris* ad textum in cap. XLVIII extra *De Sententia Excommunicationis*, quia judicis ea mens est ut tamdiu tantum huic censuræ subjaceat. Si aliud, absolutione indiget, ut alia *Canonici Juris Glossa* docet in cap. II *De Solutionibus*.

V. Ut dignoscatur quinam sit suspensionis effectus, docent auctores videndum esse an illa sit specialis vel generalis. Si enim specialis est, et quis a certo quodam ordine vel officio suspensus sit, abstinere debet ab iis quæ illius ordinis aut officii sunt; alioquin fit irregularis. Potest tamen exsequi alia, cum ea suspensio suos terminos minime excedat Si autem generalis sit, si quis nimirum generaliter ac indistincte suspensus sit, ab eorum omnium exercitio abstinere debet, quæ quoquo modo Clericis competunt. Cæterum cum pœnæ sint restringendæ, ex *Glossa Canonici Juris* in Clementina *Cupientes*, *De pœnis*, suspensus ab officio, beneficio non privatur : quanquam non desint qui docent, suspensionem ipsam ab officio trahere secum suspensionem a beneficio; ejusque opinionis causa solent judices volentes aliquem ab utroque suspendere, hunc in modum pronuntiare, *ab officio et beneficio*.

VI. Pertinent hæc quidem ad praxim, de qua passim scribunt auctores in tractatu de censuris. Quod spectat suspensionis infligendæ formulas in § hoc nostro descriptas, minime illas reperi in antiquo aliquo Pontificali, excepto fere semper manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, cui nostrum Pontificale hodiernum per omnia fere consonat. Certe, ut valide feratur suspensio, nulla forma assignatur in jure determinata; sed illa verba sufficiunt, quæ Superioris voluntatem suspendendi subditum indicent. Sicut autem in excommunicatione quædam verba dantur, quæ denotant ipsam esse latæ sententiæ, ita etiam et de suspensione dicendum est. Hinc cum dicitur, *Qui hoc fecerit*, *suspendatur*, de suspensione ferenda intelligitur; cum vero dicitur, *suspenditur*, *maneat suspensus*, est quidem latæ sententiæ suspensio. Ut debito tandem modo feratur, debet dari in scriptis, et causa exprimi in specie, et insuper dari instrumentum intra mensem suspenso, si illud postulet, argumento ex cap. I *De Sententia Excommunicationis* in VI. Debet etiam monitio præcedere, sine qua est nulla suspensio, eamque absque monitione ferens ab ingressu Ecclesiæ per mensem suspenditur, argumento ex cap. *Sacra*, tit. citato. Sed de his et aliis ad hanc censuram pertinentibus fuse agunt theologi et canonici juris consulti passim.

Digitized by Google

§ II.

Hujusmodi autem suspensionis sententia taliter revocatur : *Quia* de tali negotio, *propter quod suspensionis sententiam incurreras, emendationem plenam, et pœnitentiam condignam egisti; ideo sententiam suspensionis hujusmodi misericorditer relaxamus.*

§ III.

Illud autem sciendum est, quod simpliciter, et sine temporis præfinitione ab homine vel a jure suspensus, perpetuo intelligatur esse suspensus; ad tempus vero suspensus, ut pote donec pœnituerit vel a crimine abstinuerit, eo ipso quod abstinet vel pœnitet, exsecutionem sui officii recuperat, nec alia est reconciliatio seu sententiæ suspensionis relaxatio necessaria.

COMMENTARIUS.

Quanquam effectus suspensionis sit amovere suspensum ab exsecutione officii et ordinis, docent nihilominus communi consensu auctores, suspensionem latam ad tempus, solvi quidem absque ulla absolutione, elapso tempore. Vide *Glossam in Clementina* I, verbo *Donec dederint.* Porro notabile est discrimen inter perpetuam, et illam quæ est ad tempus, suspensionem. Prior non est, ut vocant, medicinalis, sed mera pœna, quæ scilicet in criminis vindictam inflicta sit; altera certo ideo tempore determinatur, quod intra ipsum tempus Clericus resipiscere supponitur. Sed de his jam alibi nonnihil diximus.

§ IV.

Ad hæc Clerici publice delinquentes et enormiter exsecutionem sui ordinis secundum Canones perdunt, et etiam post peractam pœnitentiam ab exsecutione suorum Ordinum suspensi remanent; adeo quod absque dispensatione et reconciliatione non possunt in illis licite ministrare, neque ad majores Ordines promoveri, præcipue si de hoc convicti fuerint in judicio, et puniti. Episcopi tamen possunt in adulteriis, et aliis criminibus quæ sunt minora, et generaliter ubicumque a jure expresse non prohibentur, post peractam pœnitentiam vel partem ipsius, cum talibus dispensare, et eos reconciliare : quæ reconciliatio et dispensatio fit hoc modo. *Quamvis* tale *enorme crimen publice commiseris, quod confessus es,* (vel *de quo convictus es et in judicio condemnatus*), *propter quod, secundum juris rigorem merueras ab officio et beneficio amoveri, et propterea non vales ulterius secundum Canones in tuis Ordinibus licite ministrare. Quia tamen defectus nostri temporis antiquam non patitur Canonum manere censuram, eligentes potius de misericordia quam de severitate reddere rationem; idcirco vitam tuam plenius agnoscentes, et meliora et saluti viciniora de te de cætero verisimiliter exspectantes, de misericordia, quæ superexaltat judicium, hanc pœnam, auctoritate nobis in hac parte a jure concessa, tibi duximus relaxandam, et relaxamus. Indulgentes tibi ut, hoc non obstante, licite possis ad superiores Ordines conscendere, et in susceptis etiam Ordinibus licite ministrare. Infamiam insuper canonicam propter hoc per*

Digitized by Google

te contractam penitus abolentes, et restituentes te in integrum pristino statui ac famæ.

COMMENTARIUS.

I. Constans fuit priorum Ecclesiæ sæculorum mos, ac disciplina ubique locorum recepta, ut quicumque crimen aliquod ex iis quæ publicæ pœnitentiæ erant obnoxia, perpetraret, sive publicum, seu occultum, jam, sive ante, sive post actam ejus pœnitentiam, non posset in Clerum adlegi, si laicus erat; aut ad ulteriores Ordines promoveri, si jam erat Clericatu insignitus. Docent id quidem prisci canones, sancti Patres, quos longo agmine affert in sua *Veteri ac nova Ecclesiæ disciplina* vir clarissimus Ludovicus Thomassinus, parte II, lib. I, cap. LVI et pluribus sequentibus. Id quoque innuit sententia dispensationis seu reconciliationis, quam sequioribus sæculis, relaxato primævæ disciplinæ rigore, Ecclesia Clericis ad meliorem frugem redactis concessit : « Quamvis, inquit, *tale* » enorme crimen publice commiseris, quod » confessus es, (*vel* de quo convictus es et in » judicioe ondemnatus); propter quod secundum » juris rigorem merueras ab officio et beneficio » amoveri; et propterea non vales ulterius se- » cundum canones in tuis Ordinibus licite mi- » nistrare : quia tamen defectus nostri temporis » antiquam non patitur canonum manere cen- » suram, etc. »

II. Necessario, et quidem cum laude, jam etiam olim sanctissimos non semel Pontifices, nonnullis in locis temporibusque, dispensatione usos variis ex causis, quæ Ecclesiam tandem universam coegerunt ut extremis hisce sæculis temperatiori disciplinæ se accommodaret, varia veterum Pontificum exempla nos docent; quinimo et Christus ipse, cœlestis et sempiternus Pontifex, qui dum in terris ageret, hanc misericordiæ regulam dedicavit, specimenque in eo ipso edidit, quem Ecclesiæ suæ caput, suique Vicarium designavit. Post lapsum suum Petrus non sacerdotio tantum, sed apici, et summo fastigio Sacerdotii restitutus, et a Christo ipso restitutus est : qui in primo, et principe Christiani orbis Episcopo exemplum sancire, et monumentum excitare voluit humanitatis et indulgentiæ, quod posteriora omnia sæcula mirarentur.

III. Observat hæc laudatus Thomassinus citato cap. LVI, ubi etiam et alia docet quæ lubet hoc loco describere. «Ea fuere, inquit, initia et prima Ecclesiasticæ disciplinæ fundamenta, clementiæ et humanitati suavissimæ superstructa. Nec sane ipsius universalis Ecclesiæ origo scaturire potuit alio ex fonte, quam effusissimæ Dei misericordiæ, invictissimæ charitatis Christi, indulgentiæ scelerum plenissimæ per Baptismum datæ. Primas ergo tulit clementia, tum austeritas subsecuta est. Primogenia Ecclesiæ indoles, natura et proclivitas indulgentiæ est, ut quæ, Christi cruci innixa, sanguine ejus perfusa et coalita sit. Austeritas posterior accessit, clementiæ et indulgentiæ contemptæ vindex ultrixque. Ipsæ canonicæ pœnitentiæ primum mitiores fuere : ex humanitatis hujus aspernatione, sæviendi necessitas orta est. Clementiæ et illud fuerat quod Clerici, pœnitentiæ consumpto curriculo, iisdem gradibus redderentur quibus exciderant. Ea restitutionis spes simulatas complurium pœnitentias peperit; cui pesti ut occurreretur, necessum fuit irrevocabiles lapsis decernere depositiones, ut serio resipiscerent, et nullo fuco, nullis simulationis præstigiis illudere se posse deinceps sperarent. »

IV. In hanc doctrinam præivit nobis Augustinus, qui in Epistola L Donatistas hoc admonebat, si, post hæreticæ pravitatis scelus pœnitentiæ expunctum, sinantur frui honoribus et fungi muniis Clericatus, eam esse salubrem dispensationem qua Ecclesia utendum sibi existimet, exemplo Christi, qui eamdem humanitatem in Petrum ipsum explicuit : si enim postea austeriores sibi leges præfixit Ecclesia, obviatum esse falsis et fraudulentis pœnitentiis : verum penes eam incolume semper esse jus rigorem inflectendi et indulgentiæ postponendi, ubicumque publica vel utilitas fidelium, vel necessitas suaderet cogeretve. « Sed ne forsitan » etiam de cæteris criminibus spe honoris Ec- » clesiastici animus intumescens superbe ageret » pœnitentiam, severissime placuit ut post actam » de crimine damnabili pœnitentiam, nemo sit » Clericus; ut, desperatione temporalis altitu-

Digitized by Google

» dinis, medicina major et verior esset humili-
» tatis. Nam et sanctus David de criminibus
» mortiferis pœnitentiam egit : et tamen in
» honore suo perstitit. Et beatum Petrum,
» quando amarissimas lacrymas fudit, utique
» Dominum negasse pœnituit, et tamen Apo-
» stolus mansit. Sed non ideo supervacua pu-
» tanda est posteriorum diligentia, qui, ubi
» saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid
» addiderunt, quo salus tutius muniretur :
» experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias,
» per affectatas honorum potentias. Cogunt
» enim multas invenire medicinas multorum
» experimenta morborum. »

V. Id jam ab Optato, lib. ultimo, scitissime animadversum fuerat, primatum Ecclesiæ a Christo collatum fuisse Petro pœnitenti, clavesque regni cæteris Apostolis communicandas : « Bono unitatis beatus Petrus, cui satis erat si » post quod negavit solam veniam consequeretur; et præferri Apostolis omnibus meruit, » et claves regni cœlorum communicandas » cæteris solus accepit. » Et infra : « Stant toti » innocentes, et peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur. Provisum est ut » peccator aperiret innocentibus, ut innocentes » clauderent contra peccatores. » Hæc ex Optato miranda prorsus Christi dispensatio, qui principalem auctoritatem clavium Ecclesiæ et cœli communicavit, non innoxio, qui noxios posset aversari et excludere, sed pœnitenti, qui ne pœnitentes quidem possit abigere, nedum innoxios.

VI. Cæterum, ut alia omittam, illud in primis observandum cum eodem eruditissimo Thomassino, eam dispensationem de qua disserit Augustinus, et cujus forma in Petro præluxit, ad eos spectare tantum qui jam ordinati sint. Cæteris enim a Paulo declarat Ordinibus interdictum omnino esse, si Baptismo semel mundati rursus inquinentur : « Ideo Paulus, quando » eligit Ordinandos vel Presbyteros, vel Dia» conos, vel quicumque ordinandus est ad præ» posituram Ecclesiæ, non ait : *Si quis sine* » *peccato est;* hoc enim si diceret, omnis homo » reprobaretur, nullus ordinaretur. Sed ait : » *Si quis sine crimine est,* sicut est homicidium, » adulterium, aliqua immunditia fornicationis, » furtum, fraus, sacrilegium, et cætera hujus» modi. » Itaque videtur Augustinus ex Paulo flagitiis omnibus capitalibus irregularitatem indicere. Sed ut ut se ea res habeat, ex hactenus dictis satis jam liquet non improbandam Ecclesiæ consuetudinem, si, exemplo Christi Domini, cœlestis et sempiterni Pontificis, ejus Vicarii multis ab hinc sæculis, pro temporum ratione, quæ antiquam non patiuntur sacrorum canonum et veteris Ecclesiæ disciplinæ severitatem, temperatiori se accommodent disciplinæ, et suorum Ordinum exsecutionem Clericis qui ipsam sua propter crimina perdiderunt, post peractam pœnitentiam restituant.

VII. Ostendit præterea Gratianus in suo *Decreto* post canonem *Si post ordinationem*, distinctione L, variis exemplis atque auctoritatibus, post actam pœnitentiam proprios gradus licite posse administrari, et ad majores conscendi : « Maria enim, inquit, soror Aaron, postquam » lepra percussa est, quia in Moysen murmu» raverat, acta pœnitentia, a peccato mundata » est, et pristinam gratiam prophetizandi recepit. » Aaron autem post conflatum vitulum, » etiam in summum Sacerdotem consecratus » est. David post adulterium et homicidium » spiritum prophetiæ recepit, et in proprio » gradu permansit. Achab quoque, post mortem » Nabuthæ, viri sanctissimi, per pœnitentiam » humiliatus, in regia sede permansit. » Ubi nota, quod ei prædictum fuerat, lib. III. *Regum*, cap. VI, canes ejus sanguinem mortui lingere debere, non multum post tempus accidit. Concludit autem Gratianus sic : « Et ut præterea» mus multa exempla veteris Testamenti, » Petrus negavit Christum, et postea prin» ceps Apostolorum factus est : Paulus Stepha» num lapidavit, et tamen in Apostolum electus » est : multi quoque ab hæresi ad unitatem » Catholicæ fidei revertentes, in suis Ordinibus » sunt recepti : alii vero ad Episcopalem etiam » gradum sunt promoti, ut pote Augustinus, et » alii complures. »

VIII. Quod tandem in hoc nostro § edicitur, posse Episcopos in adulteriis et aliis criminibus quæ sunt minora, et generaliter ubicumque a jure expresse non prohibentur, post peractam pœnitentiam vel partem istius, cum delinquentibus Clericis dispensare et eosdem reconciliare, cautum est quidem ex decretali Epistola Alexandri III ad Archiepiscopum Salernitanum, relata in cap. IV *De judiciis*, ubi ita inquit :

Digitized by Google

« De adulteriis et aliis criminibus quæ sunt mi-
» nora, potest Episcopus cum Clericis post pera-
» ctam pœnitentiam dispensare. » Idem Pontifex in cap. I *De corpore vitiatis, etc.*, de Presbytero qui duellum sponte obtulit, et oblatum suscepit, et in eo partem digiti amisit, Episcopo consulenti respondit, satis posse ipsum « post
» peractam pœnitentiam cum eo misericorditer
» agere, et permittere ipsum in suo Ordine mi-
» nistrare, licet ejus excessus gravis admodum
» exstitisset. » Rursus in cap. IV *De Clericis conjugatis*, ait quod « Sacerdotes illi qui nup-
» tias contrahunt, quæ non nuptiæ sed contu-
» bernia sunt potius nuncupanda, post longam
» pœnitentiam et vitam laudabilem conti-
» nentes, officio suo restitui poterunt, et, ex
» indulgentia sui Episcopi, ejus exsecutionem
» habere. » Approbavit præterea Alexander ut Diaconus qui uxorem duxerat, et in Sabbato sancto alium Diaconum vulneraverat, posset, exacto pœnitentiæ curriculo, gradui suo restitui, adeoque ad Presbyteratum promoveri si illustribus se virtutum experimentis insigniret. En ejus verba in cap. I *Qui Clerici, vel voventes, etc.*, ex litteris ad Remensem Archiepiscopum missis : « Hoc tuæ prudentiæ respon-
» demus, quod si contrito et humiliato corde
» ad Ecclesiam redire voluerit, dimissa illa
» quam accepit in uxorem, et absolutione ob-
» tenta, injuncta sibi pœnitentia de utroque
» excessu, post eam peractam, dispensative
» poteris ei Diaconatus officium reddere; et si
» perfectæ vitæ et conversationis fuerit, eum
» in Presbyterum ordinare. »

IX. Iisdem mitioris disciplinæ blandimentis usi sunt et alii Romani Pontifices Maximi, ut in codice Decretalium videre est. Sicut itaque indubitatum est, justis et necessariis ex causis, mira sapientia et charitate remisisse Ecclesiam de antiquo rigore canonum et severiori Ecclesiæ disciplina, ita dolendum est quod his delineamentis alia subinde delineamenta adjiciantur, et de jure remisso remittatur semper aliquid ulterius : « Quid, inquis, prohibes dispensare ?
» Non, sed dissipare. Ubi necessitas urget,
» excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas pro-
» vocat, laudabilis dispensatio est. Utilitas dico
» communis, non propria. Nam, cum nihil
» horum est, non plane fidelis dispensatio, sed
» crudelis dissipatio est. » Verba sunt S. Bernardi, libro II *De Consideratione ad Eugenium*.

§ V.

Circa depositionem vero notandum est quod, si agitur ut deponatur quis a beneficio, solus Episcopus hoc potest; sicut potest deponere ab Ordine cum Capitulo suo, sive ab ipso Capitulo deputatis, et etiam solus ex consuetudine. Et similiter Episcopus cum Capitulo suo deponit ab Ordine Clericos primæ tonsuræ, et in minoribus Ordinibus constitutos, si post hujusmodi verbalem depositionem secutura sit actualis degradatio. Et, si isto modo agitur, in depositione Subdiaconi vel Diaconi ab Ordine, requiritur numerus trium Episcoporum ultra proprium Episcopum, in examine et in definitione; et sex in causa Presbyteri, excepta causa hæresis. In depositione vero Episcopi ab ordinatione, exigitur numerus duodecim Episcoporum, præter Metropolitanum qui debet esse tertiusdecimus, qui omnes possint procedere contra Episcopum usque ad conclusionem tantum, et definitio, tam circa condemnationem quam absolutionem, reservatur Papæ. Sed in ipsa actuali degradatione non requiritur numerus Episcoporum. Et præmissa de numero Episcoporum adhibendo procedunt, si agitur ex potestate ordinaria. Dictabitur autem sententia depositionis ab Ordine, si intenditur ut post eam sequatur actualis degradatio nomine Episcopi Ordinarii, cum præsentia Capituli, sive cum consilio et assensu Episcoporum respective, prout eam requirit, in hunc modum videlicet : *Quia nobis evidenter et legitime constat, te* tale *crimen seu flagitium commisisse,*

Digitized by Google

quod non solum grave, etiam damnabile est et damnosum, idcirco de talium *consilio et assensu, ab omni Ordine et privilegio Clericali te sententialiter perpetuo duximus deponendum, et deponimus.* Per talem itaque sententiam depositus omni Ordinum, tam majorum quam minorum, exsecutione perpetuo est exutus.

COMMENTARIUS.

I. Plane constat fuisse, ut nunc est, apud majores, Ecclesiasticam illam censuram in observatione, quæ dicitur degradatio, seu exauctoratio, vel depositio, cum scilicet Ecclesiæ minister ex officio et Ordine ob scelera sua dejicitur. Celebre ejus rei testimonium legere est in Epistola LXV S. Cypriani ad Rogatianum episcopum Norensem in Mauritania, qua illum monet ut Diaconum contumacem protervumque ac superbum memorata depositionis pœna coerceret : « Quod si ultra, inquit, te contume- » liis suis exacerbaverit et provocaverit, fungeris » circa ipsum potestate honoris tui, ut eum vel » deponas vel abstineas. » Erat et olim in usu illa frequens animadversio, ut delinquentis Clerici nomen ab Ecclesiæ tabulis deleretur, vel saltem, cum aliqua suspicione laboraret, supprimeretur, nec sicut cæterorum publice recitaretur. Quod quidem constat ex aliis S. Cypriani litteris, itemque ex S. Augustino, Epistola CXXXVII et CXXXVI, et ex variis sacris Conciliorum canonibus.

II. Hæc quidem ad antiquum in Ecclesia depositionis usum pertinent; ut autem aliqua de sequiori Ecclesiæ disciplina dicamus, sciendum est quod depositio Clerici, ex communi Doctorum calculo, alia est nuda et simplex seu verbalis, alia actualis seu solemnis, quæ proprie degradatio dicitur. Verbalis est illa, quæ fit nudis verbis per sententiam, probatque Antonius Dadinus Altaserra, lib. IX *De Jurisdictione Ecclesiastica*, capite VIII, ex Concilio I Arelatensi, can. XIII, ubi ita legitur : « De his qui » Scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa » Dominica, vel nomina fratrum suorum, placuit » nobis ut quicumque eorum ex actis publicis » fuerit detectus, non verbis nudis ab ordine » Cleri amoveatur. » Sed errant qui hoc canone utuntur pro depositione verbali, cum enim dicitur traditores sacrarum Scripturarum non nudis verbis a Cleri ordine removeri, male inducitur verbalis quædam depositio. Nam mens ejus canonis ea est, ut illi tantum habeantur quasi traditores sacrorum codicum, qui ex actis publicis detegantur, ut ex ipso recitato canone liquet, non vero ex nudis et simplicibus verbis. De hujusmodi traditoribus vide quæ diximus nos in opere *De Codice sancti Evangelii, etc.*, libro III, cap. XXXIX.

III. Quod actualem et realem, ut vocant, degradationem spectat, aperta quidem ejus mentio habetur in Concilio Toletano IV, anni 633, canone XXVII : « Episcopus, Presbyter aut Diaconus » si a gradu suo injuste dejectus, in secunda » Synodo innocens reperiatur, non potest esse » quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat » coram altari de manu Episcoporum. Si Epi- » scopus est, orarium, annulum et baculum ; » si Presbyter, orarium et planetam ; si Dia- » conus, orarium et albam ; si Subdiaconus, » patenam et calicem : sic et reliqui gradus ea » in reparationem sui recipiant, quæ cum ordi- » narentur perceperunt. » Quis non videt hos omnes non potuisse hæc sui Ordinis recuperare insignia, nisi prius iisdem spoliati fuissent ; et pari ritu quem in iis conferendis servari decuit? Quod idem censendum est ex illa judicandorum Clericorum forma, quam Synodi Carthaginenses mox citandæ præscribunt, ex qua similem prolata damnationis sententia exauctorationem colligere par est.

IV. Depositio tam verbalis quam solemnis, eodem teste Altaserra, ad Episcopum spectat : verbalis quidem ad Episcopum proprium absque aliis Episcopis : solemnis ad Episcopum proprium, sex aliis Episcopis adhibitis, si Presbyter sit ; tribus Episcopis, si Diaconus ; si tandem Episcopus, duodecim adhibitis Episcopis. Id enim constat ex variis Synodis, inter quas Carthaginensis I celebrata anno 348, ita mandat, can XI : « Si quis tumidus vel contumeliosus » exstiterit in majorem natu, vel aliquam » causam habuerit, a tribus vicinis Episcopis, si » Diaconus est, arguatur : si Presbyter, a sex : si

Digitized by Google

» Episcopus, a duodecim consacerdotibus au-
» diatur. » Item II Carthaginensis Synodus, anno 340 habita, can. X inquit : « Si quis Epi-
» scopus, quod non opinamur, in reatum
» aliquem incurrerit, et fuerit ei nimia necessi-
» tas non posse plurimos congregare, ne in
» crimine remaneat, a duodecim Episcopis
» audiatur ; et a sex Presbyter ; et a tribus Dia-
» conus. » Idipsum in aliis Conciliis, quæ longum esset huc afferre, statutum est. Concilii Carthaginensis meminit quidem sanctus Augustinus, epistola XVI, in appendice ; ubi hæc habet : « Removendum ab officio Presbyterii
» ausus sum, timens ei deinceps Ecclesiam Dei
» committere : quod si forte judicibus Ecclesia-
» sticis alias videtur, quia sex Episcopis causam
» Presbyterii terminari Concilio statutum, com-
» mittat illi qui volet Ecclesiam suæ curæ com-
» missam. »

V. Quamvis autem Carthaginensem canonem loqui de secunda instantia, ut aiunt, sive casu appellationis, Zonaras autumet, ne scilicet alias repugnet canoni IV Concilii Antiocheni, apud Gratianum, can. LXV, causa XI, quæstione III, quo supponitur Presbyterum aut Diaconum a proprio Episcopo sine Synodo deponi posse : est nihilominus certum Episcopos omnes, sive in Synodo sive extra Synodum cum proprio Episcopo congregatos, fuisse veros judices causæ adhibitosque non ad solemnitatem aut formam actus degradationis duntaxat, sed ad causæ examen, et judicium ferendum. Rursus indubitatum est, in recitato canone non tantum de actuali depositione, quæ hodie vulgo degradatio dicitur, sed de quacumque depositione a sacro ministerio et dignitate Sacerdotali agi.

VI. Porro mos olim fuit ut cum de delictis Episcoporum, Presbyterorum, aliorumque ministrorum Ecclesiæ agebatur, soleret causa ad Synodum Episcoporum referri, ibique discuti et decidi, ut testatur Synodus Hispalensis II, celebrata anno 619, can. VI. Dolens siquidem quod Fragitanus Cordubensis Ecclesiæ presbyter a Pontifice suo injuste esset damnatus, eumque rursus Ordini suo restituens, id denuo adversus Episcoporum præsumptionem, decrevit « ut, jux-
» ta priscorum Patrum Synodalem sententiam
» nullus sine Concilii examine dejiciendum
» quemlibet Presbyterum vel Diaconum audeat.
» Nam multi sunt qui indiscussos potestate
» tyrannica, non auctoritate canonica, dam-
» nant ; et, sicut nonnullos gratiæ favore
» sublimant, ita quosdam odio invidiaque per-
» moti humiliant et ad levem opinionis auram
» condemnant, quorum crimen non approbant.
» Episcopus enim Sacerdotibus ac ministris
» solus honorem dare potest, auferre solus non
» potest. » Legendus est integer canon, quem etiam Gratianus refert in suo *Decreto*, canone VII, causa XV, quæstione VII.

VII. Illud certe quod in memorato canone Hispalenses Patres docent, est juxta canonem præsertim quintum Nicænum, ubi cautum fuit ut, si Presbyteri vel Clerici de proprii Episcopi sententia quererentur, res in Synodo Episcoporum totius provinciæ discuteretur. Sed quia difficile similes Episcoporum Synodi habebantur multaque idcirco sacrorum hominum crimina impunita remanebant, merito Patres Concilii Carthaginensis II, can. X, ad suggestionem Felicis Episcopi Salemselitani, veterum statuta canonum servari debere pronuntiarunt, ut si quis Episcopus in reatum aliquem inciderit, et plurimi Episcopi congregari non possent, ne in crimine remaneat, a duodecim Episcopis causa audiatur ; a sex, si Presbyter ; si Diaconus, a tribus una cum suo proprio Episcopo.

VIII. Hunc ipsum canonem, aliosque nonnullos idem decernentes, et a Gratiano allatos in suo *Decreto*, causa XV, quæstione VII, canonici juris interpretes de prima instantia jampridem intellexerunt, quasi is Episcoporum numerus absolute et generaliter in depositione etiam Presbyterorum et Diaconorum necessarius esset. Verum cum successu temporis jurisdictio contentiosa per solum Episcopum vel ejus Vicarium exerceri cœpit, facultas etiam deponendi Clericos soli Episcopo ejusve Vicario attributa fuit. Ne tamen ab canonum disciplina recedi prorsus videretur, numerus Episcoporum dictis canonibus Carthaginensibus expressus, sine ullo ad Synodum respectu, restrictus jam fuit ad depositionem actualem et solemnem, quam degradationem dicimus. Docet id quidem Bonifacius VIII, in cap. II *De Pœnis*, in VI, ubi ita inquit : « Verbalis degradatio seu depositio ab
» Ordinibus vel gradibus Ecclesiasticis est a pro-
» prio Episcopo, sibi assistente, in degradatione
» Clericorum in sacris constitutorum Ordinibus,
» certo Episcoporum numero definito canonibus

Digitized by Google

» facienda : quanquam proprii Episcopi sen-
» tentia, sive aliorum Episcoporum præsentia,
» sufficiat in degradatione eorum qui minores
» duntaxat Ordines receperunt. »

IX. Hic per canones, ut observat Vanespennius, parte III *Juris Ecclesiastici*, tit. XI. cap. I, num. LIII, et consequenter in degradatione requiri numerum Episcoporum in dictis canonibus expressum, post Glossam uno consensu canonici juris interpretes tradidere : et ita in degradatione Episcopi requiri assistentiam duodecim Episcoporum; in Presbyteri, sex; et Diaconi, ac Subdiaconi, trium Episcoporum : quod et praxis comprobavit, et in nostro Romano Pontificali expressum est. Cum autem sæpe ob Episcoporum raritatem, gravesque itidem expensas, tot ipsorum Episcoporum conventus non sine difficultate in multis regionibus haberi posset, præsertim in Germania, ideoque degradationis solemnitas in usu vix esset, enormiaque Clericorum crimina inulta manerent, ne ansa majori cum audacia perpetrandi scelera sacris hominibus dari videretur, conquesti sunt inter alia centum gravamina, et de ea re Adriano VI, Pontifici Maximo, exhibita, Germaniæ principes, articulo XIV, ita aientes : « Tandem, ut in peccatis maleficiisque per-
» petrandis magis adhuc foveantur, præter
» omnem æquitatis rationem, aliquatenus inter-
» dictum est Archiepiscopis et Episcopis, ne
» malefactores hos publice criminali judicio
» reos agere possint, nisi prius degradatos : id
» quod tantis sumptibus, tantaque pompa cele-
» brari oportet, ut propterea perquam rarissi-
» mum vincti illi malefactores merita plectan-
» tur pœna. »

X. Eamdem querelam in ipso Concilio Tridentino renovarunt Germaniæ Episcopi, quibus moti Patres, sessione XIII, cap. XIV, *De reformatione*, declararunt quod Episcopus per se « ad
» actualem atque solemnem degradationem ab
» ipsis Ordinibus et gradibus Ecclesiasticis, in
» casibus in quibus aliorum Episcoporum præ-
» sentia in numero a Canonibus definito requi-
» ritur, etiam absque illis procedere liceat : ad-
» hibitis tamen et in hoc sibi assistentibus
» totidem Abbatibus usum mitræ et baculi ex
» privilegio Apostolico habentibus, si in civitate
» aut diœcesi reperiri et commode interesse
» possint : alioquin aliis personis in Ecclesiastica
» dignitate constitutis, quæ ætate graves ac juris
» scientia commendabiles existant. » Cum itaque memorata Synodus Tridentina exigat ut personæ in dignitate constitutæ ab Episcopo assumendæ sint *juris scientia commendabiles*, videtur profecto Synodus ipsa indicare, hanc Prælatorum assistentiam non tantum ad solemnitatem et meram cæremoniam requiri, sed ut una Episcopo in discussione causæ assistant : quemadmodum recitati canones Carthaginenses Episcoporum exigebant conventum, ut ab omnibus causa accusatorum discuteretur et judicaretur, ut scite adnotat eruditus Vanespennius loco laudato.

XI. Quod Episcopos præsertim spectat, requiri in eorum depositione apud Latinos numerum duodenarium Episcoporum, ex Carthaginensibus Synodis superius memoratis probatum est. Eam etiam in Oriente apud Græcos servari regulam consuevisse, docet nos quidem in suis ad duodecimum Africani codicis canonem scholiis Theodorus Balsamon, exemploque hoc confirmat : « Cum Joannes Amathun-
» tis episcopus a Cypri Archiepiscopo Joanne
» fuisset depositus, et depositionis edictum in
» tribunali imperatorio lectum esset, quoniam
» inventi sunt undecim Episcopi, et Archiepi-
» scopus depositionem fecisse, statuit sanctissi-
» mus Patriarcha dominus Lucas, esse infir-
» mam et nullius momenti depositionem, eo
» quod non accersita fuerit universa Synodus
» Cypriorum Ecclesiæ, etiamsi magna esset
» ejus cogendæ facultas, et quod Archiepiscopus
» non ultra duodecim, sed una cum illis esset
» connumeratus. » Afrorum provinciæ, uti scite animadvertit eruditus Lupus in canonem XXV Dictatus S. Gregorii VII, numerosissimos Episcopos habebant, ipsosque criminaliter accusatos non solus provinciæ Primas, sed, juxta communem totius Ecclesiæ canonem, plena Synodus judicare debebat. Attamen, dum extra Synodi tempus facta accusatio non pateretur moras, noluerunt totam moveri provinciam, sed istud judicium duodecim Episcopis crediderunt. An Primas ex illis duodecim, an supra illos deberet esse decimustertius, haud constat; sed postremum verius puto : vigesimus siquidem memorati Africani codicis canon criminali in Presbyterum aut Diaconum judicio, præter sex, aut tres alios Episcopos, mandat etiam

Digitized by Google

proprium, ut pote ordinarium primæ instantiæ judicem, adesse.

XII. Ex hactenus explicatis jam liquido apparet misere illos hallucinari auctores qui autumant Ecclesiam Latinam memoratum Episcoporum numerum in Episcoporum depositione adhibendum accepisse a supposititio Isidori Mercatoris codice, in quo eam disciplinam statuere dicuntur Summi Romani Pontifices, Clemens, Anacletus, Zephyrinus. Etenim codice illo longe antiquior S. Gregorius Magnus Virgilio Arelatensi Archiepiscopo, suo in Galliis vicario hanc præscripsit regulam, litteris ad eum missis, quæ exstant lib. IV, epistola L, ubi ita inquit : « Si qua inquisitio de fide, vel fortasse » aliarum rerum inter Episcopos causa emer- » serit, quæ discerni difficilius possit, collectis » duodecim Episcopis ventiletur, atque decida- » tur. Si autem decidi nequiverit, discussa ve- » ritate, ad nostrum judicium referatur. » Agit de cunctis majoribus causis, quas inter semper degradatio Episcoporum fuit. Cæterum, ut alia omittam testimonia, Patres quidem Concilii Triburiensis in Germania, habiti anno 895, can. X, ubi statuunt nullum deponi Episcopum, nisi a duodecim Episcopis diserte fatentur, se id ex canone XII Concilii Carthaginensis statuere : « Statutum est, inquit, in hac sancta et uni- » versali Synodo, ut nullus Episcopus depona- » tur, nisi a duodecim Episcopis, Presbyter a » sex, Diaconus a tribus. In Concilio Cartha- » ginensi, capite duodecimo, Felix Episcopus » dixit : Si quis Episcopus in reatum aliquem » incurrerit, etc.» Est is canon decimus Concilii Carthaginensis II, quem initio hujus Commentarii descripsimus. Vocatur autem duodecimus a Triburiensi Synodo, quia in laudato codice Canonum Ecclesiæ Africanæ est ordine duodecimus.

XIII. Est vero illud notandum, quod, etsi duodecim Episcopi una cum Metropolitano, qui debet esse tertius decimus, contra Episcopum facinorosum procedere possint usque ad conclusionem, definitio tamen, ut recte in hoc nostro § cautum est, tam circa absolutionem quam circa condemnationem, Romano Pontifici reservatur. Depositio siquidem Episcoporum una semper fuit e majoribus causis quæ omnino reservatæ sunt Sedi Apostolicæ, et quidem ex quodam Apostolorum canone, quem laudat Marcellus Papa, in Epistola I ad Episcopos Antiochenæ provinciæ, ubi ait omnes Ecclesias subjectas esse Ecclesiæ Romanæ, juxta Apostolorum eorumque successorum sanctiones, mox subjungens : « Simulque iidem, inspirante Do- » mino, constituerunt ut nulla Synodus fieret » præter ejusdem Sedis auctoritatem, nec ullus » Episcopus nisi in legitima Synodo, suo tem- » pore Apostolica auctoritate convocata, super » quibuslibet criminibus pulsatus audiatur vel » judicetur, quia Episcoporum judicia, et sum- » marum causarum negotia, sive cuncta dubia » Apostolicæ Sedis auctoritate sunt agenda et » finienda. »

XIV. Ne quis autem objiciat Epistolam ipsam Marcello Papæ tributam esse omnino supposititiam, certe ejusdem Apostolorum canonis meminit Julius I Pontifex Maximus, in Epistola I ad Orientales Episcopos, exstatque apud Gratianum, in can. *Dudum*, III, quæstione VI : « Dudum a sanctis Apostolis successo- » ribusque eorum in antiquis decretum fuerat » statutis, quæ hactenus sancta et universalis » Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præ- » ter sententiam Romani Pontificis Concilia ce- » lebrari, nec Episcopum damnari : quoniam » sanctam Romanam Ecclesiam primam om- » nium Ecclesiarum esse voluerunt. » Statim- » que hæc subjicit : « Et sicut B. Petrus Apo- » stolus primus fuit omnium Apostolorum, ita » et Ecclesia suo nomine consecrata, Domino » instituente, prima sit, et caput cæterarum : » et ad eam, quasi ad matrem atque apicem, » omnes majores Ecclesiæ causæ et judicia » Episcoporum recurrant, et juxta ejus senten- » tiam terminum sumant, nec extra Romanum » quidquam ex his decerni debere Pontificem. » Hujus Epistolæ pars exstat apud eumdem Gratianum, in can. *Nullus Episcopus*, V, quæstione IV, eademque legitur apud S. Athanasium in Apologia II *De fuga sua*.

XV. Ipsum Apostolicum canonem, jam ante laudatum Julium I Pontificem, instauraverat Synodus I Nicæna, ut testantur Patres Concilii Alexandrini in Epistola ad Felicem Papam, ita scribentes : « Nam scimus in Nicæna magna » Synodo trecentorum decem et octo Episcopo- » rum, ab omnibus concorditer esse roboratum, » non debere absque Romani Pontificis sen- » tentia Concilia celebrari, nec Episcopos dam- » nari, licet hæc et alia quam plurima neces-

Digitized by Google

» saria ab hæreticis, qui nos quotidie infestant » et perdere nituntur, ut facilius nos capere » possint, sint synodica capitula incensa, nobis» que sublata. » Hisce passim regulis Summi Pontifices vetuere ne Episcopi deponantur absque sententia Romani Præsulis : nam præter laudata Julii I loca in can. *Dudum*, III, quæstione VI, et can. *Nullus*, V, quæstione IV; et in Rescripto ad Orientales, cap. XXX, cujus verba legere est in can. *Ideo*, II, quæstione VI, eamdem sæpe sæpius disciplinam inculcarunt alii Romani Pontifices, inter quos Eleutherius, Sixtus II, Damasus, Leo I, Vigilius, Gregorius IV, uti videre est in can. *Discutere*, can. *Quamvis*, can. *multum*, III, quæstione VI, can. *Decreto*, can. *Qui se scit*, II, quæstione VI; et, ut alios omittam, S. Gregorius VII, in suo Dictatu, can. III, de Romano loquens Pontifice, ita inquit : « Quod ille solus possit deponere Epi» scopos, vel reconciliare : » et in can. XX, hæc habet : « Quod absque synodali conventu Papa » possit deponere Episcopos et reconciliare. »

XVI. Scite canones hosce exponit Lupus eruditissimus, tomo V ultimæ editionis Venetæ, variaque eam in rem exempla affert; quibus adde ea quæ in suo *De jurisdictione Ecclesiastica* opere, lib. X, cap. III et IV, recenset clarissimus auctor Antonius Dadinus Altaserra. Porro, quod formulam depositionis spectat, concordat quidem cum illa quæ habetur in manuscripto Vaticano Pontificali Gulielmi Durandi, uti in Appendice videre est.

§ VI.

Verum si Episcopus deponens evidenter agnoverit in posterum emendationem vitæ et morum depositi, vel forte sententiam suam injustam fuisse, poterit ei de jure misericorditer restituere graduum et Ordinum exsecutionem, qua privatus exstiterat : quæ restitutio debet fieri in ecclesia in qua Episcopus elegerit hoc facere, sive sit cathedralis sive alia, et coram altari, quia et ibi Ordinum gradus distribuuntur, et potest fieri per Episcopum solum cum Capitulo suo, non solum in Quatuor Temporibus, verum etiam quolibet tempore, et sine Missæ celebratione; et tam restituens quam restituendus debent esse jejuni.

COMMENTARIUS.

I. Legere est et hanc rubricam in laudato manuscripto Gulielmi Durandi Vaticano Pontificali, cujus ordinem ad hunc titulum pertinentem in Appendice referemus. Consonat ritui manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiæ Arelatensis, in ordine *ad reconciliandos sacros Ordines per impositionem manus Archiepiscopi*. Sic enim inquit : « Reconciliatio a jejunis debet » accipi, et a jejuno Episcopo fieri : et fiat in » Ecclesia ubi Ordinationes graduum distri» buuntur; et non solum potest fieri in Quatuor » Temporibus, sed et in aliis temporibus anni; » et non solum in Sede, sed et in aliis locis, » ubi Episcopus elegerit. » Quod sacræ Ordinationes ad altare ab Episcopo celebrandæ sint, jam nostro I tomo Commentariorum in I partem hujus operis explicuimus. Quod autem restitutio Ordinum in ecclesia coram altari fieri debeat, cautum jam olim fuit ex Concilio Toletano IV, anni 633, cap. XXVII, ubi ita legimus : « Episcopus, Presbyter aut Diaconus, si, a gradu » suo injuste dejectus, in secunda Synodo in» nocens reperiatur, non potest esse quod fue» rat, nisi gradus amissos recipiat coram altario » de manu Episcoporum, etc. » Quæ quidem totidem verbis exstant in *Judiciis* seu *Pœnitentiali* Gregorii Papæ III, cap. XXXIII, Conciliorum tomo VI, col. 1585, Inter alia exempla solemnis restitutionis Ordinum in ecclesia coram altari peragi solitæ, celebre est illud Rothadi Suessionensis episcopi, cui quidem injuste deposito S. Nicolaus I Pontifex Maximus Episcopatum restituit Romæ in ambone insignis basilicæ Sanctæ-Mariæ Majoris, ut in ejusdem Nicolai Vita legitur.

II. Posse Episcopum qui Clericum deposuit, si evidenter agnoscat in posterum emendationem vitæ et morum depositi, eidem de jure

Digitized by Google

misericorditer restituere graduum et Ordinum exsecutionem qua illum privaverat, jam satis superius a nobis ostensum est, et quidem variis Romanorum Pontificum testimoniis. Si autem sententia depositionis fuerit injusta, ubi illam agnoscit, debere Episcopum sententiam ipsam rescindere, ex sacris canonibus passim addiscimus.

§ VII.

Depositus ergo, qui restitutionem privilegii Clericalis et exsecutionis quatuor minorum Ordinum petierit, vestibus suis consuetis indutus debet genua flectere coram Pontifice parato amictu, stola, pluviali tempori convenientibus, et mitra simplici, Paculum pastoralem in manu tenente, et in faldistorio ante medium altaris sedente, qui deposita mitra surgit, et stans versus ad illum coram se genuflexum, dicit : ℣. *Deus, in adjutorium meum intende.* ℟. *Domine ad, adjuvandum me festina.* ℣. *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.* ℟. *Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Et hæc secundo et tertio dicuntur. Deinde subjungit Pontifex : *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison. Pater noster* : reliqua secreto. Deinde : ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvum fac servum tuum, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus qui in Sanctis habitas, et pia corda non deseris, suscipe propitius orationem nostram, et hunc famulum tuum, quem delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ VIII.

Tum sedet Pontifex accepta mitra, et super caput illius coram eo genuflexi imponit manum dexteram dicens : *In nomine Domini. Ego, licet peccator, tamen Episcopus, auctoritate a Deo mihi concessa per hanc manus impositionem restituo tibi charissimo filio privilegium Clericale, et exsecutionem Ordinis et gradus Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, atque Acolythatus, quibus fueras juste privatus et ab eis depositus; ut amodo possis digne custodire ostia Domini cum omnibus quæ intra retinentur; et distincte legere de Codice, audiente populo Dei; et abhinc in antea habeas potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos; et in deinceps possis digne accendere luminaria ecclesiæ, et ante Evangelium portare. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.*

§ IX.

Deinde Pontifex adhuc cum mitra sedens, benedicit illi, dicens : *Benedictio Dei omnipotentis Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus✠sancti descendat super te, et*

Digitized by Google

maneat semper. Quo facto, ille osculatur manum dexteram Pontificis, surgensque discedit.

COMMENTARIUS.

I. Concordat is hactenus descriptus ritus cum iis quæ in laudato manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, annorum circiter quingentorum, legimus : « Depositus ergo, » qui restitutiones exsecutionis quorumcumque » inferiorum Ordinum petierit, debet genua » flectere coram Episcopo parato amictu, stola, » pluviali, mitra simplici et baculo Pastorali, » et ille dicit ter : *Deus, in adjutorium meum* » *intende, etc.* Deinde manum super illum » imponens, dicit : *In nomine Domini. Amen.* » *Ego, licet peccator, tamen Episcopus, au-* » *ctoritate mihi a Deo concessa per hanc* » *manus impositionem restituo te, charissime* » *Frater, exsecutioni Ordinis et gradus Ostia-* » *rii,* vel *Lectoris,* seu *Exorcistæ,* atque *Aco-* » *lythi, qua fueras juste privatus, ut amodo* » *digne possis custodire ostia domus Domini* » *cum omnibus quæ intra retinentur, et di-* » *stincte legere de Codice, etc.* Et benedicat ei » dicens : *Benedictio Dei omnipotentis, etc.* »

II. In omnibus quos vidi ante Clementem VIII editis libris Pontificalibus, ubi Episcopus privilegium Clericale, sive alios inferiores Ordines Clerico restituit, non quidem filium, sed fratrem nuncupat. Rursus in multis etiam Pontificalibus manu exaratis, non dicit quidem Episcopus : « Restituo tibi privilegium Cleri- » cale, et exsecutionem Ordinis et gradus » Ostiariatus, etc., *sed*, restituo te exsecutioni » Ordinis et gradus Ostiarii, etc., » uti habetur in manuscripto Vaticano Durandi Pontificali; sive : « Restituo te, carissime Frater, » in Ordinem gradus Ostiarii, etc., uti legitur in manuscripto Pontificali codice insignis Ecclesiæ Arelatensis. Porro, quidquid de ipsa parvi momenti variatione sit, non omittendum censeo, quod, tametsi unum vel alterum cujusque Ordinis officium in descripta formula ad § VIII Episcopus restituere videtur, omnia profecto munia restituere intelligitur. Hinc quamvis deposito Ostiario Episcopus dicat : « Restituo tibi exsecutionem Ordinis et gradus » Ostiariatus..., ut amodo possis digne custodire » ostia Domini cum omnibus quæ intra reti- » nentur, » poterit utique deinceps Ostiarius vi istiusmodi restitutionis cætera sua exercere munia, percutere nimirum cymbalum et campanam, aliaque peragere quæ ad ipsum Ostiarium pertinent : de quibus vide quæ diximus nostro I tomo Commentariorum, ubi de ejus ordinatione egimus.

III. Dicam insuper pro coronide hujus Commentarii, consuevisse aliquando Episcopos, in singularis suæ humilitatis indicium, peccatoris nomine se subscribere, uti videre est in Concilio Turonensi II, in quo subscriptus legitur : « Prætextatus, etsi peccator, in Christi nomine » episcopus Rothomagensis : » itemque « Ger- » manus peccator, » qui Parisiensis episcopus erat; « Felix peccator, etc. » Huc refer Talassum illum, qui in Concilio Turonensi I, « pec- » catorem » se scribit. Vide nostrum I tom. in Concilia œcumenica, pag. 30.

§ X.

Exsecutionis Subdiaconatus et minorum Ordinum ac privilegii Clericalis restitutio fit similiter per omnia prout supra usque ad manus impositionem, ad quam Pontifex cum mitra sedens, dicit : *In nomine Domini. Ego, licet peccator, tamen Episcopus, per hanc manus impositionem restituo tibi dilectissimo filio privilegium Clericale, et exsecutionem Ordinum et graduum Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, et Subdiaconatus, quibus fueras juste privatus et ab eis depositus, ut amodo digne possis custodire ostia domus Domini cum omnibus quæ intra retinentur, et distincte legere de Codice, audiente populo Dei, et abhinc in antea habeas potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos,*

Digitized by Google

sive catechumenos; et possis digne accendere luminaria ecclesiæ, et ante Evangelium portare; ac legere Prophetias, Epistolas ad Missas, et ministrare Diacono ac Presbytero, vel Episcopo. Præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.* Tum benedicit ei, ut supra : quo facto, ille osculatur manum dexteram Pontificis, surgensque discedit.

COMMENTARIUS.

I. Ubi exsecutio Subdiaconatus Ordinis restituitur, simili modo procedendum manuscripti libri Pontificales mandant. Ex manuscripto Vaticano Durandi codice, post recitatas preces hanc quidem verborum formulam Episcopus pronuntiat manu interim sua super Subdiaconi caput imposita : « In nomine Domini. » Amen. Ego, licet peccator, tamen Episcopus, » restituo tibi exsecutionem gradus et Ordinis » Subdiaconatus, qua fueras juste privatus, ut » amodo digne possis legere Prophetias et Epi- » stolas ad Missas, et ministrare Diacono ac » Presbytero, vel Episcopo, aut offerre eis im- » maculatam Hostiam ad altare Domini, caste » vivendo, quia scriptum est : *Mundamini, qui* » *fertis vasa Domini.* » Eamdem hanc formulam lego etiam in manuscripto Pontificali insignis Ecclesiæ Arelatensis, et in aliis plurimis ante Clementem VIII editis; in quibus omnibus illud exstat ad finem additamentum : « Atque offerre eis immaculatam Hostiam ad » altare Domini, etc., » tametsi ea ad initium verba, quibus privilegii Clericalis atque minorum Ordinum restitutionis mentio fit, itemque illa ad finem formulæ hodierni Romani Pontificalis descripta : « Præstante eodem Do- » mino nostro Jesu Christo, etc., » omnino desiderentur. Certe in eo memorati Pontificales codices, tum editi ante Clementem VIII, tum manu exarati, conveniunt quod Episcopus benedictionem illam, quam superius descripsimus, restituto ad exsecutionem Ordinis impertiri debet.

II. Est illud quoque hoc loco notandum, quod in manuscripto Pontificali Arelatensi, et in Vaticano Durandi manuscripto codice legimus, in restitutione tum Ordinum minorum, tum Subdiaconatus, debere quidem fieri ab Episcopo manuum impositionem, « quoniam, » licet illa in distributione seu collatione Or- » dinum eorumdem non fiat, reconciliatio ta- » men, seu restitutio illorum, rite sine ea non » fit. » Addit Vaticanus Durandi codex Pontificalis, quod, « quamvis Clericis in reconci- » liatione et restitutione graduum fiat hæc » manus impositio, si tamen in reatum ali- » quem inciderint, non injungitur eis solemnis » pœnitentia, sicut laicis. » Neque enim vel olim licuit Episcopis, Presbyteris, vel Diaconis lapsis manum pœnitentialem imponere, teste S. Leone Magno in Epistola sua ad Rusticum archiepiscopum Narbonensem : « Alie- » num est, inquit, a consuetudine Ecclesiastica, » ut qui in Presbyterali honore, aut Diaconi » gradu fuerint consecrati, ii pro crimine ali- » quo suo per manus impositionem remedium » accipiant pœnitendi. Quod sine dubio ex Apo- » stolica traditione descendit, secundum quod » scriptum est : *Sacerdos si peccaverit, quis* » *orabit pro eo?* Unde hujusmodi lapsis pri- » vata est expetenda secessio, ubi illi satisfactio » si fuerit digna, fit etiam fructuosa. » Ubi nota 1° verba illa, *ex Apostolica traditione descendit*, respicere solum pœnitentialem manum, quam lapsis Episcopis, Presbyteris, aut Diaconis imponi Apostoli omnino noluerunt, ne tantis Sacramentis, uti in libris *Adversus Parmenianum* S. Augustinus scribit, tantæ abjectionis et humilitatis injuria irrogaretur. Hinc in Romana sua Synodo, habito anno 313, Melchiades Papa Donatum Episcopum in Casis-Nigris damnavit, « quod confessus esset Epi- » scopis lapsis *pœnitentialem* manum impo- » suisse, quod ab Ecclesia alienum est. » Nota etiam 2° privatam istam secessionem, cujus meminit in Epistola sua ad Rusticum S. Leo, voluisse deinde Justinianum in monasteriis fieri; eamque disciplinam ab Ecclesia Romana fuisse comprobatam.

Digitized by Google

§ XI.

Exsecutionis vero Diaconatus, Subdiaconatus, et minorum Ordinum, ac privilegii Clericalis restitutio fit similiter per omnia prout supra usque ad manus impositionem, ad quam Pontifex sedens cum mitra, dicit : *In nomine Domini. Ego, licet peccator, tamen Episcopus, per hanc manus impositionem restituo tibi dilectissimo filio privilegium Clericale, et exsecutionem Ordinum et graduum Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus et Diaconatus, quibus fueras juste privatus, et ab eis depositus, ut amodo possis digne custodire ostia domus Domini, cum omnibus quæ intra retinentur; et distincte legere de Codice, audiente populo Dei : et habeas potestatem imponendi manus super energumenos, sive catechumenos, sive baptizatos; et possis digne accendere luminaria Ecclesiæ, etan te Evangelium portare; ac legere Prophetias et Epistolas ac Lectionem Evangelicam ad Missas, et in eis ministrare Presbytero vel Episcopo, et fundere aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Tunc benedicit ei, ut supra : quo facto, ille osculatur manum dexteram Pontificis, surgensque discedit.

COMMENTARIUS.

Quantum ad restitutionem exsecutionis Ordinis Diaconatus in laudatis manuscriptis Pontificalibus libris, Arelatensi, et Vaticano Gulielmi Durandi, et aliis, post recitatas memoratas superius preces, imponens Episcopus manum super caput Diaconi ante se genuflexi, sic inquit : « In nomine Domini. Ego, licet peccator, » tamen Episcopus, per hanc manus imposi- » tionem restituo tibi exsecutionem Ordinis » Diaconatus, qua fueras juste privatus, ut » caste vivendo abhinc possis digne Evange- » licam Lectionem legere; et ministrare Pre- » sbytero vel Episcopo, et effundere aquam in » Eucharistiam Sanguinis Christi. » Tum mandat ut benedicat ei Episcopus.

§ XII.

Exsecutionis autem Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, et minorum Ordinum, et privilegii Clericalis restitutio fit similiter prout supra usque ad manus impositionem, in qua Pontifex cum mitra sedens, dicit : *In nomine Domini. Ego, quamvis peccator, tamen Episcopus, per hanc manus impositionem restituo tibi dilectissimo filio privilegium Clericale, et exsecutionem Ordinum et graduum Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus et Presbyteratus, quibus fueras juste depositus et privatus; ut amodo possis digne custodire ostia domus Domini cum omnibus quæ intra retinentur, et distincte legere de Codice, audiente populo Dei; et abhinc in antea habeas potestatem imponendi manus super energumenos, sive baptizatos, sive catechumenos; et possis digne accendere luminaria ecclesiæ, et ante Evangelium portare; ac legere Prophetias et Epistolas, ac Lectionem Evangelicam ad Missas, et in eis*

Digitized by Google

ministrare Diacono, Presbytero et Episcopo, et fundere aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi; ac Missas celebrare pro vivis ac defunctis, acceptabiles quoque Hostias offerre Deo, et ministerium Presbyterale devote perficere. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen. Tunc benedicit ei, ut supra : quo facto, ille osculatur manum dexteram Pontificis, surgensque discedit.

COMMENTARIUS.

Juxta eosdem memoratos codices manuscriptos Pontificales, Vaticanum Durandi, et Arelatensem, ubi Episcopus Presbyterum ad suum restituit Ordinem a quo fuerat depositus, manu super caput ejus imposita, ita ipsum alloquitur : « In nomine Domini. Amen. Ego, S. » (Hæc littera nomen Episcopi significat.), « pec- » cator, tamen Episcopus, per hanc manus » impositionem restituo tibi exsecutionem Or- » dinis Presbyteratus de quo fueras juste pri- » vatus, ut caste vivendo amodo digne possis » canere Missas pro vivis et defunctis, et ac- » ceptabiles Hostias offerre Deo, et ministe- » rium Presbyterale devote perficere. Præ- » stante Domino nostro Jesu Christo, etc. » Ubi nota postrema hæc verba, « Præstante Do- » mino, etc., » quæ in editis Pontificalibus in omnibus superius memoratis exstant formulis, juxta laudatos manuscriptos codices, Vaticanum Durandi, et Arelatensem, in hac solum legi formula quæ restitutionem exsecutionis Ordinis Presbyteratus continet.

§ XIII.

Nunc degradationem subjicimus. Si Clericus secundum primam formam sententialiter depositus, incorrigibilis appareat, debet excommunicari. Et, si postmodum in profundum malorum veniens contempserit, tunc, et cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, Pontifex debet illum degradare, et curiæ sæculari relinquere : quæ degradatio fit hoc modo.

COMMENTARIUS.

I. Exstat hæc rubrica in cap. *Cum non ab homine* x, *De Judiciis,* ubi Cælestinus III, sive potius Clemens III, Pontifex Maximus, Brundusiensi Episcopo rescribens, postquam dixit Clericum in quocumque Ordine constitutum, si in furto, vel homicidio, vel perjurio, seu alio mortali crimine fuerit deprehensus atque convictus, ab Ecclesiastico judice esse deponendum, ita statim subjicit : « Qui si deposi- » tus incorrigibilis fuerit, excommunicari de- » bet; deinde contumacia crescente, anathematis » mucrone feriri; postmodum vero, si in pro- » fundum malorum veniens contempserit, cum » Ecclesia non habeat ultra quid faciat, et ne » possit ultra esse perditio plurimorum, per » sæcularem comprimendus est potestatem, ita » quod ei deputetur exsilium, vel alia pœna » legitima inferatur. »

II. Multa sunt quidem in hac decretali Epistola notatu digna, quæ egregie explicat in ejusdem notis et commentario eruditus interpres Emmanuel Gonzalez. Certe illud videtur captu difficile, quod in eo recitato capite Pontifex mandet, incorrigibilem Clericum primo excommunicari, deinde, contumacia crescente, anathematis mucrone feriri. Si enim jam Clericus incorrigibilis excommunicatione majori ligatus erat, ad quid novo anathematis mucrone feritur, cum, uti omnibus notum est, ex sacris canonibus anathema et excommunicatio vi et effectu minime differant? Agnoverunt difficultatem tam antiqui quam recentiores memorati loci interpretes, pro ejusque solutione sciendum est, anathema propria notione apud scriptores Ecclesiasticos significare quidem inflictam ab Episcopo vel Concilio excommunicationem, non tamen quamvis ἀκοινωνησίαν, id est communionem et participationem nullam,

Digitized by Google

sed eam segregationem quæ cum exsecratione et maledicto decernitur. Nam non omnes qui a fidelium communione et ab Ecclesiæ ingressu abstinere propter delictum jubentur, quales etiam, exempli gratia, sunt quos pœnitentes vocant, anathemate damnari dicuntur, sed ii qui omni præterea precum consortio ac publica mentione, convictu, colloquio et salutatione fidelium privantur, quibusdam adhibitis cæremoniis : cum enim anathema profertur, candelæ accensæ exstinguuntur in aqua, campanæ pulsantur, et crux nigro velo cooperitur; de quibus et aliis id genus cæremoniis fuse nos infra opportuniori loco loquemur.

III. Sane in memorato capite *Cum non ab homine*, et in can. *Engeltrudam*, causa III, quæstione IV, atque in aliis non paucis sacris Canonibus, post excommunicationem anathema indicitur, id est excommunicatus solemniter exsecratur et maledicitur; solemnisque hæc exsecratio et maledictio in Ecclesia facta, dicitur anathema, et ipsius excommunicati anathematismus est veluti auctarium et aggravatio detestationis contra excommunicatum, contumacem ac protervum, excommunicationemque præcedentem auget, non substantia segregationis, sed horrore majorum exsecrationum.

IV. Ergo Clericus in vitiis iteratis insordescens, ex laudato cap. *Cum non ab homine*, cum propter incorrigibilitatem sit puniendus, prius deponitur, mox excommunicatur, tum judici sæculari plectendus traditur. Licet enim laicus judex non possit in Clericos animadvertere, ut passim sacri canones docent, cum tamen per depositionem ad statum sæcularem reducantur, recte potest Clericum præcedente depositione condemnare ; nudatur quippe per ipsam depositionem privilegio fori, manetque ut laicus sub judice sæculari. Sane et apud Gentiles hæc olim viguit disciplina : nam Romæ virgines vestales cum non alios haberent judices præter Pontificem Maximum, si admissi incestus arguerentur, ante damnationem, et priusquam vivæ sub terram foderentur, mos erat eas a Pontifice sacris arceri, et sacerdotio exauctorari, ut tradit Plutarchus in Numa, et Dionysius Halicarnasseus, lib. III. Similiter milites propter graviora scelera militari cingulo nudabantur, ut postea tanquam pagani plecterentur : leg. *Proditores* LVII, ff. *De re militari*. Rursus ubi milites ipsi exauctorabantur, quod ab eisdem cingulum, arma, aliaque insignia militaria auferrentur, constat quidem ex lege, *Qui de libertate* XXIX, ff. *De liberali causa*. Vide Vegetium, Cathaneum, et alios de re militari agentes. Ex quibus omnibus recte deducitur modus contra Clericos criminosos incorrigibiles præscriptus, qui post depositionem judici sæculari plectendi traduntur.

V. Illud vero minime hic omittendum videtur quod, ubi in nostra hac Rubrica, et in laudato capite *Cum non ab homine*, Clerici incorrigibiles deponi, et judici laico puniendi tradi dicuntur, locum id minime habet in criminibus gravioribus, quæ quidem ob eorum enormitatem haudquaquam patiuntur ut Clerici de iis se corrigani, et, si, deinde ad alia prolabantur, tum judici sæculari relinquendi; statim enim ac Clerici ipsi enormia delicta perpetrarunt, degradati primum ab Episcopo juxta formam a sacris canonibus et Pontificibus præscriptam, sæculari potestati deinde traduntur, ut illos in suum forum recipiat puniendos. Sed audiamus Innocentium III Pontificem Maximum, qui litteris suis ad Episcopum Parisiensem, quæ exstant in cap. *Novimus* XXVII, *De Verborum significatione*, ut Clericus per Ecclesiasticum judicem degradatus sæculari tradatur curiæ puniendus, ita quidem exponit : « Cum enim quidam antecessorum nostrorum super hoc consulti diversa responderint, et quorumdam sit opinio a pluribus adprobata, ut Clericus qui propter hoc vel aliud flagitium grave, non solum damnabile sed damnosum, fuerit degradatus, tanquam exutus privilegio Clericali, sæculari foro per consequentiam applicetur; cum Ecclesiastico foro fuerit projectus, ejus est degradatio celebranda sæculari potestate præsente, ac pronunciandum eidem, cum fuerit celebrata, ut in suum forum recipiat degradatum : et sic intelligitur tradi curiæ sæculari. »

VI. Jam de eo hic monitum lectorem velim, fuisse olim quamdam pœnam civilem Clericis delinquentibus peculiarem, quam leges antiquæ et prisci canones sub ea locutione *Curiæ tradi* comprehendunt; quæ quidem, ut notat Gothofredus in Codicem Theodosianum, libro XVI, titulo II, *De Episcopis*, lege XXXIX; et

Digitized by Google

Altaserra, *De Jurisdictione Ecclesiastica*, libro IX, capite VII, sensum habet omnino diversum ab eo quem usus et praxis recentior ei tribuit. Nam inter recentiores canonici juris interpretes, ex laudato cap. *Novimus*, id significat, quando Clerici depositi et degradati judici sæculari traduntur, ob gravissima delicta morte vel alia capitali pœna luenda. In veteri autem lege, ut tradit Binghamus, lib. XVII *Originum Ecclesiasticarum*, cap. II, § VII, curiæ significatio patebat latius, ut non solum denotaret palatium forense, sed collegium etiam alicujus civitatis, cujus membra decuriones, et curiales solebant vocitari. Erant in hoc alia honorifica, alia servilia officia : et idcirco, si quis Clericus ob crimen aliquod esset de suo gradu dejectus, et ad conditionem redactus laici, præterquam quod omnia privilegia et immunitates ex lege et benevolentia imperatorum perdidisset, curiæ, sive civitatis suæ societati servire cogebatur, et id quidem sæpenumero in humili officio ac servili conditione, quæ pœna erat civilis addititia, eo quod leges Ecclesiæ, et sacræ suæ professionis, et venerabilis functionis regulas violasset.

VII. Fuisse hanc ipsi Clerico pœnam quamdam præcludendi omnem spem Clericalis dignitatis suæ recuperandæ, ex sacris canonibus addiscere licet, qui, sicut ex curialibus ordinari quemquam absolute prohibent, quia scilicet certis municipalibus et civilibus officiis adstricti tenebantur quæ cum spiritualibus consistere non poterant, ita a fortiori Clericis de honoris sui gradu dejectis, et sæcularis curiæ potestati traditis, ut ad statum Ecclesiasticum denuo pertingerent, minime permittebant. De curialium irregularitate fuse disserit Thomassinus in sua *Veteri ac nova Ecclesiæ disciplina*, parte II, lib. I, cap. LXVI et sequenti, varias Patrum ac canonum sanctiones adducens. Cæterum exstat in Codice Theodosiano, titulo *De Episcopis*, lex XXXIX Honorii Augusti, qua ita de Clericis degradatis statuit : « Quemcumque Clericum indignum » officio suo Episcopus judicaverit, et ab Ec» clesiæ ministerio segregaverit : aut si pro» fessum sacræ religionis sponte dereliquerit, » continuo sibi eum curia vindicet; ut liber » illi ultra ad Ecclesiam recursus esse non » possit; et, pro hominum qualitate, et quan» titate patrimonii, vel ordini suo, vel collegio » civitatis adjungatur; unde, ut quibuscumque » apti erunt, publicis necessitatibus obligentur; » ita ut conludio quoque locus non sit, etc. » Hanc eamdem legem in Novella sua CXXIII, capite XIV, Justinianus renovavit confirmavitque : in Novella autem V, cap. VI, similem pœnam Monacho denuntiat, qui, monasterio suo relicto, ad sæcularem aliquam veniat functionem.

VIII. Est et ejus etiam sententiæ eruditissimus Altaserra, lib. IX *De Jurisdictione Ecclesiastica*, cap. VII, ut nimirum, cum legimus in recitata lege XXXIX Codicis Theodosiani, *De Episcopis et Clericis*, itemque in canone *Si quis Sacerdotum*, et canone *Statuimus*, XI, quæstione I, ac tandem, ut alios omittam, in canone *Clericus*, III, quæstione IV, Clericos depositos mox tradi curiæ, nihil aliud olim significarit, quam redigi in ordinem decurionum, ut sustinerent onera municipalia quæ erant gravissima et importabilia. Tum addit auctor laudatissimus, ejus legis XXXIX et memoratorum canonum prava interpretatione invaluisse ut Clerici depositi traderentur judici sæculari puniendi. Secundum hujusmodi interpretationem, quæ forte invaluit circa sæculum Christi XI, Ivo Carnotensis episcopus ita scribit in Epistola LIII : « Nonne satius erat » rapinam bonorum vestrorum perpeti, vel » etiam personam vestram, sicut promiseratis, » carceri mancipari, quam Clericus vester non » judicatus, non damnatus a vobis, curiæ tra» deretur, ubi, more furis, contumeliis et in» juriis quotidianis cruciaretur. Non est hoc » officium pastoris, sed mercenarii » Idem, in Epistola LXVI, ita inquit : « Hoc quod dico » Clerus approbaret, hoc populus acclamaret, » nisi metu regis comprimerentur, vel insidiis » Turonensis Archiepiscopi terrerentur, qui » Clericos sibi adversantes clandestinis dela» tionibus curiæ tradi facit, aut in exsilium » pellendos, aut bonis suis spoliandos. »

IX. Eadem interpretatione instabat Henricus II, Anglorum rex, ut Clerici depositi curiæ, id est foro sæculari, traderentur puniendi, uti legere est in Vita S. Thomæ Cantuariensis, lib. I, cap. XXIII : « Hoc igitur rex quorumdam » fretus consilio, utriusque juris se habere » peritiam ostentantium, instantissime postula» bat, ut tales, mox submoti ab Ordine, cu-

Digitized by Google

» riæ tradantur, quod non solum jus huma-
» num, sed etiam ipsius divini juris canonica
» sanxit auctoritas. Unde de talibus sæpe repe-
» ritur in canone : *Tradantur curiæ;* unde
» quidam pro rege ob regium favorem, ut vi-
» debatur, scienter edocti allegabant, tales ne-
» quaquam exsilio vel monasterio, sed, ca-
» nonibus sancientibus, sic potius tradendos
» curiæ, hoc est judicio sæculari tradi punien-
» dos. » Atque hoc est quod tradit Matthæus Parisius in Henrico ipso II, ad annum 1563 : « Eodem anno rex Henricus incongruum esse
» asseruit Clericos a suis justiciariis in publico
» flagitio deprehensos Episcopo tradere im-
» punitos; decrevit enim ut quos Episcopi in-
» venirent obnoxios, præsente regis justiciario
» exauctorarent, et post curiæ regis traderent
» puniendos. »

X. Spectant quoque eamdem interpretationem quæ tradit Rigordus, in Philippo Augusto, de hæreticis sectæ Amalarici. Sic enim ait : « Et ita hujus sectæ plures Sacerdotes, Clerici
» et laici ac mulieres diutius latentes, prout
» Domino placuit, tandem detecti et capti, et
» Parisios adducti, et in Concilio ibidem con-
» gregato convicti et condemnati, et ab Ordini-
» bus in quibus erant, degradati, traditi fuerunt
» curiæ Philippi regis; qui, tanquam rex Chri-
» stianissimus et Catholicus, vocatis apparitori-
» bus, fecit omnes cremari. » Ad usum denique et consuetudinem sæculi, potius quam ad genuinam sententiam veterum canonum se referens Innocentius III Pontifex Maximus, in laudato superius cap. *Novimus*, Extra. *De Verborum significatione*, canones ipsos ubi Clerici depositi curiæ sæculari tradi dicuntur, sic interpretatus est, ut nimirum depositi Clerici quos tradi curiæ canones edixerunt, brachio sæculari puniendi tradantur.

XI. Est nunc illud denique in hoc Commentario animadvertendum, non semper Clericos plena et perpetua dejectione de Ordinis sui gradu fuisse punitos; nonnunquam enim, etsi in perpetuum officio suo dejicerentur, honorem tamen et dignitatem retinere permittebantur. Hoc quidem puniendi genus, ut scite observat Binghamus, libro XVII *Originum Ecclesiasticarum*, cap. IV, medium erat inter temporariam suspensionem, et perpetuam degradationem. Nam adhuc communicandi inter Clericos libertatem habebant, nec penitus ad communionem laicam redacti erant. Constat hæc disciplina ex variis priscis Synodis, inter quas Ancyrana, anni 314, can. I, iis Presbyteris qui idolis sacrificaverant, postea autem, certamine iterum inito, Confessores Christianæ fidei evaserant, dignitatem et honorem Presbyterorum retinendi, et inter reliquos in Presbyterio sedendi facultatem tribuit, sermonem autem habere, vel Eucharistiam consecrare, aliudve Sacerdotalis functionis officium obire minime permittebat. Canone item secundo eadem Synodus de Diaconis in idololatriam delapsis statuit ut honorem quidem suum retinerent, ab omni autem sacro ministerio cessarent, nec panem, nec calicem offerrent, nec præconis officio in Ecclesia defungerentur, nisi Episcopus, laboris eorum et humilitatis ac mansuetudinis conscius, eis aliquid amplius tribuere vellet, quod arbitrio ejus in totum relinquebatur.

XII. Simile decretum legere est in aliis Synodis, ac præsertim in can. VIII œcumenicæ Synodi I Nicænæ, ex qua etiam in causa Meletii definitum est ut nudum honoris sui nomen retineret, nullam vero haberet aut manus imponendi aut eligendi potestatem, nec hujus rei causa aut in vico aut in urbe compareret. Vide Synodicam memoratæ Synodi Epistolam apud Theodoretum, lib. I, cap. IX, et apud Sozomenum, lib. I, cap. XXIV, ubi ita inquit : « Porro
» eadem Synodus, cum ea quæ per Meletium in
» Ægypto acciderant examinasset, contra illum
» sententiam tulit ut in urbe Lyco degeret, solo
» Episcopi nomine contentus, nec deinceps
» sive in urbe, sive in vico ordinationem ullam
» faceret. » Similis sententia lata est in generali Concilio Ephesino in causa Eustathii metropolitæ Pamphyliæ, qui, vitæ privatæ studio ductus, cum turbas quasdam in officio suo sustineret, Episcopatu ipse se abdicabat, idque contra canonem, deinde vero a Concilio petebat ut solum Episcopalis honoris nomen retinere sibi liceret. Cui illius petitioni, habita ætatis et quieti animi ejus ratione, adnuit, « justum rectumque esse » definiens « ut, abs-
» que omni contradictione, et nomen retineat
» Episcopi, et honorem, et communionem; ea
» tamen lege ut neque ordinandi ipse aucto-
» ritatem habeat, neque, ubi in illam Eccle-

Digitized by Google

» siam venerit, ex propria sacrificet auctoritate, nisi id sibi, vel adjuvandi causa, vel confessionis ratione, affectu amoreque Christiano, a fratre et coepiscopo, si ita contigerit, liberaliter deferatur. » Vide sis hoc decretum in Ephesina Synodo, quod Commentario illustravimus nostro I tomo *Conciliorum*, pagina 212.

XIII. Juxta veterem etiam Ecclesiæ morem, in Ecclesia tum Græca tum Latina receptum, privabantur interdum Clerici Ordine suo quoad particulares quosdam ejusdem Ordinis actus, reliquis functionis suæ exercendæ partibus retentis. Quod quidem constat ex Conciliis Neocæsariensi et Carthaginensi IV, in quorum altero Patres, canone IX, ita statuerunt : « Si » Presbyter qui corpore prius peccaverat, promotus fuerit, et se ante ordinationem peccasse » confessus fuerit, ne offerat, manens in aliis » propter aliud ejus bonæ vitæ studium. » Quem canonem expendens Zonaras, ait quod, si, priusquam sacris Ordinibus initiaretur, corpore quispiam peccaverit, hoc est ad libidinosam usque corporum commixtionem progressus fuerit, deinde vero admissum crimen promotus, hoc est ubi Sacerdos creatus fuerit, confiteatur, offerre, hoc est sacra celebrare, homini nequaquam licebit : cæterum proprios Sacerdotum honores, cathedræ prærogativam, jusque præterea in altari communicandi retinebit, aliisque, ob alias virtutes, si nimirum vitæ integer, ac virtutis exercendæ studiosus sit, privilegiis cohonestabitur. In Concilio vero Carthaginensi IV, can. LXVIII, postquam Patres edixerunt ex pœnitentibus Clericum non ordinari, et, si per ignorantiam Episcopi ordinatus sit, a Clero illum deponi, hæc statim subjiciunt : « Si sciens » Episcopus ordinaverit talem, etiam ipse ab » Episcopatus sui ordinandi duntaxat potestate » privetur. » Ubi nota, istiusmodi Episcopum reliquas officii partes exercendi potestatem retinere.

XIV. Rursus deponebantur aliquando Episcopi, adempta eisdem in aliquam gregis sui partem potestate, in reliquas autem relicta. Colligi hoc potest ex iis quæ S. Augustinus, in Epistola CCLXI, de eorum ratione agendi cum Antonio quodam Episcopo juvene enarrat, qui nonnullos de populo suo indignis exactionibus oppresserat : « Sententias nostras, inquit, sic » temperavimus, ut, salvo Episcopatu, non » tamen impunita relinquerentur quæ non » deberent vel eidem ipsi deinceps iterumque » facienda, vel cæteris sectanda proponi. Honorem itaque integrum servavimus juveni corrigendo : sed corripiendo minuimus potestatem, » ne scilicet iis præesset ulterius cum quibus » sic egerat ut, dolore justo, cum sibi præesse » ferre omnino non possent, et, cum suo illiusque periculo, in aliquod scelus forsitan » erupturam impatientiam sui doloris ostenderent. » Addit Augustinus, Antonium quidem hac de re conquestum esse, tanquam juris sui ac potestatis violationis, et clamasse : « Aut in mea cathedra sedere debui, aut Episcopus esse non debui. » Ostendit autem non esse hoc novum ac insolitum in Africa, nec in se iniquum : posse enim Episcopum diversarum rerum male gestarum reum esse, propter quod non expediat eum omnino impunitum dimittere, neque tamen prorsus Episcopali honore et potestate privare.

XV. Tradit præterea laudatus Binghamus, lib. XVII *Originum Ecclesiasticarum*, cap. IV, ex quo plura notatu digna ad hunc nostrum § illustrandum accepimus, speciatim in Africa (ubi Primatus Metropolitanorum semper migrabat cum Episcopo seniore, ita ut hic mortuo Primati succederet, in quacumque diœcesi sedem suam haberet) morem fuisse Episcopum delinquentem punire, privando eum ætatis prærogativa, et jure Primatus, ita ut omni ejus aliquando adipiscendi spe dejiceretur. Hoc ab Augustino ostendit, qui, in eadem Epistola CCLXI, exemplum exhibens cujusdam Prisci Cæsariensis episcopi, qui hoc modo punitus fuit, ait quod, si argumentum Antonii recte se haberet, Priscum itidem clamare potuisse : « Aut ad » Primatum locus, sicut cæteris, et mihi pariter » patere debuit, aut Episcopatus mihi remanere » non debuit. » Aliud ibidem disciplinæ exemplum memorat Augustinus, qua Episcopus delinquens ad communionem suæ ipsius Ecclesiæ adstringebatur, prohibitis reliquis Episcopis ne cum ad communionem in ulla Ecclesiarum suarum admitterent. Ait enim in quemdam Victorium hoc modo animadversum fuisse, qui æque objicere et clamare potuisset : « Aut ubique communicare debui, aut etiam in » meis locis communicare non debui. » Tandem,

Digitized by Google

codem teste Augustino, negligentes in Africa Episcopi a diœcesi majori ad minorem translatione puniebantur; quæ species quædam erat tacitæ infamiæ. Atque hoc modo Laurentium quemdam Episcopum juxta Africanæ Ecclesiæ disciplinam punitum fuisse Augustinus ipse affirmat, ubi, adversus memoratum Antonium scribens, ita inquit : « Clamet tertius ejusdem » provinciæ Laurentius Episcopus, et prorsus » hujus vocibus clamet : Aut in cathedra cui » ordinatus sum sedere debui, aut Episcopus » esse non debui. »

XVI. Memoratis hactenus depositionis speciebus aliæ etiam adjungi possunt, quæ olim in usu erant. Puniebantur quippe non raro Clerici amissione prærogativæ ætatis inter reliquos sui Ordinis; hæcque plerumque ambitiosorum et arrogantium pœna erat, uti videre est in canone VII Concilii Trullani, ubi ita legimus : « Quoniam in nonnullis Ecclesiis Diaconos » officia Ecclesiastica habere didicimus, et ex » hoc nonnullos eorum arrogantia et licentia » fretos ante Presbyteros sedere : statuimus ut » Diaconus, etiamsi in dignitate, id est in quovis » sit officio Ecclesiastico, ante Presbyterum ne » sedeat, præterquam si, proprii Patriarchæ vel » Metropolitani vicem gerens, adsit in aliqua » civitate super aliquo capite; tunc enim ut » locum illius implens honorabitur. » Tum vero addit : « Si quis autem, tyrannica adductus » audacia, tale quid efficere ausus fuerit, is, ex » proprio gradu dejectus, sit omnium ultimus » ejus Ordinis in cujus est catalogo in sua Ec- » clesia; Domino nostro admonente ne in pri- » mis sedibus delectemur, secundum eam, quæ » in sancto Evangelista Luca, ut ex Domino » nostro et Deo profecta, posita est, doctri- » nam : *Quando ab aliquo ad nuptias invitatus* » *fueris, ne in primo loco accubueris, ne forte* » *quispiam te honoratior ab eo invitatus fuerit,* » *isque qui te et ipsum invitavit, veniat, et di-* » *cat : Da ei locum; et tunc incipies cum pudore* » *ultimum locum tenere. Sed quando invitatus* » *fueris, in ultimo loco accumbe, ut, quando ve-* » *nerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice,* » *ascende altius. Tunc erit tibi gloria coram iis* » *qui tecum accumbunt. Nam quisquis se extol-* » *lit, humiliabitur, et qui se humiliat, exalta-* » *bitur.* »

XVII. Hactenus canon VII Trullanus, cui concinit canon V Concilii Nicæni II, ubi similis ad corrigendos Clericos regula exstat, qua definitur ut, si quis arroganter elatus insurgat adversus alios, ad infimum Ordinis sui gradum, ad discendum in statione sua elati animi submissionem, detrudatur. Hanc pœnam observatam etiam olim in Monachos, propter leviores quasdam offensiones, docet nos Regula S. Benedicti, cap. XLIII, ubi ita inquit : « Si quis ad » nocturnas Vigilias post Gloriam Psalmi nona- » gesimi quarti, quem propter hoc omnino » protrahendo et morose volumus dici, occur- » rerit, non stet in ordine suo in choro, sed » ultimus omnium stet : aut in loco quem » talibus negligentibus seorsum constituerit » Abbas, etc. » Eamdem pœnam, ob alia tamen delicta, constitutam legimus in Regula S. Pachomii, articulo LXXXV, his verbis : « Si quis » iracundus et furiosus, frequenter irascatur » sine causa et propter rem inanem et vacuam, » per sex vices commonebitur, et in septima » facient eum surgere de ordine sessionis suæ, » et inter ultimos collocabitur. » S. Benedicti vestigia secuti sunt Patres Concilii Aquisgranensis, quod habitum fuit anno 816, lib. I, cap. CXXXI.

XVIII. Porro Clericis æque ac Episcopis juxta ordinationis suæ tempus assignari locum est perpetuus omnium Ecclesiarum mos. Hinc merito sanctus Leo Magnus, epistola V, Dorum Beneventanum episcopum suggillat, quod apud ipsum novo ambitu fœdoque colluvio Presbyterii ordo fuisset turbatus, ita ut unius Epicarpii scilicet festina et immatura provectio, quædam eorum dejectio facta sit quos ætas commendabat et nulla culpa minuebat. Gelasius quoque I, Pontifex Maximus, in Epistola IX, ad Lucaniæ Episcopos, expresse vetat « cujuslibet utilitatis causa seu Presbyterum seu Diaconum his præferri qui ante ipsos fuerint ordinati. » Celebre est quod de S. Gregorio Magno in ejus Vita scribit Joannes Diaconus : « Antiquissimum Ec- » clesiasticæ consuetudinis ordinem, ab Apo- » stolis traditum et ad sua usque tempora » solemniter consecratum, Gregorius adeo » studiosissime retinebat, ut nullum, quanta- » libet sanctitate, sapientia, nobilitate ve polleret, » anterioribus Clericis in conventu, confessu, » statione, sive subscriptione præponeret. » In decreto Gelasiano vox *utilitatis*, et apud Joan-

Digitized by Google

nem Diaconum vox *nobilitate*, ut scite observat eruditus Lupus in canonem v Concilii Nicæni II, palam demonstrant, ambitum, ab ipso Concilio damnatum, istis quoque temporibus non defuisse. Tum etiam adjungit, vocem *sapientia*, cujus meminit Joannes Diaconus, ostendere « Fratrum in sacra theologia Doctorum præ» cedentiam, in quibusdam Mendicantium Or» dinibus usitatam, adversari antiquæ disci» plinæ. » Sed huic opinioni minime assentior, nam Doctoratus in theologia, sive, ut aiunt, Magisterium, est quædam dignitas, qua insigniti homines jure ac merito alios illa carentes præcedunt, tametsi isti antea ordinati sint.

XIX. Sed iis omissis, dejiciebantur etiam aliquando Clerici ob sua crimina de spe ad altiorem Ordinem ascendendi. Certe Concilium Toletanum I, habitum anno 400, can. I, statuit : « Placuit ut Diaconi qui incontinenter cum » uxoribus vixerint, Presbyterii honore non » cumulentur. » Tum addit : « Si quis vero ex » Presbyteris ante interdictum filios suos susce» perit, de Presbyterio ad Episcopatum non » admittatur. » Canone III ejusdem Concilii, ita quidem cautum est ut, « Lector si viduam alte» rius uxorem acceperit, amplius nihil sit, sed » semper Lector habeatur. » Canone tandem VIII in eodem Concilio edito, ut alios complures omittam ab aliis Synodis editos, statutum legimus ut, « si quis post baptismum » militaverit, et chlamydem sumpserit aut » cingulum ad necandos fideles, etiamsi gravia » non admiserit, si ad Clerum admissus fuerit, » Diaconi non accipiat gradum. » Scio multa esse in hisce canonibus quæ explicatione indigent; sed satis nobis hoc loco est observare pœnam de qua agimus, memoratorum canonum auctoritate explicuisse. Ex quibus omnibus huc usque enarratis liquet varias fuisse depositionis pœnas Clericis ex prisca Ecclesiæ disciplina inflictas.

XX. Tandem, si quis aliquando in aliquod crimen incidisset ob quod vel pro aliquo tempore ab officio suspendi, aut de gradu omnino dejici debuisset, nomen ipsius aut omnino delebatur, si nempe a Clero omnino exclusus foret, aut supprimebatur, si ad certum tempus ab officio abstineretur. Supprimebatur autem illud nomen, quod inter sacra palam minime recitabatur : delebatur, quod omnino e tabula expungebatur. Observat hæc quidem eruditus Hallier in celebri opere *De sacris Electionibus et Ordinationibus*, in eorumque comprobationem utitur testimonio S. Augustini, qui, in Epistola CXXXVII, ad Clerum et populum Hipponensem, de Bonifacio Presbytero, qui, de aliquo crimine ab alio accusatus, non tamen convictus, et ad sepulchra Sanctorum cum accusatore missus fuerat, loquens, ejus nomen nec ausum fuisse delere nec supprimere dicit, privata scilicet sua sententia, quod nec de gradu dejici nec suspendi posset qui convictus non esset : quod tamen Presbyter accusatus consensisset pro Presbytero per aliquod tempus non haberi, ideo Cleri et plebis Hipponensis judicio reliquit num velint nomen ipsius inter sacra prætermitti, seu, quod ipse antea dixerat, supprimi.

XXI. Augustini integrum locum ab Hallierio hactenus interpretatum abs re non erit hoc loco describere. Sic enim inquit : « Nomen autem » Presbyteri non sum ausus de numero colle» garum ejus vel supprimere vel delere, ne » divinæ potestati, sub cujus examine causa » adhuc pendet, facere viderer injuriam, si » illius judicium meo vellem præjudicio præ» venire : quod nec in negotiis sæcularibus » judices faciunt, quando causæ dubitatio ad » majorem potestatem refertur, ut, pendente » relatione, aliquid audeant commutare; et in » Episcoporum Concilio constitutum est nullum » Clericum, qui nondum convictus sit, suspendi » a communione debere, nisi ad causam suam » examinandam se non præsentaverit. Boni» facius tamen hanc humilitatem suscepit, ut » nec litteras acciperet quibus in peregrinatione » honorem suum quæreret, ut, in eo loco ubi » ambo ignoti sunt, circa ambos æqualitas ser» varetur : et nunc, si vobis placeret ut nomen » ejus non recitetur, ne iis qui ad Ecclesiam » accedere nolunt, sicut ait Apostolus, demus » occasionem quærentibus occasionem, non erit » nostrum hoc factum, sed eorum quorum » causa fuerit factum : quid enim obest homini, » quod ex illa tabula non vult eum recitari » humana ignorantia, si de libro vivorum non » eum deleat iniqua conscientia? » Ubi autem aliquis correctus fuisset, potuisse ejus nomen, quod deletum fuerat, iterum tabulis Ecclesiasticis inscribi, ex Concilii Agathensis sanctione, in canone II, addiscimus, quæ *Capitularium*

Digitized by Google

lib. VII, cap. CLXVII, inserta legitur, qua nempe decernitur ut « contumaces Clerici, prout dig- » nitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigan- » tur, ita ut, cum eos pœnitentia correxerit, » rescripti in matricula, gradum suum dignita- » temque suscipiant.»

XXII. Erat autem pœna omnium gravissima, degradatio, plena scilicet et perpetua ademptio potestatis et auctoritatis Clericis in Ordinatione commissæ. Ut enim Ecclesia potestatem habet, pro variis Ordinum gradibus, auctoritatem ministris suis tribuendi, ita et habet potestatem, propter malam muneris administrationem manifestamque offensionem, eam repetendi, illique eripiendi. Scite et hoc quidem tradit Binghamus, lib. XVII *Originum Ecclesiasticarum*, cap. I, § VI, quem nos non veremur sequi, ubi ex recta canonum ac sanctorum Patrum intelligentia veterem Ecclesiæ disciplinam enarrat. Ergo per quosdam canones dicuntur Clerici *degradari, privari, et ab officio suo removeri*, ut in Concilio IV Carthaginensi, can. XLVIII, XLIX et L. Per alios vero, *omnino deponi*, ut in Concilio Antiocheno, can. V; *omnino a proprio cadere gradu*, ut in Concilio Ephesino, can. VI; *ab ordine Cleri amoveri*, ut in Concilio Arelatensi I, can. XIII; *a Clero abstineri*, ut in Concilio Nicæno I, can. II; et ut alios similes loquendi modos ab aliis Synodis usitatos omittam, passim apud easdem, *ad communionem laicam redigi*. Hinc Gelasius Papa in Epistola sua ad Ruffinum, apud Gratianum, can. XIII, distinctione LV, in causa cujusdam Presbyteri qui in contentione alteri oculum effoderat, ita scribit : « Bene fraternitas » tua fecit ab officio eum Presbyteri removere. » Hoc tamen sollicitudinis tuæ sit, ut locum ei » pœnitentiæ constituas, et in aliquo cum mo- » nasterio retrudas, laica tantum sibi commu- » nione concessa. »

XXIII. Quid communio laica sit, non una est scriptorum sententia. Lapsus quidem videtur Bellarminus, aliique eum secuti, ubi aiunt laicam communionem intelligi de participatione Eucharistiæ sub una specie. Sæpe etenim Clericos ad laicam communionem detrusos legimus eo tempore quo etiam laici sub utraque specie communicabant, ut sapienter docet Joannes Bona Cardinalis, lib. II *Rerum liturgicarum*, cap. XIV, § III, et ante ipsum doctissimus Lindanus in sua *Panoplia*, lib. IV, cap. LVIII. Docent autem ipsi auctores communionem laicam significare quidem Eucharistiæ participationem quam inter laicos homines Clerici a suo gradu dejecti extra cancellos sanctuarii percipere coacti erant. Hæc opinio, quamvis plausibilis sit, non tamen sensum communionis laicæ penitus exprimit. Poterat enim quis, ut alii observant, ad communionem laicam admitti non tantum in ecclesia, sed in privatis ædibus, imo in lecto animam agens, ubi talis distinctio locum habere non poterat.

XXIV. Forte veriorem laicæ communionis sensum assecutus est Marca, tractatu in cap. *Clericus*, ad calcem Baluzii *De Emendatione Gratiani*, p. 583, docens laicam communionem significare Clericum non solum e consessu Cleri extra cancellos depulsum, et redactum in locum et ordinem laicorum ad communicandum synaxi, sed deturbatum omnino a corpore Cleri, et ad laicam conditionem detrusum, ita ut, deposito privilegio quod antea illi competebat, nunc pertineat ad forum sæculare, in causa civili et criminali ; in eoque, tum addit, distingui communionem hanc laicam a peregrina, quod ista retineat Clericum in ordine Cleri, etsi gradu, consessu, et sportulis ordinariis mulctatum, præter alimenta, laicam vero eum ab illo ordine depellere. Ex quo manifeste colligitur reductionem Clerici ad communionem laicam, esse plenam et perfectam ejus dejectionem de officio suo et Ordine, quantum scilicet ad ejusdem licitas functiones.

XXV. Binghamus, eruditus cæteroqui scriptor, in recitato lib. XVII *Originum Ecclesiasticarum*, cap. II, § IV, ulterius progrediens, ejus est opinionis ut velit Sacerdotem sive Episcopum depositum, et ad laicam communionem redactum, ita ex Ordine suo excidere, « ut, si jam » agere vellet tanquam minister Ecclesiæ, » actiones ejus nullæ et irritæ, nec aliæ quam » actiones laici haberentur. » Additque initio § VI : « non obstante indelebili, qui venditatur, » charactere Ordinationis. » Parcendum hæretico homini, si ita loquitur erroribus suis mancipatus. Quod enim aliqua novæ legis Sacramenta, atque in iis Sacramentum Ordinis characterem imprimant, diserte definitum est ex Concilii Tridentini Patribus, sessione VII, *De Sacramentis in Communi*, can. IX : « Si quis » dixerit, in tribus sacramentis, Baptismo sci-

Digitized by Google

» licet, Confirmatione et Ordine non imprimi » characterem in anima, hoc est signum quod» dam spirituale et indelebile, unde ea iterari » non possunt, anathema sit. » Idipsum complures aliæ Synodi decernunt, et sancti Ecclesiæ Patres docent, quorum testimonia apud theologos legere est.

XXVI. Hanc esse Ecclesiæ traditionem constantissima est theologorum sententia, qui longe ante Lutherum, Calvinum, Binghamum, aliosque ejusdem farinæ homines, in Catholica Ecclesia floruerunt. Vide virum clarissimum Guillelmum Estium, in libri IV distinctionem XXV, § V, et inter alios Jueninum in opere *De Sacramentis*, distinctione VIII, quæstione VI, cap. I. Unde non mirum si apud omnes theologos valet quoad substantiam sive quoad validitatem, ut aiunt, Ordinatio quæ, secundum ritum a Christo institutum, extra Ecclesiam ab hæreticis et schismaticis celebrata fuerit. An id de fide sit, non omnes quidem conveniunt, sed aiunt, aut temerarium esse id negare, aut erroneum : « Post » theologorum de proposita quæstione consen» sum, erroneum esset negare validum esse » sacramentum Ordinis, quod ab hæretico vel » schismatico, quantumvis ab Ecclesia præciso, » fuerit collatum. » Verba sunt doctissimi Hallierii in aureo opere *De sacris Electionibus et Ordinationibus*.

XXVII. Quoad degradatos Sacerdotes et Episcopos, utrum valide ipsi Eucharistiæ Sacramentum conficiant vel Ordines conferant, affirmant quidem cum Angelico Doctore, parte III, quæstione LXXXII, theologi omnes et juris canonici consulti; Archidiaconus in canone *Ostenditur* XXXI *De Consecratione*, distinctione IV; et Richardus in IV *Sententiarum*, distinctione XIII; estque hæc verissima sententia a theologis æque ac juris canonici consultis recentioribus propugnata; quia scilicet character super quo fundatur conficiendæ Eucharistiæ potestas, animæ impressus a Deo, auferri ab homine non potest. Errat itaque *Glossa Canonici Juris* in can. *Accedens*, distinctione L, ubi contrarium sentit. Sed vide plura de ea re apud theologos, qui fuse hasce quæstiones pertractant.

TITULUS VII.

DEGRADATIONIS FORMA.

I. Tametsi in antiquis Pontificalibus libris forma et ritus degradandi Clericos criminosos minime inveniatur, pervetustus est is nihilominus ritus, cujus prisci scriptores, et veterum Conciliorum Acta passim mentionem faciunt. Certe sententia depositionis lata contra Nestorium a sancta Ephesina Synodo, anno 431 habita, cui Episcopi omnes subscripsere, hæc est : « Sancta Synodus dixit : Cum præter cætera » impiissimus Nestorius, neque nostræ citationi » parere, neque sanctissimos religiosissimosque » Episcopos a nobis destinatos admittere volue» rit, non potuimus ad eorum quæ impie docuit, » examinationem animum adjungere. Depre» hendentes itaque partim ex litteris commenta» riisque ipsius, partim e sermonibus quos nu» perrime in hac Ephesiorum Metropoli habuit, » quique testimoniis comperti sunt, illum im» pie sentire et prædicare, coacti per sacros cano» nes, et Epistolam Patris nostri et comministri » Cœlestini Romanæ Ecclesiæ episcopi, lacrymis » subinde perfusi, ad lugubrem hanc contra eum » sententiam necessario venimus. Igitur Domi» nus noster Jesus Christus, quem suis ille bla» sphemis vocibus impetivit, per sanctissimam » hanc Synodum eumdem Nestorium Episcopali » dignitate privatum, et ab universo Episcopo» rum consortio et cœtu alienum esse definit. » Exstat hæc sententia in prima memoratæ Synodi actione, ubi Episcopi qui ipsum Nestorium deposuerunt, plures quam ducenti exstitere. Cœlestinum Papam patrem suum vocant, per cujus litteras jussa jam fuerat Nestorium judicare et deponere; ut vel inde intelligas antiquam Ro-

Digitized by Google

mani Præsulis potestatem in judicandis et deponendis Episcopis etiam extra Occidentem.

II. Porro depositionis sententia missa ad Nestorium altero die damnationis ejus, hæc est in ipsa prima Actione Concilii : « Sancta Synodus, » Dei gratia juxta religiosissimorum christianis- » simorumque imperatorum nostrorum statutum » in Ephesiorum Metropoli congregata, Nesto- » rio, novo Judæ. Agnosce, te, propter impias » prædicationes tuas, et adversum canones » contumaciam, vigesimo secundo die mensis » junii præsentis, juxta Ecclesiasticarum san- » ctionum decreta, a sancta Synodo depositum, » atque ab omni Ecclesiastico gradu alienum » esse. » Ubi nota vocari Nestorium novum Judam. Judas etenim Christum Dominum, quod se Deum et Dei Filium diceret, tanquam hominem blasphemum Judæis vendidit. Rursus, ut alias omittam depositionum formulas, quas adversus hæreticos et criminosos Episcopos Clericosque protervos passim legere est in Actis Conciliorum et apud scriptores Ecclesiasticos, ubi Dioscorus Constantinopolitanus antistes in Chalcedonensi Synodo, habita anno 451, damnatus est, hæc adversus ipsum actione III, prolata fuit sententia : « Cognosce, te ipsum, pro- » pterea quod divinos canones despexisti, et » inobediens exstitisti huic sancto et universali » Concilio, superque hæc, præter alia tua com- » missa in quibus inventus es reus, etiam tertio » evocatus ab hac sancta et magna Synodo, se- » cundum divinas regulas, ut accusationibus » responderes, minime accurristi, octobris » mensis præsentis decimo tertio die a sancto » et universali Concilio esse ab Episcopatu de- » positum, et ab omni Ecclesiastica functione » submotum. »

III. Consuevisse depositionis sententiam calamo Christi sanguine intincto desumpto e sacro calice scribi, duo exstant insignia exempla apud scriptores Ecclesiasticos. Alterum refert Theophanes, ubi ait Theodorum Papam eo ritu sententiam depositionis contra Pyrrhum scripsisse; alterum narrat Nicetas Paphlago in Vita S. Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, ubi depositionem Photii describit. Sed de his exemplis vide quæ infra dicemus ad titulum XVII, in Commentario ad § II.

§ I.

Degradandus, indumentis Sacerdotalibus, si Sacerdos sit, indutus; vel Diaconalibus, si sit Diaconus; et sic de reliquis Ordinibus et indumentis, offertur Pontifici. Pontifex vero quasi exsequendo sententiam depositionis in illum dudum prolatam, præsente judice sæculari, cui degradandus debet relinqui, publice abradit cum vitro, vel cultello, vel alio hujusmodi, leviter, sine sanguinis effusione, loca manuum illius quæ in collatione Ordinum inuncta fuerunt, et etiam tonsuram, si velit. Et consequenter seriatim et sigillatim detrahit illi omnia insignia sive sacra ornamenta quæ in Ordinum susceptione recepit, et demum exuit illum habitu Clericali, et induit laicali, dicens publice judici sæculari præsenti, ut illum, propter scelera sua sic depositum, degradatum, exspoliatum et exauctoratum, in suum, si velit, forum recipiat.

COMMENTARIUS.

I. Quamvis, teste erudito Martene, lib. III *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. II, nihil de hoc degradationis ritu in veteribus libris Ritualibus inveniatur, constat tamen ex Actis Conciliorum, et antiquis scriptoribus, degradationes Clericorum, maxime vero Episcoporum, atque Presbyterorum peractas jam olim fuisse per ablationem insignium Sacerdotalium quæ Episcopi ipsi ac Presbyteri in sacra sua Ordinatione acceperant. In actione XI Concilii Chalcedonensis, inter alia legimus, queri Bassianum Episcopum Ephesinum de suis violentis expulsoribus, quod, abripientes pallium Sacerdotii sui, hominem improbum in sede Ephesina collocarint. Res ita se habet. Ejectus quidem violenter ac scandalose per Stephanum Bassianus, qui, videns

Digitized by Google

indictam Ephesinam Synodum a Marciano imperatore, supplicem ei libellum obtulit quo sibi misericordiam rogat impendi, crudelia et nec unquam per barbaros attentata passo non modo a laicis sed etiam a Clericis suis : « Spe» rantes, inquit, Dei timorem, et immaculatorum » virtutem Mysteriorum, quam ex humillimis » meis manibus Dei misericordia susceperunt, » postquam a nobis Mysteriorum perfectio ce» lebrata est, repente apprehendentes me et » abripientes de sancta Ecclesia, plagis afficie» bant, ducentes et portantes in foro, aliquando » vero et recludentes, gladiis me subjecerunt. In » iis itaque dum ipsius vitæ periculum sustine» nerem, furentes, et abripientes pallium Sa» cerdotii mei, in sede posuerunt quemdam ex » iis qui et ipse præsumpserat ea quæ in me » indigne facta sunt. »

II. Fuit sane mos antiquus ut Episcoporum degradatio per ablationem insignium Sacerdotalium fieret, eumque ritum imitatus est nequissimus Clerus ac populus Ephesinus, ubi Præsulem suum violenter degradavit. Liberatus, diaconus Carthaginensis, ubi in suo *Breviario*, cap. XXIII, Paulum patriarcham Alexandrinum depositum narrat, pallii quidem ablationis, quod erat ejusdem insigne, meminit : « Et auferentes, » inquit, Paulo pallium, deposuerunt eum. » Celeberrimum ejus ritus exemplum exstat in actione VIII Concilii VI œcumenici ; cum enim ibidem Patres deponere vellent Macarium archiepiscopum Antiochenum monothelitam, hunc in modum exclamare cœperunt : « Hæreticum » seipsum manifeste demonstravit ; novo Dio» scoro anathema ! hujusmodi deponatur, no» vum Dioscorum foras mitte, novo Apollinario » malos annos ! merito ab Episcopatu alienetur, » nudetur circumposito ei pallio. » Fuit tum pallio Macarius denudatus : quod quidem lucidius exponit Anastasius Bibliothecarius in vita Agathonis Romani Pontificis, sic dicens : « Commonitus Macarius quid sentiret vel cre» deret, respondit se in ea perfidia quam ante » proposuerat, perdurare, et nullatenus ortho» doxæ fidei acquiescere. Ea hora sancta Syn» odus una cum principe ejus orarium auferri » jusserunt a collo ejus, et exsiliens Basilius » episcopus Cretensis Ecclesiæ, ejus orarium » abstulit, et anathematizantes projecerunt eum » foris Synodum, simulque et thronum ejus. »

In actione XII ejusdem VI generalis Synodi legimus degradatum Macarium, et cum suo throno e consessu ejectum, in quadam *Patriarchii cella* custoditum fuisse ; rogantibus autem judicibus Synodum, ut ipsum pœnitentem in sua restitueret Sede, respondit tunc illa : « Juste et » regulariter a Pontificali habitu denudatum, » nullatenus divina regula de cætero suscipit in » Doctoris sede residere. »

III. Hunc eumdem ritum in degradatione Pontificum usitatum confirmant Acta Stephani Papæ III, auctore memorato Anastasio Bibliothecario, ubi depositionem pseudopapæ Constantini sic narrant : « Sabbato vero die (id est » sexta augusti, anno 768), diluculo, ante unam » diem ordinationis beatissimi papæ Stephani, » aggregati aliquanti Episcoporum seu Presby» terorum et Clerici in basilica Salvatoris, ite» rum præfatus Constantinus in medium allatus » est : accedens enim Maurianus Subdiaconus, » orarium de ejus collo abstulit, et ante pedes » ejus projecit, et compages ipsius abscidit. » Vide Pagium in *Breviario Gestorum Pontificum Romanorum*, tomo I, ubi agit de Constantino Antipapa, pag. 310 et 311 ; itemque pag. 312, ubi, Stephani III veri Pontificis gesta enarrans, quid de Episcopis, Presbyteris et Diaconis a Constantino consecratis, in Romana ipsius Stephani Synodo statutum fuerit, recenset. Porro de S. Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, a Photii factione deposito, scribit in ejusdem sancti Ignatii Vita Nicetas Paphlago, quod « Procopius Hypodiaconus, ablato a Patriarcha » pallio, vesteque reliqua sacra, illud solemne » proclamabat, INDIGNUS. »

IV. Erat itaque pallii ablatio præcipuus Patriarchalis degradationis ritus ; tametsi, præter allegatum Nicetæ locum, multa alia in Historia Ecclesiastica exstent testimonia, quibus docemur ablatas etiam ipsis Patriarchis atque Episcopis sacras vestes et insignia Pontificalia. Certe Luitprandus Ticinensis, lib. VI *Historiæ sui temporis*, cap. XI, exauctorationem Benedicti Papæ V, factam in quodam conciliabulo a pseudopontifice Leone VIII, cui ille favebat, sic describit : « Ad » domni Leonis Papæ pedes ipsiusque impe» ratoris idem Benedictus concite procidens, se » peccasse, seque sanctæ Romanæ Sedis inva» sorem esse acclamavit. Post hæc pallium sibi » abstulit, quod, simul cum Pontificali ferula

Digitized by Google

» quam manu gestabat, domno Papæ Leoni » reddidit, quam ferulam idem Papa fregit, et » fractam populo ostendit. » Tum addit de sacris vestibus eidem ablatis : « Deinde Benedictum » in terra sedere præcepit, cui casulam, quam » planetam vocant, cum stola pariter abstulit. » Post autem omnibus Episcopis dixit : Bene» dictum, sanctæ et Apostolicæ Sedis Romanæ » invasorem, omni Pontificatus et Presbyteratus » honore privamus. Ob eleemosynam vero » domni imperatoris Othonis, cujus sumus » opera in sedem debitam restituti, Diaconatus » cum ordinem habere permittimus, et non » jam Romæ, sed in exsilium destinamus. » Ex illo ipso conciliabulo, in quo Leo pseudopontifex deposuit Benedictum, certe constat Leonem ipsum prætexisse ordinationem Benedicti non fuisse legitimam, quia consecratus fuerat contra decretum Othonis, quo jubebatur ut nullus Romanus Pontifex consecraretur præterquam in præsentia Missorum Cæsareorum. Verum validam ac legitimam fuisse Benedicti ordinationem, perspicue ostendit Pagius, tom. I, in vita Benedicti V Pontificis, pag. 456 et sequenti.

V. Ubi inaudito facinore Stephanus VI sive VII Romanus Pontifex, anno 896, circa initium mensis decembris, latrocinali Romæ convocata Synodo, violato Formosi Pontificis decessoris sui sepulcro, exhumari illum jussit, et in judicium vocavit, degradavitque, ipsos quidem in degradatione Episcoporum servari solitos ritus servavit. Teste siquidem Luitprando, lib. I, cap. VIII, Sacerdotalibus indumentis vestitum, et in cathedra Pontificia collocatum, his verbis, tanquam viventem, sacrilege compellavit : « Cum Portuensis esses Episcopus, cur ambi» tionis spiritu Romanam universalem Sedem » usurpasti ? » Tum sacris vestibus exutum, tribus abscissis digitis, in Tiberim jactari præcepit, « cunctosque quos ipse ordinaverat, gradu » proprio depositos iterum ordinavit. » Tam exsecrandum Stephani facinus referunt etiam annalista Freherianus, et Hermannus Contractus, juxta editionem Canisianam, uterque ad annum 896. Prior quidem, post relatam Bonifacii VI mortem, ita scribit : « In cujus sedem » successit Apostolicus nomine Stephanus, vir » fama infamandus, qui antecessorem suum » Formosum, inaudito more de sepulcro eje» ctum, et per advocatum suæ responsionis » depositum, foras extra solitum sepulturæ » Apostolicæ locum sepeliri præcepit. » Hermannus vero de eodem Stephano hæc habet : « Qui, tyrannis favens, et Arnulphum odiens, » Formosum Papam, octavo post obitum mense » effossum, et in sella positum, loquente pro » eo Diacono, criminatum et quasi convictum » degradavit, etc. »

VI. Factam quoque Episcoporum degradationem non modo per ablationem pallii et vestium Pontificalium, sed etiam per baculi Pastoralis atque Episcopalis annuli ablationem, docent nos Acta Concilii Remensis, sub S. Leone IX Pontifice Maximo celebrati; ubi enim depositionem Pudici Nannetensis Episcopi ob simoniæ crimen referunt, sessione III, sic inquiunt : « Confessus est genitorem suum fuisse » Episcopum civitatis, et in ejus vita donum » Episcopii se percepisse, illique mortuo sub» rogatum per largitionem pecuniæ. Quapropter » judicio Synodi, sublato annulo et Pastorali » pedo, privatus est Pontificali ministerio, con» donato ei, intervenientibus Episcopis, tan» tummodo Presbyteratus officio. » Teste *Chronico Mauriniacensi*, ubi Innocentius II ordinatos a Girardo Engolismensi in ordinem redegit, hunc in modum locutus est : « Quicumque per » Girardum Engolismensem ad altaris officium » accesserunt, Apostolica auctoritate interdici» mus ne ipsum impleant, et in illo Ordinis » gradu perenniter demorantes, ad superiorem » non ascendant. » Sequitur mox in ipso *Chronico* : « His dictis, singulos quos reos cognove» rat, propriis nominibus exprimens, eisque » cum indignatione et jurgio exprobrans, pasto» rales baculos de manibus violenter arripuit, » et Pontificalia pallia, in quibus summa digni» tas consistit, de humeris verecundose abstraxit. » Ipsos quoque annulos, in quibus ad ipsos » pertinens Ecclesiæ desponsatio exprimitur, » sine respectu misericordiæ abstulit. » Ubi nota, degradato Episcopo recte eripi baculum et annulum : hic enim spirituale Episcopi cum Ecclesia conjugium, ille Pastoralem significat potestatem; quæ omnia per degradationem solvuntur. Fuse de annulo, baculo, aliisque insignibus Episcoporum egimus nos nostro I tomo, in primam partem Romani Pontificalis.

VII. Rursus consueverunt jam olim Episcopi, ubi Episcopos degradabant, sacras vestes eisdem

Digitized by Google

discindere, et baculos super eorum caput confringere. Hunc quidem ritum addiscere licet ex depositione Silvæ Tarraconensis episcopi, atque Ermemiri ab eo ordinati, de qua ita legimus in Vita S. Theodardi Narbonensis archiepiscopi apud Bollandianos, die I mensis maii : « Deinde » factum est ut, judicio qui aderant Episcopo» rum, tam prædictus Silva, quam qui ordinatus » est ab eo Ermemirus, truncatis in conspectu » omnium ac penitus scissis Episcopalibus in» dumentis, baculisque eorum super eorum » capita confractis, neenon annulis singulorum » ab eorum digitis, dedecore cum magno, evulsis, » ab omni ordine Clericatus dejecti sunt, peni» tusque depositi. » Aliud ejus rei testimonium exstat in Vita S. Leodegarii Augustodunensis episcopi, cap. XIV, in qua Ebroinus actus ab antiquo serpente egisse dicitur, « ut Episcopo» rum consilio ejus disrumperet vestimentum, » quatenus ob hoc esset ei interdictum, ut ultra » non præsumeret offerre sacrificium. » Huc spectat quod scribit S. Gregorius Turonensis, lib V *Historiæ Francorum,* cap. XIX, ubi agit de Concilio in causa Prætextati Rothomagensis antistitis, cujus depositionem urgens rex Chilpericus petiit « ut aut tunica ejus scinderetur, » aut centesimus octavus Psalmus, qui maledi» ctiones iscarioticas continet, super caput ejus » recitaretur, aut certe judicium contra eum » scriberetur, ne in perpetuum communicaret. » Huc tandem spectare videtur quod legimus in libro cui titulus *Disputatio Animæ et Corporis,* ubi hæc habet :

Sic legem habent in Ecclesiis
Archiepiscopi, Episcopi cum Metropolitis,
Et cum impegerit Sacerdos in crimen quoddam ingens,
Primum ei tollunt stolam dignitatis,
Et sic rursus scindunt tunicas : væ mihi!
Atque ita tunc illum tanquam non Sacerdotem puniunt.

VIII. Crucem etiam in depositione Antistitum sublatam, docet Willelmus Tyrius, lib. XV, cap. XV et XVI, ubi, agens de Rudolphi intrusi patriarchæ Antiocheni depositione, ita scribit : « Videns ergo Legatus » : (erat is Albericus S. R. E. Cardinalis episcopus Ostiensis) « quod ad se » venire nolebat Patriarcha, de domini princi» pis confisus patrocinio et viribus, in palatium » ascendit, ibique, data in eum depositionis » sententia, annulum et crucem compulit vio» lenter resignare. » Tum addit : « Inde, ju» bente Legato, principi traditus, et vinculis » miserabiliter alligatus, tanquam vir sangui» num ignominiose tractatus, apud monaste» rium Sancti-Simeonis juxta mare in monte » eminentissimo situm, carceri mancipatus est. » Et infra : « Catenatus in monasterio diu deten» tus, tandem elapsus Romam profectus est. Ibi » aliquatenus gratiam Sedis Apostolicæ assecu» tus, dum redire maturaret, veneno hausto, » sceleris ministro porrigente nescimus quo, » miserabiliter interiit. » Vide Cardinalem Baronium ad annum Christi 1136.

IX. Fuit quidem Donatistarum hæreticorum mos ut, quos deponebant Episcopos, Presbyteros, Diaconos, eisdem capita raderent. Id illis exprobat Optatus Milevitanus, lib. II *Contra Donatistas*, prope finem, sic dicens : « Docete » ubi vobis mandatum est radere capita Sacer» dotum, cum e contrario sint tot exempla pro» posita fieri non debere. » Pluribus id urget Optatus ex divinæ Scripturæ locis, statimque hæc addit : « Tu quis es, ut auferas quod non » dedisti, et qui parare debebas aures ad au» diendum, parasti novaculam ad delinquen» dum? » Porro, tametsi is fuerit Donatistarum mos in degradatione sacrorum hominum usitatus, eumdem nihilominus ritum servatum etiam reperio, ubi Catholici Episcopi alios sui Ordinis homines degradabant. Legimus siquidem in superius laudata S. Leodegarii vita, Didonem « condemnatum ab ipsa Synodo, calvaria ac» cepta in capite expulsum. » Sed et S. Fructuosus Bracarensis episcopus, qui floruit circa annum Domini 664, in sua *Regula,* cap. XVI, præcipit « ut Monachus, parvulorum aut ado» lescentium insectator, coronam quam gestat » capitis amittat, decalvatusque turpiter oppro» brio pateat. » Degradabantur jam olim Monachi, eratque degradatio una ex Monachorum pœnis; de qua vide eruditum Haeftenum, parte II *Monasticarum disquisitionum*, tractatu III, disquisitione III.

X. Ex dictis illud quidem manifestum fit, fieri consuevisse degradationem cum certa verborum formula. Hinc, cum in septima actione Synodi VIII œcumenicæ, ex Basilii Augusti mandato et Romanorum legatorum permissu, « est introductus Photius baculo innixus, et » cum eo Gregorius Syracusanus, » statim hunc in modum clamavit Marinus, Romanæ

Digitized by Google

Ecclesiæ Diaconus, ac Legatus Summi Pontificis : « Tollite baculum de manu ejus; » signum est enim dignitatis Pastoralis, quod » hic habere nullatenus debet, quia lupus » est, et non pastor. » Baculus iste, ut notavimus tomo I in primam Romani hujus Pontificalis partem, non senectutis fulcrum erat, sed pedum Episcopale. Sed quidquid de hoc sit, testis est Socrates, libro I *Historiæ Ecclesiasticæ*, capite XXIV, solitos fuisse Episcopos « in omnibus id facere quos deponunt, ut eos » quidem probris onerent, et impios esse » pronuntient; causas vero impietatis non ex» ponunt. » Ita siquidem Ariani in Synodo Tyri, teste eodem Socrate, libro citato, capite XXXII, depositionis sententiam adversus S. Athanasium tulerunt, « multis eum probris » onerantes in depositionis libello. » Porro constat ex iis quæ supra diximus tum initio tituli, tum in Commentario ad hanc rubricam, exponi consuevisse degradationis causam in ipso degradationis libello.

XI. In solemni depositione Abbatum peculiaris cæremonia fuit ut ipsius sigillum, quod est præcipuum insigne jurisdictionis, frangeretur. Hoc ritu depositus est Radulfus de Arundel abbas Westmonasteriensis, teste Matthæo Parisio ad annum 1214, ubi ita inquit : « Illis diebus per prædictum Legatum (erat » is Nicolaus Tuscanensis episcopus) depositus » est Radulfus de Arundel, abbas Westmona» steriensis, in crastino S. Vincentii per N., » abbatem de Westnam, missum ex parte Lega» ti, fracto ipsius sigillo in capitulo. » Eodem ritu S. Abbas Conchensis in Normannia, coram judicibus datis a Summo Pontifice, abbatiam ejuravit fracto sigillo, sententiam depositionis præveniens : « Et instrumenta, fracto sigillo » quo usus fuerat, in manibus judicum re» signavit, et abbatiam abjuravit memora» tam. » Verba sunt Innocentii III, libro II, epistola XXXVIII.

XII. Quod reliquos Sacerdotes spectat, ablatas et ipsis in sua ipsorum degradatione vestes Sacerdotales, docent nos Acta Concilii Romani sub Joanne Papa XII, actione I, ubi de ordinatis a Leone schismatico Pontifice ita legimus : « Tunc idem benignissimus Papa » præcepit ingredi eos in Concilium cum ve» stimentis, planetis atque stolis, et unum» quemque eorum in chartula scribere fecit » hujusmodi verba : *Pater meus nihil sibi* » *habuit, nihil mihi dedit.* Et sic eos exutos » privavit honore quem dederat eis ipse in» vasor. » Ubi nota Sacerdotes, qui erant degradandi, comparuisse Sacerdotalibus indumentis ornatos, juxta ritum in nostro hoc § et sequentibus descriptum; et ante annos septingentos in Concilio Lemovicensi II, celebrato anno 1031, in quo ita Patres statuerunt : « Quando autem Episcopus Presbyterum de» posuerit, sic agat. Jubeat eum prius indui » omnibus Sacerdotalibus indumentis : deinde » manu sua auferat ei manipulum, deinde » casulam, deinde mediam stolam de collo » reflectat ei inter scapulas sub latere dextro » et depositus est a Presbyteratu in Diacona» tum. »

XIII. Hunc canonem ut curiosi veteris Ecclesiæ disciplinæ tirones intelligant, sciendum est ipsis consuevisse interdum Clericos facinorosos non omnino degradari, sed tantum ex parte de uno ordine ad alium dejici, cum scilicet non omni prorsus gradu et officio Clericali, sed tantum de altiore gradu ad inferiorem per modum disciplinæ et castigationis dejiciebantur. Hoc modo Patres Concilii Nicæni I œcumenici, can. VIII, schismaticos Novatianos tractavit, permittens eis qui Episcopi inter eos nominati erant, ut Presbyterorum officio in Ecclesia Catholica fungerentur, nisi forte Episcopo alicui Catholico placeret, nomen et honorem Chorepiscopi in diœcesi sua eis impertiri : « Is autem, inquit canon, qui nominatur » apud eos Episcopus, honorem Presbyterii » possidebit : nisi forte placuerit Episcopo no» minis eum honore censeri. Si vero ei mi» nime placuerit, providebit ei aut Chorepi» scopatus aut Presbyterii locum, ut in Clero » prorsus esse videatur. » Juxta hanc regulam in aliis Synodis etiam præscriptam, factum est ut, quemadmodum ex Hieronymi *Chronico* observat eruditissimus Valesius in notis ad Sozomenum, lib. IV, cap. XXX, Cyrillus Hierosolymitanus Heraclium de gradu Episcopi ad Presbyteri gradum dejiceret.

XIV. Illud vero fateri cogimur, hanc disciplinæ partem dejiciendi de uno ordine in alium Clericos, pro diversis quidem sententiis hominum, in diversis temporibus ac locis adeo va-

Digitized by Google

riasse, ut, in Concilio Chalcedonensi IV œcumenico, Patres, canone XXIX, sic edixerint : « Episcopum in Presbyteri gradum deducere » est sacrilegium. Si qua autem justa causa » illos ab Episcopali actione removet, nec Pre» sbyteri debeat locum obtinere. Sin autem » absque ullo crimine dignitate moti sunt, ad » Episcopalem dignitatem redibunt. » Est is quidem canon unus ex iis duobus postremis, quos nomine memoratæ Synodi legere est apud Zonaram, Balsamonem, aliosque recentiores Græcos; cum autem nullus unquam ipsorum canonum antiquus scriptor meminerit, puto equidem, ut dixi in nota in fine Commentarii ad canonem XXVII Chalcedonensem, potius ipsos ad Acta Concilii, quam ad canones pertinere.

XV. Ut ut ea res sit, non videtur recepta fuisse ejus canonis disciplina : ut enim notavi in Commentario ad canonem XXIX Chalcedonensem, num. III, constat, tum ex Conciliis tum ex priscis Ecclesiæ scriptoribus, dejectis, etiam ob proprium crimen, episcopis consuevisse olim Ecclesiam, post editum memoratum canonem Chalcedonensem, absque ulla sacrilegii nota Presbyteri gradum indulgere. Certe de Promoto Presbytero, in Dunensi diœcesi per Ægidium Remensem archiepiscopum ordinato Episcopo, ac deinde ad Pappoli Carnotensis episcopi preces dejecto, scribit S. Gregorius Turonensis, lib. VII, cap. XVII : « Contra Promotum ita » judicium latum fuit, ut Presbyterii tantum » officio fungeretur. » Factum id est a Synodo IV Parisiensi, a viro clarissimo Jacobo Sirmondo publicata. Atque, ut alia exempla omittam quæ videri possunt apud eruditum Joannem Morinum, et apud Lupum in canonem VIII Nicænum, statuerunt Patres Concilii Trullani, canone XX, « ne liceat Episcopo in » alia quæ ad se non pertinet civitate publice » docere. Si quis autem hoc facere deprehen» sus fuerit, ab Episcopatu desistat, Presbyteri » autem munere fungatur. » Ubi nota viguisse hanc disciplinam non modo in Ecclesia Occidentali apud Latinos, verum et in Orientali Ecclesia apud Græcos. Quantum ad Latinos, præter allata superius testimonia, in Concilio Toletano I, anni 400, can. IV, statutum legimus : « Subdiaconus, defuncta uxore, si aliam » duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat » removeatur, et habeatur inter Ostiarios vel » Lectores, ita ut Evangelium et Apostolum » (alias Epistolam) non legat. »

XVI. His ita explicatis, notandum nunc illud profecto videtur, quæ in hoc nostro § exstant, haberi quidem in manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, ubi ita legimus : « Degradatio fiat hoc modo : nam, ipso degra» dando indumentis Sacerdotalibus, si Sacerdos » sit, induto, vel Diaconalibus, si sit Diaconus, » et sic de reliquis Ordinum indumentis, Epi» copus, quasi exsequendo sententiam deposi» tionis in illum dudum prolatam, præsenti » sæculari judice, cui degradatus debet relin» qui, publice abradit cum vitro, vel alio hu» jusmodi, loca manuum illius quæ in colla» tione ordinum inuncta fuerunt, et tonsuram, » si velit. » Fateor nullum hoc Vaticano Durandi invenisse me antiquiorem codicem Pontificalem vel Ritualem, in quo de hoc præsertim ritu agatur abradendi loca manuum Sacerdotis quæ in ordinatione sacro oleo inuncta fuerant. De ritu quidem abradendi tonsuram, exstat celebris textus in cap. II *De Pœnis*, in VI, ubi Bonifacius VIII, post ablationem vestium atque instrumentorum, ita subjicit : « Tuncque radatur caput illius seu tondeatur, » ne tonsuræ seu Clericatus vestigium rema» neat in eodem. » Vide laudatum Durandum in *Speculo Juris*, lib. III, *De Accusationibus*, § II.

XVII. Neque illa nostri § dissimulanda sunt verba, *Pontifex vero, quasi exsequendo sententiam depositionis, etc.;* ex iis enim addiscimus, actualem sacrorum hominum degradationem ad Episcopum pertinere qui quidem sit jam consecratus; quia scilicet realis degradatio actus est Episcopalis Ordinis ex institutione Ecclesiæ, ideoque a solo Episcopo exercendus, quemadmodum notavit *Glossa Canonici Juris* communiter recepta, in capite *Transmissam*, verbo *De talibus*, tit. *De Electione;* et colligitur ex Concilio Tridentino, sess. XIII, cap. IV *De Reformatione*, ubi ait verbalem depositionem, quam etiam degradationem lato modo nuncupat, etiam Vicario generali committi posse : ejusque rei causa est quod ad eam non requiritur potestas Ordinis, sed solius jurisdictionis; quamobrem etiam Episcopus confirmatus, nondum consecratus, per se

Digitized by Google

vel per alium, ejusmodi actum exercere potest, non autem ad solemnem degradationem procedere, quæ, cum sit actus Episcopalis Ordinis, ad Episcopum solum consecratum spectat, uti passim docent Canonici Juris interpretes.

XVIII. Tandem, præter judicem sæcularem, cui relinquendus est degradandus, consuetudinem jam olim fuisse ut ad istam solemnem ac publicam Clericorum degradationem plurimi convocarentur, ad augendam nempe ipsis Clericis pœnam et confusionem, testatur scriptor XIII sæculi Humbertus de Romanis, lib. II *De modo prompte cudendi Sermones*, tract. II, cap. LXXIII, ubi etiam hanc ejus rei causam affert : « Et nota, ad sciendum rationem hujus » confusionis, quod Clerici criminosi magnis » criminibus, pro quibus solis infligitur hujus- » modi pœna, summe confundunt Ecclesiam, » et ideo justum est ut ipsi confundantur ab » ea, et sic compleatur illud Psalmi CVIII : *In- » duantur qui detrahunt mihi, pudore, et ope- » riantur sicut diploide confusione sua.* Hujus- » modi siquidem Clerici dicuntur detrahere » Domino, quia ei et Ecclesiæ suæ per malam » vitam suam devotioni populi detrahunt. »

§ II.

Et est notandum quod in hac exsecutione sententiæ non est necessaria coepiscoporum præsentia; nec etiam refert sive in ecclesia fiat, sive extra in platea, sive Pontifex degradans indutus sit Pontificalibus ornamentis, sive non; et talis degradatio solemnis *depositio* vocatur; proprie tamen loquendo, quis a dignitatibus et honoribus deponitur, sed ab Ordinibus degradatur. Et post talem degradationem juste et rite factam, solus Romanus Pontifex cum tali dispensat. Episcopus tamen, ante ipsam insignium detractionem, et etiam post sententiæ depositionis prolationem, dispensare et restituere solo verbo potest, sicut et verbaliter depositus fuit, ut præmissum est.

COMMENTARIUS.

I. Eadem quæ in hoc § habentur legi possunt non modo in memorato Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, sed et in ejus *Speculo Juris*, lib. III *De Accusationibus*, § II, ubi ita inquit : « Et est notandum quod in hac » sententiæ exsecutione non est necessaria Epi- » scoporum præsentia, quæ est necessaria in » sententiæ prolatione. Item non est vis, sive » hoc fiat in ecclesia, sive extra. Non est etiam » vis, sive Episcopus sit indutus Pontificalibus, » sive non, cum hujusmodi degradationem » facit, etc. » Idipsum passim docent alii Canonici Juris consulti, quorum testimonia supervacaneum est hic recensere, eamque in rem varia in Ecclesiastica historia exempla occurrunt, ex quibus inter alia docemur, non semel fieri consuevisse solemnem sacrorum hominum degradationem per sacrorum insignium detractionem non modo in ecclesia, verum etiam in publicis locorum plateis; uti videre est apud Juvenalem archiepiscopum Remensem, in *Historia Caroli VI*, Francorum regis, ad annum 1398, ubi solemnem degradationem duorum Fratrum Augustinianorum describit, peractam Parisiis in publica urbis platea, quam vocant *de Grève*, a Pontifice Pontificali habitu induto. Degradatos autem et capitis damnatos dicit, quod, regi salutem restituere se posse jactantes, cum alias, ut deinde quæstionibus torti confessi sunt, medendi artem penitus ignorarent, regem ipsum in maximum miserandæ mortis periculum adduxerant.

II. Post solemnem et actualem, ut aiunt, peractam degradationem, non posse Episcopum amplius dispensare, sed faciendam esse restitutionem a Romano Pontifice Maximo, recte admodum in hoc nostro § edicitur; estque communis Doctorum sententia, aientium id quidem procedere in legitima et justa depositione : alioqui si injusta fuerit, idem Episcopus, vel saltem Metropolitanus degradatum innocentem repertum restituere posset; videtur

Digitized by Google

enim eo casu potius sententiæ correctio quam dispensatio, uti deducitur ex canone *Episcopus*, XI, quæstione III. Multa exempla legere est in *Decreto* Gratiani, ad canonem *Joannes*, distinctione L, variorum Episcoporum qui, aliquando depositi, proprium deinde receperunt Episcopatum. Cæterum, in majoribus dignitatibus a quibus depositio fit per Romanum Pontificem, absque dubio per eumdem restitutio fieri debet, et eadem fere solemnitate qua prima collatio dignitatis facta fuerat; ut nimirum si depositus fuerit Episcopus, vel S. R. E. Cardinalis, deberet consistorialiter, ut aiunt, restitutio fieri, uti contigit anno 1513 sub Leone Papa X, qui, Bernardinum cardinalem Sanctæ-Crucis in Hierusalem, et Federicum cardinalem Sancti-Theodori, quos Julius II ob schisma deposuerat, pristinæ dignitati restituens, jussit id Consistorio fieri : nam habitu et tonsura, more simplicium Sacerdotum, Consistorium ingredientes, ibi purpureas vestes receperunt, nonnullis cæremoniis adhibitis. Rem narrat Borgasius, qui rei ipsi interfuit, ubi agit *De Dispensatione*, parte VI, titulo *De Schismate* in fine, itemque accuratissime Paris de Grassis apud Odericum Rainaldum, ad annum 1513, num. XLIV et sequentibus, his plane verbis : « Die lunæ, XXVII junii, sanctissimus » dominus Leo dixit mihi, hac nocte præterita, » duos olim Cardinales, nunc schismaticos, » videlicet dominum Bernardinum Carvagial » Hispanum, et dominum Federicum Sanse- » verinatem Mediolanensem, urbem ingressos » esse et intra palatium pernoctasse, sic volente » Papa; quoniam hoc ipso mane in Consisto- » rium ingressuri essent ac veniam de erratis » suis petituri; propterea veniam eis velle dare, » et restituere eos dignitati Cardinalatus, et » dignitatibus aliis pristinis redintegrare. »

III. Fuit Paris præcipuus hujusce ritus moderator, talesque, eo referente, cæremoniæ fuere : « Ego, inquit, ivi pro schismaticis duo- » bus, qui erant in camera quæ adjacet Logæ, » et jussi eos deponere rubea bireta, quibus in » capite tegebantur, et jussi eos ut violacea » aut nigra haberent, licet ex cautela ipsi duo, » acceptis biretis violaceis in manibus suis, » quasi illa vellent in caput suum ponere, non » posuerunt, sed illa semper in manibus te- » nuerunt, tanquam si vellent honorare ho- » norantes seipsos : quod cum Papa postea » intellexisset, risit mirabiliter cum Cardina- » libus; similiterque jussi capucium depone- » rent quo subter spathulis ad collum tegeban- » tur : et, licet hæc ægre ac vix facere vellent, » tamen deposuerunt; et, tanquam simplices » Archipresbyteri aut graduati, venerunt in » mantellis simplicibus, absque ullo honore » prælaturæ, omnino positive et simpliciter. » Cum ingrederentur aulam consistorialem, » primo quidem in ipso aditu ambo usque ad » terram genuflexi sunt, et demum progressi » usque ad quadraturam, quæ in medio aperta » fuerat prius per me, iterum genuflexerunt, » et tertio in ipsa medietate quadraturæ ante » Pontificem genuflexerunt, et in ipsa genu- » flexione permanserunt, usquequo ipsi dixis- » sent quidquid vellent, et donec Papa eisdem » ad longum respondisset, ac quoad legissent » bis, id est singuli per seipsos, cedulam lon- » gam scriptam in uno folio integro. »

IV. « Dixit autem primus ex eis, Bernardinus Carvagial videlicet : « Beatissime Pater, » dies clara illuxit nobis, quia vidimus salutare » Dei nostri. Vidimus nuper faciem tuæ San- » ctitatis, et thronum tuæ majestatis, quam » nos præ multitudine iniquitatum nostrarum » videre non meruimus nec meremus : pro- » pterea nec oculos attollere præsumimus, » quia peccavimus, injuste egimus, iniquitatem » fecimus. Domine, miserere nobis, et mise- » rere, inquam, quod petimus ante pedes tuos » prostrati, nec respicias peccata nostra, quia » peccavimus super numerum arenæ maris. » Et hujusmodi moralia et humillima verba dicendo, Papa argutissime et elegantissime respondit, dicens quod, licet mater Ecclesia solita sit omnibus ad se venientibus remittere injurias et reatus, tamen Ecclesia ipsa, nimis remisse ac gratiose parcendo, sæpe invitat reos ad delinquendum; unde, ne ipsi possent de reatibus eorum gloriari, statuerat dignis sceleribus vindictam impendere, et denumeravit omnia malefacta istorum, in tantum quod ipsi verecundabantur, et dicebat eis : *Nonne fecistis hoc, et illud aliud, etc.?* Ad quæ ipsi, nescientes explicare, confessi sunt omnia; unde Papa dixit eis : « Quid ergo videtur vobis quod » mereamini de hujusmodi tam atrocibus sce- » leribus, per quos non defuit quin mater

Digitized by Google

» vestra sancta Ecclesia Romana, a qua tan-
» quam benefica tot beneficia receperatis, in
» lupanare descenderit, et profundum vitupe-
» riorum? Dicite vos ipsi de vobismetipsis sen-
» tentiam. » Et cum tacerent quasi flentes, Papa porrexit eis quamdam cedulam, ut illam primo plane ac caute percurrerent, et, si contenta in ea vellent observare, quod ipse eis benignitatem Sedis Apostolicæ impartiret. Unde Bernardinus primus eam accepit, et legit semiplane, et tandem dixit se velle observare omnia. Et tunc Papa respondit : « Ergo illam alte
» legatis, ut ab omnibus istis Cardinalibus in-
» telligamini. » Cui Bernardinus : « Non pos-
» sum, inquit, clarius loqui, quia raucus
» sum. » Unde Papa aperta voce dixit : « Non
» potestis clarius loqui, quia non habetis bo-
» num stomachum : videte quia estis in liber-
» tate vestra, et, si vultis recedere, recedite
» unde venistis; ac si non vultis contenta in
» cedula observare, quia videantur vobis esse
» gravia, nos remittemus unumquemque ve-
» strum ad Florentiam. Si autem vultis obser-
» vare, et vere ad gremium matris Ecclesiæ
» Romanæ reverti, nos recipiemus vos. Itaque
» legatis et promittatis, aut abeatis. »

V. « Tum Federicus Sanseverinus acceptam cedulam legit alte, ut ab omnibus Cardinalibus audiretur : « Nos Bernardinus de Carvagial, et
» Federicus de S. Severino olim nube schi-
» smatis obducti, supernæ illustrationis lumine
» et gratia serenati, compertoque schismatis
» laqueo quo tenebamur, prævia diutina no-
» biscum deliberatione pertractantes, et renun-
» tiantes ad abundantem cautelam omnibus et
» singulis protestationibus et secrete et co-
» ram notario et testibus hactenus factis, qua-
» rum tenores et clausulas ad hoc ut omnino
» hic pro specificaliter expressis, et perinde
» ac si de verbo ad verbum insererentur, pro
» insertis legitime volumus, et spontanea vo-
» luntate, non autem metu, sed in loco tutis-
» simo, ac in libertate nostra plenaria consti-
» tuti, ac sinceris cordibus ad unitatem Sedis
» Apostolicæ, divina gratia duce, reversi su-
» mus; et, ne non pura mente, sed simulate
» reversi existimaremur, a Sanctitate vestra,
» sacro Cardinalium Collegio, erratorum no-
» strorum veniam humiliter postulamus, sup-
» plicamusque ut Sanctitas vestra pro nobis ad
» Deum optimum maximum, cujus vices in ter-
» ris gerit, intercedere dignetur. Spondemus
» etiam et voluntarie promittimus sub casu
» Ordinis et dignitatum ac etiam Cardinalatus,
» si ad eam nos restitui contigerit, et ana-
» thematis obligatione, tibi Leoni X Pontifici
» Maximo, vero et indubitato Christi Vicario,
» et per te S. Petro Apostolorum principi,
» nos nunquam quantumlibet suasionibus, aut
» quibuslibet causis, quæsitove colore, aut in-
» genio, ad schisma, de quo Redemptoris gratia
» crepti sumus, reversuros, sed semper in uni-
» tate sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, veraque obe-
» dientia Sanctitatis vestræ per omnia et in
» omnibus permansuros, et cum reverendis-
» simis dominis Cardinalibus, si ex Sanctitatis
» vestræ et eorum clementia ad ordinem eo-
» rum restituemur, benigne pacificeque, ac
» sine rancore scandaloque aliqua ratione præ-
» dictorum præteritorumque, seu ex alia quavis
» causa conservaturos; et juramus per Deum
» omnipotentem, et per hæc sancta Dei Evan-
» gelia quæ in manibus nostris tenemus, nos
» in unitate prædicta permansuros, et omnia
» et singula supradicta et infradicenda obser-
» vaturos, sub pœna perjurii et aliis supra-
» dictis, et infra diem. Et licet nuperrime, per
» cedulam nostris manibus scriptam atque in
» sacro Lateranensi Concilio publicatam, schi-
» sma prædictum abjuramus, ad puritatem ta-
» men cordium nostrorum ostendendam, spe-
» cialiter et expresse Pisanum conciliabulum,
» ejusque indictionem, ac omnia et singula in
» eo gesta anathematizamus; ac pronuntiamus,
» credimus, ac singulariter confitemur irrita
» et inania, ac nullius roboris vel momenti,
» et a non habentibus auctoritatem gesta et
» facta, quin potius temeraria ac præsumpta.
» Consentimus autem sacrosancto Lateranensi
» Concilio, tanquam unico et vero, illudque
» confitemur legitime, juste, et ex legitimis
» causis indictum, omniaque et singula in eo
» gesta, et specialiter vel generaliter contra
» personas nostras, necnon omnes et singulas
» condemnationes et sententias latas contra nos
» per bonæ memoriæ Julium Papam II præ-
» decessorem vestrum, et omnia et singula
» contra Pisanum conciliabulum gesta et facta,
» rite et recte ac juste facta pronuntiamus,
» credimus, et simpliciter confitemur. Pro-

Digitized by Google

» mittimus insuper omnem pœnitentiam, quam » Sanctitas Vestra pro nostris erratis nobis » duxerit injungendam, benigne ac humiliter » suscepturos et opere completuros. Volumus » etiam obligari, et per præsentes promittimus » sub pœnis supradictis ac contra schismaticos » a sacris canonibus inflictis, et in ampliori » forma Cameræ, quod omnia et singula su- » pradicta firma et illæsa perpetuo observa- » bimus, rogamusque te Notarium hic præ- » sentem ut, super prædictis omnibus et » singulis, ac cedula hujusmodi, unum, vel » plura, et in ampliori forma Cameræ conficias » instrumentum, et instrumenta. Ego Bernar- » dinus Carvagial supradictus, juro ut supra » ita esse. Ego Federicus de Sancto-Severino » juro ut supra ita esse. »

VI. » In fine ambo dixerunt sic velle observare; et Papa mandavit, in propria manu quisque subscriberet; et subscripserunt, et dederunt eam in conspectu Papæ Notario, qui fuit Laurentius de Laureliis Amerinus, Notarius Cameræ Apostolicæ, rogantes eum ut scriberet eam in monumentis archivi Apostolici, et jurarunt ambo tactis scripturis illis. Et hoc facto, Papa, qui mitratus et paludatus erat, deposita mitra, legit sententiam quam de consilio eorum conceperat, et absolvit illos, et reintegravit ad omnia, ut prius erant, ac etiam ad Cardinalatum, et ad ea beneficia de quibus nulli hactenus provisum fuisset, et ea beneficia erant in Francia. Copia sententiæ absolutoriæ est infra notata : « Auctoritate omnipotentis Dei, » ac beatorum Apostolorum ejus Petri ac » Pauli, ac nostra, absolvimus vos ab omni » vinculo excommunicationis, omnibusque aliis » censuris et pœnis quacumque auctoritate in » vos et vestrum quemlibet ex causa schismatis » nuper per vos abjurati, seu alias quomodo- » libet latis, seu comminatis, seu alias per vos » quomodolibet incursis : et eadem auctoritate » restituimus vos unioni sanctæ matris Eccle- » siæ, ac participationi Sacramentorum, et uni- » tati fidelium in forma consueta. Vos insuper, » et vestrum quemlibet ad famam honores- » que, et dignitates quascumque, et beneficia » Ecclesiastica, de quibus hucusque per Sedem » Apostolicam non est alteri provisum, etiam » Cardinalatus, necnon adversus irregularitates » et inhabilitates, et adversus sententias etiam » privationis et condemnationis, seu litteras » quascumque, quarum tenores, perinde ac si » de verbo ad verbum exprimerentur, pro ex- » pressis haberi volumus, præmissorum oc- » casione in vos, etiam per felicis recordationis » Julium prædecessorem nostrum, seu alias » quomodolibet, et quavis occasione vel causa » emanatas, seu quomodolibet per vos hactenus » incursas, ac ad omnia et singula quæ pro » præsentis actus expeditione necessaria sunt, » seu quomodolibet opportuna, sine tamen ju- » ris alieni, etiam ex causa præmissorum, sed » alias quomodolibet quæsiti præjudicio, re- » stituimus, et plenarie integramus, supplentes » omnes et singulos defectus in præsenti actu » quomodolibet intervenientes. In nomine Pa- » tris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. »

VII. » Quo facto, illi surrexerunt, et Papa jussit quod mantellis quibus erant induti spoliarentur, et cuique ante genuflexo posuit primo biretum rubeum, deinde tangens rochettum, jussit nobis ut rochetta imponeremus, et similiter cappas ex camelotto violaceo more Cardinalium : ipsis ante se genuflexis, singulis imposuit capellum non novum, sed usitatum, aliunde commodatum, nihil tamen dicendo; et ipsi surgentes, licet genuflexi esse deberent, legerunt formam juramenti, quod est in libro juramentorum, sub Rubrica videlicet : *Forma juramenti, quod novi Cardinales præstant Romano Pontifici.* Et lecta forma, ac præstito effectualiter juramento, de quo socius meus fuit rogatus, Papa recepit singulos ad osculum pedis, manus et oris, more solito, cum multa charitate, dicens primo Cardinali Bernardino : « Tu nunc es frater meus, et pater meus, quia » voluntatem meam fecisti, et tu es tanquam » illa ovis quæ in Evangelio perierat, et in- » venta est : itaque gratulemur, et exsultemus » in Domino. » Demum similiter etiam dixit commodissima verba Cardinali Sanseverinati, et misit eos ad oscula Cardinalium omnium, qui tunc, et non prius, assurrexerunt eis et osculati sunt omnes. Demum, reversi ad Papam petierunt in quo loco placeret dare eis sedem seu stallum, et Papa jussit mihi ut Cardinali sanctæ Crucis darem locum et stallum in loco ejus antiquo et solito, qui erat post priorem Episcopum, id est, ut esset secundus in ordine : et Sanseverinati dedit similiter locum

Digitized by Google

suum antiquum, qui fuit Diaconorum Decanus, et sic fuit.

VII. » Quo facto, Papa petiit a me an aliquid restaret agendum; dixi quod ipsi integrati deberent agere gratias suæ Sanctitati in ampla forma; et Papa dixit, satis hoc fuisse quod factum hinc inde fuit. Dixi postea quod sua Sanctitas posset aliquam expeditionem facere in Consistorio, ubi illi darent votum suum tanquam jam perfecti Cardinales : et sic fuit factum, Pontifice adhuc in pluviali et mitra persistente usque ad finem Consistorii illius. Pontifex, omnibus factis, imposuit cuique eorum pro pœnitentia, ut singulo mense jejunarent per unum diem ad vitam eorum, et, casu quo non possent jejunare, visitarent duas ecclesias una die quolibet mense ad vitam eorum. Cardinales fuerunt præsentes numero XXI; tres alii in Urbe præsentes non voluerunt venire, quantumcumque a Pontifice rogati ut venirent. Ii fuerunt, Cardinalis Anglicus, et alter Sedunensis; sed tertius vere fuit infirmus perpetuus, et est Cardinalis Sancti-Petri ad Vincula, qui erat et est Vice-Cancellarius. » Hactenus Paris. Quod autem, proximo ineunte anno die IV januarii, Pontifex etiam omnes Bernardini familiares, qui censuras ob secutas ejus partes contraxerant, pristinis etiam juribus honoribusque restituerit, itemque ob tributam memoratis Cardinalibus veniam, plurima in Urbe tota lætitiæ signa edita fuisse, enarrat præter alios scriptores Rainaldus, ad ipsum Christi annum 1513.

§ III.

Sed si, priusquam sæcularis judex in illum animadvertat, talis depositio et degradatio injusta vel nulla inveniatur; tunc non solum verbo sed etiam facto, secundum ea quæ præmissa sunt, dispensatio et restitutio fiat; et insignia sibi detracta seriatim, sigillatim, et solemniter coram altari restituantur. Et, si sit Episcopus, recuperabit orarium, baculum, annulum, sandalia, mitram, et alia insignia Pontificalia : si Presbyter, orarium et planetam : si Diaconus, orarium et dalmaticam : si Subdiaconus, tunicellam et manipulum : et reliqui gradus, in restitutione sua, recuperant ea quæ, cum ordinarentur, receperunt. Poterit tamen, quod convenientius videtur, ad aliorum terrorem, actualis degradatio sic fieri.

COMMENTARIUS.

I. Est hæc quidem vetus Ecclesiæ disciplina ut sacris hominibus injuste depositis, ubi ad suos restituebantur gradus, restitutio ipsa per redditionem sacrorum insignium a quibus in depositione fuerant exuti, perageretur. Testatur id quidem Concilium Toletanum IV, habitum anno 633, can. XXVIII, sic dicens : « Episcopus, » Presbyter, aut Diaconus, si, a gradu suo in- » juste dejectus, in secunda Synodo innocens » reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi » gradus amissos recipiat coram altario de manu » Episcoporum : si Episcopus est, orarium, an- » nulum et baculum : si Presbyter, orarium et » planetam : si Diaconus, orarium et albam : » si Subdiaconus, patenam et calicem : sic et re- » liqui gradus ea in reparationem sui recipiant » quæ, cum ordinarentur, perceperunt. » Nulla in hoc canone, quantum ad Episcoporum restitutionem attinet, mitræ et sandaliorum mentio, quia scilicet tunc temporis, quo Toletanum IV Concilium celebratum est, mitra et sandalia inter Pontificalia ornamenta minime recenserentur.

II. Idipsum quod in recitato canone Toletano constitutum est, totidem verbis legere est in *Judiciis*, seu *Pœnitentiali* Gregorii Papæ III, capite XXXIII. Ejus rei exempla, tum apud Græcos tum apud Latinos, exstant passim in Actis Conciliorum. Et sane, ut alia omittam, in VIII œcumenica Synodo, Episcopis qui Photio adhæserant pœnitentibus S. Ignatius patriarcha Constantinopolitanus restituit superhumerale; Presbyteris et Diaconis, oraria; Subdiaconis, ordinis sui insignia. De iis insignibus fuse nos

Digitized by Google

egimus nostro I tomo hujus operis, non modo in Prolegomenis, sed et in Commentariis titulorum, ubi nimirum de consecratione Episcoporum et de Ordinationibus aliorum Ministrorum inferiorum tractavimus.

III. Objiciet hic forte quispiam, dicens : Si injuste dejecti a gradu suo Ecclesiastico, nec etiam per Episcopos reparari possunt nisi de manibus eorum recipiant quæ amiserunt, quomodo sua auctoritate cuique liceat injuste ligatis communicare, et eis non petita absolutione sua celebrare officia, sicut Gelasius Papa in multis canonibus, apud Gratianum, causa XI, quæstione III, videtur sentire ? Respondet idem Gratianus in calce canonis *Episcopus*, citata causa et quæstione, quod sententia aliquando est injusta ex animo proferentis, justa vero ex ordine et causa : aliquando est justa ex animo et causa, sed non ex ordine : aliquando justa ex animo et ordine, sed non ex causa. Cum autem ex causa injusta fuerit, aliquando nullum in eo omnino qui accusatur delictum est quod sit damnatione dignum : aliquando non est in eo illud supra quod fertur sententia ; sed ex alio nominandus est. Ex animo est injusta sententia, cum aliquis, servata integritate judiciarii ordinis, in adulterum vel in quemlibet criminosum, non amore justitiæ, sed livore odii, vel pretio, aut livore adversariorum inductus sententiam profert. Unde Beda super Epistolam Jacobi ait : « Ira enim viri justitiam Dei non operatur ; quia » qui iratus in aliquem sententiam profert, etsi » ille quantum ad se justam reportet sententiam, » iste tamen qui, non amore justitiæ, sed livore » odii, in eum sententiam dedit, justitiam Dei, in » quem perturbatio non cadit, non imitatur. »

§ IV.

In primis in publico extra ecclesiam paratur aliquis eminens congruentis spatii locus pro degradatione facienda, supra quem ordinatur una credentia simplici tobalea cooperta, supra quam ponuntur ampulla vini, ampulla aquæ, calix cum patena et hostia, unum vas vini, unum vas aquæ, liber Evangeliorum, liber Epistolarum, bacile cum buccali et mantili, unum candelabrum cum candela extincta, liber Exorcismorum, liber Lectionum, claves, Antiphonarium, forfices, cultellus aut vitrum, paramenta pro degradando, videlicet, si degradandus sit Archiepiscopus, ordinentur supra dictam credentiam, superpelliceum, sandalia cum caligis, amictus, alba, cingulum, manipulus, tunicella, stola, dalmatica, chirotecæ, alia stola, mitra, annulus Pontificalis, pallium, baculus Pastoralis, et aliqua vestis habitus sæcularis. Si vero degradandus non sit Archiepiscopus, sed Episcopus tantum, omisso pallio, ponuntur super credentiam omnia alia prædicta. Si vero Presbyter tantum, omisso pallio et aliis Pontificalibus paramentis prædictis, ponuntur ibidem omnia alia prædicta. Idem in aliis Ordinibus etiam in ordinatione credentiæ observatur. Item paratur in dicto loco faldistorium pro Pontifice degradatore, sedilia pro Officialibus. Vocantur, et ibidem adsint ministri Pontificis : judex sæcularis, cui degradandus committatur; Notarius, qui processum degradationis legit, si opus erit, vel Pontifici placet, et barbitonsor.

§ V.

Hora congruenti ducitur degradandus, sive sit Archiepiscopus, sive quicumque alius, quotidiano suo habitu indutus, super dictum locum ad hoc præparatum, ubi cum fuerit, solvitur, et liber ibidem manet. Tum a Clericis induitur omnibus paramentis sui Ordinis, ut præmittitur, supra credentiam ordine suo positis; inci-

Digitized by Google

piendo a superpelliceo, et continuando usque ad ultimum paramentum sui Ordinis. Quo sic induto, Pontifex degradator indutus amictu, alba, cingulo, stola et pluviali rubeis, ac mitra simplici, baculum Pastoralem in sinistra tenens, ascendit ad locum prædictum, et ibidem sedet in faldistorio in convenienti loco sibi parato, versus ad populum, adstante sibi judice sæculari. Tum degradandus, sive Archiepiscopus fuerit, sive alius, omnibus sui Ordinis vestibus sacris indutus, et singulis ornamentis ornatus, habens in manibus ornamentum ad ordinem suum spectans, ac si deberet in suo officio ministrare, adducitur ante Pontificem, coram quo genuflectit. Tum Pontifex, ut supra sedens, populo in vulgari notificat degradationis hujusmodi causam, deinde contra degradandum sententiam fert in hæc verba, si sit Sacerdos, aut Diaconus, aut Subdiaconus, vel Clericus, et prius hujusmodi sententia lata non sit : *In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti. Amen. Quia nos N., Dei et Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus N., per viam accusationis,* vel *denuntiationis,* vel *inquisitionis cognoscentes de crimine N. contra N. Presbyterum,* vel *Diaconum,* vel *Subdiaconum,* seu *Clericum, propter ipsius confessionem,* vel *legitimas probationes, evidenter invenimus eum ipsum crimen commisisse, quod cum non solum grande, sed etiam damnabile et damnosum sit, et adeo enorme quod exinde non tantum divina Majestas offensa, sed et universa civitas commota est, et ab hoc indignus officio et beneficio Ecclesiastico sit redditus : idcirco nos, auctoritate Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et nostra, ipsum omni hujusmodi officio et beneficio Ecclesiastico sententialiter perpetuo privamus in his scriptis, ipsumque ab illis verbo deponimus, et pronuntiamus realiter et actualiter, secundum traditionem canonum, deponendum et degradandum.* Qua sententia sic, ut præfertur, lata, Pontifex degradator aufert ab illo singula ornamenta sibi juxta Ordinem suum tradita, inchoando ab ultimo ornamento, et sic descendendo gradatim, continuans usque ad primum, quod in prima tonsura sibi datum fuit, hoc ordine.

COMMENTARIUS.

I. Ex iis quæ dicta superius sunt, abunde sunt et ea illustrata quæ in duobus hisce §§ continentur. Ritus qui hodie servatur in degradatione sacrorum hominum mirifice exprimitur a Bonifacio VIII Pontifice Maximo, in Epistola quam misit ad Bitterrensem in Gallia episcopum, qui illum consuluerat de cæremonia qua uti ipse deberet in degradatione complurium Sacerdotum et Clericorum qui in Galliis, dignitatis suæ obliti, turpem et in omne flagitium vitam profusam ducebant. Eam ob causam præscripsisse Bonifacium cæremoniam degradationis, docet quidem Abrahamus Bzovius, ad annum 1296, num. x. Epistola exstat in cap. II *De Pœnis*, in VI, ubi hæc scribit Pontifex : « Degradatio qualiter fieri debet, a nobis tua » fraternitas requisivit. Super quo tibi taliter » respondemus quod verbalis degradatio, seu » depositio ab Ordinibus sive gradibus Ecclesia- » sticis, est a proprio Episcopo, sibi assistente » in degradatione Clericorum in sacris consti- » tutorum Ordinibus certo Episcoporum numero » definito canonibus facienda : quanquam pro- » prii Episcopi sententia, sine aliorum Episco- » porum sententia, sufficiat in degradatione » eorum qui minores duntaxat Ordines recepe- » runt. Actualis vero sive solemnis cœlestis » militiæ militis, id est Clerici, degradatio, cum » ad eam fuerit procedendum, fiet ut exaucto- » ratio ejus qui militiæ deservit armatæ, cui

Digitized by Google

» militaria detrahuntur insignia; sicque a mi-
» litia remotus castris rejicitur, privatus con-
» sortio et privilegio militari. »

II. Est ergo duplex depositio, verbalis scilicet, et actualis sive solemnis, de cujus præsertim posterioris ritu, quod nulli forte vetustiores libri Rituales agerent, idcirco ab Episcopo Bitterrensi interrogatus fuit Pontifex, ut ipsum doceret quæ forma tenenda esset in degradatione Clericorum qui aliquid facinus grave sive enorme delictum commisissent : « Clericus « igitur, » pergit in ipsa Epistola decretali Pontifex, « degradandus, vestibus sacris indutus, » in manibus habens librum, vas, vel aliud » instrumentum seu ornamentum ad Ordinem » suum spectans, ac si deberet in officio suo » solemniter ministrare, ad Episcopi præsentiam » adducatur : cui Episcopus publice singula, » sive sint vestes, calix, liber, sive quævis alia » quæ illi juxta morem ordinandorum Clerico- » rum in sua ordinatione ab Episcopo fuerint » tradita seu collata, singulariter auferat, ab » illo vestimento seu ornamento quod datum » vel traditum fuerat ultimo inchoando, et » descendendo gradatim, degradationem con- » tinuet usque ad primam vestem, quæ datur » in collatione tonsuræ : tumque radatur caput » illius seu tondeatur, ne tonsuræ seu clericatus » vestigium remaneat in eodem. » Quibus verbis satis docet quæ ad degradationem peragendam antea præparanda sunt, et qualiter degradandus Pontifici degradatori præsentetur, indutus scilicet vestibus Ordini suo congruentibus, habensque in manibus instrumenta quæ in sua ordinatione acceperat.

III. Formam insuper subjiciens qua in degradatione uti Pontifex possit, ita inquit : « Po- » terit autem Episcopus in degradatione » hujusmodi uti verbis aliquibus ad terrorem, » illis oppositis quæ in collatione ordinum sunt » prolata, dicendo Presbytero : *Auferimus* » *tibi vestem Sacerdotalem, et te honore Sa-* » *cerdotali privamus :* sicque in remotione » reliquorum insignium, similibus verbis utens » in ablatione ultimi, quod in collatione Ordi- » num fuit primum, infrascripto vel alio simili » modo pronuntiet sive dicat : *Auctoritate Dei* » *omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti,* » *ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem,* » *et deponimus, degradamus, spoliamus et exui-* » *mus te omni Ordine et privilegio Clericali.* »

IV. Hactenus in ea decretali Pontifex, cujus verba juxta ordinem nostri hodierni Romani Pontificalis inferius explicabimus. Interim quod nostrum § v spectat, forma et exemplum sententiæ in eodem § v descriptæ habetur quidem in cap. *Veritatis*, VIII *De dolo et contumacia*, cap. *Novimus*, XXVII *De verborum significatione*, et alibi, ut notat Durandus in *Speculo Juris*, libro III *De accusationibus*, § II, ubi hanc etiam sententiæ formulam ab Episcopo adversus Clericum degradandum pronuntiari solitam refert : « Quia nobis evidenter et legitime constat » te *tale* crimen et flagitium commisisse, quod » non solum grave, verum etiam damnabile est » et damnosum, idcirco te sententialiter ab omni » privilegio et ordine Clericali ducimus depo- » nendum. » Porro in ea sententia, ut idem Durandus docet, aliique passim Canonici Juris consulti, debet qualitas commissi criminis declarari, tametsi aliquando ea declaratione minime opus sit, quia etiam militi detrahuntur insignia, causa non expressa. Lege II, § I ff. *De his qui notantur infamia.* Quod autem Clerici degradatio fiat instar exauctorationis ejus qui militiæ deservit armatæ, cui militaria detrahuntur insignia, sicque, militia remotus, castris rejicitur, privatus consortio et privilegio militari, jam paulo superius audivimus ex laudato Bonifacio VIII, in dicto cap. II *De Pœnis*, in VI.

V. Constat denique ex descripta sententia in § v hujus tituli, crimen ob quod Clericus degradandus et consequenter judici sæculari tradendus est, debere esse unum ex gravissimis quorum aliqua in jure expressa sunt : 1° quidem crimen hæresis manifestum, si in eo reus pertinaciter perseveret; cap. *Ad abolendam;* cap. *Excommunicamus*, Extra. *De Hæreticis;* itemque cap. I, tit. eodem, in sexto. Si autem se corrigere paratus sit, recipitur, licet in perpetuum carcerem tradi possit, ex *Glossa Canonici Juris*, in dicto capite I. Si vero postea relapsus fuerit, non iterum recipiendus, sed degradandus est et sæculari judicio relinquendus, juxta præscriptum laudati capitis *Ad abolendam;* 2° est falsatio litterarum Papalium, ex cap. *Ad falsariorum*, VII, *De crimine falsi;* nisi Papa hanc pœnam in aliam commutet, uti videre est in cap. *Novimus*, XXVII, *De verborum significatione*, ubi Episcopo Parisiensi Pontifex Innocentius III

Digitized by Google

rescribens, eidem commisit ut falsarium sceleratum in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam includeret, *pane doloris et aqua augustiæ sustentandnm;* 3° calumnia proprio Episcopo irrogata, ex canone *Si quis Sacerdotum*, causa x, quæstione i.

VI. Est hæc communis theoria Doctorum, teste Gulielmo de Benedictis in tertiam partem repetitionis textus, in cap. *Raynucius*, quæstione *De homicidio*, num. iii et seq., quem refert Follerius in *Practica criminali canonica*, pagina 272, num. xxiii, ut Clericus nonnisi pro tribus memoratis criminibus, scilicet hæresis, falsi commissi in litteris Apostolicis, et conspirationis in proprium Episcopum, degradandus sit : in aliis autem quantumcumque gravissimis delictis, ad puniendos Clericos sufficere aiunt solam depositionem verbalem absque actuali degradatione, etiamsi eorum aliquis Summum Pontificem occideret : quo casu, si paratus sit se corrigere, non debet quidem degradari, sed detrudi in perpetuum carcerem vel in monasterium. Atque hæc est communis opinio, ut dicit Bossius in titulo *De foro competenti*, num. cxxxvi. Sed, quidquid sit de hac opinione Doctorum, contrarium in praxi observatur, ut testatur Julius Clarus in sua *Practica Criminali*, libro v *Sententiarum*, quæstione xxxvi.

VII. Certe sunt varii auctores, et pene omnes antiqui Canonici Juris interpretes, qui ex cap. *Cum non ab homine*, Extra. *De judiciis*, suadere conantur quod Clericus, licet, condemnatus pro enormi homicidio, sit deponendus et tradendus curiæ sæculari, non tamen statim post ipsam depositionem sæculari curiæ tradi possit, sed exspectari debeat quod sit incorrigibilis. Sunt et alii quoque non pauci auctores, præsertim recentiores, qui contrariam sententiam propugnantes, acriter contendunt Clericum, propter enorme homicidium vel aliud enorme et gravissimum delictum juste depositum tradendum statim curiæ sæculari, non exspectata incorrigibilitate. Stante hac opinionum varietate, crederem equidem, in hujusmodi enormibus delictis relinquendum esse negotium arbitrio judicis Ecclesiastici, qui, secundum qualitatem facti et personarum, decernat an esset Clericus facinorosus curiæ sæculari tradendus, vel non. In dubio tamen dicerem, quod docet memoratus Clarus, non esse scilicet faciendam traditionem Clerici delinquentis qui non esset incorrigibilis, nisi natura rei et circumstantiæ criminis aliud suaderent. Atque hanc sententiam tanquam communem amplecti videtur doctissimus Covarruvias libro ii *Resolutionum*, cap xx, versu *Hinc sane*.

TITULUS VIII.

DEGRADATIO AB ORDINE PONTIFICALI.

Postquam de degradationibus in genere, ut aiunt, actum fuit, merito præsens subjicitur titulus in quo de peculiari Episcoporum degradatione agitur. Si vetustiores de eo ritu codices Rituales consulamus, nihil profecto inveniemus. Ex actis quidem Conciliorum et ex priscis auctoribus, plura jam superius attulimus quæ ad hunc ritum attinent. Certe solemnis cæremonia qua hodie Presbyterorum aliorumque inferiorum Clericorum degradatio peragitur, a decretali Epistola Bonifacii VIII, in cap. ii *De Pœnis*, in vi, originem suam trahit. Cæterum de Episcoporum degradatione nullum ibi verbum.

§ I.

Si degradandus sit Archiepiscopus, Pontifex degradato aufert ab eo pallium, sic dicendo : *Prærogativa Pontificalis dignitatis, quæ in pallio designatur, te exuimus, quia male usus es ea.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Antiquissimus mos est in Ecclesia, tum Orientali cum Occidentali, ut ubi Patriarchæ et Archiepiscopi degradabantur, Pontificali pallio exuerentur. Multa ea in re exempla allata quidem a nobis fuerunt supra in Commentario ad § I tituli VII. Quod formulam spectat in ablatione pallii pronuntiandam jam nullibi memini me ipsam legisse : deducitur tamen ex cap. II *De Pœnis*, in Sexto ; ubi edicitur posse Episcopum degradatorem, ubi aliquem degradat, « uti verbis aliquibus ad ter» rorem, illis oppositis quæ in collatione ordinum » sunt prolata. » Cum itaque in formula traditionis pallii dicatur designari in eo plenitudinem Pontificalis officii, juxta notata nostro I tomo hujus operis, ad titulum *De Pallio*, jure ac merito ad ea verba alludens Episcopus degrador, ubi pallium in degradatione alicujus Metropolitæ aufert, ea utitur verborum formula : « Prærogativa Pontificalis dignitatis, » quæ in Pallio designatur, te exuimus, quia » male usus es ea. » Hinc Innocentius II, ordinatos a Gerardo Engolismensi episcopo in ordinem redigens, testatur *Chronicon Mauriacense*, « quod singulos quos reos cognoverat, » propriis nominibus exprimens, eisque cum » indignatione et jurgio exprobrans, pastorales » baculos de manibus violenter arripuit, et » Pontificalia pallia, in quibus summa dignitas » consistit, de humeris verecundose abstraxit. » Apud Græcos, ubi pallium auferebatur, solemne illud ab Hypodiacono proclamabatur : *Indignus ;* uti videre est supra in Commentario ad § I tituli VII, num. III.

§ II.

Deinde, vel si degradandus sit Episcopus tantum, Pontifex degradator aufert ei mitram, dicendo : *Mitra, Pontificalis dignitatis videlicet ornatu, quia eum male præsidendo fœdasti, tuum caput denudamus.*

COMMENTARIUS.

I. Mitra, de qua fuse tomo I in Prolegomenis, cap. XIX, et in Commentario ad § XLI tituli XIII fuse diximus, unum est ex ornamentis Episcoporum, eoque, ex recentissima Ecclesiæ disciplina, Episcopi degradandi nudantur sub recitata formula in hoc nostro secundo §. Fœdare mitram dicuntur qui Pontificalem dignitatem, cujus illa ornatus est, mala vita ac moribus pravis deturpant. Fateor eam formulam me in nullo manuscripto vel recentiori Pontificali reperisse : exstat in editis ante Clementem VIII Pontificalibus.

II. Reor autem ritum ablationis mitræ aliorumque insignium Pontificalium Episcopo ob vitam suam improbam degradando, jam ante annos quingentos in usu quidem fuisse, ut addiscere licet ex quodam exemplo, quod de Episcopo repente mortuo, divinitus degradato et damnato, narrat Thomas Cantipratanus, lib. I *De Apibus*, cap. III, num. IV, his verbis : « Ju» venis quidam in Theutoniæ partibus, ex san» guine principum plenissime generosus, sed » moribus et vita degener, Episcopatum, male » functus, accepit. Qui rapinis et luxuriis vere» cunde primo, sed inverecundissime postmo» dum, operam dedit. Castigavit autem eum » Dominus flagello multiplici. Sed cum abute» retur eo in superbiam, dedit eum Dominus in » reprobam mortem. Quadam hora, venerabilis » Conradus, Deo dignus, Hildemensis episco» pus, ad Matutinas intempestæ noctis silentio » surrexerat, illisque dictis, resedit ad studium, » facturus in die sermonem. Nec mora, raptus » in spiritu, videre se visus est Episcopum quem» dam velata facie, sed infulis insignitum, ad » tribunal judicis rapi. Mox adsunt truci vul» tu satellites; accusant Episcopum, unus in ra» pina, alius in cæde hominum, atque alii in » luxuriis lubricantem. Tunc judex assessori» bus suis ait : Accusata discutite, librate » judicium, ferte sententiam. Nec mora, asses» sores parent judici, ferunt in commune sen» tentiam, judex approbat latam, accedunt » ministri super fuliginem nigriores, qui, ablata

Digitized by Google

» mitra de capite, annulum, casulam, dalmati-
» cam, ac reliqua Episcopalia vestimenta de-
» tracta ad pedes judicis ponunt, nudumque
» relictum, cum clamore rapiunt ejulantem, et
» a facie judicis trahunt ad tartara, nihil se-
» cum præter peccata portantem. Mox assesso-
» res judicis surgunt, et cum cantu sonoro sub-
» jungunt : *Dum tempus habemus, operemur*
» *bonum ad omnes.* His visis in spiritu, dictus
» Hildemensis Episcopus reversus in se, cogi-
» tare cœpit quisnam fuerit ille miserabilis
» Præsul : et ecce quidam ad ostium pulsans
» intromissus est, clamans cum lacrymis, *talem*
» Episcopum in proximam villam venisse de
» vespere, et, sub eadem noctis hora, repen-
» tina morte subtractum. Quo audito, sanctus
» Præsul miserrimo illi defuncto condoluit, et,
» licet inaniter quoad subventionem, pro pie-
» tate tamen lacrymas amarissimas fudit. »

III. Hæc Cantipratanus, qui sæculo Christi XIII floruit; Conradus autem, cujus ipse meminit, fuit quidem vir sanctus et doctissimus, ut testatur Trithemius in *Chronico Hirsaugiensi*, anno 1213. De eodem multa laude dignissima scribit Albertus Crantzius in *Metropoli Hamburgensi*, lib. VII, cap. XXXVIII. Fuit autem in numero Hildesheymensium Antistitum vigesimus octavus, dictusque est Conradus II, et, postquam præfuit annis XXIV, obiit anno 1245; quo tempore florebat Cantipratanus, qui auditor fuit Alberti Magni, ut ipse testatur, lib. II, cap. ultimo.

§ III.

Deinde unus ex Ministris tradit degradando librum Evangeliorum, quem Pontifex degradator aufert de manibus degradandi, dicens : *Redde Evangelium, quia prædicandi officio, quo, spreta Dei gratia, te indignum effecisti, te juste privamus.*

COMMENTARIUS.

Codicem Evangelii Episcopo traditum in sua consecratione, abunde probavimus, tum in nostro primo tomo hujus operis, in Commentario ad § XXX, tit. XIII, tum etiam in opere *De Codice sancti Evangelii, etc.*, lib. III, cap. XV. Recte autem a degradando Episcopo sacrum Evangelii codicem auferri, eique prædicandi munus vetari, ex eo addiscimus quia scilicet, ut ait S. Gregorius : « Cujus vita despicitur, » restat ut ejus quoque prædicatio contemna- » tur; » et, uti inquit regius Vates in Psalmo XLIX, *Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* Forte criminoso Episcopo ea competunt quæ in eodem Psalmo statim sequuntur : *Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos retrorsum, etc.*

§ IV.

Deinde Pontifex degradator amovet annulum de digito degradandi, sic dicens : *Annulum, fidei scilicet signaculum, tibi digne subtrahimus, quia ipsam sponsam Dei Ecclesiam temere violasti.*

COMMENTARIUS.

Quemadmodum Episcopi in sua consecratione annulos accipiebant, ita in degradatione iisdem privabantur. Testimonium ejus rei habemus in *Chronico Mauriniacensi*, ubi de Innocentio II degradante ordinatos a Gerardo Engolismensi, inter alia legitur quod « ipsos » quoque annulos in quibus ad ipsos (Episcopos) pertinens Ecclesiæ dispensatio expri- » mitur, sine respectu misericordiæ abstulit. » Vide quæ de annuli ablatione diximus supra in Commentario toties laudato ad § I tituli VII, et supra in Commentario § II, ubi exemplum retulimus cujusdam Episcopi divinitus degradati, cui etiam annulus ablatus fuit. Verba hic in

Digitized by Google

ablatione annuli prescripta respondent formulæ traditionis annuli, quæ in consecratione Episcoporum fieri jam vel longe ante annum Christi millesimum consuevit, uti videre est nostro I tomo hujus operis in Prolegomenis, cap XVII, et in commentario § XXVIII, tit. XIII.

§ V.

Tum unus ex Ministris tradit degradando in manus baculum Pastoralem, quem mox Pontifex degradator tollit de manibus degradandi, dicens : *Auferimus a te baculum Pastoralem, ut inde correctionis officium, quod turbasti, non valeas exercere.*

COMMENTARIUS.

I. Loquens Luitprandus, lib. VI, cap. XXI, de exauctoratione Benedicti V antipapæ, meminit ipse inter alia ablationis baculi, quem ferulam vocat. « Post hæc pallium sibi abstulit, quod » simul cum Pontificali ferula, quam manu » gestabat, domino Papæ reddidit : quam fe» rulam idem Papa fregit, et fractam populo » ostendit. » Fuisse morem olim ut, ubi electionis Pontificis Maximi solemnia agebantur, inter alia traderetur ei ferula in manu, addiscere licet ex Vita Paschalis II, auctore Pandulfo Pisano, et ex Baronio, ad annum 1100. Sunt qui autumant hanc ferulam novo Papæ traditam non esse accipiendam pro baculo Pastorali, conanturque ostendere ex Ordine Romano XII, a Mabillonio in *Musæo Italico* relato, ubi legitur, quod, electo Cœlestino III in Romanum Pontificem, « Prior basilicæ Sancti-Laurentii » dat ei ferulam, quæ est signum regiminis et » correctionis, etc. » Sed quid aliud baculus significat, nisi correctionem et regimen, juxta notata nostro I tomo hujus operis in Prolegomenis, cap. XX, et in Commentario ad § XXVII, tit. XIII ? Cæterum quod baculus ipse Episcoporum aliquando ferula appellaretur, dubitare non sinit sæculo X Joannes Monachus in Vita S. Odonis abbatis Cluniacensis, qui narrat apparuisse S. Odoni S. Martinum Turonensem episcopum Pontificalibus ornamentis indutum : « Aspiciebat, et ecce vir venerabilis canitie de» coratus, stolaque splendida indutus, super » quam pallio pluviali utebatur, et Episcoporum » more ferulam manu tenebat. » Vide Mabillonium in sæculum X Benedictinum, pag. 165, ad annum 942.

II. Baculos tandem non modo ablatos, sed et fractos in degradatione Episcoporum insuper eorum capita, docent nos memorata superius Acta S. Theodoardi Narbonensis archiepiscopi apud Bollandianos, die 1 maii, ubi de Selvæ Tarraconensis episcopi, atque Ermemiri ab eo ordinati, depositione sic inquiunt : « Deinde » factum est ut judicio qui aderant Episcopo» rum, tam prædictus Selva quam qui ordina» tus est ab eo Ermemirus, truncatis in con» spectu omnium ac penitus scissis Episcopalibus » indumentis, baculisque eorum super eorum » capita confractis, necnon annulis singulorum » ab eorum digitis dedecore cum magno evul» sis, ab omni ordine Clericatus dejecti sunt » penitusque depositi. »

§ VI.

Deinde, extractis sibi per Ministros chirothecis, Pontifex degradator abradit degradando pollices et manus leviter cum cultello aut vitro, dicens : *Sic spiritualis benedictionis et delibutionis mysticæ gratia, quantum in nobis est, te privamus, ut sanctificandi et benedicendi perdas officium et effectum.*

COMMENTARIUS.

I. Egimus et de chirotecis nostro I tomo hujus operis, tum in Prolegomenis, tum in Commentariis tituli *De Consecratione electi in Episcopum*, ubi etiam Orationes præscriptæ sunt ad

Digitized by Google

ipsas benedicendas, manibusque novi Episcopi imponendas. Nulla in hoc § in ipsarum ablatione præscripta est formula, solum extrahuntur, ut cæremonia peragatur abradendi cum cultello vel vitro pollices et manus degradandi Episcopi, sub recitata verborum formula qua ipse degradandus spiritualis benedictionis et delibutionis mysticæ gratia privatur, ut sanctificandi et benedicendi perdat officium et effectum.

II. Hunc ritum non novum esse, ex facto Stephani VI seu VII, qui, Formosum Papam prædecessorem degradatum solemniter declaraturus, ejus cadaver inaudito facinore e sepulcro exstrui jussit, quod, Pontificalibus vestimentis indutum, ex more in degradationibus usitato, exuit, digitisque tribus mutilavit; ut sic unctas in Sacerdotio manus deformaret. Cum enim sacra unctio animæ sanctificationem, et plenitudinem gratiæ significet, uti primo nostro tomo hujus operis diximus, non incongruum videri debet, unctionis vestigia per eam abrasionis cæremoniam oblitterare, ut per sententiam judicis declarata damnati Sacerdotis impuritas et nequitia demonstretur; quemadmodum scitissime observat erudissimus Hallier in celeberrimo opere *De sacris Electionibus et Ordidinationibus*, ubi agit de sacra unctione, pag. 1016.

III. De inaudito hoc facinore Stephani VI, quem alii VII vocant, Luitprandus memoria lapsus, ut notat Baronius, Sergium nuncupat, qui Formosum de sepulcro ejectum in Tiberim jactari præcepit, jam alibi etiam mentionem fecimus. Non omittendum hic autem est quod de eodem Formoso, quem Anastasius, in Nicolao I, magnæ sanctitatis Episcopum appellat, scribit Luitprandus, lib. I *Historiæ*, cap. VIII, dicens : « Quantæ autem auctoritatis, quantæ» que religionis Papa Formosus fuerit, hinc col» ligere possumus quoniam, dum a piscatori» bus postmodum esset inventus, atque ad » beatissimi Petri Apostolorum principis eccle» siam deportatus, Sanctorum quædam imagines » hunc in loculo positum venerabiliter saluta» runt. Hoc namque a religiosissimis Romanæ » urbis sæpe audivi. » Apud Frodoardum in Fragmento de Pontificibus Romanis, a Mabillonio, sæculo III Benedictino, parte II, edito, hocce de Formoso elogium legitur :

Præsul hic egregius Formosus laudibus altis
Evehitur, castus, parcus sibi, largus egenis :
Bulgaricæ genti fidei qui semina sparsit.
Delubra destruxit, populum cœlestibus armis
Instruxit, tolerans discrimina plurima : promptus
Exemplum tribuens, ut sint adversa ferenda,
Et bene viventi metuenda incommoda nulla.

IV. Ex adverso non diu in Pontificatu vixit Stephanus; sed enim pulsus, detrusus est in carcerem atque ibi strangulatus, ut nos docet ejus epitaphium, quod anno Christi 900, cui mortem ejus affixit, refert Baronius ex Petro Manlio, qui vixit sub Pontificatu Alexandri III. Cæterum quoad annum mortis Stephani, eum esse octingentesimum nonagesimum septimum invicte demonstrat Pagius in *Breviario Gestorum Pontificum Romanorum*, in Stephano VI, aliis VII, num. VII.

§ VII.

Post hæc Pontifex cum eodem cultello aut vitro abradit leviter caput degradandi, dicens : *Consecrationem et benedictionem atque unctionem tibi traditam radendo delemus, et te ab ordine Pontificali, quo inhabilis es redditus, abdicamus.*

COMMENTARIUS.

Ad ignominiam et opprobrium tonderi ac radi caput, usitatum quidem non modo apud Gentiles, verum etiam apud Christianos antiquissimi moris est. Quod autem degradando Episcopo caput abradatur, multa ejus rei exempla in Ecclesiastica Historia occurrunt. Vide quæ de hoc ritu nos infra dicemus ad titulum XVI, in Commentario § II.

§ VIII.

Tum degradando per ministros extrahuntur sandalia.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Inter Episcoporum indumenta recenseri sandalia, jam locis toties a nobis in Commentariis ad hunc titulum laudatis ostensum fuit. Ablata ipsa jam olim Episcopo in ejus degradatione addiscimus ex Actis Stephani Papæ III, ubi de Constantini pseudopontificis depositione sic legimus : « Accedens Maurianus Subdiaco- » nus, orarium de ejus collo abstulit, et ante » pedes ejus projecit, et compages ejus absci- » dit. » Compages idem sunt ac sandalia, vocanturque apud nonnullos scriptores antiquos *compaga* sive *compagia*, rectius tamen nuncupari *compagos* docet eruditus Joannes cardinalis Bona, lib. I *Rerum Liturgicarum*, capite XXIV, num. IX. In Ordine antiquo Romano accipiuntur compagi pro caligis; ait enim, ubi agit de ordinatione Episcopi : « Induunt electum » compagos et sandalia, etc. » Ubi nota, sandalia quidem eo loco pro pedum tegumentis sumi, compagos vero pro caligis, id est tibialibus, usurpari. Vide virum clarissimum Dominicum Georgium *De Liturgia Romani Pontificis*, lib. I, cap. XIII, ubi inter alia animadvertit barbaros quidem librorum exscriptores vocem *compagus* corrupisse, scribendo *gumbagus*, *compagus* et *campobus*.

II. Jam, præter horum Pontificalium insignium ablationem, degradando Episcopo fuisse etiam crucem Pontificalem ereptam, memini me alibi memorasse; ejusque ritus vestigium legere est Actis Concilii Constantiensis, in quo, lata adversus Joannem XXIII Papam sententia depositionis, eidemque tradita, narrat Pagius in Vita ejusdem Pontificis, num. LXIII, eam ipsum approbasse, apponentemque manum ad pectus cum juramento affirmasse, se nihil contra eam sententiam unquam acturum, Papatui cedere, et renuntiare expresse : « in hu- » jusque signum se jam de camera sua crucem » papalem amoveri fecisse, ac, si vestes mutato- » rias habuisset, omnia insignia Papalia tunc » coram Prælatis deposuisset; voluissetque » quod ad Papatum nunquam fuisset assump- » tus, quia ex post nunquam habuerat bonum » diem. » Quæ omnia in Actis editis Concilii Constantiensis fusius continentur, et a scriptoribus Ecclesiasticis late narrantur, ac præsertim a Rainaldo ad annum 1415.

III. Addit iis Theodorus Niemus in ejus Vita, eumdem Joannem XXIII, nempe Balthassarem Cossam seu Coxam (ita enim, antequam esset electus Romanus Pontifex, vocabatur), principio mensis junii anno 1415, ductum fuisse Castrum Gotlenen, prope Constantiam sub custodia Concilii per aliquot dies, et licentiatos fuisse ejus familiares, ne illis cooperantibus evadere posset, traditumque postea custodiæ Ludovici Ducis, comitis palatini Rheni, concilii custodis a Sigismondo rege constituti in sua absentia, « qui eum, inquit, benigne per- » tractat, sibique providet de omnibus oppor- » tunis, et habet duos capellanos honestos » secum dicentes Officium, et coram celebran- » tes, et quosdam honestos nobiles in sibi mensa » ministrantes in loco spatioso et delectabili, » non catenatus, non constrictus. » Ita Niemus; sed Platina scribit Joannem ad Ludovicum Bavarum, qui cum Gregorio XII sentiebat, custodiendum missum, donec aliud decerneretur, Heidelbergæ triennio, sine ullo cubiculario famulove Italico, asservatum esse.

IV. Quidquid sit de hac varietate, constat plane illud, Joannem fuisse depositum et degradatum sententia Concilii Constantiensis, quam ipsemet deposito habitu Ponticali comprobavit, tametsi solemnes omnes in nostris ad hunc titulum Commentariis enarrati ritus servati minime fuerint. Porro communi Concilii suffragio decreta et publicata contra eum sententia definitiva in hunc modum fuit : « Quia » nobis legitime constat dominum nostrum » Joannem Papam XXIII, a tempore quo fuit » assumptus ad Papatum usque nunc, Papatum » ipsum et politiam Ecclesiæ, in scandalum » notorium ipsius et Ecclesiæ, male admini- » strasse, rexisse et gubernasse, vitaque sua dam- » nabili ejusque nefandis moribus populis exem- » plum vitæ malæ tribuisse, et insuper ecclesias » cathedrales, monasteria, prioratus conven- » tuales, et cætera beneficia Ecclesiastica pretio » appretiato simoniace notorie distribuisse; » quodque, charitative monitus, a præmissis » desistere noluit, sed continue perseveravit et » perseverat, Ecclesiam Dei in præmissis noto- » rie scandalizando : eapropter, per hanc no- » stram sententiam, pronuntiamus et decerni-

Digitized by Google

» mus et declaramus dictum dominum Joannem » Papam ab omni administratione Papali, spi- » rituali et temporali, ex causis præmissis fore » suspendendum, et suspendimus, eique admi- » nistrationem ipsam interdicimus in his scri- » ptis, criminaque præmissa contra eum su- » per mala administratione simoniaca, et dilapi- » datione notoria, ac ejus mala vita Ecclesiam » scandalizante, prout præmittitur, proposita, » notoria existere, ac de et super eis tan- » quam de et super notoriis procedendum » fore et procedi debere ad finem ejiciendi eum » a Papatu, prout juris fuerit, declaramus. »

TITULUS IX.

DEGRADATIO AB ORDINE PRESBYTERATUS.

Absoluto ritu ab ordine Pontificali, sequitur ritus degradationis ab ordine Presbyteratus, de quo exstat celebre decretum Concilii Lemovicensis II, quod celebratum est anno Christi 1031, itemque Epistola decretalis Bonifacii VIII Pontificis Maximi ad Episcopum Bitterrensem in Galliis, relata in cap. II *De Pœnis*, in Sexto, quam eruditus Abrahamus Bzovius consignavit anno Christi 1296, quamque nos superius in Commentariis nostris singulas fere per partes explicuimus.

§ I.

Ministri tradunt in manus degradandi calicem cum vino et aqua, ac patena et hostia, quem Pontifex degradator aufert de manibus degradandi, dicens : *Amovemus a te, quin potius amotam esse ostendimus, potestatem offerendi Deo sacrificium, Missamque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis.*

COMMENTARIUS.

I. Cautum est ex memorato Concilio Lemovicensi II, et ex decretali Epistola Bonifacii VIII, ac libris manuscriptis Pontificalibus, annorum circiter quingentorum, ut, quando Episcopus Presbyterum deposuerit, jubeat eum prius indui omnibus Sacerdotalibus indumentis, sibique calicem in manu habentem, ac si deberet in Sacerdotali officio ministrare, præsentari. Meminit quidem ejus ritus manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiæ Moguntinæ, quod tamen in eo a nostro hodierno Romano Pontificali differt; vult enim ut Presbyter degradandus *portet calicem vacuum in manu sua :* cum alias ex nostra Rubrica perspicue cautum sit ut *Ministri tradant in manu degradandi calicem cum vino et aqua, ac patena et hostia.* Rursus in eo differt prædictum Pontificale Moguntinum, quod, ante verborum formulam qua calix a degradando amovetur, præscribit dicenda primum ab Episcopo degradatore ad degradandum Sacerdotem verba : « O Juda, qui dereliquisti » consilium pacis, et cum Judæis consiliatus es, » triginta argenteis vendidisti sanguinem jus- » tum. et pacis osculum gerebas, quod in pe- » ctore non habebas : os tuum abundavit mali- » tia, et lingua tua concinnavit dolos. »

II. Hæc quidem verba in nullo editorum vel ante Clementem VIII Pontificalium mihi licuit reperire, usurpata nihilominus sunt in degradatione Joannis Hus, in sua hæresi pertinaciter persistente, de quo ita legimus in sessione XV Concilii Constantiensis, habita anno 1415 : « Iverunt ad ipsum Joannem Hus reverendi » Patres domini Archiepiscopus Mediolanen- » sis, Suffraganeus domini Episcopi Constan- » tiensis, Episcopus Brangorensis pro degrada- » tione ipsius Joannis Hus, ad locum ubi is » Joannes Hus existebat, auctoritate et mandato

Digitized by Google

» ipsius sanctæ Synodi Constantiensis, ad finem » quod curiæ sæculari tradi posset, ipsum Joan- » nem degradarunt, legendo verba ad hoc ordi- » nata de libro Pontificali : *O Juda*, amovendo » ab eo tanquam ab indigno calicem, et conse- » quenter solemnitatibus ad quodlibet exhibitis, » exuebant eum casula, stola, tondentes sibi » crines, et similiter amovendo ab eo omnia » Sacerdotalia et Clericalia. » Ubi nota, prima ante ablationem calicis verba ab Episcopis usurpata, fuisse illa, *O Juda*, in manuscripto Pontificali Moguntino, et fortasse in aliis passim, quæ erant in usu tempore Constantiensis Concilii, Pontificalibus præscripta.

III. Tandem, ubi calicem a degradando Sacerdote amovebat Episcopus degradator, hanc ex ipso manuscripto Moguntino Pontificali verborum formulam pronuntiabat : « Auferimus » a te calicem istum, et potestatem celebrandi » deinde Missam in Ecclesia sancta Dei, tam » pro vivis quam pro defunctis, quod hactenus » facere potuisti. » Ubi nota, quod etiam alibi dictum est, degradatum Sacerdotem valide Eucharistiam conficere, quia character super quo fundatur conficiendi potestas, animæ impressus a Deo, ab homine non potest auferri. Sicut enim Baptismus in degradatis, hæreticis, schismaticis, excommunicatis, ita Ordinatio mansit integra, cum utrumque Sacramentum quadam consecratione homini detur. Docet hæc S. Augustinus, lib. II *Contra Epistolam Parmeniani*, cap. XIII, ubi etiam addit quod, quamvis honores suos administrare, seu functiones Ordinum exercere ipsis non liceat, « non » eis tamen ipsa Ordinationis sacramenta detra- » huntur, sed manent super eos. »

§ II.

Deinde Pontifex degradator abradit leviter cum cultello vel vitro pollices et indices utriusque manus degradandi, dicens : *Potestatem sacrificandi, consecrandi et benedicendi, quam in unctione manuum et pollicum recepisti, tibi tollimus hac rasura.*

COMMENTARIUS.

Caput degradandi radendum, *ne tonsuræ seu Clericatus vestigium remaneat in eodem*, præscripsit quidem in sua decretali ad Episcopum Bitterrensem Epistola Bonifacius VIII, nulla facta penitus mentione abradendi cum cultello vel vitro pollices et indices utriusque manus degradandi, quemadmodum ex nostro hoc hodierno Romano Pontificali præscriptum est. Meminit autem ejus ritus Gulielmus Durandus tam in suo manuscripto Pontificali codice, qui exstat in celebri Vaticana bibliotheca, numero 4744, quam in suo *Speculo Juris*, lib. III *De accusationibus*, § II, ubi ita ritum solemnis degradationis describit : « Episcopus, quasi exse- » quendo sententiam depositionis, præsente » judice sæculari, cui degradandus debet relin- » qui, abradit illi cum vitro vel alio hujus- » modi loca capitis et manuum in quibus in » collatione Ordinum inunctio facta fuit. » In manuscripto Ecclesiæ Moguntinæ Pontificali ritus prædictus abradendi pollices et indices manuum degradandi, omnino desideratur, quemadmodum etiam et formula in ea cæremonia, ab Episcopo pronuntianda. Sed nec apud pervetustos scriptores ulla ejus ritus fit mentio.

§ III.

Quo dicto, Pontifex degradator accipit casulam sive planetam per posteriorem partem caputii, et degradandum exuit, dicens : *Veste Sacerdotali, charitatem signante, merito exspoliamus, quia ipsam et omnem innocentiam exuisti.*

COMMENTARIUS.

I. Quandoquidem nullam manuscriptum Pontificale Moguntinum mentionem facit illius cæremoniæ et formulæ, qua pollices et indices ambarum manuum degradandi cum cultello

Digitized by Google

vel vitro abraduntur, idcirco, post ablatum eidem calicem, mandat ut exuat eum casula, et dicat : « Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, et te honore Sacerdotali, demeritis tuis » exigentibus, rationabiliter privamus. » Est formula omnino diversa ab illa in nostro § III descripta; concinit tamen formulæ ipsi quam in laudato toties cap. II *De Pœnis* in VI edidit Bonifacius VIII, sic dicens : « Poterit autem » Episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis aliquibus ab terrorem, illis oppositis quæ » in collatione Ordinum sunt prolata, dicendo » Presbytero : « Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, et te honore Sacerdotali privamus. »

II. Etsi autem in sua Decretali hanc Bonifacius VIII præscribat formulam, retinenda est nihilominus nostri hodierni Romani Pontificalis formula, a variis Summis Pontificibus approbata; estque ipsa magis adhærens ritui præscripto a Bonifacio, dum ait debere Episcopum, « in degradatione, uti verbis aliquibus » ad terrorem illis oppositis quæ in collatione » Ordinum sunt prolata. » Cum ergo in Ordinatione Presbyteri, uti dictum est tomo I, tit. XII, § IX, ubi Episcopus imponit Presbytero casulam, ea pronuntiat verba : « Accipe vestem » Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur; » potens est enim Deus ut augeat tibi charitatem et opus perfectum : » merito quidem, ubi degradandum Presbyterum casula seu planeta exuit, hanc dicit verborum formulam : *Veste Sacerdotali charitatem signante, etc.*

§ IV.

Tum Pontifex degradator aufert a degradato stolam, dicens : *Signum Domini per hanc stolam turpiter abjecisti, ideoque ipsam a te amovemus, quem inhabilem reddimus ad omne Sacerdotale officium exercendum.*

COMMENTARIUS.

I. Stolam degradando Presbytero auferri mandat quidem manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Moguntinæ, sub diversa tamen a descripta in nostro hodierno Romano Pontificali verborum formula, dum ita inquit : « Stolam » candidam de manu Domini acceptam a te auferimus, ut omnibus vita malæ tuæ conversationis præbeat exemplum, plebsque dicata » Christi nomine, tuam detestando malitiam, » imitationem possit acquirere justam. Jugum » enim Domini suave, et onus ejus leve infeliciter neglexisti. » Casula et stola exutum in sua ipsius degradatione Joannem Hus, legimus in sessione XV Concilii Constantiensis, habita anno 1415. Acta Concilii Romani sub Joanne Papa XII, ante annum Christi millesimum celebrati, actione I, de ordinatis a Leone pseudopontifice, sic inquiunt : « Tunc idem benignissimus Papa præcepit ingredi eos in Concilium, » cum vestimentis, planetis, atque stolis, » et unumquemque eorum in chartula scribere » fecit : *Pater meus nihil sibi habuit*, *nihil* » *mihi dedit ;* et sic eos exutos privavit honore » quem dederat eis ipse invasor. »

II. Olim cum interdum sacri homines propter suum aliquod crimen non omnino degradarentur, sed tantum ex parte, ex superiori scilicet ad alium inferiorem Ordinem dejecti, ubi hæc pœna irrogabatur Presbytero ad Diaconi gradum dejiciendo, non omnino ei stola auferebatur, sed de collo inter scapulas sub latere dextro reflectebatur, ex decreto Concilii Lemovicensis II, anno 1031, celebrati, quod est hujusmodi : « Quando autem Episcopus Presbyterum deposuerit, sic agat : Jubeat eum prius » indui omnibus Sacerdotalibus indumentis, » deinde manu sua auferat ei manipulum, deinde casulam, deinde mediam stolam de collo » reflectat ei inter scapulas sub latere dextro, » et depositus est a Presbyteratu in Diaconatum. » Multa hujus degradationis exempla, dejectionis scilicet de uno Ordine in alium in Ecclesia olim usitatæ, jam superius allata a nobis fuerunt. Tandem ex laudato manuscripto insignis Moguntinæ Ecclesiæ Pontificali cautum et illud est, ut degradandus Presbyter stola sub recitata verborum formula denudatus, « postea » exuatur alba, et, deposito amicto, induatur » superpelliceo, et accepta forfice Episcopus » tondeat eum, et dicat : « Hic accipiet male-

Digitized by Google

» dictionem a Domino, et misericordiam a Deo » salutari suo nullatenus consequeris. » Autumo legendum *consequetur*: sed, quidquid de eo sit, certe recitata hæc formula nullibi exstat.

TITULUS X.

DEGRADATIO AB ORDINE DIACONATUS.

Quod ad hunc aliosque plures sequentes attinet titulos, nihil plane legi in manuscriptis Pontificalibus libris, tametsi recentiores ii sint. Tenenda itaque illa regula est quam Episcopo Bitterrensi præscripsit Bonifacius VIII, in cap. II *De Pœnis*, in Sexto, quamque legere etiam est in manuscripto Pontificali Moguntino, ubi hæc habet : « Si alter Clericus, non Presbyter, de» gradandus fuerit, idem modus servetur, vide» licet præsentetur in ornamentis pro officio » suo aptis, et quod ultimum fuerit in colla» tione sui Ordinis, sit primum in ablatione » degradationis, usque ad ultimum de officio » Clericatus superpositum. »

§ I.

Ministri tradunt degradando in manus librum Evangeliorum, quem Pontifex degradator tollit de manibus ejus, dicens : *Amovemus a te potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, quia id non competit nisi dignis.*

§ II.

Tum Pontifex degradator exuit degradandum dalmatica, dicens : *Levitico ordine te privamus, quia tuum in eo ministerium non implevisti.*

§ III.

Deinde Pontifex degradator amovet degradando stolam de humeris, projiciens eam post tergum, dicens : *Stolam candidam, quam acceperas immaculatam in conspectu Domini perferendam, quia non sic cognito mysterio, exemplum conversationis tuæ fidelibus præbuisti, ut plebs dicata Christi nomine posset exinde imitationem acquirere, juste a te amovemus, omne Diaconatus officium tibi prohibentes.*

COMMENTARIUS.

Cum sacer Evangelii codex, dalmatica et stola, sint instrumenta quibus Ecclesia pluribus abhinc sæculis utitur in Ordinatione Diaconorum, juxta notata a nobis nostro I tomo hujus operis in Commentariis ad titulum XI, ratio ritus a Bonifacio VIII præscripti merito postulat ut eadem instrumenta ab ordine Diaconatus dejiciendo et degradando amoveantur. Formula ablationis stolæ in III § descripta, concordat profecto bona ex parte cum illa quam adhibendam in degradatione Presbyteri præscribit manuscriptum Pontificale Ecclesiæ Moguntinæ, uti superius videre est in Commentario ad § IV tituli præcedentis.

Digitized by Google

TITULUS XI.

DEGRADATIO AB ORDINE SUBDIACONATUS.

Præter editos Pontificales codices, nullum profecto alium inveni manuscriptum codicem Pontificalem, in quo ritus degradationis ab ordine Subdiaconatus recenseatur. Editos libros Pontificales intelligo non modo illos quos sua auctoritate approbarunt Summi Pontifices Clemens VIII et Urbanus VIII, verum et illos qui longe ante hosce Pontifices typis tum Romæ tum alibi commissi fuerunt.

§ I.

Ministri tradunt in manus degradandi librum Epistolarum, quem Pontifex degradator de manibus illius accipit, dicens : *Auferimus tibi potestatem legendi Epistolam in Ecclesia Dei, quia hoc ministerio indignus es redditus.*

§ II.

Tum Pontifex degradator exuit degradandum tunicella, dicens : *Tunica Subdiaconali te exuimus, cujus cor et corpus timor Domini castus et sanctus in æternum permanens non constringit.*

§ III.

Deinde Pontifex degradator accipit a degradando manipulum, dicens : *Depone manipulum, quia per fructus bonorum operum quos designat, non expugnasti spirituales insidias inimici.*

§ IV.

Tum Pontifex tangens amictum degradandi, dicit : *Quia vocem tuam non castigasti, ideo amictum a te auferimus.*

§ V.

Post hæc unus ex Ministris tradit in manus degradando urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum manutergio, ac calicem vacuum cum patena. Tum Archidiaconus tollit de manu degradandi urceolos cum vino et aqua, ac bacile cum buccali et manutergio. Pontifex vero calicem vacuum et patenam tollit, dicens : *Potestatem introeundi sacrarium, tangendi pallas, vasa, et alia indumenta sacra, omneque Subdiaconatus ministerium exercendi a te amovemus.* Deinde Ministri exuunt degradandum cingulum, albam et amictum.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Facile curiosus lugubris hujus cæremoniæ degradationis ab ordine Subdiaconatus intelliget lector, qui ritus primum didicerit quibus longe post annum Christi millesimum cœpere Subdiaconi ordinari : non enim tota hæc supellex, de qua in hisce rubricis fit mentio, in ipsorum Subdiaconorum ordinatione ante eam ætatem adhibebatur. Nam apud Latinos quidem materia Subdiaconatus fuit jam olim semper calicis vacui et patenæ vacuæ traditio ab Episcopo facta, necnon traditio urceoli cum aqua, mantili, et manutergio. Sed de his vide in nostro I tomo hujus operis nostros Commentarios ad titulum X *De Ordinatione Subdiaconi*.

II. Quæri hic opportune potest, an Subdiaconi et alii majores Clerici solemniter ab Episcopo degradati, ad recitandas Horas canonicas teneantur. Respondent communiter Doctores, omnino teneri, quia ab his quæ sunt oneris minime liberantur, cum nemo ex proprio delicto sentire commodum debeat. Vide Sylvestrum in *Summa*, verbo *Degradatio* ; et verbo *Hora*, ubi etiam docet, quod *tam degradatus quam suspensus non debet officiare Ecclesiam ; et cum solus dicit Horas* (*canonicas*), *aut cum aliis non officiando Ecclesiam, non debet dicere Dominus vobiscum, vel similia quæ ad Ordinis ejus dignitatem pertinent*. Quod dicit hic auctor de salutatione *Dominus vobiscum*, spectat quidem Diaconum, Presbyterum, sive Episcopum : nam quantum ad Subdiaconos, nunquam isti prædictam salutationem in recitatione Horarum canonicarum adhibere debent, tametsi nec degradati, neque ullo censuræ vinculo alligati sint.

TITULUS XII.

DEGRADATIO AB ORDINE ACOLYTHATUS.

I. Solemnem degradationem habere locum non modo ubi sacris Ordinibus insigniti, verum etiam, ubi prima tonsura, minoribusque Ordinibus initiati, aliquod enorme delictum perpetrarunt, ex laudata toties Bonifacii VIII decretali Epistola, in cap. II. *De Pœnis*, in VI, liquido constat. Testatur quoque Gulielmus Benedicti ad textum in cap. *Raynutius*, Extra. *De Testamentis*, verbo *Et uxorem*, suo tempore communem fuisse canonistarum opinionem, etiam simplicium Clericorum degradationem esse necessariam, sed in Gallia tamen non fuisse rereceptam, sic dicens : « Attamen in præsenti » regno et curia Franciæ, quoties Clericus simpliciter tonsuratus de crimine detinetur a sæculari potestate, si delictum sit tale, pro quo » puniendo Ecclesia non habet de jure, quod » faciat ; ut, quia delictum est ita atrox, quod » Ecclesia pœnam pro illo non habet condignam, » his casibus per judicem sæcularem punitur » absque alia declaratione, seu degradatione per » Ecclesiam facienda deperditione privilegii, quo » est ipso facto privatus : licet videretur, declarationem esse necessariam per caput *Cum* » *secundum*, *De Hæreticis* in VI, et caput *Si* » *judex*, *De sententia Excommunicationis* in VI. » Quæ jura hoc casu non servantur in regno, » nec servata fuerunt, Ecclesia sciente, et tolerante. »

II. Certe anno 1571, edicto Caroli IX regis Galliæ declaratum et illud fuit, quod nimirum Presbyteri et promoti ad sacros Ordines non sint afficiendi ultimo supplicio pro commissis criminibus sine prævia degradatione, nulla facta simplicium Clericorum mentione. Testis est Zegerus Van-Espen, parte III *Juris universi Ecclesiastici*, tit. XI, cap. I, quod de regno Galliæ refert memoratus Gulielmus Benedicti, hoc et in suo Bel-

Digitized by Google

gio obtinere « ut nimirum degradatio simplicium » Clericorum exoleverit, et ad Clericos in sacris » constitutos restricta sit. » Tum in fine capitis hæc subjungit : « In Belgio, tametsi rara admo» dum sit hæc cæremonia, et solemnis ac publica » Sacerdotum aut aliorum in sacris constituto» rum degradatio, nihilominus in desuetudinem » non abit, diciturque et hoc sæculo ab archi» episcopo Mechliniensi Jacobo Boone adhuc fa» cta : neque hactenus scimus ullum in sacris » constitutum pœna corporali per judices laicos » punitum sine prævia degradatione. » In variis nostræ Italiæ locis plures scimus nostris hisce temporibus sacros homines ob enormia sua crimina ultimo supplicio affectos, prævia semper solemni degradatione.

III. Porro si recentioribus ac modernis Galliæ Pragmaticis et scriptoribus fides sit, memoratum Caroli IX edictum anno 1561 promulgatum de non afficiendo sacris Ordinibus insignitos ultimo supplicio sine prævia solemni degradatione, minime hodie in Gallia ipsa servatur ; aiunt enim degradationem, etiam Presbyterorum ob enorme et privilegiatum, ut aiunt, crimen, non requiri ; eamque in desuetudinem abiisse, eo prætextu quod Episcopi prætenderent se non esse simplices ministros degradationis, sed et judices criminum, seque de crimine cognoscere debere, priusquam ad degradationem procedant, ut late deducit Loyseau in tractatu *De Ordinibus*, cap. IX, et plures citat Carolus Fevretius, lib. VIII *De Abusu*, capite IV, qui, postquam dixit duplicem de jure esse Clericorum depositionem, unam verbalem, aliam actualem, adhibitis solemnibus cæremoniis in Pontificali præscriptis, subjicit hoc in præsentiarum non observari, credique in Gallia esse sufficienter degradatos per atrocitatem criminis quod commiserunt. Sed hoc novum in Gallia est, adversaturque non modo priscæ Ecclesiæ Gallicanæ disciplinæ, sed et regio Caroli IX edicto. Nam eruditus Altaserra, olim Universitatis Tolosanæ decanus, lib. IV *De Jurisdictione Ecclesiastica*, capite II, postquam dixit tanti fuisse in Gallia sub regibus prioris stirpis Episcopalem dignitatem, ut, etiam in crimine læsæ majestatis, Episcopi nescirent civilem judicem, nec alibi damnarentur quam in Concilio Episcoporum, ut probatur judiciis Prætextati Rothomagensis episcopi, Ursicini Cadurcensis, Salonii et Sagittarii Episcoporum ; addit Carolum Magnum, lib. V *Capitularium*, capite CCXXV, sine ulla distinctione criminis privilegiati et communis, statuisse ne Clerici accusentur apud civilem judicem, sed apud Episcopum, in violatores legis statuta pœna decem librarum auri, si essent in magistratu positi, et in exsecutores, mulctationis officii, et detrusionis in decanicum, id est carcerem Ecclesiæ.

IV. Tandem fatetur laudatissimus scriptor, sub Carolo VI rege Galliæ, anno 1416, auditam primum fuisse distinctionem criminis privilegiati, et criminis communis seu Ecclesiastici ; refellitque egregie, ut solet, malignas Milletotii et Fevretii eum sequentis, interpretationes. Sed redeamus ad rem nostram.

§ I.

Unus ex Ministris tradit in manus degradando urceolum vacuum, quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens : *Immunde, vinum et aquam ad Eucharistiam de cætero non ministres.*

§ II.

Tum unus Ministrorum tradit in manus degradando candelabrum cum cereo exstincto, quod Pontifex degradator accipit de manibus illius, dicens : *Dimitte perferendi visibile lumen officium, quia præbere spirituale moribus neglexisti, atque universum Acolythatus officium hic depone.*

COMMENTARIUS.

Exstant hæc quidem formulæ degradationis ab Ordine Acolythatus, sicut et aliæ, in editis Romanis Pontificalibus, etiam longe ante Clementem VIII. In manuscriptis nihil de iis

Digitized by Google

reperi, et, quod mirum est, nullam de eisdem mentionem facit Vaticanum Gulielmi Durandi Pontificale, cui cæteroqui in omnibus fere ac minutissimis rebus hodiernum Romanum Pontificale concinit. Porro cum hujus Acolythatus Ordinis duplex sit materia, nempe Ceroferarii cum cereo traditio, et urceoli vacui, ut antiqui Rituales libri, et Concilii IV Carthaginensis Patres can. VI docent, non mirum si utrumque instrumentum Acolytho degradando auferatur. Utitur autem Episcopus in degradatione Acolythorum iis verbis, *Immunde, vinum et aqua, etc.* itemque iis, *Dimitte perferendi visibile lumen officium etc.*, quod contraria illis sunt quæ Episcopus in collatione prædicti Ordinis ex antiquo Ecclesiæ instituto pronuntiare solet. Ut enim in nostro hodierno Romano Pontificali videre est ad titulum, *De Ordinatione Acolythorum,* orat Episcopus ut Deus Acolythos benedicere dignetur, « quatenus lumen visibile manibus » præferentes, lumen quoque spirituale moribus » præbeant. » In alia Oratione idem Episcopus Deum exorat ut Acolythos ipsos dignetur benedicere, « ad accendendum lumen Ecclesiæ, et » ad suggerendum vinum et aquam ad confi- » ciendum Sanguinem Christi, in offerenda » Eucharistia sanctis altaribus fideliter submi- » nistrent » Ad hæc verba alludunt memoratæ degradationis ab ordine Acolythatus formulæ in §§ I et II descriptæ.

TITULUS XIII.

DEGRADATIO AB ORDINE EXORCISTATUS.

§ I.

Unus ex Ministris tradit degradando in manus librum Exorcismorum, quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens : *Privamus te potestate imponendi manum super energumenos, et dæmones de obsessis corporibus expellendi, omni tibi Exorcistatus officio interdicto.*

COMMENTARIUS.

Cum Ordinis Exorcistatus materia, ut alibi diximus, sit libri Exorcismorum traditio, forma autem sint illa Episcopi verba, *Accipe, et commenda memoriæ, et accipe potestatem imponendi manus super energumenos :* jure ac merito in Exorcistarum degradatione librum Exorcismorum eisdem aufert sub descripta in nostro hoc præsenti § verborum formula, quæ quidem illi contraria est quam in collatione prædicti Ordinis Episcopus dicit. Cæterum, cum, ex Romano hodierno Pontificali, ubi Exorcistæ ordinantur, tradi eisdem possit loco libri Exorcismorum liber Pontificalis seu Missalis, non est addubitandum, posse et in ipsorum Exorcistarum degradatione, Pontificalis seu Missalis libros adhiberi. Quæ officia ad Ordinem Exorcistatus pertineant, fuse nos explicuimus supra nostro I tomo hujus operis in Commentariis ad titulum VII, *De Ordinatione Exorcistarum.*

Digitized by Google

TITULUS XIV.

DEGRADATIO AB ORDINE LECTORATUS.

§ I.

Unus Ministrorum tradit degradando in manus librum Lectionum, quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens : *In Ecclesia Dei non legas ulterius: nec panes aut fructus novos ullatenus benedicas, quia tuum officium non implevisti fideliter et devote.*

COMMENTARIUS.

Lectorum officium est quidem ex Romano Pontificali, « legere ei qui prædicat, et Lectiones » cantare, et benedicere panem, et omnes fru- » ctus novos. » Hoc munere, quod fideliter non impleverit, degradandum Lectorem privat Episcopus, auferens eidem sacrum Codicem, qui ex prisco Ecclesiæ ritu ordinando in Lectorem pro materia sui Ordinis tradi solet. Dicitur autem idcirco in Pontificali, officium esse Lectoris, *legere ei qui prædicat;* quia scilicet mos fuit Ecclesiæ antiquus ut, Episcopo concionem ad populum habituro, staret Lector toti populo conspicuus, qui de pulpito legebat præscriptam ab Episcopo Evangelii vel alterius libri sacri partem, quam deinde Episcopus ipse Christianæ plebi exponebat. Id ex antiquorum Patrum sermonibus compertum est, maxime ex enarratione S. Augustini in Psalmum CXXXVIII. Panem etiam, et omnes fructus novos benedicere ad officium Lectorum pertinet; quamvis hodie benedictiones illæ a solis Presbyteris peragantur. Porro, quod etiam aliquando Episcopi ipsi concionaturi librum tenerent, ac aliquam ejus partem legerent, quam deinde explicabant, docet quidem inter alios vir clarissimus Bernardinus Ferrarius in suo celebri opusculo *De ritu sacrarum Ecclesiæ veteris Concionum.*

TITULUS XV.

DEGRADATIO AB ORDINE OSTIARIATUS.

§ I.

Unus ex Ministris tradit degradando in manus claves Ecclesiæ, quas Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens : *Quia in clavibus errasti, claves dimitte, et quia ostia cordis tui male dæmonibus obserasti, amovemus a te officium Ostiarii, ut non percutias cymbalum, non aperias Ecclesiam, non sacrarium, non librum amplius prædicanti.*

COMMENTARIUS.

I. Alludit hæc degradationis formula ad illam Episcopi admonitionem quam legere est Pontificali Romano ad titulum V *De Ordinatione Ostiariorum,* ubi ita inquit : « Susce- » pturi, filii charissimi, officium Ostiariorum, » videte quæ in domo Dei agere debeatis.

Digitized by Google

» Ostiarium oportet percutere cymbalum et » campanam; aperire ecclesiam et sacrarium; » et librum aperire ei qui prædicat. » Tum addit : « Providete igitur ne, per negligentiam » vestram, illarum rerum quæ intra Ecclesiam » sunt aliquid depereat; certisque horis do» mum Dei aperiatis fidelibus, et semper clau» datis infidelibus. » Statimque hæc subjicit : « Studete etiam ut, sicut materialibus clavibus » Ecclesiam visibilem aperitis et clauditis, sic » et invisibilem Dei domum, corda scilicet fi» delium, dictis et exemplis vestris claudatis » diabolo, et aperiatis Deo, etc. »

II. Hic illud opportune notandum censeo, quod explicare omisi I tomo hujus operis ad titulum V, *De Ordinatione Ostiariorum*, cymbalum, cujus in ipso titulo et in hoc § fit mentio, quodque percutere unum est ex Ostiarii officiis, idem esse ac campunalam; ejusque mentionem facit Belethus in sua *Divinorum Officiorum Explicatione*, cap. LXXXVI, ubi sex instrumentorum genera enumerat, quibus homines convocandi gratia pulsatur, *tintinnabulum*, *cymbalum*, *nolam*, *nolulam*, *campanam et signum*. Tum ait, cymbalum pulsari *in choro*, tintinnabulum vero *in triclinio et in refectorio*. Durandus, lib. I sui *Rationalis*, cap. IV, num. II, cymbalum in claustro statuit; eoque Monachos ad refectorium vocatos docet nos Lanfranchus in *Decretis* pro ordine Sancti-Benedicti, cap. I, sic dicens : « Cantata Nona, » exeat Prior ad percutiendum cymbalum, » hebdomadarii coquinæ, et cæteri qui servituri » sunt ad injuncta sibi officia. » In *Chronico Abbatiæ Sancti-Trudonis*, lib. IX, pag. 406, legimus *cymbalum refectorii*. Id quod etiam constat ex priscis constitutionibus Ordinis Prædicatorum, dist. I, cap. V : « Postmodum, in» quiunt, pulsetur cymbalum, si cibus sit pa» ratus. » Hodie fratres memorati Ordinis in nostra Calabria, et in plurimis Italiæ locis, signum ipsum seu campanulam, qua ad refectorium vocantur, Italico etiam idiomate cymbalum appellant.

III. Puto equidem vocem ipsam cymbali, quatenus ejus percussio unum est ex Ostiariorum muneribus, accipi quidem debere pro signo seu campanula quæ in Ecclesia vel pro re ad Ecclesiam pertinente pulsatur; nam, præterquam quod laudatus Belethus cymbalum in choro statuit, cymbalum etiam pulsatum ad mortuos indicat S. Gregorius Magnus, libro I *Dialogorum*, capite IX, itemque Vita et obitu S. Leonis IX, apud Ughellum, tomo VIII, his verbis : « In cujus obsequio beati Petri cym» balum a semetipso, nullo cogente, sonare » cœpit. » Ad Ecclesiam perinde accitos cymbalo Monachos colligitur ex Vita S. Tellini episcopi Landevensis, cap. II, apud Bollandianos, ad diem IX februarii. Sed et occurrit ea vox crebrius in Ordine antiquo Romano, in Vitis Abbatum Sancti-Albani, et apud mediæ et infimæ Latinitatis scriptores.

TITULUS XVI.

DEGRADATIO A PRIMA TONSURA.

Etiam in prima Tonsura initiatis, ubi propter enorme delictum pœna capitali afficiendi sunt, habere locum solemnem degradationem, dictum est supra ad initium tituli XII. Qua cæremonia degradatio ista sit peragenda, ex rubricis in §§ sequentibus descriptis, et ex nostris ad easdem Commentariis facile est intelligere. Ipsi igitur a sacrorum Ecclesiæ rituum studioso consulendi.

§ I.

Pontifex degradator extrahit degradando superpelliceum, dicens : *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, ac nostra, tibi auferimus*

Digitized by Google

habitum Clericalem, et nudamus te religionis ornatu, ac deponimus, degradamus, spoliamus, et exuimus te omni ordine, beneficio et privilegio Clericali, et, velut Clericalis professionis indignum, redigimus te in servitutem et ignominiam habitus sæcularis ac status.

COMMENTARIUS.

I. Totidem pene verbis legitur quidem hæc formula in cap. II *De Pœnis*, in VI, usque ad illa verba *et privilegio Clericali :* nam verba quæ sequuntur, *et velut Clericalis professionis indignum, etc.*, addita postea in Romano Pontificali fuerunt; non enim in laudato cap. II exstant. Cum autem, ubi Clerici prima tonsura initiantur, ab Episcopo superpelliceo induantur, quo significatur ipsos, sæcularis habitus servitute et ignominia deposita, et, sacræ Religionis habitu assumpto, novos homines esse oportere (candorem enim morum, vitæque integritatem superpelliceum designat), jure ac merito, cum ipsi Clerici ob sua facinora degradantur, prædicta veste exspoliantur, et, velut Clericalis professionis indigni, in servitutem et ignominiam habitus sæcularis ac status redigi dicuntur.

II. Præterea, sicut ii qui in Clericatum adsciscuntur, beneficiorum Ecclesiasticorum capaces fiunt, et Clericalia privilegia sortiuntur, juxta illam Episcopi allocutionem in Romano Pontificali ad titulum III *De Clerico faciendo* præscriptam : « Hodie de foro Ecclesiæ facti » estis, et privilegia Clericalia sortiti estis; » ita etiam, ubi a Clericatu degradantur, privatione ipsorum privilegiorum puniuntur. Quod quidem perspicue exprimitur in eadem Episcopi allocutione, in qua, postquam declaravit Episcopus, Clericatus susceptione acquisita jam esse privilegia Clericalia, sic statim Clericos alloquens, subdit : « Cavete ne propter culpas » vestras illa perdatis. »

III. Quæ sint ista privilegia, jam nos enarravimus nostro I tomo hujus operis in Commentariis ad ipsum titulum III *De Clerico faciendo.* Præcipua quidem sunt, privilegium fori, et privilegium canonis : alterum quidem adeo amittit Clericus degradatus, actuali scilicet et solemni degradatione, ut si quis Clericum ipsum percuteret, minime incideret in canonem *Si quis suadente,* XVII, quæstione IV, quo cautum est ut quis, suadente diabolo manus violentas in Clericos vel Monachos injecerit, excommunicationem latæ sententiæ incurrat, a qua absolvi ab alio non valeat quam a summo Romano Pontifice, nisi imminente mortis periculo. Hunc canonem edidit Innocentius II in sua Lateranensi Synodo, habita anno 1139, ut consuleretur securitati Clericorum, qui passim a Laicis impune cædebantur vel necabantur, contemptu sacri Ordinis; ejusque, ut dixi, canonis privilegium perdit Clericus degradatus, per illa Episcopi verba ipsum alloquentis : *Et exuimus te omni Ordine, beneficio, et privilegio Clericali.* Quibus verbis, ut scite notat *Glossa Canonici Juris,* in cap. II, *De Pœnis*, in VI, reprobata est opinio quorumdam Juris Canonici consultorum, qui ignoranter dixerunt quod percutiens degradatum incidit in canonem, propter characterem quem ille retinet, et in memoriam etiam pristinæ dignitatis.

IV. Quod spectat amissionem alterius privilegii, quod dicitur *fori*, sciendum et illud est, quod docent passim Canonici Juris consulti, non posse Clericum propter quodcumque etiam enormissimum crimen a judice sæculari puniri, nisi prius sit a judice Ecclesiastico degradatus et curiæ sæculari traditus. Esse hanc communem Doctorum opinionem, testatur Clarus, lib. V *Sententiarum*, quæst. XXXVI, ubi etiam docet duo requiri ad hoc ut judex laicus possit Clericum punire : primum, quod sit degradatus : alterum, quod sit traditus curiæ sæculari. Quod quidem intelligit de degradato degradatione verbali; nam, quantum ad actualiter et solemniter degradatum, ait hanc esse communem opinionem ut possit judex sæcularis eum punire absque alia traditione. Sane docet Sylvester in *Summa*, verbo *Degradatio,* num. VIII, cui etiam alii Doctores ac theologi adhærent, tutius esse ut degradatus actualiter, per judicem Ecclesiasticum tradatur.

Digitized by Google

§ II.

Tum Pontifex degradator eum forcipibus tondere incipit, et per barbitonsorem ibidem præsentem totaliter tonderi facit caput degradandi, dicens : *Te velut ingratum filium a sorte Domini, ad quam vocatus fueras, abjicimus, et coronam tui capitis, regale quidem signum Sacerdotii, de tuo capite amovemus propter tui regiminis pravitatem.*

COMMENTARIUS.

I. Degradandi caput non modo tondendum, sed etiam radendum, mandat quidem Bonifacius VIII, in cap. II *De Pœnis*, in VI : « Tunc» que radatur caput illius seu tondeatur, ne » tonsuræ seu Clericatus vestigium remaneat » in eodem. » Ejus ritus exemplum legere est in degradatione Joannis Hus, quæ exstat in sessione XV Concilii Constantiensis : « Exue» bant, inquit, eum casula et stola, tondentes » sibi crines. » Consuevisse aliquando vel Episcopos ipsos, ubi degradabantur, decalvari, docet nos quidem Vita S. Leodegarii, in qua legimus, Didonem *condemnatum ab ipsa Synodo, calvaria accepta in capite, expulsum.* Porro testis est Juvenalis Ursinus, in *Historia Caroli VI* Francorum regis, duos illos Fratres Augustinianos in sua degradatione ita capite rasos fuisse, ut ne coronarum quidem vestigium remanserit.

II. Etiam Monachos, ubi aliquod ipsi enorme perpetrassent facinus, fuisse pœnæ decalvationis obnoxios, addiscimus ex Regula S. Fructuosi Bracarensis episcopi, cap. XVI, ubi præcipit quidem « ut Monachus parvulorum aut » adolescentium consectator, coronam quam » gestat capitis amittat, decalvatusque turpiter » opprobrio pateat; omniumque sputamentis » oblitus in facie, probraque æque suscipiat. » Sunt et alia ejus rei exempla apud scriptores Ecclesiasticos; non omittendum tamen, sugillatos fuisse aliquando Donatistas ab Optato Milevitano, quod Episcopos, Presbyteros, Diaconos, quos deponebant, abrasa capitis corona decalvarent. Verba Optati, lib. II contra ipsos Donatistas hæc sunt : « Docete ubi vobis man» datum est radere capita Sacerdotum, cum » e contrario sint tot exempla proposita fieri » non debere. » Hoc Donatistarum facinus pluribus quidem urget Optatus : mutata nihilominus disciplina, servatam ipsam decalvationis cæremoniam in degradatione ac punitione sacrorum hominum, jam nos paulo superius ostendimus.

III. Formula insuper illa, *Te velut ingratum filium, etc.*, qua utitur Episcopus dum degradandi caput tondetur, in nullo exstat manuscripto antiquo Pontificali, imo nec in ipsa recitata decretali Epistola Bonifacii VIII, in cap. II *De Pœnis,* in VI : notanda sunt tamen verba illa ejusdem formulæ in nostro § II descriptæ : *Coronam tui capitis, regale quidem signum Sacerdotii de tuo capite amovemus :* licet enim corona hoc loco tonsuram significet Clericalem, antiquitus tamen, ubi ea vox occurrit, non rasam quampiam vel attonsam capitis coronam, sed regale ipsum Sacerdotibus communicatum Christi Sacerdotium, utplurimum denotabat. Atque ita intelligendi forte sunt prisci Ecclesiæ Patres, apud quos de ipsa corona frequens mentio habetur. Augustinus siquidem, Epistola CXLVII, Donatistarum Episcopos alloquens : « Per coronam, inquit, » nostram nos adjurant vestri; per coronam » vestram vos adjurant nostri. » Hieronymus quoque, Epistola XXVI, ad Augustinum scribens : « Fratres tuos, ait, ut meo nomine » salutes, precor coronam tuam. » Item Alipius ad Paulinum, Epistola XXXV, inquit : « Ad » venerandum socium coronæ tuæ Patrem no» strum Aurelium ita scripsimus. » Vide et alia Patrum loca apud Thomassinum, parte I *Veteris et novæ Ecclesiæ Disciplinæ*, lib. II, cap. XXXVII, num. IX, ubi etiam observat quod, ubi per coronam suam Episcopi a fidelibus tunc adjurabantur, aut eorum coronæ adprecarentur alii, aut ab aliis eorum corona salutaretur, non intelligendum est de rasa quapiam, vel attonsa capitis corona, sed de regali

Digitized by Google

ipso illis communicato Christi Sacerdotio : sive etiam, ut idem auctor notat, loco citato, capite XLV, numero VI, de illo capitis ornamento, mitra, vel corona dicto, quo sacris operantes utebantur.

IV. Quanquam forte plausibilis sit Thomassini opinio, addubitari nihilominus nequit, quin vel olim sacrorum hominum tonsura, corona appellaretur. Exstat ea in re egregius locus S. Isidori Hispalensis episcopi, qui lib. II *De Officiis*, cap. IV, de tonsura Clericorum loquens ita scribit : « Quod vero detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, Sacerdotium, regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara apud veteres constituebatur in capite Sacerdotum : hæc ex bysso confecta rotunda erat, quasi sphæra media, et hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem latitudo aurei est circuli, quæ regum capita cingit. Utrumque itaque signum exprimitur in capite Clericorum, ut impleatur etiam quadam corporis similitudine, quod scriptum est, Petro Apostolo docente : *Vos estis genus electum, regale Sacerdotium.* »

V. Ergo vel VI sæculo, quo florebat Isidorus, Clericorum tonsura corona appellabatur, quia scilicet olim detonso capite circulus capillorum relinquebatur, coronam exprimens, qualem hodie gestant Sacerdotes, Monachi Carthusienses, aliique plurimi Ordinum Mendicantium! Hinc factum est ut Clericorum tonsuræ, præsertim post annum Christi millesimum, in sacris Synodis frequenter coronarum nomine vocarentur. Coyacensis in Hispania Synodus, anni 1050, can. III, expresse præcipit Presbyteris Diaconisque ut « semper coronas apertas habeant. » Rothomagensis, anni 1702, can. XI, anathema ejaculatur in Clericos « qui coronas benedictas habuerunt, et reliquerunt. » Juliobonensis, anni 1080, can. XIII, pecuniariis pœnis mulctat Clericos, qui « coronam suam dimiserint. » Pictaviensis, anni 1100, can. I, diserte jubet « ut nullus præter Episcopum coronas benedicere præsumat, exceptis Abbatibus, qui illis tantummodo coronas faciant quos sub Regula beati Benedicti militaturos susceperint. » Londinensis, anni 1102, can. XII, mandat « ut Clerici patenter coronas habeant. » Eboracensis tandem, ut alias complures omittam, anni 1194, can. VI, beneficiis spoliari sanxit qui coronam et tonsuram gestare pertinacius posthac abnuerent : « Clerici qui ab Episcopo coronam susceperunt, tonsuram habeant et coronam : quam si habere contempserint, ad hoc, beneficiorum, si quæ habeant, privatione cogantur. » Etiam hodie vulgo sacrorum hominum tonsura corona dicitur. Vide Haeftenum *Disquisitionum Monasticarum*, lib. V, tract. IX, disq. I.

§ III.

Tum Ministri Pontificis exuunt degradatum veste et habitu Clericali, et ipsum induunt habitum sæcularem. Quo facto, si fuerit talis casus quo degradatus tradi debeat curiæ sæculari, Pontifex degradator degradatum amplius non tangit, sed in hunc modum contra ipsum pronuntiat, dicens : *Pronuntiamus ut hunc, exutum omni Ordine et privilegio Clericali, curia sæcularis in suum forum recipiat degradatum.*

COMMENTARIUS.

I. Quid tradi curiæ apud veteres leges et canones significet, superius fuse explicuimus ad titulum VI, in Commentario § XIII ; nempe depositi Clerici curiæ tradi dicebantur, quia scilicet in ordinem decurionum redigebantur, ut sustinerent onera municipalia, quæ erant quidem gravissima et importabilia. Post annum vero millesimum, aliam invaluisse illorum verborum interpretationem, ut nimirum depositi, quos curiæ tradi antiqui canones edixerunt, brachio sæculari puniendi tradantur, ibidem jam nos adnotavimus, allato inter alia testimonio Innocentii III Pontificis Maximi, ex capite *Novimus*, Extra. *De Verborum significatione.*

II. Franciscus Duarenus, vir cæteroqui do-

Digitized by Google

ctus, sed parum pius, lib. I *De sacris Ecclesiæ Ministeriis*, cap. III, vix sibi persuadet morem hunc tradendi Clericos exauctoratos curiæ sæculari, veteribus notum fuisse, recensque putat eam rem esse inventum. Sed misere labitur, nam, præter Bonifacium VIII, in cap. II *De Pœnis*, Innocentius III, qui universam cœpit regere Ecclesiam labente sæculo XII, de ipsa exauctoratione et sæculari curiæ traditione manifestissime loquitur in cap *Novimus*, XVII, *De Verborum significatione*, et alibi : quibus adde alia scriptorum veterum testimonia, qui ante Innocentium ipsum in Ecclesia floruerunt, superius a nobis allata. Sed, his omissis, quod in hoc præsenti nostro § edicitur, exuendum degradatum habitu Clericali, et sæculari veste more laicorum induendum, non obscure innuit canon XXI Concilii Trullani; ejusque ritus inter alios meminit Juvenalis Ursinus ad annum 1318, ubi narrat solemnem duorum Sacerdotum Augustinianorum degradationem, quod Carolum VI, quem curandum susceperant, in maximum vitæ periculum inani medicæ artis, quam ignorabant, jactatione adduxissent.

III. Qualiter degradatus Clericus curiæ sæculari tradatur, ex nostro § addiscimus, ut nimirum non realiter, ut quidam male opinantur, sed solis verbis fiat ista traditio, nam ait : « Si fuerit talis casus quo degradatus tradi » debeat curiæ sæculari, Pontifex degradator » degradatum amplius non tangit, sed in hunc » modum contra ipsum pronuntiat, dicens : » *Pronuntiamus ut hunc exutum, etc.* » Declarat itaque Pontifex verbo tenus, qualiter degradatus exutus est omni Ordine et privilegio Clericali, non vero manibus suis degradatum ipsum curiæ sæculari tradit. Id quod expressius docet Innocentius III in laudato capite *Novimus*, sic dicens : « Est degradatio celebranda » sæculari potestate præsente, ac pronuntian- » dum eidem, cum fuerit celebrata, ut in » suum forum recipiat degradatum; et sic in- » telligitur tradi curiæ sæculari. » Ubi nota, 1° labi eos auctores qui autumant, statim ac quis a Pontifice solemni atque actuali degradatione exauctoratus est, posse a sæculari magistratu puniri; nam requiritur ut Pontifex ipse sententiam prius pronuntiet, uti ex nostro § manifestum fit; 2° labi itidem illos, ac præsertim Joannem de Lignano, aientes post exauctorationem solemnem manere adhuc degradati dominium penes Ecclesiam, illudque minime amitti sine actuali traditione. Ut enim scite docet Sylvester in *Summa*, verbo *Degradatio*, num. V, perdit dominium illud Ecclesia per declarationem Pontificis; acquirit vero sæcularis judex, « ut remaneat vacans possessum » a nemine, et consequenter erit occupantis. »

IV. Traditur tandem Clericus degradatus curiæ sæculari, ultimo supplicio afficiendus, quia scilicet Ecclesia, Christi lege et exemplo imbuta, a se omnino repulit judicium sanguinis, contenta pœnis illis canonicis quas hactenus explicuimus : « His a quibus Domini sa- » cramenta tractanda sunt, judicium sanguinis » agitare non licet. » Verba sunt canonis VI Concilii XI Toletani. In hoc enim distant Episcopi a magistratibus sæcularibus; nam præses gladium et cingulum gestat, quæ sunt symbola juris gladii et imperii, Sacerdos autem incruentum imperium gerit : « Præses, » inquit S. Gregorius Nazianzenus in Epistola sua XLVI, ad Africanum « virtutis adjutor, et adversarius » vitii, sive incruentum imperium gerat, ut » nos, sive cum gladio et cingulo. » Hinc Episcopos expertes potestatis puniendi facinorosos profitetur S. Joannes Chrysostomus, lib. II *De Sacerdotio*, ita inquiens : « Neque enim talis » nobis potestas a lege data est ad coercendos » delinquentes. » Hinc quoque, ut alia omittam veterum Patrum testimonia atque exempla, Andream Tarentinum episcopum a celebratione Missarum per duos menses suspendit S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus, lib. II, epist. XLIV, quod mulierem de matricula, id est quæ descripta erat in matricula Ecclesiæ, ejusque stipendiis alebatur, gravius fustibus cædi jussisset.

V. At vero addubitari nequit quin Ecclesiastici judices modicam coercitionem non modo in delinquentes Clericos, verum etiam laicos exercere possint, exstantque ea in re non modo veterum Patrum exempla, verum etiam sacri canones, inter quos canon IX Concilii Illiberitani ita inquit : « Decrevit sancta Syn- » odus ut Episcopi ac ministri Episcoporum » pro criminibus colonos flagellare cum virgis » potestatem habeant. » S. Augustinus, in Epistola CLIX ad Marcellinum comitem, relata in

Digitized by Google

can. *Circumcelliones*, XXIII, quæstione IV, diserte ait modicam coercitionem permitti Episcopis, ut parentibus et magistris, disciplinæ causa : « Noli perdere paternam diligentiam, » quam in ipsa inquisitione servasti, quando » tantorum scelerum confessionem non exten- » dente equuleo, non sulcantibus ungulis, non » urentibus flammis, sed virgarum verberibus » eruisti; qui modus coercitionis, et a magistris » artium liberalium, et sæpe etiam in judiciis » solet ab Episcopis adhiberi. »

VI. Vetustissimæ erant et in Galliarum foro Ecclesiastico eædem pœnæ. Concilium Agathense, anni 506, canone XXXVIII, verbera et flagella intentat Clericis, et Monachis vagis : « Quos si verborum increpatio non emenda- » verit, etiam verberibus statuimus coerceri. » Ebrietas eidem pœnæ subjicitur, vel menstruæ suspensioni : nam ita statuit, can. XLI : « Cle- » ricum quem ebrium fuisse constiterit, ut » ordo patitur, aut triginta dierum spatio a » communione statuimus submovendum, aut » corporali subdendum supplicio. » His verbis, *ut ordo patitur*, illud insinuatum autumat Thomassinus parte II *Disciplinæ*, libro III, capite CVI, numero IX, suspensionem ad majores Clericos, verbera ad minores pertinere; probatque auctoritate S. Gregorii, qui, ut ait in ejus Vita Joannes Diaconus, lib. IV, cap. XXXI, ejusdem criminis reos, verberari jubet Subdiaconum, Diaconum exauctorari : « Quod » esset Diacono gradum amittere, hoc fuit » Subdiacono famæ plenitudine caruisse..... » Subdiaconus non Sacerdotio, sed officio ca- » ruit, et, tanquam re vera infamis, meruit » verberibus castigari. » Vide ipsum Gregorium, lib. IX, epistola LXVI, et nota olim Subdiaconatum nequaquam fuisse inter sacros Ordines enumeratum, ut fuse diximus nostro I tomo hujus operis ad titulum decimum *De Ordinatione Subdiaconi*.

VII. In Conciliis Hispaniæ multa exstant amplissimæ et inconcussæ juridictionis Episcopalis documenta adversus homines facinorosos. Calvitium, flagella, exilium, et pœnæ erant et pœnitentiæ. In Concilio Toletano decimosexto, anni 693, can. III, ut alia omittam, statuitur ut qui sodomiticæ nefariæ actionis patratores exsti- terint, « quique in his turpitudinis sese impli- » cari permiserint, et contra naturam masculi » in masculos hanc turpitudinem operaverint, » siquidem Episcopus, Presbyter, aut Diaconus » fuerit, de proprii honoris gradu dejectus, » perpetui exsilii manebit damnatione percus- » sus. Sin vero cujuslibet ordinis, gradus, vel » personæ, et talibus colluvionis noxiis reperti » fuerint implicati, illius legis quæ de talibus » est edita nihilominus feriantur sententia, » atque ab omni Christianorum sint alieni ca- » terva. Et insuper centenis verberibus cor- » repti ac turpiter decalvati, exsilio mancipentur » perpetuo. » Vide Concilium Emeritense, canone XXII, Toletanum XI, can. XV, Bracharense III, can XI, ubi verberum, carceris et exsilii expressa fit mentio.

VIII. Canonicæ diverberationis coercitioni, quod quidam eam inferentes pœnam excederent, hunc illi modum adhibuit S. Cæsarius episcopus Arelatensis, ut nimirum non ultra triginta novem ictus flagellatio excederet, etsi iteraretur post paucos dies, paucis repeteretur. Sic enim de eo scribit Cyprianus, in ejus Vita apud Surium, die 27 augusti : « Solebat vero » Sanctus peraccurate observare ut nemo ex » illis qui ipsi parebant, sive servi illi essent » sive ingenui, si pro culpa sua flagellandi » essent, amplius 39 ictibus ferirentur; si quis » vero in gravi culpa deprehensus esset, per- » mittebat quidem ut post dies paucos iterum » vapularet; contestabaturque Ecclesiæ præfe- » ctos, ut si quis juberet quempiam diutius fla- » gellari, et ex verbere illi mortem afferrent, » ut is homicidii reum se esse sciret. » Obiit Cæsarius circiter anno salutis sexcentesimo septuagesimo.

IX. Jam non modo in Occidente, verum etiam in Oriente habuisse Episcopos jurisdictionem et canonicam coercitionem adversus Clericos, ex Joanne Moscho addiscimus, qui in suo *Limonario*, capite CXLV, scribit Clarisium Lectorem, cum sæpius monitus a pravis non resipiceret, flagris verberatum, paterna et Ecclesiastica censura, jussu Gennadii patriarchæ Constantinopolitani : *Jussit illum flagellari paterna et Ecclesiastica censura.* Atque ut hoc loco intelligas quænam sit vis et potestas gladii spiritualis Ecclesiasticæque jurisdictionis, cum Charisius incorrigibilis esset, per apocrisiarium suum oravit Gennadius S. Eleutherium Martyrem, cujus in oratorio hic Lector erat, ut aut

Digitized by Google

eum emendaret, aut excideret. Non fuisse irritam legationem eventus probavit, nam crastina die ille mortuus inventus est, ut addit idem Moschus, et Nicephorus, lib. xv, cap. xiii.

§ IV.

Tum Pontifex degradator efficaciter et ex corde omni instantia pro miserrimo illo derelicto intercedit apud judicem sæcularem, ut citra mortis periculum, vel mutilationis, contra degradatum sententiam moderetur, dicens : *Domine judex, rogamus vos cum omni affectu, ut amore Dei, pietatis et misericordiæ intuitu, et nostrorum interventu precaminum, miserrimo huic nullum mortis vel mutilationis periculum inferatis*. Quo facto, ministri curiæ sæcularis degradatum sub sua custodia recipiunt, et discedunt.

COMMENTARIUS.

I. Innocentius III, postquam in laudato toties cap. *Novimus*, Extra. *De verborum significatione*, edocuit Episcopum Parisiensem, « quod » est degradatio celebranda sæculari potestate » præsente, ac pronuntiandum eidem, cum » fuerit celebrata, ut in suum forum recipiat » degradatum, et sic intelligitur tradi curiæ » sæculari; » ita statim subjicit : « Pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut » citra mortis periculum, circa eum sententia » moderetur. » Sane Christi lege et exemplo, ut jam dixi, imbuta Ecclesia a se omnino repulit judicium sanguinis, contenta excommunicatione, suspensione, depositione, et aliis canonicis pœnis : « His a quibus Domini sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis » agitare non licet. » Verba sunt canonis vi Concilii Toletani xi. Recte autem inquit Ivo Carnotensis episcopus in Epistola sua ccxlix : « Quomodo enim Ecclesia judicare debet fundendum sanguinem alienum, quæ a primo » ortu suo jussa est fundere sanguinem proprium ? Faciant hæc cincti judices qui ad malorum vindictam gladium materialem portant, » non qui contra nequitias spirituales gladio » spiritus pugnant. »

II. Hinc sapienter cautum est ex Concilio Toletano iv, can. xxx, ut, si quando Sacerdotibus jurisdictio criminalis a principe committatur, ita ea defungi debeat, ut, si casus atrocior requirat judicium sanguinis, debeat omnino abstinere, remque regiæ potestati relinquere. « Sæpe, inquit, principes contra quoslibet majestatis obnoxios Sacerdotibus negotia sua » committunt : et, quia Sacerdotes a Christo ad » ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant regibus fieri judices, ubi jurejurando » supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia præparatur. » Tum statim hanc statuit pœnam : « Si quis ergo Sacerdotum » contra hoc commune consultum discussor in » alienis periculis exstiterit, sit reus effusi sanguinis apud Christum, et apud Ecclesiam perdat proprium gradum. » Hoc moderamine usum quemdam Presbyterum, qui jurisdictioni præerat nomine comitis Flandrensis, ut convictos vel confessos traderet communiæ Ambianensi, quæ habebat penes se judicium sanguinis, testatur quidem Stephanus Tornacensis, in Epistola sua cxxxii, his verbis : « Jurisdictionem » civilem usque ad rigorem, quam imperium » mixtum quidam appellant, sub potestate comitis Flandrensis procuratorio nomine diu » exercuit, ubi ex officio qualitercumque suscepto tenebatur et innocentes absolvere, et » noxios condemnare; neminem tamen, ut » ipse confitetur, ad effusionem sanguinis ore » proprio condemnavit; sed confessos aut convictos de crimine, communiæ Ambianensi, » ad quam judicium sanguinis spectat, secundum quod meruisset reus, judicandos exposuit et plectendos. »

III. Eadem religione Ecclesia ipsa impatiens sanguinis hunc morem tenuit sacris etiam Canonibus stabilitum, ut, ubi Episcopus degradator præsenti judici denuntiat ut degradatum in forum suum recipiat, debeat pro ipso *efficaciter intercedere*, id est enixe et non ficte, « ut » citra mortis periculum circa eum sententia » moderetur. » Id quidem docet in cap. *Novi-*

Digitized by Google

mus, Extra. *De verborum significatione*, Innocentius III; eumque morem intercedendi pro reis vinctis, ne ultimo supplicio afficerentur, constat ex variis veterum Patrum exemplis. Pro Antiochenis intercessit feliciter Flavianus Episcopus Antiochenus apud Theodosium nimis iratum ob dejectam Flaccillæ Augustæ statuam, teste Sozomeno, lib. VII *Historiæ*, cap. XXIII, et Nicephoro, lib. XII, cap. XLIII. Pro Valentino apud Nemesium præsidem Cappadociæ intercessit Gregorius Nazianzenus, Epistola CLXXXIII. Pro Rustico apud Ausonium Correctorem Isidorus Pelusiota, lib. V, Epistola CCXII. Atque, ut alios omittam, ejusmodi intercessionum officium commendat S. Ambrosius, in Psalmum CXVIII sermone VIII, sic dicens: « Eripe eum qui ducitur ad mortem; hoc est, » eripe eum intercessione, eripe gratia, tu Sa- » cerdos; aut tu, imperator, eripe subscriptione » indulgentiæ, et solvisti peccata tua, exuisti te » a vinculis. » Plura alia ejus rei exempla vide apud Altaserram, lib. IX *De jurisdictione Ecclesiastica*, cap. II; Thomassinum in sua *Veteri ac nova Ecclesiæ disciplina;* cardinalem Baronium, Lupum, et alios.

IV. Licuit non modo Episcopis, sed et Clericis ac Monachis pro reis apud magistratus sæculares intercedere; sed ne damnatos ductosque ad supplicium per vim eriperent, quod facere soliti erant, vetatur in lege *Addictos*, cod. *De Episcopali audientia*, ne scilicet scelera inulta remaneant, et peccandi licentia crescat impunitatis successu. Quamobrem non mirum si, etiam scelerosi Cardinales, Episcopi, Clerici, Monachi frequenter degradati leguntur apud scriptores Ecclesiasticos, et sæculari potestati relicti, ut punirentur; quæ quidem non ita preces exaudit, quin ipsos degradatos in sua suscipiat custodia, et ultimo supplicio afficiat. De Joanne Hus legimus in sessione XV Concilii Constantiensis, quod statim ac degradatus fuit, et pronuntiata contra ipsum sententia, « curia » sæcularis recepit eum, et adduxit eum ad lo- » cum justitiæ. » Ex Ulrico autem Richeltalio, qui damnationi ejus et actis interfuit, scribit Rosweidus, quod prædictum hæreticum ob hæresim suam exauctoratum Patres sæculari curiæ tradiderunt, « rogitantes Dominum regem (erat » is Sigismundus) et judices, ne vita eum priva- » rent, sed potius servatum perpetuis carceribus » manciparent. » Luit tamen suæ pertinaciæ pœnas, et quidam igne hæreticis familiari: sequitur enim in illius historia: « Tunc ait rex ad Ludovicum Palatinum Rheni: « *Cum nos* » *simus qui tenemus gladium sæcularem, en ac-* » *cipe eum nostro loco, et fac ei quod hæreticus* » *meretur*. Advocabat Ludovicus præfectum » Constantiensem, qui et ipse præsens ibi ade- » rat, eique accedenti et roganti: « *Illustrissime* » *Princeps, quid mandat mihi serenissima vestra* » *celsitudo?* respondebat: *Sume tibi magistrum* » *Joannem Hussum, et ex nostra sententia eum* » *ut pote hæreticum flammis consumendum* » *trade.* »

V. Reliquum est, ut quæstionem scitu dignam in calce hujus Commentarii enodemus, an scilicet Clerici vel Religiosi in sacris Ordinibus constituti non modo ultimo supplicio afficiendi, sed etiam perpetuo ob sua enormia crimina carceri mancipandi, degradari primum debeant? Respondeo non videri de eo addubitandum. Sic enim legimus in capite I *De hæreticis*, in VI: « Quoniam Episcoporum numerus » ad degradationem Clericorum a canonibus » constitutus non potest de facili convenire: » concedimus ut Sacerdotem, vel alium Cleri- » cum in sacris Ordinibus constitutum, cum » pro hæresi fuerit curiæ sæculari relinquendus, » aut perpetuo immurandus, convocatis Abba- » tibus aliisque Prælatis, et religiosis personis » ac litteratis suæ diœcesis, de quibus expedire » videbitur, suus possit Episcopus degradare. » Est hæc decretalis Epistola Gregorii IX, ad Remensem Archiepiscopum missa, ubi nota, ex illius præscripto, non modo ultimo supplicio afficiendum, sed etiam perpetuo immurandum degradari prius debere. Immurare idem est ac carcere includere, ut constat ex Concilio Narbonensi anni 1235, cap. IX: « Quia tamen in- » telleximus vos de his tantum in pluribus » partibus multitudinem (hæreticorum Albi- » gensium) invenisse: ut nedum expensæ, sed » vix etiam lapides aut cæmenta sufficere pos- » sent ad carceres construendos, consulimus, » ut eorum immurationes, ubi expedire videbi- » tur, differatis. » Occurrit ea vox passim in Concilio Biterrensi, anni 1246, can. XXII, XXIII, XXV et XXVI, ubi immuratio carcerem quidem significat. Cæterum quod pœna perpetui carceris non ante irrogari debeat, quam is qui in

Digitized by Google

carcerem detrudendus est degradatus fuerit, diserte inter alios docet eruditus Conradus Brunus, lib. v *De hæreticis*, cap. xii.

VI. Quod si hic forte quispiam quærat cur perpetuo immurandus degradari primum debeat, dicam fortasse idcirco id constitutum fuisse, quod ipsa immuratio perpetua morti æquiparetur, uti passim tradunt Doctores. Hanc porro opinionem tametsi summo jure inspecto veram esse constet, sciendum nihilominus est aliter ex consuetudine observari. Cum passim in dies videamus Clericos et Religiosos in sacris Ordinibus constitutos, ubi sua ob facinora perpetuo carceri mancipantur, minime degradari, quemadmodum nec etiam illos qui in perpetuum ad triremes damnantur, licet et isti, summo etiam inspecto jure, degradari quoque prius deberent.

VII. Cum insuper non paucos Ecclesiastici ordinis homines conspiciamus in magnis delictis versari, et nulla pœna mulctari, multis jam ab hinc sæculis non modo laici, sed et viri Ecclesiastici queruntur remissius agi cum improbis Clericis, quam cum hominibus sæcularibus, cum aliquod ipsi delictum perpetrant : « Sunt » aliqui Prælati majores (proh dolor!) qui Præ» latos alios sibi subditos nunquam deponunt, » quantumcumque sint mali, et causas depo» sitionis habeant plurimas, deferentes eorum » magnitudini. » Verba sunt Humberti de Romanis, lib. ii *De modo prompte cudendi Sermones*, tractatu ii, cap. lxxi. Addit non sic esse faciendum docere nos Dominum suo exemplo, « qui Luciferum primum inter alios excellen» tiorem, propter culpam superbiæ dejecit » statim de sede magnitudinis suæ; qui Adam » caput totius generis humani propter culpam » inobedientiæ postmodum dejecit de honore » suo; qui etiam ab initio mundi non cessat » deponere magnates, juxta illud : *Deposuit* » *potentes de sede :* sicut patet in quatuor » regnis principalibus; in quibus primo Assy» rios, secundo Medos et Persas, tertio Græcos, » quarto in regno Latinorum, in quo frequen» ter sunt depositi imperatores et reges, ejus » ordinatione. »

VIII. Sunt et alii qui etiam dolent Clericos criminosos rarissime degradari, et vix ultimo supplicio puniri. Sed iis responderi potest, quod docet eruditus Altaserra, lib. ix *De jurisdictione Ecclesiastica*, cap. i, malle Ecclesiam sanguinem suffundere quam effundere, non quia flagitiis Clericorum indulget, sed ut consulatur pudori Clericorum et sacri Ordinis dignitati, ne Clericorum ignominia Ecclesiæ labes aspergatur, neve hæretici, oblatrantes Sacerdotio, injuriosius insultandi ex eo occasionem nanciscantur. Id quod Concilii Carthaginensis v canone xvi mirifice comprobatur : « Rursus » constitutum est, inquit, ut, quoties Clericis » convictis vel confessis in aliquo crimine, vel » propter utilitatem eorum, quorum verecundiæ » parcitur, vel propter Ecclesiæ opprobrium, aut » insolentem insultationem hæreticorum atque » gentilium, si forte causæ suæ adesse volue» rint, et innocentiam suam asserere, intra » annum excommunicationis hoc faciant. » Episcopis et Clericis insultare consuevisse hæreticos et infideles, et de casu unius omnes damnare, testatur S. Augustinus in Epistola sua cxxxii : « Ad quid enim aliud, inquit, sedent » isti, et quid aliud captant, nisi, ut quisquis » Episcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel » Sanctimonialis totidem omnes esse credant, » sed non omnes posse manifestari ? »

IX. Mitius cum Clericis agendum ob reverentiam Sacerdotii, docent nos exempla sacræ Scripturæ, in qua legimus quod, cum Aaron et Maria, uno et eodem scelere Moysi maledixissent, Maria sola lepra percussa maledicti pœnas luit; Aaroni vero impune fuit, quia Sacerdotis primordium erat, Sacerdotiique initiis ignominiæ labem Deus inurere noluit, ne finis quoque probrosus existeret, ut eleganter ait Isidorus Pelusiota, lib. iii, Epistola cliii. Non ergo mirum si Ægidio Remensi episcopo, ob crimen læsæ majestatis in Synodo Metensi deposito, Guntranus rex pœnam capitis, Synodo ipsa petente, remiserit. Sic enim de eo scribit sanctus Gregorius Turonensis, libro x, cap. xiv : « At ille, confusus, ait : Ad sententiam dandam » super culpabilem ne moremini; nam ego » novi me ob crimen majestatis reum esse » mortis. » Et mox : « Hæc Episcopi audientis, » obtenta vita, ipsum ab ordine Sacerdotali, » latis canonum sanctionibus, removerunt, qui » statim ad Argentoratensem urbem, quam » nunc Strateburgum vocant, deductus, exsilio » condemnatus est. »

X. Neque solum Christiani et Catholici prin-

Digitized by Google

cipes hunc honorem Sacerdotio exhibuerunt, ut propter illius reverentiam flagitiosis Sacerdotibus parcerent, verum etiam ipsi hæretici; legimus enim apud nostrum Cassiodorum, libro IV, epistola XVIII, Laurentium Presbyterum reum effossi sepulcri, thesauri rapiendi causa, propter Sacerdotii dignitatem, non alia pœna a Theodorico rege Ariano mulctatum, quam sola pecuniæ restitutione : « Laurentium Presbyte» rum, effossis cineribus, funestas divitias inter » hominum cadavera perscrutatum, concussio» nemque mortuis intulisse, quem oportet vi» ventibus quietem prædicare, hominis ambitum » eo tantum fine concludas, ut possit suppri» mere quod eum non licuit invenire : scelus » enim, quod nos pro Sacerdotali honore re» linquimus impunitum, majori pœna non cre» dimus vindicandum. » Cæterum, si inter laicos ipsos, decuriones tormentis et plebeorum pœnis minime afficiuntur, lege *Omnes judices*, cod. *De Decurionibus;* idemque juris in militibus placuisse scimus ex lege *Milites*, cod. *De quæstionibus;* invidiosum profecto videri non debet, si eadem prærogativa gaudeant Clerici, quos sacra militia et Sacerdotii dignitas militibus ipsis et majoribus magistratibus anteponit : « Habemus enim, » ut scitissime docet S. Ambrosius ad Virgines, « nos Sacerdotes » nostram dignitatem præfecturis et consulatibus » præferendam. »

XI. Olim, ut parceretur Clericorum pudori et Ecclesiastici Ordinis dignitati, mos quidem et ille invaluit ut sententia ipsa depositionis lata in Episcopos facinorosos, sine causa dictaretur. Quamobrem, tametsi in Concilio Antiocheno depositus sit Eustachius Antiochenus episcopus, tradit nihilominus Socrates, lib. I, cap. XVIII, ex recepta sui temporis consuetudine, causam depositionis minime fuisse explicatam : « Verum » quidam prædicant alias causas parum hone» stas ejus abdicationis exstitisse, non tamen » eas palam percensent : est enim hoc Episcopis » in more positum, ut eos qui abdicantur accu» sent, impios pronuntient, causas tamen im» pietatis minime adjungant. » Non ergo mirum si hodieque cum Clericis mitius agatur, et si Monachis religionis favore pœna etiam aliquando remittatur, ex sententia Innocentii III, in cap. *Significasti*, XVIII, *De Homicidio*. Inter proprias enim Clericorum ac Monachorum laudes una profecto dici e potioribus potest, quod non modo Romanis Pontificibus, sed et regibus ipsis devoti semper et obsequentiores fuere, multumque pro communi omnium utilitate adlaborent. Atque hæc satis sint ad convincendos laicos politicosque adversus Ecclesiam murmurantes, quod remissius agat cum Clericis, eosque raro degradet, et rarissime sæculari curiæ puniendos tradat.

APPENDIX

Ad titulum VI et alios sequentes ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi, quod Romæ in celebri Vaticana bibliotheca asservatur, num. 4744.

ORDO SUSPENSIONIS, RECONCILIATIONIS, DISPENSATIONIS, DEPOSITIONIS, DEGRADATIONIS, ET RESTITUTIONIS SACRORUM ORDINUM.

RUBRICA.

Circa suspensionem, reconciliationem, dispensationem, nec non depositionem, degradationem, et restitutionem sacrorum Ordinum prænotandum est quod Clericus quandoque suspenditur, quandoque deponitur, et quandoque degradatur. Suspenditur quis quandoque ab homine, quandoque a jure; et quandoque ad tempus, quandoque in perpetuum. Ab homine, quando Prælatus sic in scriptis pronunciat : « Quia constat, *tale quid* commisisse, » ideo ab officio, *seu* ab executione Ordinum » tuorum te suspendo, *vel* noveris te suspen» sum. » Vel quando sic in genere dicit : » Quicumque *hoc* fecerit, *vel* non fecerit, ipsum » in hiis scriptis suspendo, *vel* noverit se sus-

Digitized by Google

» pensum. » Talis autem sententia taliter revocatur. « Quia de *tali negotio*, propter quod » suspensionis *hujusmodi* sententiam incurristi, » emendationem plenam, etc. » Illud autem sciendum est, quod simpliciter et sine temporis præfinitione ab homine vel a jure suspensus, perpetuo intelligitur et esse suspensus : ad tempus vero suspensus, ut puta donec penituerit vel a crimine abstinuerit, eo ipso quod penitet vel abstinet, executionem sui officii recuperat, nec est alia reconciliatio, seu sententiæ suspensionis relaxatio necessaria. Sed et, quamvis quilibet Sacerdos in mortali peccato occulto quantum ad se sit suspensus, tamen, peracta penitentia vel parte ipsius, eo ipso talis suspensio est sublata. Adhuc Clerici, publice et enormiter delinquentes, executionem Ordinis sui secundum Canones perdunt; et, etiam post peractam penitentiam, ab executione suorum Ordinum suspensi remanent, adeo quod absque dispensatione et reconciliatione non possunt in illis licite ministrare, nec ad majores promoveri; præcipue si de hoc convicti fuerunt in judicio, et puniti. Episcopi tamen possunt in adulteriis et aliis quæ sunt minora, et generaliter ubicumque a jure non expresse prohibentur, post peractam pœnitentiam vel partem ipsius, cum talibus dispensare, et eos reconciliare. Quæ reconciliatio et dispensatio fiat hoc modo : « Quamvis *tale* enorme crimen publice com» miseris, quod confessus es (vel de quo con» victus es), etc.. »

Circa depositionem notandum est quod deponitur quis solo verbo sententialiter hoc modo : « Quia nobis evidenter et legitime constat te » *tale* crimen vel flagitium commisisse, quod » non solum grave, verum etiam dampnosum, » et dampnabile, idcirco te, *talium* consilio et » assensu, ab ordine et privilegio Clericali » sententialiter perpetuo duximus deponen» dum. »

Post talem itaque sententiam, taliter depositus, ab omni Ordinum tam majorum, quam minorum executione perpetuo est exutus. Verum, si Pontifex deponens evidenter agnoverit imposterum emendationem vitæ et morum depositi, vel sententiam suam injustam fuisse ; poterit ei de jure misericorditer restituere graduum et Ordinum executionem qua privatus extiterat : quæ restitutio fieri debet in ecclesia in qua Episcopus elegerit hoc fieri, sive sit cathedralis sive alia, et coram altari, quia ibi graduum Ordines distribuuntur : et potest fieri per Pontificem solum cum Capitulo suo, et non solum in Quatuor Temporibus, verum etiam in quolibet tempore, et sine Missæ celebratione. Et tam restituens quam restituendus debent esse jejuni. Depositus ergo, qui restitutiones executionis quorumcumque inferiorum Ordinum petierit, debet genua flectere coram Episcopo parato amictu, stola, pluviali, mitra simplici, et baculo Pastorali : et ille dicit ter : *Deus, in adjutorium meum intende, etc.* (a).

Deinde manum super illum imponens, dicit : « Ego, licet peccator, tamen Episcopus, aucto» ritate mihi a Deo concessa, per hanc manus » impositionem restituo te, carissime frater, » executioni Ordinis et gradus Hostiarii, *vel* » Lectoris, *seu* Exorcistæ, *atque* Accoliti, qua » fueras juste privatus, ut amodo digne possis » custodire hostia domus Domini cum omni» bus, etc. » Et benedicat ei, dicens : « Bene» dictio Dei omnipotentis, etc. »

In Subdiaconatus Ordinis reconciliatione seu restitutione, simili modo proceditur, sicut supra : dicitur enim ter : *Deus, in adjutorium meum intende, etc. Kyrie, eleison, Christe, eleison; Kyrie, eleison. Pater noster.* ℣, ut supra, et Oratio, *Deus, qui in Sanctis habitas*, ut supra. Deinde manu superimposita, dicit : « In nomine » Domini. Amen. Ego, licet peccator, tamen » Episcopus, restituo tibi executionem gradus » et Ordinis Subdiaconatus, qua fueras juste » privatus, ut amodo digne possis legere pro» phetias, et epistolas ad Missas, et ministrare » Dyacono ac Presbytero, vel Episcopo, aut » offerre eis immaculatam Hostiam ad altare » Domini, caste vivendo, quia scriptum est : » *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* »

Benedicat quidem, ut supra ; nec mireris quod, in reconciliatione seu restitutione minorum Ordinum et Subdiaconatus, diximus debere fieri manuum impositionem, quoniam, licet illa in distributione seu collatione Ordinum eorundem non fiat, reconciliatio tamen seu restitutio illorum rite sine ea non fit. Sed, quamvis Cle-

(a) Ut in Romano hodierno Pontificali usque ad Orationem, *Deus, qui in sanctis habitas, etc.*, inclusive.

Digitized by Google

ricis in reconciliatione et restitutione graduum fiat hæc manus impositio, si tamen in reatum aliquem inciderit, non injungitur eis solempnis penitentia sicut laycis.

Dyaconatus vero Ordinis reconciliatio fit similiter per omnia sicut supra, et in manus impositione dicit Pontifex : « In nomine Do» mini. Ego, licet peccator, tamen Episcopus, » per hanc manus impositionem restituo tibi » executionem Ordinis (*a*) Subdiaconatus, qua » fueras juste privatus, ut caste vivendo ab hinc » possis digne evangelicam Lectionem legere, et » ministrare Presbytero vel Episcopo, et effun» dere aquam in Eucharistiam Sanguinis Chri» sti. » Et benedicat ei, ut supra.

Presbyteratus vero Ordinis reconciliatio seu restitutio fit similiter, sicut supra, et in manus impositione Pontifex ita dicit : « In nomine » Domini. Amen. Ego S., peccator, tamen » Episcopus, per hanc manus impositionem » restituo tibi executionem Ordinis Presbyte» ratus, de qua fueras juste privatus, ut caste » vivendo amodo digne possis canere Missas pro » vivis et defunctis, et acceptabiles Hostias of» ferre Deo, et ministerium Presbyterale devo» te perficere. Præstante Domino nostro Jesu » Christo, etc. ℟. Amen. » Et benedicat ei, ut supra.

Ex eodem Pontificali manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi codice.

DEGRADATIO.

Nunc de degradatione subjiciamus. Et est notandum quod, si Clericus juxta præmissam formam sententialiter depositus incorrigibilis appareat, debet excommunicari. Et, si postmodum in profundum malorum veniens contempsit etiam, cum Ecclesia non habeat ultra quod faciat, debet illum degradare, et tunc seculari curiæ relinquere. Quæ degradatio fiat hoc modo. Nam ipso degradando indumentis Sacerdotalibus, si Sacerdos sit, induto, vel Diaconalibus, si sit Diaconus, et sic de reliquis Ordinum indumentis, Episcopus, quasi exequendo sententiam depositionis in illum dudum prolatam, præsenti seculari judicio, cui degradandus debet relinqui, publice abradit cum vitro vel alio hujusmodi loca manuum illius quæ in collatione Ordinum inuncta fuerunt, et tonsuram, si velit. Et consequenter seriatim et sigillatim detrahit illi omnia insignia, sive sacra ornamenta quæ in Ordinum susceptione recepit, et demum exuit illum habitu Clericali, et induit laicalem, dicens publice, judice seculari præsente, ut illum propter scelera sua sic depositum, degradatum, expoliatum et excommunicatum in suum si velit recipere forum. Et est notandum quod in hac executione sententiæ non est necessaria coepiscoporum præsentia : non est etiam vis, sive fiat in ecclesia, sive extra, sive in platea, sive Episcopus degradans indutus Pontificalibus sit, sive non; et talis degradatio solempnis depositio vocatur; proprie tamen loquendo quis a dignitatibus vel honoribus deponitur; sed ab Ordinibus degradatur. Et, post talem degradationem juste et rite factam, solus Romanus Pontifex cum tali dispensat. Episcopus tamen ante ipsam insignium detractionem, et post sententiæ depositionis prolationem, dispensare et restituere solo verbo potest, sicut et verbaliter depositus fuit, ut præmissum est. Sed et si, priusquam secularis judex in illum animadverterit, talis depositio vel degradatio injusta vel nulla inveniatur, tunc non solum verbo, verum etiam facto, secundum ea quæ præmissa sunt, dispensatio et restitutio fiet; quoniam insignia sibi detracta seriatim sive sigillatim et solempniter coram altari restituentur, ut, si sit Episcopus, recuperabit orarium (*b*) et planetam. Si Dyaconus, orarium et albam, sive dalmaticam. Si Subdiaconus, patenam et calicem : sic et reliqui gradus in reparatione sua recuperant ea quæ, cum ordinarentur, receperunt. Hæc autem in *Speculo Judiciali*, in tertia parte, sub titulo *De Accusatione*, in qua secundo loco plenius duximus explicanda.

(*a*) Legendum : *Diaconatus*.

(*b*) Irrepsit mendum, correctumque in margine est, ubi post *orarium*, ita legitur : *baculum, annulum, sandalia, mitram, et alia insignia Pontificalia. Si Presbyter, orarium, etc.*, ut supra in ipso codice.

Digitized by Google

TITULUS XVII.

ORDO EXCOMMUNICANDI ET ABSOLVENDI.

I. Excommunicatio est censura qua quispiam ab Ecclesiastica fidelium communione separatur : sic enim illam passim Doctores definiunt. Excommunicandi et ab excommunicatione absolvendi potestatem traditam esse a Christo Domino Ecclesiæ, dogma fidei est fundatum in illis ejusdem Jesu Christi verbis in Evangelio Matthæi, cap. XVIII : *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlo.* Quotuplex sit excommunicatio, quis illam ferre possit et ab eadem absolvere, quive ritus ea in re servandi, suo loco inferius juxta Rubricas nostri hodierni Romani Pontificalis dilucidabimus.

II. Illud initio tituli hujus omittendum haud censeo, cavendum nempe sibi esse Prælato, ne pro minimis, ut fieri assolet, excommunicatio vibretur : « Nulli Christianorum, » inquit S. Leo Magnus in Epistola LXXXIV ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos, cap. VII, « facile communio denegetur, nec ad indignan- » tis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in » magni reatus ultionem, invitus et dolens, » quodammodo debet inferre animus vindican- » tis. Cognovimus enim pro commissis et levi- » bus verbis quosdam a gratia communionis » exclusos, et animam, pro qua Christi sanguis » effusus est, irrogatione tam sævi supplicii sau- » ciatam, et inermem quodammodo exutamque » omni munimine, diabolicis incursibus, ut fa- » cile caperetur, objectam. » Hunc abusum fulminandi anathematis pro rebus exigui omnino momenti, fuisse unam ex causis ob quas ipsa anathemata contemnerentur, docet in Epistola sua LXXIII Petrus Blesensis, sic inquiens : « Cul- » pis nostris exigentibus, gladius Petri rubigine » obductus est; et, quia non potest incidere, » datus est in contemptum. Si capra, si ovicula, » furto sublata sit vel occisa, in hujus rei auto- » rem, si lateat, sententia excommunicationis » emittitur. »

III. Illustria sunt quæ scribit S. Petrus Damiani, libro I, epistola XII, ad Alexandrum II, Pontificem Maximum, quem libere monet ut invectum eo tempore, sæculo nempe XI, abusum corrigat, ad singula prope Pontificia decreta apponendi comminationem anathematis in violatores : « Hoc, inquit, quam sit humanæ salutis » immane periculum et infinite patens vorago » labentium, ac pernicies animarum, clementiæ » vestræ pietas non ignorat. Dicitur enim : » *Quisquis hæc, vel illa non fecerit ;* sive certe : » *Quisquis hoc, quod superius statutum est, irri-* » *tum duxerit, vel in aliquo violaverit, anathema* » *sit.* Ubi notandum quam lubrica, quam præ- » ceps subito ruendi illi procuretur occasio, ut » ante quis in æternæ mortis barathrum corruat, » quam se vel leviter impegisse cognoscat : et » substratæ quodammodo tendiculæ jam pes » ejus innectitur, dum se liberis adhuc incedere » gressibus arbitratur. Delinquit itaque, quis- » quis ille est, in illud Apostolicæ constitutionis » edictum, et aliquando levi quadam ac pere- » grina offensione transgreditur, et continuo » velut hæreticus, et tanquam cunctis crimini- » bus teneatur obnoxius, anathematis sententia » condemnatur. » Lectu digna est integra Epistola a quibusdam præsertim Episcopis, qui hodieque in suis diœcesibus pro rebus minimis ad singula sua edicta comminationem anathematis, suspensionis, vel interdicti imprudenter apponunt.

IV. Jam alios Patres afferre possem ac Conciliorum decreta, quibus admonentur passim Antistites ne, per proclivitatem ac frequentiam ferendæ excommunicationis, occasionem contemnendi censuras laicis potissimum nostri temporis præbeant : sed sat erit hoc loco describere oraculum ac monitum Patrum Concilii Tridentini, qui, sessione XXV, cap. III, *De Reformatione*, hæc habent : « Quamvis excom- » municationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ » disciplinæ, et ad continendos in officio popu-

Digitized by Google

» los valde salutaris, sobrie tamen magnaque » cum circumspectione exercendus est, cum » experientia doceat, si temere aut levibus ex » rebus incutiatur, magis contemni quam for- » midari; et perniciem potius parere quam sa- » lutem. » Utinam Ecclesiæ Præpositi sententiam Augustini teneant, quæ dicit : « Causæ pensan- » dæ sunt, et tunc ligandi atque solvendi potes- » tas exercenda. » Multi enim suo arbitrio censuras vibrant.

§ I.

Notandum quod triplex est excommunicatio, videlicet minor, major et anathema. Minor excommunicatio contrahitur per solam participationem cum excommunicato, et a tali potest simplex Sacerdos absolvere absque juratoria cautione : taliter autem excommunicatus confiteatur proprio Sacerdoti, dicens : *Confiteor Deo, et tibi, N., quod sum excommunicatus, quia participavi* tali *excommunicato in oratione,* vel *locutione,* vel *bibendo,* vel *comedendo cum eo.* Sacerdos vero absolvens eum, dicit hujusmodi verba : *Auctoritate Dei omnipotentis, et mihi concessa, absolvo te a vinculo hujus excommunicationis quam confessus es, et a qualibet alia simili qua teneris, in quantum possum ac debeo, ac restituo te Ecclesiasticis sacramentis. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ sancti.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Tametsi in nostro hoc § excommunicatio triplex esse dicatur, nimirum minor, major et anathema, sciendum nihilominus minorem excommunicationem, quæ, ex communi theologorum et canonici juris consultorum sententia, incurritur propter communicationem cum innodato majori excommunicatione extra crimen propter quod excommunicari aliquis meruit, privatque solummodo passiva Sacramentorum participatione, veteribus plane fuisse incognitam. Sunt enim qui autumant primam ejus excommunicationis mentionem fieri in cap. ultimo *De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante;* itemque in cap. *Si quem,* LIX, *De sententia Excommunicationis.* Est quidem utriusque hujus Decretalis auctor Gregorius IX, fateturque Van-Espen, parte III *Juris Ecclesiastici universi,* tit. XI, cap. III, num. XIX, nescire se « num antiquiora aut » alia occurrant in jure nostro decreta hujus ex- » communicationis mentionem facientia. »

II. Id forte *Glossa Canonici Juris* non obscure innuit, dum in notis ad laudatum cap. ultimum, *De Clerico excommunicato, etc.*, ait quod « hæc Decretalis, quoad suam materiam, » sit celebrior et famosior qualibet alia : nam » infinita jura sunt loquentia de excommuni- » catione majore, quæ infertur ab homine, sed » de minore, quæ infertur a jure, sunt jura » paucissima et aperte non providentia, sicut » hoc capitulum. » Christianus Lupus, scriptor apprime doctus, tomo II operum, in dissertatione *De latrocinio Ephesino*, cap. IV, postquam describit excommunicationis et depositionis sententiam, quam S. Flavianus adversus Eutychetem edidit, ita statim subjicit : « Antiquitus » enim nulla erat excommunicatio minor, sed » quivis excommunicato communicans incur- » rebat idem penitus vinculum, quomodo nunc » communicans in crimine. » Notat hæc quidem Lupus, quod in ipsa sententia contra Eutychetem prolata perspicue edicitur, eos qui postea collocuturi essent Eutycheti, reos fieri pœnæ excommunicationis.

III. Minoris excommunicationis speciem circa sæculum XIII forte inductam, a multis annis prope obsoletam esse notavit Morinus, lib. VI *De Pœnitentia*, cap. XXV, num. XIII, monetque præterea ibidem excommunicationis, quam vocant minorem, species quatuor sive gradus apud antiquos fuisse frequentissimos. Prima species a sola Eucharistiæ participatione excommunicabat, sive interdicebat; altera, priore gravior, ab Eucharistia et precibus fidelium

Digitized by Google

arcebat; tertia addebat expulsionem sive excommunicationem a precibus super catechumenos et pœnitentes substratos factis; quarta denique ab omni Ecclesiæ ingressu eos excommunicabat. Quatuor hasce excommunicationis species, seu pœnitentiæ gradus, jam nos fuse explicuimus nostro I tomo, in quatuor Concilia œcumenica, in Appendice ad canonem XI Nicænum. Cæterum, quamvis hodie hæ a communione separationes nomine excommunicationis non veniant, certum nihilominus est, quod docet Suarez, *De Censuris*, disputatione XXIV, sectione I, numero VI, excommunicationes appellatas fuisse. Vide Van-Espennium loco citato, ubi eam rem latius enarrat.

IV. Quod dictum est ad initium hujus Commentarii, communicantes cum excommunicato majori excommunicatione minorem incurrere, perpetuum non est. Nam ex Gregorii VII constitutione in can. *Quoniam*, causa XI, quæst. III, relata, ab ea eximuntur uxores, liberi, servi, ancillæ, seu mancipia, nec non rustici servientes, et omnes alii qui non adeo curiales sunt ut eorum consilio scelera perpetrentur, et ii qui ignoranter excommunicatis communicant, sive illi qui communicant cum eis qui excommunicatis communicant; itemque peregrini, propter necessitatem, et qui humanitatis intuitu aliquid dant excommunicatis. His accedunt creditor debitoris excommunicati, cap. *Intellexímus*, VII, *De Judiciis*; quive excommunicato in his quæ ad absolutionem vel alias ad salutem animæ pertinent, in locutione participat, licet etiam alia verba incidenter, ut apud eum magis proficiat, interponat, cap. *Cum voluntate*, LIV, *De sententia Excommunicationis*. Hi enim cum excommunicatis impune communicant. Cæterum ex Martini V constitutione quæ incipit *Ad evitanda*, nemini interdictum est communicare excommunicato, antequam hic specialiter et expresse denuntiatus sit a judice, vel manifeste constet eum incurrisse excommunicationem, ita quod nullo modo tergiversari possit. Causæ ob quas cum excommunicatis communicare licet, egregie explicantur a S. Thoma in IV *Sententiarum*, distinctione XVIII, quæstione II, articulo IV, quæstiuncula I, eoque versiculo exprimuntur :

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

V. Quamvis autem in nostro § tertium excommunicationis genus *anathema* dicatur, sciendum tamen et illud est, idem reipsa esse *anathema* ac major excommunicatio, solumque ab ista illud distingui quantum ad solemnitatem, quia scilicet solemni ritu ac cæremoniis majorem terrorem incutientibus, peccatorem contumacem Ecclesia exsecretur dirisque devoveat. Per quasdam itaque solemnitates, quæ in simplici majori excommunicatione non usurpantur, quæque aliquid horribilius ad incutiendum horrorem continent, accidentario, ut aiunt, excommunicatio ab anathemate secernitur, uti videre est in cap. *Cum non ab homine*, Extra. *De Judiciis*. Ubi cum reus est simpliciter contumax, decernitur feriendus simplici majori excommunicatione; quod si evectus in superbiam, fiat ulterius protervus et contumax, dicitur feriendus anathemate, id est mandatur repeti excommunicationem, adjunctis horrificis solemnitatibus, uti ibidem notat Panormitanus, et communiter alii, contra *Glossam Canonici Juris* locum illum male interpretantem. Voci *anathema*, ut tomo I *Conciliorum* notavimus, addita est aliquando *maranatha*, imitatione Apostoli, qui in Epistola I ad Corinthios, cap. XVI, ita scripsit : *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, maranatha*. Quæ vox syriaca magis est quam hebraica, divini judicii contestationem exprimens, significat namque : *Dominus noster venit*.

VI. Quod attinet ad minorem excommunicationem, de qua in hoc nostro § agitur, est quidem duplex ejus effectus : primo enim eum qui ea innodatus est, excludit non quidem a collatione, sed a receptione Sacramentorum; secundo, personam quam afficit, inhabilem reddit ad passivam electionem, sive ad beneficia, sive ad Ecclesiasticas dignitates; ita tamen ut electio ipso facto irrita minime sit, sed irritanda a judice, nisi qui ea censura est illigatus, de sua absolutione quamprimum satagat. Plura de hac excommunicatione minori videri possunt apud Silvestrum in sua *Summa*, verbo *Excommunicatio*, titulo IV, et apud theologos quos vocant casuistas, passim. Quod minime omittendum, illud est, quæ in hoc nostro I tomo descripta sunt, exstare quidem in manuscripto Gulielmi Durandi Pontificali, uti in nostra ad hunc titulum Appendice videre est.

Digitized by Google

VII. Illud insuper minime dissimulandum est, quod de absolutione ab excommunicatione minori in hoc nostro § edicitur, posse ab illa simplicem Sacerdotem absolvere : *Minor excommunicatio*, *inquit*, *contrahitur per solam participationem cum excommunicato; et a tali potest simplex Sacerdos absolvere absque juratoria cautione.* Quibus verbis rejicitur quorumdam theologorum opinio acerrime contendentium non posse Sacerdotem simplicem absolvere ab ipsa excommunicatione minori. Verum præter auctoritatem nostræ hujus Rubricæ sunt plurimi auctores qui idipsum docent, quia scilicet, ut ait S. Thomas in IV *Sententiarum*, distinctione XVIII, quæstione II, articulo I, « A minori excommunicatione quilibet potest » absolvere, qui potest absolvere a peccato par» ticipationis. » Ex quo sequitur illum dici proprium Sacerdotem in ordine ad absolvendum ab hac excommunicatione, qui potest absolvere a peccato participationis, seu propter quod incursa est, quod per se solum requiritur, quod sit peccatum veniale.

VIII. Docent hæc quidem theologi Salmanticenses Carmelitæ Discalceati, tomo II *Theologiæ moralis*, tractatu X, cap. III, num. CLXIV; adduntque numero sequenti, ex hoc ipso quod alicui concedatur jurisdictio absolvendi a peccatis venialibus, sicut ab Ecclesia de facto datur respectu venialium peccatorum omnibus Sacerdotibus, dari etiam jurisdictionem delegatam ad absolvendum a censuris quæ propter talia peccata incurruntur. Sicut hoc ipso quod ab Ecclesia vel Episcopo concedatur jurisdictio in foro conscientiæ absolvendi a peccatis mortalibus, datur etiam absolvendi a censuris non reservatis, et similiter hoc ipso quod Ecclesia concedat facultatem absolvendi a peccatis reservatis, etiam concedit jurisdictionem absolvendi a censuris illis annexis, juxta dicta ab iisdem theologis, num. XXXVIII, loco citato. Rationem ejus rei hanc esse aiunt, quod, concesso uno, etiam censetur concessum aliud sine quo tale unum haberi non potest, argumento ducto ex capite *Præterea*, *De officio Delegati.* Cum ergo, ut ipsi concludunt, nemo possit absolvere etiam a venialibus, nisi præcedat absolutio ab excommunicatione minori, fit inde quod, hoc ipso quod pro foro conscientiæ concedatur simplicibus Sacerdotibus facultas absolvendi ab illis, etiam pro eodem foro conceditur ei facultas absolvendi a censuris illis annexis, nimirum a minori excommunicatione. Porro, licet hæc vera sint juxta complurium Doctorum sententiam, admonendus est hic tamen lector aliter hodie in praxi servari, editumque ea in re esse decretum auctoritate sanctæ memoriæ Innocentii XI, Romæ 12 februarii 1679 a sacra Congregatione Cardinalium sacri Concilii Tridentini interpretum, ubi inter alia Episcopis edicitur : « Non » permittant ut venialium confessio fiat sim» plici Sacerdoti non approbato ab Episcopo » aut Ordinario. » An ipsa absolutio data a simplici Sacerdote valida sit, consulendi sunt theologi, qui etiam in ea re variant.

IX. Quod formam absolutionis spectat, tametsi in hoc § nostro præscripta sit, sciendum nihilominus est, ex communi theologorum sententia, non requiri determinata verba ad absolutionis validitatem, sed quæcumque illa quæ sufficiunt ad significandam voluntatem Ministri, qua vult censuris absolvere etiam satis esse censentur, ut valide absolutio illa impertiatur. Sed de his et aliis ad hanc rem pertinentibus consulendi theologi sunt.

§ II.

Major vero excommunicatio, quam Pontifex per sententiam scriptam legendo promulgat, hoc modo profertur : *Cum ergo N.* talem *primo, secundo, tertio et quarto, ad malitiam convincendam legitime monuerim ut* tale *quid faciat* (vel *non faciat*), *ipse vero mandatum hujusmodi contempserit adimplere, quia nihil videretur obedientia prodesse humilibus, si contemptus contumacibus non obesset; idcirco auctoritate Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, exigente ipsius contumacia,*

Digitized by Google

ipsum excommunico in scriptis, et tamdiu ipsum vitandum denuntio, donec adimpleverit quod mandatur, ut spiritus ejus in die judicii salvus fiat.

COMMENTARIUS.

I. Excommunicatio major, ut eam definit Tertullianus in suo *Apologetico*, capite XXXIX, est censura divina qua quis a communicatione orationis, conventus, et omnis sancti commercii relegatur. Auctore Gregorio IX, in cap. *Si quem*, Extra. *De sententia Excommunicationis*, est quidem censura divina, qua quis non solum a Sacramentorum perceptione, sed etiam a communione fidelium segregatur. Sed quidquid sit de hujusmodi definitionibus, quas theologi latius explicant, ut ea quæ in nostro § continentur nos enarremus, sciendum est hanc ab Innocentio IV, in cap. *Cum medicinalis, De sententia Excommunicationis* in VI, tradi regulam ut ipsa excommunicationis sententia ab Ecclesiastico judice in scriptis ferri, ejusque causa exprimi debeat, ob quam fertur : « Quisquis, inquit, excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, et causam excommunicationis expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. »

II. Docent autem varii auctores, inter quos eruditus Gonzales, in cap. I *De Tregua et Pace*, pro forma quidem desiderari, ex ipso cap. *Quisquis*, ut in scriptis sententia ipsa proferatur, non autem ad ejusdem sententiæ validitatem ; voce enim prolata vires suas habet, juxta textum in cap. *Albericus*, XLIII, *De testibus*. Sane desiderabatur jam olim scriptura, ut constaret vicinis Episcopis de excommunicatione et excommunicatos rejicerent, repellerentque a communione ; nam ab uno Episcopo excommunicatus, ab omnibus vitandus est, ut infra dicemus, latiusque id ostendit eruditissimus Antonius Augustinus, in *Epitome Juris Pontificii*, lib. XXIII, tit. IV.

III. Quoniam mentio incidit ejus ritus, quod nimirum excommunicationis sententia in scriptis proferri debet, nolo hic illud omittere singulare prorsus, et ad horrorem incutiendum plane aptum quod aliquoties factum legimus : nimirum, sententiam excommunicationis intincto calamo in Christi Sanguine sacro calice contento exaratam. Factum id esse in Concilio Romano sub Theodoro Pontifice, anno 648, contra Pyrrhum Monothelitam celebrato, testatur in sua *Miscella* Theophanes, anno XX Heraclii, his verbis : « Pyrrhus, cum Roma discessisset et Ravennam pervenisset, ut canis ad suum vomitum reversus est. Quo Papa Theodorus comperto, plenitudine convocata Ecclesiæ, ad sepulcrum verticis Apostolorum accessit, et divino calice expostulato ex vivifico Sanguine in atramentum stillavit, et ita propria manu depositionem Pyrrhi excommunicati fecit ; » id est eum et excommunicavit, et deposuit, utraque damnationis parte comprehensa scripto sic exarato Christi Sanguine. Hæc circumstantia, quamvis in rebus gestis Theodori Papæ antiquitus scriptis, quibus Pyrrhi damnatio fuse describitur, minime inveniatur, eamque etiam omiserit S. Martinus I Pontifex Maximus, secretario I, sive actione I Concilii Lateranensis, ubi ipsam Pyrrhi damnationem commemorat ; sat est eam nobis tradidisse Theophanem, ejusque ritus simile exemplum referri nobis a Niceta Paphlagone in Vita S. Ignatii, patriarchæ Constantinopolitani, ubi ait octavam Synodum Constantinopolitanam duorum supra centum Episcoporum excommunicasse et deposuisse Photium ad eum modum : « Subscripsere calamis non nudo atramento, sed, in quo penitus contremiscas, ut eos, qui rem norant, asseverantes audivi, ipsis Salvatoris Sanguine tinctis. »

IV. Hoc non abs re notato, de quo alias mentionem fecimus nostro I tomo *Conciliorum*, in Prolegomenis, cap. XXX, constat, ex ipsa excommunicationis sententia in nostro hoc I § descripta, excommunicationem non nisi in contumaces contra Ecclesiam vel Superiorem Ecclesiasticum ferri posse ; contumax autem non est qui non fuit admonitus ; peccator enim si per admonitionem conscius esset censuræ cujus ipsi minas Ecclesiasticus judex intentat, fortassis pareret, et a peccato resiliret Ecclesiastici fulminis metu. Triplex idcirco admonitio requiritur ; quia Christus peccatorem prius corrigi secreto, deinde adhiberi testes, postremo ejus crimen ad Ecclesiæ tribunal referri jubet :

Digitized by Google

quam si non audierit, habendus est ut ethnicus et publicanus, uti habetur in Evangelio Matthæi, cap. XVIII.

V. Hæc disciplina non infligendæ excommunicationis ob peccatum etiam grave, nisi prævia trina monitione, ex Apostolica traditione, tanquam verbis Christi consona, ad nos pervenisse videtur. Nam, canone *Omnes decimæ*, causa XVI, quæstione VII, apud Gratianum, sub nomine Concilii Rothomagensis, statuitur ut decimas solvere nolentes « secundum Domini præce- » ptum admoneantur, semel, et secundo, et ter- » tio; qui si non emendaverint, anathematis » vinculo feriantur. » Fuit quidem et is vetus Ecclesiæ mos a Synodo Ephesina jam olim servatus, quæ in sua relatione ad religiosissimos imperatores de depositione Nestorii, postquam exposuisset eum secundo vocatum renuisse Concilio se sistere, ita statim subdit : « Porro autem cum canones præscribant tertio » quoque contumacem esse admonendum, » missis iterum aliis ad illum Episcopis, durum » et immorigerum eumdem invenimus. » Dioscorus quoque in Concilio Chalcedonensi ante excommunicationem ter vocatus dicitur, idque *secundum sanctos canones*. Vide ipsius Concilii Acta.

VI. Jure novo ab hac disciplina minime recessum est. Synodus namque œcumenica Lateranensis IV, ab Innocentio III, anno 1215 celebrata, cap. XLVII, districte prohibet sententiam excommunicationis a quocumque judice proferri, « nisi competenti monitione præmissa. » Idipsum ab aliis Pontificibus, quod forte eam Episcopi disciplinam negligerent, fuit et in aliis Conciliis constitutum, præsertim vero ab Innocentio IV, in Concilio Lugdunensi I, et a Gregorio X in Concilio Lugdunensi II. Cæterum monitio competens, cujus fit mentio in cap. XLVIII *De sententia Excommunicationis*, et alibi, passim a canonici juris consultis post *Glossam* ad dictum cap. XLVIII, quod desumptum est ex laudato Concilio Lateranensi IV œcumenico, intelligitur trina monitio quæ ubique recepta est; utque canonica sit, mandavit memoratus Gregorius X, in Concilio Lugdunensi II, constitutione sua relata in cap. IX *De sententia Excommunicationis* in Sexto, « ut inter monitiones quas statuunt » jura præmitti, judices, sive monitionibus tri- » bus utantur, sive una pro omnibus, observent » aliquorum dierum competentia intervalla, » nisi facti necessitas aliter ea suaserit mode- » randa, » ut, quia scilicet partes sunt ad rixam vel arma paratæ, nec curant monitiones Episcopi : interdum enim nec locus, nec tempus patitur plenius deliberare consilium; et quandoque res celeritatem desiderat, uti inquiunt leges in *Glossa* citatæ.

VII. Concilium Tridentinum, sessione XXV, *De Reformatione*, cap. III, videns quod hac potestate excommunicandi non satis circumspecte judices Ecclesiastici uterentur, sed sine ulla prævia monitione ad excommunicationem levi ex causa non raro prosilirent, districte voluit ut Ecclesiasticus judex ad excommunicationem non procedat, « nisi delicti qualitas, præcedente » bina saltem monitione, etiam per edictum, » id postulet. » Quin et in formula excommunicationis, quæ exstat in hodierno Romano Pontificali, quod ab Episcopis servandum Summi Pontifices Clemens VIII atque Urbanus VIII constitutionibus suis jusserunt, relatis nostro I tomo hujus operis in Prolegomenis, cap. III, Episcopus, ubi aliquem excommunicat, ita protestatur : *Cum ego N.* talem *primo, secundo, tertio et quarto, ad malitiam convincendam legitime monuerim, etc.*, ut in nostro hoc § legere est.

VIII. Tandem quæ hactenus dicta sunt de præmittenda, antequam excommunicatio feratur, competenti monitione, locum non habent, si excommunicatio lata sit a jure aut etiam ab homine, ipso facto incurrenda; non enim tunc alia monitione opus est, cum lex vel sententia monitionum vim habeat, et contumax censendus sit qui, sciens, volens, contra legem vel sententiam agit. Atque hæc est communis Doctorum opinio, et praxis Apostolicæ Sedis, cujus est interpretari canones, pro summa sua in universa Ecclesia auctoritate; tametsi alia forte fuerit vetus Ecclesiæ disciplina, ut nimirum trina ipsa monitio in omni excommunicatione, sive latæ sententiæ, sive ferendæ requireretur.

Digitized by Google

§ III.

Circa absolutionem vero ab hac majori excommunicatione, sive a canone sive ab homine prolatam, tria sunt specialiter attendenda. Primum est ut excommunicatus juret ante omnia parere mandatis Ecclesiæ, et ipsius absolventis, super eo propter quod excommunicationis vinculo est ligatus, et, si propter manifestam offensam excommunicatus sit, quod ante omnia satisfaciat competenter.

COMMENTARIUS.

I. Cautum est quidem ex sacris canonibus ut qui ab excommunicatione, sive a canone sive ab homine lata, absolutionem petit, primum juret parere mandatis Ecclesiæ. Sic enim in cap. *Ex tenore*, x, *De sententia Excommunicationis*, Alexander Papa III Archiepiscopo Genuensi rescribit, qui ipsum rogabat pro absolutione cujusdam Canonici, qui in nescio quem Subdiaconum manus violentas injecerat : « Mandamus » itaque quatenus, recepto ab eo juramento, » quod tuo debeat mandato parere, ipsum, » vice nostra, a sententia qua tenetur absolvas; » sibique in virtute juramenti præcipias ne de » cætero in Clericum, Monachum, vel alicujus » religionis Conversum manus injiciat violen- » tas. » Ubi nota præmittendum juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel ipsius Episcopi absolventis, quando crimen, propter quod lata fuit in aliquem excommunicatio, horrendum et grave esset, uti passim docent canonici juris consulti in laudato capite *Ex tenore*.

II. An de substantia absolutionis, ut aiunt, sit hujusmodi juramentum, tametsi affirmet Hostiensis, contrarium tamen est verum, ut nimirum teneat absolutio, si illud omittatur. Testatur id quidem Silvester in *Summa*, verbo *Absolutio*, titulo III, num. III, ubi etiam varios Doctores citat, præsertim vero textum in capite *Cum desideres*, XV, *De sententia Excommunicationis*, ubi expresse ait Summus Pontifex cautionem juratoriam, quam hodie qui « excom- » municati sunt, præstant, potius ad cautelam » ex consuetudine Ecclesiæ, quam rigore cano- » num esse introductam. » Idem addiscimus ex ex aliis Epistolis Pontificum quas inutile foret hoc loco describere; ex quibus etiam docemur quod, licet ipsum juramentum ab substantiam absolutionis minime requiratur, temere autem non debet omitti, etiamsi mulieres excommunicatæ absolutionem peterent; nam illæ quoque indubitanter jurare deberent, uti docet laudatus Silvester, qui etiam, quantum ad pueros attinet, relinquendum esse juramentum arbitrio Episcopi ait.

III. Rursus qui propter manifestam offensam excommunicatus est, quod ante absolutionem parti læsæ satisfacere debeat competenter, præter hanc nostram Rubricam in hoc § III descriptam, cautum est ex cap. *Porro*, VIII, et cap. *Paræcianos*, IX, *De sententia Excommunicationis*. Ubi nota præstandam quidem ab excommunicato, qui absolutionem petit, pro notoria et manifesta offensa competentem satisfactionem juxta proprias facultates; pro contumacia vero et offensa dubia sufficere juratoriam cautionem, tradunt Doctores in cap. *Ex parte*, XXIII, *De verborum significatione*. Quod intelligitur, ubi nullæ petuntur expensæ; nam ubi ipsæ petuntur, vel satisfactio damni, absolvi excommunicatus non debet, nisi prius satisfaciat, si potest; quod si non potest, absolvi sub cautione idonea debet, id est pignoratitia, vel fidejussoria de satisfaciendo, si venerit ad pinguiorem fortunam, ut in cap. *Odoardus*, III, *De Solutionibus*, et in dicto cap. *Ex parte*. Cæterum si ipsam cautionem pignoratitiam vel idoneam præstare nequeat, præstabit saltem juratoriam. Quod autem quidam docent, talem excommunicatum ad petitionem adversarii, cedere bonis suis teneri, id verum intelligam in foro solum contentioso; in foro enim pœnitentiæ sufficit, si restituat eo modo quo potest.

§ IV.

Secundum est, ut reconcilietur, quod fieri debet hoc modo : Excommunicatus

Digitized by Google

namque, ubi sic fieri solitum est, exutus usque ad camisiam ante fores ecclesiæ, coram Pontifice ipsum absolvere volente, qui indutus amictum, stolam, pluviale violaceum, et mitram simplicem, sedet super faldistorium ante principalem portam ecclesiæ sibi paratum, genuflexus detecto capite humiliter absolutionem petit. Pontifex vero primum accipit ab eo juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ; deinde accepta in dextera manu virga, dicit Psalmum L : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Totus dicitur cum *Gloria Patri*, et *Sicut erat*. Deinde subsequenter Psalmus LXVI : *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis*, cum *Gloria Patri* et *Sicut erat*. Et in quolibet versu Pontifex cum virga leviter inter spatulas verberat absolvendum.

COMMENTARIUS.

I. Quod reconciliationem excommunicatorum spectat, ritus jam olim fuit ut ii non modo prostrati, sed etiam nudis pedibus absolutionem peterent. Inter alia ejus rei exempla, celeberrimum est quod de Henrico IV imperatore, a Gregorio Papa VII excommunicato, narrat ipse in quadam Epistola in *Chronico* Hugonis Flaviniacensis relata, his verbis : « Tandem per » semetipsum nihil hostile aut temerarium » ostentans, ad oppidum Canusii, in quo morati » sumus, advenit; ibique per triduum ante » portam castri, deposito omni regio cultu, mi- » serabiliter, ut pote discalceatus, et laneis » vestibus indutus persistens, non prius cum » multo fletu Apostolicæ miserationis auxilium » et consolationem implorare destitit, quam » omnes qui aderant et ad quos rumor ille per- » venit, ad tantam pietatem et compassionis » misericordiam movit, etc. »

II. Fit et in variis libris Pontificalibus ejus quidem ritus mentio in hoc nostro § descripti. Ex manuscripto Pontificali Sagiensi, ubi agitur de forma absolutionis ab excommunicatione secundum Raimundum et Hostiensem, cui consonat manuscriptum Vaticanum Gulielmi Durandi Pontificale, cautum est ut « excom- » municatus spoliatus ponat se ante januas » ecclesiæ prostratus, vel flexis genibus coram » illo qui ipsum absolvere debet, qui tenebit » virgas in manibus, et dicendo, *Miserere mei*, » *Deus*, verberabit eum, percutiendo scilicet in » quolibet versu, vel magis vel minus, levius » vel acrius secundum quod causa contumaciæ » major vel minor requirit. Et post Psalmum » dicet, *Gloria Patri, etc.* » Codex manuscriptus Missalis Ebroicensis mandat ut « absolutio » excommunicatorum fiat cum debita solem- » nitate, quæ talis est : Absolvendus debet esse » ante januas ecclesiæ flexis genibus, et Sacer- » dos debet dicere istum Psalmum, *Miserere* » *mei, Deus*, usque in finem. » Ex laudato Vaticano Durandi Pontificali unus ex memoratis Psalmis in nostra Rubrica notatis dicendus præscribitur, sic enim de absolvente Episcopo inquit : « Tenens in manibus corrigeam, vel » virgam, dicit Psalmum *Miserere*, vel *Deus* » *misereatur nostri*, cum *Gloria*, *etc.* »

III. Si Gratiano fides, in can. CV, causa XI, quæstione III, et Burchardo Wormaciensi episcopo, lib. XI *Decreti*, cap. VIII, ex Concilio Arausicano, hæc fuit reconciliationis excommunicatorum solemnitas : « Cum aliquis excommu- » nicatus vel anathematizatus, pœnitentia » ductus, veniam postulat, et emendationem » promittit, Episcopus qui eum excommuni- » cavit, ante januas ecclesiæ venire debet, et » duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc » inde circumstare debent. Ubi etiam adesse de- » bent illi quibus injuria vel damnum illatum » est. Et ibi secundum leges divinas oportet » damnum commissum emendari : aut, si jam » emendatum est, eorum testimonio compro- » bari. Deinde interroget Episcopus si pœniten- » tiam, juxta quod canones præcipiunt, pro » perpetratis sceleribus suscipere velit. Et si ille » terræ prostratus veniam postulat, culpam » confitetur, pœnitentiam implorat, de futuris » cautelam spondet : tunc Episcopus septem » Psalmos decantet cum istis precibus, etc. » Hæc Burchardus, quæ etiam refert Gratianus in

Digitized by Google

laudato canone cv, tametsi nonnulla omittat.

IV. Ergo præter alios ritus in reconciliatione non modo anathematizatorum, verum etiam in absolutione excommunicatorum usitatos, mos olim fuit ut septem integri Psalmi pœnitentiales recitarentur, adessentque una cum Episcopo duodecim Presbyteri, qui eum hinc inde circumstarent. Quamvis autem nulla apud Burchardum et Gratianum de ea cæremonia fiat mentio, ad quemlibet versum Psalmi *Miserere mei, Deus*, percutiendi excommunicatum absolvendum cum virgis, testatur tamen Silvester in *Summa*, verbo *Absolutio*, tit. III, num. IV, absolutionem ipsam de qua in præsenti loquimur, sic quidem peragi, « ut post satisfactionem » et juramentum, incipiat absolvens Psalmum » *Miserere*, et simul virgis et flagello per» cutiens scapulas nudas absolvendi, nisi aliter » suadeat pudor honestatis. »

V. Fuisse in usu hanc disciplinam in nostro hoc § descriptam absolutionis jam ante annos quingentos, testatur quidem scriptor antiquus circa medium sæculum XIII, Henricus cardinalis Hostiensis archiepiscopus Ebrodunensis. Is enim libro V *Summæ* ad titulum *De sententia Excommunicationis*, § III, num. XIV, ita formam et ritum absolvendi excommunicatum describit: « Postquam is qui juravit et satisfecit, sicut » debuit, absolvitur per illum qui tulit senten» tiam vel superiorem suum, vel alium auctori» tate sua, et per Sacerdotem reconciliatur » secundum ea quæ notata sunt § proximo » sub § *Sed si quis absolvat Regulares*, versi» culo *Sed numquid si Clericus*. Et honestum, » et quasi consuetum et tutum est, quod fiat » hoc modo: Spoliabitur excommunicatus, et » ponat se ante januam ecclesiæ prostratus, vel » flexis genibus coram illo qui ipsum absolvere » debet, qui tenebit virgas, vel corrigias in » manibus, et dicendo *Miserere mei, Deus*, » verberabit eum, percutiendo semel in quolibet » versu, vel majus vel minus, levius vel acrius » secundum quod causa contumaciæ major vel » minor requirit; et post Psalmum dicit *Kyrie*, » *eleison, Christe, eleison, etc.*

VI. Sæculo itaque XIII consuetum erat ut absolvendi ab excommunicatione, flexis genibus, vel prostrati ante januam ecclesiæ ab Episcopo, vel ab alio qui eos absolvebant, ad quemlibet versiculum Psalmi *Miserere mei, Deus*, virgis vel corrigeis percuterentur: ejusque ritus meminit etiam Azo, qui floruit sæculo XI; qui etiam, teste Hostiensi, lib. I *Summæ*, ad titulum *De servis non ordinandis*, § *Qualiter servus fiat liber*, ritum ipsum diverberandi absolvendos suam trahere originem ait ex quadam manumissione servorum, quæ, uti habetur lib. I *Institutionum juris civilis*, titulo V, *De Libertinis*, fiebat *vindicta*, quæ quidem virgula erat prætoria, qua tangebatur caput servi qui manumittebatur; sic dicta vel a vindicando, quod vindicaretur mancipium in naturalem libertatem, vel a Vindicto quodam, qui cum servus Vitelliorum esset, juvenum quorumdam Romanorum conjurationem de opprimendis consulibus indicio suo patefecit, et in ejus honorem cautum fuit ut quicumque manumitterentur apud magistratum, vindicta manumissi diceretur. Vide Livium, lib. II, Plutarchum in Vita Publicolæ, et eruditos omnes interpretes ad laudatum *Institutionum juris civilis* locum. Porro laudatus Hostiensis loco citato, postquam ait ex Boetio vindictam esse virgam prætoris, quia manumittendus ter percutiebatur a prætore dicente, « Aio te liberum; » tum statim subjicit: « Secundum Azonem, ex hac forte » processit forma absolutionis canonicæ, quæ » cum virgis sit, et verbis aliis consuetis. »

VII. Quanquam vero multis abhinc sæculis Sacerdos absolvens ab excommunicatione, non caput, sed scapulas nudas virgis vel corrigiis percutiat, mos tamen olim fuit ut non scapulæ, sed pœnitentium capita, in sua ipsorum reconciliatione virgis verberarentur. Tradit id quidem Optatus Milevitanus, lib. I *Adversus Parmenianum*, sic dicens: « Purpurius Donatista, cum » a Cæciliano Carthaginensi episcopo invita» retur ut una cum suis Donatistis iterum » Cæcilianum ipsum Episcopum ordinarent, si » male antea ordinatus videretur, dixit Purpu» rius: « Exeat hinc Cæcilianus, quasi impo» natur illi manus in Episcopatu, et quassetur » illi caput de pœnitentia. » Allusio est ex multiplici manuum impositione, alia enim in Episcopi ordinatione usitata, alia in reconciliandis pœnitentibus; et ambæ caput respiciebant: erant et aliæ alterius generis manuum impositiones, quæ non sunt hujus loci. Volebat igitur Donatista Cæcilianus manuum impositionem accipere, velut ac si Episcopus ordinaretur,

Digitized by Google

quod tamen non probabat, sed potius more ejus qui pœnitentiam publice ageret, cujus caput in reconciliatione verberabatur. Atque hinc est quod in veteribus Conciliis locutio illa frequenter occurrit: *Rei capita pœnitentiæ subdant.* Vide Concilium Gerundense anni 517, can. IX, ubi mentio fit ejus loquendi modi, quem scite explicat vir clarissimus Joannes Filesacus, in suo eruditissimo libro *De sacra Episcoporum auctoritate*, cap. XV, § VII, pag. 364 et seq.

§ V.

Finitis Psalmis, deposita mitra, surgit Pontifex et dicit : *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison. Pater noster*, reliqua secreto; deinde dicit : ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvum fac servum tuum* (vel *ancillam tuam*), *Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo* (vel *in ea*). ℟. *Et filius iniquitatis non nocebit ei.* ℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (vel *famulam tuam*), *quem* (vel *quam*) *excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

OREMUS.

Præsta, quæsumus, Domine, huic famulo tuo (vel *famulæ tuæ*), *dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviaverat peccando, admissorum veniam consequendo, reddatur innoxius* (vel *innoxia*). *Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

§ VI.

Deinde sedet Pontifex, et, accepta mitra, dicit : *Auctoritate Dei omnipotentis, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, atque Ecclesiæ suæ sanctæ, et ea qua fungor, absolvo te a vinculo* talis *excommunicationis, qua ex* tali *causa ligatus* (vel *ligata*) *eras. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti.* ℟. *Amen.*

§ VII.

Deinde surgit Pontifex cum mitra, et apprehendens absolutum per dexteram manum, introducit eum in ecclesiam, dicens : *Reduco te in gremium sanctæ matris Ecclesiæ, et ad consortium et communionem totius Christianitatis, a quibus fueras per excommunicationis sententiam eliminatus, et restituo te participationi Ecclesiasticorum Sacramentorum. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exstant hæ preces, Orationes, forma absolutionis, et ritus apprehendendi absolutum per dexteram manum, eumque introducendi in ecclesiam sub præscripta ad § VIII verborum

Digitized by Google

formula, in manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, et in aliis nonnullis. Ex manuscripto Pontificali Sagiensi, Episcopi arbitrio relinquitur primam vel alteram Orationem recitare. Absolutionis autem forma hæc est: « Auctoritate Dei, et beatorum Apostolorum » Petri et Pauli, et nostra, absolvimus te a *tali* » sententia, et restituimus te communioni » Ecclesiæ et Ecclesiasticis Sacramentis. » Ubi nota binas formulas ac ritus in nostro § VI et VII descriptos in hac Sagiensis Pontificalis formula contineri. Ex manuscripto Missali Ebroicensi, tota absolutionis ab excommunicatione solemnitas in recitatione Psalmi *Miserere mei, Deus* et quarumdam precum, ac Oratione *Præsta, quæsumus, etc.*, peragitur. Quod tandem « Episcopus, apprehensa manu ejus dextera, » eum in ecclesiam introducat, et ei commu- » nionem et societatem Christianam reddat, » ritus profecto est antiquissimus, lib. XI *Decreti*, cap. VIII, a Burchardo Wormaciensi episcopo descriptus, quem nos infra in solemni ab anathemate absolutione, una cum variis Orationibus, ac aliis scitu dignis opportunius referemus.

II. De memoratis precibus atque Orationibus in absolutione ab excommunicatione usitatis facit mentionem Henricus cardinalis Hostiensis archiepiscopus Ebrodunensis, lib. V *Summæ*, ad titulum *De sententia Excommunicationis*, § III, ubi, postquam explicuit ritum diverberandi absolvendos prostratos vel genuflexos ante januam ecclesiæ cum virgis vel corrigiis, quandiu Psalmus *Miserere mei, Deus*, dicitur, ita statim subjungit : « Post Psalmum dicit » *Gloria Patri, etc. Kyrie, eleison, Christe, elei-* » *son, Kyrie, eleison. Pater noster. Et ne nos* » *inducas, etc. Salvum fac servum tuum* (vel » *ancillam tuam;* vel *servos* vel *ancillas*, si » plures sunt). *Esto ei* (vel *eis*), *Domine, turris* » *fortitudinis. Domine, exaudi orationem meam.* » *Oremus.* Deus cui proprium est, etc. »

III. Præter hanc Orationem, quæ prima est in nostro § V, nullam aliam refert laudatus auctor; immediate enim illam subjungit formulam in § VI recitatam, sed verbis hisce conceptam : « Auctoritate Dei omnipotentis, et » beatorum Apostolorum Petri et Pauli et Ec- » clesiæ sanctæ suæ, absolvimus te a *tali* sen- » tentia, et restituimus te communioni et par- » ticipationi Ecclesiæ et omnium fidelium, et » Ecclesiasticis Sacramentis. » Ubi nota ex duabus formulis supra in §§ VI et VII descriptis effectam esse absolutionem et restitutionem ab Hostiensi relatam. Adest et in aliis Pontificalibus libris sua variatio.

§ VIII.

Tertium est, quod absoluto fieri debent justa et rationabilia præcepta. Circa quod considerandum est utrum ipse fuerit ligatus a canone vel ab homine. Si a canone, satisfacto ei quem læsit, injungendum est sibi ne ulterius contra illum canonem faciat. Quandoque tamen cogendus est de jure sufficienter super hoc cavere.

COMMENTARIUS.

I. Excommunicatio alia est a canone, sive a jure, alia ab homine. A jure infertur, cum quis ipso facto, absque judicis ministerio, excommunicationi subditur; quæ idcirco latæ sententiæ excommunicatio nominatur. Ab homine infertur, cum Prælatus vel alius judex Ecclesiasticus inobedientem sive contumacem sententia sua excommunicat, servata tamen forma Concilii Lateranensis IV, in cap. *Sacro*, XLVIII, *De sententia Excommunicationis :* ut scilicet non prius sententiam ferat quam præmissis tribus monitionibus, vel una pro omnibus cum justo dierum intervallo, nisi forte necessitas facti aliud suaderet. Dici etiam potest eam esse excommunicationem a jure, quæ fertur a legislatore cum intentione condendi legem seu statutum generale perpetuum, pœna censuræ Ecclesiasticæ illius transgressoribus indicta : ab homine vero illam dici, quæ infertur ab homine jurisdictionem Ecclesiasticam habente, non intentione condendi statutum aut legem perpetuam, sed temporale ac transito-

Digitized by Google

rium præceptum dandi in singulari actione, decreta contra inobedientes et contumaces pœna excommunicationis.

II. His notatis, mandat § noster ut absoluto ab excommunicatione fieri debeant justa et rationabilia præcepta, ut nimirum, si excommunicatio a jure sive a canone sit, injungatur ipsi ut, satisfacto ei quem læsit, ulterius contra canonem illum nihil faciat. Hinc percussori Clerici injungendum est ut nunquam de cætero percutiat Clericum; incendiario, ut nunquam incendat, et similia, excepto in casu licito et a jure permisso, uti addiscimus ab Alexandro III, in cap. *Ex tenore*, x, *De sententia Excommunicationis*, ubi, præscribens Archiepiscopo Genuensi formam absolutionis illi præstandæ qui violentas in Clericorum manus injecerat, ita inquit : « Mandamus ita» que quatenus, recepto ab eo juramento quod » tuo debeat mandato parere, ipsum, vice no» stra, a sententia qua tenetur absolvas; sibi» que in virtute juramenti præcipias ne de » cætero in Clericum, Monachum, vel alicujus » religionis Conversum manus injiciat violen» tas, nisi se defendendo, aut de mandato suo» rum fecerit Prælatorum, vel nisi super eum » prælationis ministerium aut magisterium » habeat, aut cum ipso in eadem ecclesia so» cius esse noscatur. » Ut hæc verba intelligantur, scite explicant Doctores in Commentario ad laudatum caput *Ex tenore;* et ad caput I tit. citati.

III. Quod autem aliquando absolutus ab excommunicatione cogendus sit de jure sufficienter super hoc cavere, quod scilicet de cætero commissum crimen perpetrare non præsumat, jam nos superius explicuimus, et videri potest decretalis Honorii III Epistola ad Episcopum Senensem, in cap. *Gravem*, LIII, *De sententia Excommunicationis*. Sane huic nostro § non modo varii canones, sed etiam varii manuscripti libri Pontificales concinunt, inter quos Vaticanus codex Gulielmi Durandi.

§ IX.

Si vero excommunicatus auctoritate Apostolica habeat temporale impedimentum quominus ad sedem Apostolicam accedere possit, et propterea ab Ordinario absolvatur, tunc injungendum est absoluto ut, statim impedimento cessante, debeat se Summo Pontifici præsentari, vel ejus Legato, mandatum illius super hoc impleturus; quod tamen in pueris, et mulieribus, et similibus non servatur, quia, sicut perpetuum habent impedimentum, perpetuo excusantur.

COMMENTARIUS.

I. Nihil frequentius in titulo codicis Decretalis, *De sententia Excommunicationis*, quam ut excommunicati auctoritate Apostolica, sive illa excommunicatione innodati quam incurrunt qui violentas in Clericum manus injiciunt, absolvi debeant a Papa, sive ab ejus Legato. Certe in cap. *Ea noscitur*, XIII, tit. citato, excipiuntur ab eo honore adeundi Apostolicam Sedem « mulieres, senes, et valetudinarii, seu » membrorum destitutionibus impediti, » qui, licet ad Sedem Apostolicam non veniant, possunt quidem ab Episcopis fidelium communioni restitui, modo satisfactum juxta facultates his fuerit quibus per eos constiterit injurias irrogatas. Statuit hæc quidem, ut alias decretales Pontificum Epistolas omittam, in eo capite Clemens III, qui etiam, postquam dixit alios, sive pauperes, sive divites, Sedi Apostolicæ, vel Legato ejus, ut beneficium absolutionis obtineant, necesse esse se præsentare, ita de infirmis subjungit : « Si vero infirmitatis » tempore timore mortis, beneficium fuerit » absolutionis indultum, juramento præstito » injungatur eisdem ut, postquam sanitati fue» rint restituti, ad Romanam Ecclesiam, vel » ejus Legatum accedant, mandatum Aposto» licum super *talibus* recepturi. »

II. Præter mulieres, senes, infirmos, excipiuntur etiam et pueri, cap. I, citato titulo, itemque ii qui sui juris non sunt, ac præterea delicati, qui laborem veniendi Romam nequeunt sustinere, cap. VI, ibidem. Quibus adde

Digitized by Google

homines illos qui habent capitales inimicitias, vel alias justas excusationes, ob quas ab itinere rationabiliter excusantur : iis enim, quod, sine periculo, Apostolico se nequeant conspectui præsentare, licet diœcesano Episcopo, recepto juramento secundum morem Ecclesiæ, absolutionis gratiam impertire; eisdem tamen sub juramento debito, etiam injuncto ut, quam citius opportunitatem habuerint, Romanum Pontificem adeant, mandatum Apostolicum suscepturi, uti videre est in cap. *De cætero*, XI, et in cap. *Cum illorum*, XXXII, *De sententia Excommunicationis*, ubi etiam notant Doctores quod, tametsi incidentes in excommunicationem pro violenta manuum injectione in Clericos a solo Papa absolutionem consequi possunt, excipiuntur tamen multi casus quos Silvester in *Summa*, verbo *Absolutio*, tit. IV, num. III, et alii passim theologi et canonici juris consulti recensent.

§ X.

Si vero aliquis ligatus est ab homine, et tunc, aut offensa ejus est manifesta, tunc satisfacere debet priusquam absolvatur : aut est dubia, et tunc, si post absolutionem apparuerit istum injuste fuisse ligatum, nihil omnino præcipiendum est ei; si vero apparuerit ipsum juste fuisse ligatum, præcipiendum est ei quod satisfaciat competenter.

COMMENTARIUS.

Quæ sit excommunicatio quæ ab homine infertur, dictum superius est. Quod is qui a tali excommunicatione est innodatus ob manifestam et notoriam culpam, ante absolutionem læsæ parti satisfacere teneatur, docent non modo libri Pontificales, sed et sacri canones et canonici juris consulti. De aliis quæ in hoc § continentur, jam diximus in aliis ad hunc titulum Commentariis. Unum hic addiderim, quod, quamvis valida sit absolutio data, non præmissa satisfactione, quando quis scilicet juste excommunicatione ligatus est, peccat tamen moraliter absolvens, et tenetur ipse parti damnum inde secutum restituere; nam ex officio et justitia, ut aiunt Doctores, bono partis consulere tenetur, nisi de illius consensu absolutionem conferat. At vero si aliquis absolutus est, præstita cautione de satisfaciendo, si postea non satisfaciat, quando potest, non manet quidem excommunicatus, nisi postea excommunicetur, ut colligitur ex cap. *Ad reprimendum*, VIII, *De Officio judicis ordinarii*. Ratio ejus rei illa est, quia absolutio impensa non fuit sub conditione, sed absolute, licet tanquam modus, ut aiunt, adjecta fuerit absolutioni satisfaciendi obligatio. Sed de his et aliis scitu dignis, ac praxim spectantibus, videri passim auctores possunt, quos casuistas nuncupant.

§ XI.

Quando vero anathema, id est solemnis excommunicatio, pro gravioribus culpis fieri debet, Pontifex paratus amictu, stola, pluviali violaceo et mitra simplici, assistentibus sibi duodecim Presbyteris superpelliceis indutis, et tam ipso quam Presbyteris candelas ardentes in manibus tenentibus, sedet super faldistorium, ante altare majus, aut alio loco publico, ubi magis sibi placebit, et ibi pronuntiat et profert anathema hoc modo : *Quia N., diabolo suadente, Christianam promissionem, quam in Baptismo professus est, per apostasiam postponens, Ecclesiam Dei devastare, Ecclesiastica bona diripere, ac pauperes Christi violenter opprimere non veretur; idcirco solliciti ne per negligentiam Pastoralem pereat, pro quo in tremendo judicio ante Principem pastorum Dominum nostrum Jesum Christum*

Digitized by Google

rationem reddere compellamur, juxta quod Dominus ipse terribiliter comminatur, dicens : Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram ; *monuimus eum canonice primo, secundo, tertio, et etiam quarto ad ejus malitiam convincendam, ipsum ad emendationem, satisfactionem et pœnitentiam invitantes, et paterno affectu corripientes. Ipse vero, proh dolor! monita salutaria spernens, Ecclesiæ Dei, quam læsit, superbiæ spiritu inflatus, satisfacere dedignatur. Sane præceptis Dominicis atque Apostolicis informamur quid de hujusmodi prævaricatoribus agere nos oporteat. Ait enim Dominus :* Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te. *Et Apostolus inquit :* Auferte malum ex vobis. *Et iterum :* Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. *Et Joannes, præ cæteris dilectus Christi discipulus, talem nefarium hominem salutare prohibet, dicens :* Nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis. *Dominica itaque atque Apostolica præcepta adimplentes, membrum putridum et insanabile, quod medicinam non recipit, ferro excommunicationis ab Ecclesiæ corpore abscindimus, ne tam pestifero morbo reliqua corporis membra veluti veneno inficiantur. Igitur, quia monita nostra crebrasque exhortationes contempsit, quia tertio secundum Dominicum præceptum vocatus, ad emendationem et pœnitentiam venire despexit, quia culpam suam nec cogitavit nec confessus est, nec missa legatione excusationem aliquam prætendit, nec veniam postulavit, sed, diabolo cor ejus indurante, in incœpta malitia perseverat, juxta quod Apostolus dicit :* Secundum duritiam suam et cor impœnitens thesaurizat sibi iram in die iræ; *idcirco eum cum universis complicibus fautoribusque suis, judicio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et beati Petri principis Apostolorum, et omnium Sanctorum, nec non et mediocritatis nostræ auctoritate, et potestate ligandi et solvendi in cœlo et in terra nobis divinitus collata, a pretiosi Corporis et Sanguinis Domini perceptione, et a societate omnium Christianorum separamus, et a liminibus sanctæ Matris Ecclesiæ in cœlo et in terra excludimus, et excommunicatum et anathematizatum esse decernimus, et damnatum cum diabolo et angelis ejus et omnibus reprobis in ignem æternum judicamus; donec a diaboli laqueis resipiscat, et ad emendationem et pœnitentiam redeat, et Ecclesiæ Dei, quam læsit, satisfaciat; tradentes eum Satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus salvus fiat in die judicii.* Et omnes respondent : *Fiat, fiat, fiat.* Quo facto, tam Pontifex quam Sacerdotes debent projicere in terram candelas ardentes quas in manibus tenebant.

COMMENTARIUS.

I. Si oculos ad veterem Ecclesiæ disciplinam conjiciamus, nullam profecto specialem formam aut certos ritus præscriptos, quibus excommunicatio in homines facinorosos intentaretur, inveniemus. In hoc unum intenti erant Ecclesiarum Pastores, ut accurate causam excommunicationis discuterent suo adhibito Clero. Verum cum labentibus sæculis excommunicationes ob levissimas etiam causas multiplicarentur, adeo ut frequenter contemnerentur, ut major excom-

Digitized by Google

municationi auctoritas conciliaretur, terrorque populo incuteretur, « cœperunt, » ait post Christianum Lupum, Zegerus Van-Espen, parte III *Juris Ecclesiastici*, tit. XI, cap. VIII, « circa sæculum nonum aut decimum, certæ formulæ » et ritus introduci, qui sensim majus incrementum acceperunt. » Sed labuntur laudati auctores cæteroqui eruditi, nam, uti inferius ostendemus, constat, ex sacris canonibus, longe ante sæculum IX fuisse in usu ritum in hac nostra Rubrica præscriptum.

II. Ergo ubi anathema, id est solemnis excommunicatio, pro gravioribus culpis ferri debet, cautum est quidem ex sacris canonibus, et variis Pontificalibus libris, ut Episcopo excommunicationem ferenti duodecim Presbyteri assistant, candelas ardentes in manibus tenentes. Qui ritus vestigium esse videtur veteris Ecclesiæ disciplinæ, quæ causas volebat ab Episcopo, assistente illi Clero suo, discuti et terminari : erat autem hæc Cleri seu Presbyterorum assistentia non mere cæremonialis, uti est hodie, sed judicialis, nam et ipse Clerus in examine ac discussione causæ Episcopo assistebat, unumque cum ipso Episcopo senatum constituebat.

III. Ritus candelas ardentes in manibus tenendi, easque pronuntiato anathemate in terram projiciendi, quemadmodum in hoc nostro § edicitur, ritus est solius Latinæ Ecclesiæ, a Græcis nunquam usitatus, ut testatur memoratus Lupus, tomo VI operum, editionis Venetæ, in scholio ad canonem XIII Concilii Quintilinoburgensis, in quo « sententia anathematis cum » ardentibus candelis promulgata est in Guiber» tum, etc. » Celebratum est hoc Concilium Gregorio Papa VII Pontifice Maximo, anno 1085. Tum addit idem Lupus se ignorare vetustiorem ejus ritus memoriam, quam a Lemovicensi Synodo, celebrata anno Christi 1031, ubi Synodi ipsius Patres excommunicant quosdam alienarum rerum raptores sub hac formula : « Sicut » hæ lucernæ exstinguuntur in oculis vestris, » ita gaudium eorum exstinguatur in conspectu » sanctorum Angelorum, nisi ante mortem ad » satisfactionem venerint. »

IV. Longe ante memoratam Lemovicensem Synodum fuisse in usu hanc cæremoniam, perspicue evincitur ex testimonio Reginonis abbatis Prumiensis, qui, ut testatur Bellarminus in libro *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, floruit circa initium sæculi X, adeoque centum et supra annos ante prædictam Synodum. Hic autem, lib. II *De disciplinis Ecclesiasticis*, cap. CDXII, refert formulam excommunicationis cum hac clausula : « Sicut hæ lucernæ exstinguuntur in » oculis vestris, ita gaudium eorum exstinguatur » in conspectu sanctorum Angelorum, nisi ante » mortem ad satisfactionem venerint. » Ubi nota referri quidem hanc formulam a Reginone, tanquam suo tempore usitatam, non vero tunc primum adinventam. Quamobrem dici potest, longe etiam ante Reginonem, cæremoniam ipsam exstinguendi candelas in excommunicatione facinorosorum hominum, ad majorem ipsis incutiendum terrorem, fuisse institutam.

V. Fateor equidem me etiam ignorare quo primum tempore descripti in hoc nostro § intorquendi anathematis ritus introducti sint. Illud sane pro certo haberi debet, jam sæculo Christi VIII in usu ipsos fuisse, constatque ex canone *Non debent*, XI, quæstione III, desumpto ex Epistola Zachariæ Papæ ad S. Bonifacium, ubi sic præcipitur intorquendam solemnem excommunicationem : « Debent duodecim Sacer» dotes Episcopo circumstare, et lucernas ar» dentes in manibus tenere, quas, in conclusione » anathematis vel excommunicationis, projicere » debent in terram et conculcare pedibus. » Deinde Epistola per Parochias mittatur con» tinens excommunicatorum nomina, et causam » excommunicationis. » Ubi nota hunc modum a Zacharia, qui fuit electus Romanus Pontifex anno 741, in laudata ad Bonifacium Epistola præscriptum, eumdem esse qui in hoc nostro § edicitur, nisi quod omittitur conculcatio cerei in terram projecti. Apud Hebræos, teste Novarino in opere cui titulus *Schediasmata sacroprophana*, lib. VII, num. XLIX, « cum quis » excommunicatur, cereus accensus nigro co» lore adhibetur, isque qui excommunicatio» nem infligit, in sinu librum legis tenet, ut » reo timorem incutiat, quin tubæ sonitu ad » horrorem. »

VI. Sed age explicemus singula solemnis excommunicationis adjuncta jure communi præscripta ; sunt enim magnis fœta sacramentis ad incutiendum excommunicationis horrorem valde appositis, quæ quidem scitissime enarrat eruditus Raynaudus in libro *De monitoriis Ecclesiasticis*, parte II, cap. VII. « Episcopus, inquit,

Digitized by Google

» et duodecim Sacerdotes, Christum et duode-
» narium numerum Apostolorum repræsen-
» tant; significaturque eorum auctoritate ac in
» ipsorum persona vibrari anathema. » Sicut enim olim in Conciliis, uti alibi a nobis dictum est, sacer Evangeliorum codex super honorificentissimo throno ad id parato collocabatur, ut significaretur Christum adesse, et præesse Synodo; ita Episcopi et duodecim Sacerdotum præsentia Christi et Apostolorum præsentiam denotat, in eorumque persona anathematis sententiam vibrari significat.

VII. Rursus lucernæ, id est cerei ardentes (nam etiam Gedeon et socii dicuntur lib. *Judicum*, cap. VII, lucernas prætulisse cum lampades præferrent), cerei, inquam, in manibus Episcopi et Sacerdotum, significare primo possunt horrendam maledictionem qua feriuntur qui percelluntur anathemate. Sic enim, in Vita S. Bernardi, lib. II, capite VI, legimus sanctum virum, cum exsecrari vellet impurissimum dæmonem incubum a quo misera mulier turpissime annos jam multos infestabatur, jussisse omnes adstantes, inter quos duo Episcopi erant, præferre manibus cereos accensos, quos mox cum Satanæ detestatione projicerent et exstinguerent, quasi in illum flammam dejicerent. Nam etiam, Psalmo LVII, irrogatio pœnæ gravissimæ significatur verbis illis : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Similiter ergo superjectio hæc candelarum, ut recte memoratus auctor concludit, potest ad intorsionem pœnæ divinitus homini devoto inferendæ pertinere. Id quod variis divinæ Scripturæ locis ac Patrum testimoniis ostendit, quibus tam familiare est ignem pro atroci supplicio et gravi maledictione usurpari, ut Achan, quem lapidibus obrutum interiisse constat, ex cap. VII *Josue,* versiculo XXV, igne, id est durissimo et gravissimo supplicio, periisse legatur.

VIII. Eo itaque pertinere potest cerei ardentis projectio, ut significetur quam atrox supplicium maneat excommunicatum, quasque in se advocet pœnas et maledictiones, quæ in multis olim Ecclesiis anathemati adjungebantur, ut infra dicemus : atque ad hanc interpretationem reducitur projectionis et exstinctionis cerei, quod, in memorata superius a Reginone abbate excommunicationis formula, dicitur precari consuevisse Episcopos, ubi anathema solemne et horrificum in aliquos intorquebant : « Sicut hæ
» lucernæ exstinguuntur in oculis vestris, ita
» gaudium eorum exstinguatur in conspectu
» sanctorum Angelorum, etc. » Sane, quod paulo superius dictum est, incubum dæmonem, miseræ mulieri annos jam multos infestum, anathematizatum fuisse a S. Bernardo et duobus Episcopis et plebe universa, exstinctis candelis quas omnes adstantes gestabant manibus, et præmissa omnium adscriptione in charta anathematis, id ad imprecationem et exsecrationem referri debet, dicique potest improprie anathema. Nam Satanas non est capax Ecclesiasticæ communionis, qua per excommunicationem proprie dictam feriri possit : feritur autem duntaxat exsecratione et maledictione, adjunctis ad Deum precibus ut ejus conatus impediat, ut recte notarunt Sanchez, lib. II *In Decalogum*, cap. XLII, num. XXXII ; et Suarez, tomo V, parte III, distinctione V, sectione I, num. II, qui id etiam ex eo illustrat, quod simili vocis laxitate hæreses dicuntur anathematizari, ut in professione fidei a Pio IV præscripta, et sexcenties in Conciliis ; quod non est aliud quam illas hæreses exsecrationi subjici. Nam qui fidem profitetur, plerumque non is est qui possit excommunicatione percellere ; ipsæque hæreses, cum non sint supposita rationalia, non possunt unquam excommunicatione proprie dicta feriri.

IX. Sed, hisce obiter explicatis, potest præterea cerei projectio, quemadmodum docet laudatus Raynaudus, significare mysticam hominis interfectionem, per gratiæ, quæ interni hominis lumen ac splendor est, exclusionem ab eo factam, in quem anathema intorquetur ; non quod ipsum anathema excludat gratiam, sed quod eam supponat exclusam. Cereum significare hominem, ex usu prisco Latinorum, tradit late Raynaudus ipse, ubi agit de Christo per cereum expresso. Nihil autem vulgatius quam ut cereus incensus Christianum hominem, Catholicæ communionis participem et fide viva collustratum, repræsentare censeatur. Sic enim ad fidei vivæ contestationem, et professionem edendam eo facto, mox animam efflaturis cereus ardens in manibus datur ; eamdemque ob causam, qui Baptismum suscipit, ardentem cereum præfert manibus ; de quibus omnibus plura videri apud eruditos auctores possunt de ritibus Baptismi tractantes.

Digitized by Google

Fidei ergo vivæ, et Ecclesiasticæ communionis extorrem significat candelarum in solemni anathemate projectio et exstinctio. Potest denique ritus ipse dejectionis et exstinctionis cereorum in terram, eo pertinere ut insinuetur, sicut Satanas, quem Scripturæ ac Patres, priusquam statu gratiæ excideret, specie luminis exprimunt, dejectus est deorsum magno impetu, juxta illud Lucæ x : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem;* ita eum qui anathemate feritur, de cœlo Ecclesiasticæ communionis dejici, et deinceps partem suam habiturum cum Satana et angelis ejus, qui, cum essent secunda lumina, ut loquitur Nazianzenus, dejectione sua e cœlo tenebrati sunt.

X. Conculcatio cerei dejecti facta pedibus anathematizantium, cujus ritus mentio fit in pervetusta Zachariæ Pontificis ad S. Bonifacium epistola, relata in canone *Debent*, XI, quæstione III, et in manuscripto codice Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, quemque alias omittit nostra hæc hodierni Romani Pontificalis Rubrica, designat protritionem et conculcationem excommunicati per Satanam cui deditur. Ita ex antiquis juris consultis, Jasone, Romano, Felino, Navarro, et aliis compluribus moderni auctores non pauci docent. Significare etiam potest ea conculcatio, excommunicatum esse in eorum numero qui sunt probro Ecclesiæ, ejusque leges effrenem audaciam conculcant, suntque velut Jebusæi in medio filiorum Israël. Jebusæum enim interpretantur *conculcantem*, ut ait Origenes, homilia XXI in Josue; ubi etiam hæc subdit : « Videamus qui » sunt in Ecclesia conculcantes. Illi sine dubio, » de quibus dicit Dominus in Evangelio : *Nolite* » *mittere sanctum canibus, neque margaritas* » *vestras ante porcos, ne forte conculcent eas* » *pedibus suis, et conversi elidant vos.* Iste est » ergo Jebusæus conculcatio, qui indigni au- » diunt verbum Dei; et, cum audierint, neque » ut infideles discedunt; neque permanent ut » fideles, sed, percepta mysteriorum notitia, » fidei nostræ secretioribus scrutatis, conversi » postmodum impugnant nos, et contradictio- » nibus suis corda nostra dirumpunt, concul- » cantes verbi Dominici margaritas, et orna- » menta fidei maculantes. » Usus porro fert, pluribus abhinc sæculis usitatus, ut candelæ sic calcatæ ad nullum postea usum assumantur; ut significetur excommunicatum esse sal infatuatum, qui, ut legitur in Evangelio Matthæi, cap. V, *ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus :* ut habetur in cap. *Non omnes*, II, quæst. VII; et tradit *Glossa Canonici Juris*, ad laudatum canonem *Non debent*, XI, quæstione III.

XI. Præter propositos atque hucusque explicatos ritus, alii in Ecclesis particularibus in anathematis vibratione usurpati sunt valde horrifici, quos recenset Alphonsius de Castro, lib. II *De justa Hæreticorum punitione*, cap. XX; et Henriquez, libro XIII, numero III. Unum hic libet adscribere, quem tradit Raynaudus in diœcesi Gratianopolitana teneri. Parochus, Sacro communi ac publico rite absoluto, nigram stolam super Sacerdotalem casulam indutus, ad ecclesiæ valvas progreditur, præeunte cruce pullis velis adoperta. In vicinis quibusdam Ecclesiis ait ipsam crucem per humum trahi. Sed hic est « detestabilis abusus » horrendæ indevotionis, » ut dixit Gregorius X, in Concilio Lugdunensi, referturque ejus constitutum in cap. VI *De Officio judicis Ordinarii*, in Sexto. Fuit sane saltem alicubi aliquando mos, ut afflictionis tempore sacræ Christi imagines, cruces, ac Sanctorum reliquiæ ad terram deponerentur. Sic enim, teste Orderico Vitali, libro VIII *Historiæ*, ad annum 1090, cum Hoellus Cenomanensis antistes ab Helia de Flechia comprehensus et in carcerem conjectus esset, « Ecclesia dicti Pon- » tificis sui afflictioni condoluit, Dominique » sanctas imagines cum crucibus, et sanctarum » scrinia reliquiarum ad terram deposuit, et » portas basilicarum spinis obturavit; a clan- » gore signorum, celebrique cantus, solitisque » solemniis ut vidua mœrens cessavit, lacry- » misque vacavit. » Celebre ejus rei documentum legere est apud eruditum Martene, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. IV, ord. II, ex manuscripto rituali codice Sancti-Martini Turonensis, cap. CLXXIX.

XII. Sed, omisso hoc ritu, quem Raynaudus impietatem vocat, ab ignaris haud dubie, ut ipse inquit, Præsulibus usurpatum, eo revertamur unde oratio digressa est. Comitantur Parochum excommunicationem vibrantem Sacerdotes ac Clerici linteati, quanto fieri potest numero. Interim æra campana inconditis et

Digitized by Google

lugubribus modis perstrepunt, ad tragœdiæ usque catastropham. Qui ritus præscribitur quoque a Joanne XXII Pontifice Maximo, in Extravaganti constitutione, quæ incipit : *Infidelis*, tit. *De Furtis*, ubi mandat direptores cujusdam thesauri solemniter excommunicari. Progredientes vero ad ecclesiæ valvas Sacerdotes et Clerici decantant Responsorium illud : *Revelabunt cœli iniquitatem Judæ, et adversus eum non surget, et manifestum erit peccatum illius in die furoris Domini.* * *Cum eis qui dixerunt Domino Deo : Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* ℣. *In die traditionis non salvabitur, et ad diem ultionis adducetur.* * *Cum his qui dixerunt Domino meo : Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Ad templi limen cum ventum est, cantatur Antiphona : *Media vita in morte sumus. Quem quærimus adjutorem, nisi te, Domine, qui pro peccatis nostris juste irasceris? Sancte Deus, sancte fortis, sancte et misericors Salvator, amaræ morti ne tradas nos. Non projicias nos in tempore senectutis; cum defecerit virtus nostra, ne derelinquas nos.*

XIII. His subjicitur totus Psalmus CVIII; eoque finito, maledictio intorquetur in singula membra ejus qui anathemate percellitur, projecta in terram ad uniuscujusque membri maledictionem ardente candela. Hæc autem sunt concepta maledictionis verba : « Maledictum » sit ejus caput, crines, supercilia, oculi, nares, » labia, dentes, brachia, manus, viscera, ven» ter, pectus, tibiæ, pedes, et omnia ejus » membra. A planta pedis usque ad verticem » capitis non sit in eo sanitas. Inferat Deus su» per eum et bona ejus maledictionem æter» nam. Diabolus sit semper a dextris et a » sinistris ejus, donec dies ejus pauci fiant. » Interim comburuntur spinæ juxta illud Nahum, cap. I : *Sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium, consumetur velut stipula ariditate plena.* Tandem tres lapides magno connisu et valido impetu jaciuntur in terram, Deum rogando ut similiter percussum velit anathematizatum, ac olim Core, Dathan et Abiron percussit : sicque, eodem quo ventum erat ordine, ab omnibus receditur.

XIV. Longe ac magis horrificæ sunt variarum excommunicationum formulæ quas affert memoratus Martene, loco citato, cap. IV; occurruntque passim id genus aliæ apud scriptores Ecclesiaticæ Historiæ. Non est autem quod admirationem moveant, cum etiam in sacris Bibliis similes maledictiones usurpatas a Prophetis vel a Deo mandatas legamus, ut notavit Campegius in tractatu *De Excommunicatione*, sub finem; et Viguerius *De Sacramento Ordinis*, versiculo XV. Prophetæ namque divinitus moti sæpe æterna supplicia, et multo magis temporalia, imprecantur impiis. Et quamvis S. Augustinus, in Psalmum V, ad versum XII, tales imprecationes a Prophetis in speciem fusas, censeat non diras et imprecationes, sed pronuntiationes esse malorum quæ impiis advenient : quamvis item S. Gregorius Nyssenus, Oratione I, in Orationem Dominicam, existimet diras illas Propheticas spectare tantum destructionem peccati, non damnum peccatoris : tamen nihil est necesse existimare Prophetas semper in sensibus prædictis fudisse imprecationes; sed vere, sin minus semper, at saltem aliquando, apprecati sunt impiis justum salarium impietatis, etiam æternum, supposita obduratione perpetua, et finali impœnitentia, quæ libera est peccatori. Posito enim enim quod peccator illud æternæ maledictionis fundamentum velit ponere; dignum ac justum est ut ei rependatur moles æternarum calamitatum, estque rationi valde conforme eam illi in pertinacia morienti imprecari, ut divinæ justitiæ satisfiat.

XV. Doctrina est nostri Angelici Doctoris Thomæ Aquinatis in *Secunda Secundæ*, quæstione LXXVI, articulo I, et aliorum complurium scriptorum, qui cœlestem ejus doctrinam et a Summis Pontificibus commendatam sequuntur. Ait enim ipse maledictiones hujusmodi posse labe vacare, si vel intorqueantur sub ratione boni utilis. Cum nempe optatur homini ægritudo, ut resipiscat; vel certe ferantur sub ratione boni justi, quia justa pœna homini desideratur : « Et sic Ecclesia, inquit, » maledicit anathematizando. » Indubitatum porro videtur hujusmodi exsecrationes et imprecationes, præsertim Ecclesiasticas, non abire cassas. Nam Deus, sicut precantem Ecclesiam audit, ita etiam imprecantem. Ejus rei varia exempla affert eruditus Lupus, tomo V operum, ultimæ editionis Venetæ, in septimum

Digitized by Google

S. Gregorii VII Romanum Concilium, cap. inscripto : *Exponitur Sacerdotalis Maledictio;* ubi etiam docet, maledictionis Sacerdotalis speciem esse quidem excommunicationis, posse autem esse maledictionem sine excommunicatione.

XVI. Varias maledictionum sive imprecationum formulas, cum expressione etiam verbi anathematis, adhibere jam olim consueverunt et laici homines, ubi res suas in generali populi supplicatione Deo se offerre profitebantur. Sunt autem hæc quæ ad altare verbis conceptis effari solebant, juxta pervetustum testimonium libri VI *Capitularium regum Francorum*, capite CCLXXXV : « Offero Deo atque dedico omnes res quæ hac in chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum, ac parentum et filiorum, ac pro quocumque illas Deo deliberare voluerit ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, Missarumque solemniis, orationibus, luminariis, pauperum ac Clericorum alimoniis, et cæteris divinis cultibus, atque illius Ecclesiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, distinctissimas reddat rationes. » Ponit etiam in ea alias conjurationes, quas enumerare longum est. Hæc ibi, quibus aliunde pauca lubet attexere. Nam Marculfus certe eadem tradit in suo libro *De solemnibus Formulis*. In quinta formula, quæ est exstructionis monasterii, hæc habet : « Si quis huic voluntati meæ quaslibet adinventiones seu propositiones, sicut mundus quotidie artibus et ingeniis expolitur, obvius, vel repetitor, convulsor etiam, aut tergiversator exstiterit, anathema sit. Et sicut Dathan et Abiron hiatu terræ absorpti sunt viventes, in infernum descendat. Et cum Giezi fraudis mercatore, et in præsenti et in futuro sæculo partem damnationis excipiat : et tum veniam consequatur, quando consecuturus est diabolus, qui se se fallendo etherea sede dejectus, etc. » Rursus anathematis, et Christi tribunalis meminit in formula XV, XVI et XVIII.

XVII. Hasce et alias lectu dignas maledictionum formulas jam olim a fundatoribus ecclesiarum ac monasteriorum usitatas refert Horstius, in notis ad Epistolam CXLV S. Bernardi ad Humbertum abbatem Igniacensem; eoque consilio formulas ipsas exsecrationibus plenas describit, ut commendatarios monasteriorum, ut aiunt, admoneat quibus exsecrationibus obnoxii sunt, dum monasteriorum bona, pro Monachis a majoribus nostris elargita et pro cultu divino in eisdem monasteriis exhibendo, suos in usus convertunt; doletque sua ætate dari commendas « mulieribus diruptæ profusæque libidinis; furiosis denique, ac mente captis. » Addit et alia quæ, cum nostri non sint instituti, consulto omittimus. Illud ergo minime prætermiserim, quod ad hunc nostrum § attinet, verba illa Rubricæ in fine anathematis apposita, *Et omnes respondent : Fiat, fiat, fiat,* haberi quidem in antiquis excommunicationum formulis, ac præsertim in illa quæ exstat in tribus manuscriptis codicibus, Noviomensi, regis Gallorum, et Vindocinensi, annorum circiter septingentorum; apud Martene, libro III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, capite IV, formula V, cui titulus *Qualiter Episcopus excommunicare infideles Christianos debeat.* Nam ad finem ejus formulæ, ita quidem præscriptum legimus : « Et respondeant omnes tertio *Amen;* aut, *Fiat, fiat;* aut, *Anathema sit.* » Tandem in Concilio Lemovicensi, anno 1031 habito, decernitur ut, cum Episcopus « quemlibet excommunicaverit, eat publice ad ostium Ecclesiæ, et ostium pro eo claudat. »

XVIII. Spectant denique hunc Commentarium ea quæ in paulo superius memoratis manuscriptis tribus Ritualibus libris expressum legimus, nimirum ut, postquam, in conclusione anathematis adversus aliquem vibrati, projectæ fuerunt candelæ ardentes in terram et pedibus conculcatæ, « Episcopus plebi ipsam excommunicationem communibus verbis debeat explanare, ut omnes intelligant quam terribiliter damnatus sit; et, ut noverint quod, ab illa hora in reliquum, non pro Christiano, sed pro pagano habendus sit : et qui illi quasi Christiano communicaverit, vel cum eo manducaverit aut biberit, aut eum osculatus fuerit, vel cum eo colloquium familiare habuerit, nisi ad satisfactionem et pœnitentiam cum provocare studuerit, aut in domo sua eum receperit, aut simul cum eo oraverit, procul dubio similiter sit excommunicatus. » Vide pium ac doctum

Digitized by Google

virum Humbertum de Romanis, lib. II *De modo prompte cudendi sermones*, tractatu II, cap. LXVI, ubi Episcopo materiam subministrat habendi sermonem in solemni excommunicatione. Quod idcirco dixi, quia scilicet res Ecclesiasticæ passim hodie vilescunt, quod ipsarum ritus et cæremoniæ a multis Episcopis et Ecclesiarum Pastoribus minime explicentur. Laudandus sane Benedictus XIII, qui, ubi sacra aliqua ministeria peragebat, ritus omnes ac cæremonias enarrabat, non sine Christifidelium utilitate. Sed id non semel a Conciliis præscribi, jam alibi dictum est.

§ XII.

Deinde Epistola Presbyteris per parochias et etiam vicinis Episcopis mittatur, continens nomen excommunicati, et excommunicationis causam, ne quis per ignorantiam ulterius illi communicet, et ut excommunicationis occasio omnibus auferatur.

COMMENTARIUS.

I. Hoc semper in Ecclesia usitatum fuit, ut excommunicatus ab uno Episcopo, ab omnibus vitandus esset, et reputandus tanquam ethnicus et publicanus; hujusque disciplinæ exemplum habemus in Marcione, qui, ob stuprum excommunicatus a suo Episcopo, cum Romam venisset post mortem Hygini Papæ, et a Clero Romano in communionem admitti postulasset, respondit Clerus se id facere non posse sine arbitrio et consensu Episcopi ejus, uti latius ex Epiphanio refert Baronius ad annum 146. Eamdem hanc disciplinam non introducens sed renovans, Synodus I Nicæna œcumenica, can. V, statuit « ut » hi qui abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. »

II. Ne igitur ignorantiam prætenderent Episcopi, jampridem in usu fuit ut excommunicationis sententia per Parochias ubique publicaretur, et Episcopis intimaretur. Hinc S. Augustinus, in Epistola CLXI, disserens de contumacibus et rebellibus qui a falsæ doctrinæ pravitate non destiterunt, eos non modo parochiis ac vicinis diœcesibus et provinciis, sed et universo orbi per encyclicas litteras deferendos esse ait : « Quod » si non fecerint, ibi etiam eorum pravitas et » perversitas innotescet, missaque tractoria su- » per eorum nomina, per totum orbem terrarum, » quacumque jam Christi Ecclesia dilatata est, » ab omnibus Ecclesiis eorum communio præ- » cidetur. » Tractoria hic significat encyclicas litteras, quibus, juxta antiquum Ecclesiæ morem, Episcopus alicujus damnationem denuntiabat, ut fuse explicuimus nostro I tomo Conciliorum, in laudatum canonem V Nicænum, ubi ad confirmandam memoratam Ecclesiæ disciplinam plurima veterum Patrum testimonia attulimus, quæ hoc loco repetere supervacaneum est.

III. Nihil itaque est in hac nostra Rubrica quod antiquum non sit et insequentibus sæculis non renovatum, uti passim videre est in sacris Conciliorum canonibus, et in Romanorum Pontificum decretis. In Epistola Zachariæ Papæ ad S. Bonifacium scripta, relata in can. *Debent*, XI, quæstione III, postquam dictum est ardentes candelas quas duodecim Sacerdotes Episcopum excommunicationem vibrantem circumstantes, in manibus ardentes tenebant, in conclusione anathematis debere projici in terram et pedibus conculcari, ita statim subjungitur : « Deinde Epistola per parœcias mittatur » continens excommunicatorum nomina, et » causam excommunicationis. » Regino quoque abbas Prumiensis, relata formula excommunicationis sæculo XI usitata, hunc in modum subjicit : « Deinde Epistolæ Presbyteris per » parochiam mittantur, continentes modum » excommunicationis, in quibus jubeantur ut » diebus Dominicis, post lectionem Evangelii, » plebibus sibi commissis publice annuntient » ipsam excommunicationem, ut ne quis per » ignorantiam communicet excommunicato; » oportet etiam ut aliis Episcopis ipsa excom- » municatio manifestetur. » Hæc ille lib. II, *De Ecclesiasticis Disciplinis*; dictaque sua confirmat ex canone II Concilii Toletani I, quod anno Christi 400 celebratum est.

IV. Excommunicationes post lectionem Evan-

Digitized by Google

gelii promulgandas mandant quidem tres manuscripti codices Rituales, Noviomensis, regis Gallorum, et Vindocinensis, annorum circiter septingentorum, in quibus, ubi agitur qualiter Episcopus excommunicare infideles Christianos debeat, sic legimus : « Episcopus cum excom» municare vel anathematizare aliquem infi» delem pro certis et manifestis sceleribus » dispositum habet, post lectionem Evangelii » Clerum et plebem ita debet alloqui, etc. » Rursus, ex ipsius codicibus, regio et Vindocinensi, cautum et illud est de Epistolis per parochias Presbyteris mittendis, quod legitur in mox superius recitato Reginonis loco. Cæterum, quod solerent olim Episcopi in frequenti populo infra Missarum solemnia persecutores Ecclesiæ excommunicatos denuntiare, idque post pronuntiatum a Diacono Evangelium, fuit quidem communis Ecclesiæ praxis, quam videre est in *Chronico* Hugonis Flaviniacensis, pagina 201, ubi Hugo Diensis episcopus Stephanum Podiensem antistitem post Evangelium excommunicasse legitur. Id quod etiam confirmat Hincmarus Remensis archiepiscopus, qui in Epistola sua VII, quæ exstat tomo II, Presbyteris suis mandat ut excommunicationem adversus quosdam deprædatores, non post Evangelium, sicut mos erat, populo denuntiarent; sed statim post Epistolam, quia nonnulli ejus criminis rei, lecto Evangelio, protinus ab Ecclesia recedebant. Locum in quo ipsa anathemata pronuntiabantur, fuisse ambonem, legere est apud Baronium ad annum 880, ubi Joannes Papa VIII, Photium Constantinopolitanum patriarcham a fidelium communione præscindere cupiens, « cum acce» pisset Evangelium, et ambonem conscendisset, » omnibus audientibus, ita dicit : *Quicumque » non habet damnatum Photium divina sententia, » sicut ipsum reliquit Nicolaus et Hadrianus, » prædecessores mei, anathema sit.* »

V. Fuit etiam mos, uti discimus ex canone *Curæ*, XI, quæstione III, ut excommunicatorum nomina præ foribus ecclesiæ appenderentur. Apud Græcos autem anathemata publice in columna proponebantur. Quod quidem ex Socrate colligitur, qui, lib. VII *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XXXIII, ubi loquitur de anathemate adversus Nestorium vibrato, ita subjungit : « Sic Christiani appellare solemus pronuntiatum » contra blasphemos decretum, quando id ve» luti columellæ affixum, manifestum cunctis » ostendimus. » Ad hunc forte ritum respexit S. Basilius, cum ad locum cap. I Isaiæ, *Auferam omnes iniquos abs te*, fuisse signa circum Ecclesiam locata ait, quibus excommunicati arcebantur ab ecclesia. Quod non videtur posse aliter accipi quam de nominibus et damnatione excommunicatorum, columnæ circum ecclesiam constitutæ adscriptis. Forte etiam apud Socratem veluti proverbialiter dictum videtur innuere, quod de columna adjungit, sicut apud S. Gregorium Nazianzenum, oratione III, sub initium et in fine, legimus, ipsam Orationem qua Juliani Apostatæ scelera particulatim describuntur, statutam illi esse velut columnam, in qua ad perpetuam ignominiam crimina ejus insculpta cernerentur. Sed favet sententiæ quæ vere inscripta columnæ nomina excommunicatorum apud Græcos statuit, quod Elias Scholiastes, duobus ex laudato Nazianzeno notatis locis, hæc subdit : « Apud antiquos hoc in more positum » erat ut quorum insignis quædam improbitas » esset, eorum vituperationes in columnis in» scriberentur, ut et ab omnibus legerentur, et » omni tempore permanerent. » Plura ac lectu digna videri de ea re possunt apud eruditissimum Aloysium Novarinum, Ordinis Clericorum Regularium, quos Theatinos vocant, scriptorem, in opere omnigena eruditione referto, cui titulus *Schediasmata sacro-prophana*, lib. VIII, num. LX.

§ XIII.

Si vero anathematizatus pœnitentia ductus veniam postulare voluerit et emendationem promittere, Pontifex qui eum excommunicavit, paratus ut supra, ante januas ecclesiæ venit, sedens in faldistorio ibidem parato, et duodecim Presbyteri superpelliceis induti eum hinc inde circumstare debent. Adsunt etiam illi quibus injuria vel damnum est illatum, et ibidem secundum leges divinas omne damnum commissum emendetur. Tum anathematizatus genuflectit coram Pontifice; quem

Digitized by Google

interrogat Pontifex si pœnitentiam, prout canones præcipiunt, pro perpetratis sceleribus suscipere velit. Ille tunc genuflexus veniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, et de futuris cautelam spondet. Tunc Pontifex sedens cum mitra, dicit cum Ministris septem Psalmos pœnitentiales, Pontifice quandoque illum leviter inter scapulas verberante. Finitis Psalmis, Pontifex, deposita mitra, surgit, et dicit : *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison. Pater noster,* reliqua secreto; deinde dicit : ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Salvum fac servum tuum* (vel *ancillam tuam*), *Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo* (vel *in ea*). ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℟. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, et hunc famulum tuum (vel *famulam tuam*), *quem* (vel *quam*) *excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

OREMUS.

Præsta, quæsumus, Domine, huic famulo tuo (vel *famulæ tuæ*) *dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviaverat peccando, admissorum veniam consequendo, reddatur innoxius. Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

§ XIV.

Deinde sedet Pontifex, et, accepta mitra, dicit : *Auctoritate Dei omnipotentis, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, atque Ecclesiæ suæ sanctæ, et ea qua fungor, absolvo te a vinculo* talis *excommunicationis, qua ex* tali *causa ligatus eras. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠ sancti.* ℟. *Amen.*

§ XV.

Tum surgit cum mitra Pontifex, et apprehendens absolutum per dexteram manum, introducit eum in ecclesiam usque ante gradus majoris altaris, interim dicens : *Reduco te in gremium sanctæ matris Ecclesiæ, et ad consortium et communionem totius Christianitatis, a quibus fueras per excommunicationis sententiam eliminatus; et restituo te participationi Ecclesiasticorum Sacramentorum. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠ sancti.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Nihil est in tribus hisce §§§ quod dictum a nobis non sit in Commentario ad § v, vi et vii, quodque jam olim non fuerit præscriptum ex sacris canonibus, et ex antiquis Pontificalibus libris, ad quos alludens quidem Burchardus Wormaciensis episcopus, libro xi *Decretorum*,

Digitized by Google

capite VIII, reconciliandi excommunicatum ritum solemnem enarrans, cum iis omnino fere consonat quæ in hoc nostro hodierno Romano Pontificali præscripta sunt : « Cum aliquis, » inquit, excommunicatus vel anathematizatus, » pœnitentia ductus, veniam postulat et emen- » dationem promittit, Episcopus qui eum » excommunicavit, ante januas ecclesiæ venire » debet, et duodecim Presbyteri cum eo, qui » eum hinc inde circumstare debent. Ubi etiam » adesse debent illi quibus injuria vel damnum » illatum est. Et ibi, secundum leges divinas, » oportet damnum commissum emendari, aut, » si jam emendatum est, eorum testimonio » comprobari. Deinde interroget Episcopus si » pœnitentiam, juxta quod canones præcipiunt, » pro perpetratis sceleribus suscipere velit. Et, » si ille terræ prostratus veniam postulat, cul- » pam confitetur, pœnitentiam implorat, de » futuris cautelam spondet : tunc Episco- » pus septem Psalmos pœnitentiales decantet, » cum precibus istis : *Kyrie, eleison. Pater no- » ster, etc.* »

II. Preces eædem sunt quæ in nostro Pontificali habentur, excepta prima Oratione, *Deus, cui proprium est, etc.*, quæ in reconciliatione ab ipso auctore descripta desideratur, quemadmodum et cæremonia diverberationis inter scapulas reconciliandi, dum memorati Psalmi pœnitentiales dicuntur. De quo ritu nos supra fusius in Commentario ad § IV. Ergo post preces statim Oratio sequitur quæ incipit : *Præsta, quæsumus, Domine, etc.*, ut supra in § XIII ; tum alia quæ incipit : *Majestatem tuam, quæsumus, Domine, etc.*, ut infra in sequenti §, eaque finita mandat ut « tunc Episcopus, ap- » prehensa manu ejus dextera, in ecclesiam » eum introducat, et ei communionem, et socie- » tatem Christianam reddat, et hanc Orationem » dicat : *Deus misericors, Deus clemens, etc.*, » ut in § sequenti. Post hæc, secundum mo- » dum culpæ, pœnitentiam ei injungat, et lit- » teras per parochiam dirigat, ut omnes nove- » verint eum in societate Christiana receptum : » aliis etiam Episcopis hoc notum faciat. » Hactenus ille : cui quidem consonant varii libri manuscripti Pontificales relati ab Edmundo Martene, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. V, ordine I.

III. Referente laudato Martene, jam in multis manuscriptis Pontificalibus libris, annorum circiter septingentorum, atque in aliis, annorum circiter quingentorum, variæ exstant Orationum et absolutionum formulæ. Ritus quo Episcopus, apprehendens absolutum ab excommunicatione, introducit eum in ecclesiam, meminit quidem Concilium Lemovicense II, habitum anno 1031, ubi, postquam dixit ut, cum Episcopus « quem- » libet excommunicaverit, eat publice ad ostium » ecclesiæ, et ostium pro eo claudat, » sive forte « post eum, » statim subjungit : « Dum » absolverit, ambulet cum eo usque ad portas » ecclesiæ, et aperiat ei, ut ingrediatur. » Varia ejusdem ritus exempla videri possunt apud scriptores Ecclesiasticos.

IV. Quemadmodum denique, uti superius notatum est, anathemata cum imprecationibus vibrabantur, ita quoque mos olim fuit ut, ubi ipsa absolverentur, variæ benedictionum formulæ a Sacerdote absolutioni adjungerentur. Hinc in Concilio Magalonensi apud Juncarias, Sergio Papa III Pontifice Maximo, anno 909 celebrato, Sinuarius comes, qui cum universa familia sua excommunicatus fuerat, hunc in modum absolutionis beneficium consecutus est ab undecim Episcopis qui huic Concilio interfuerunt : « Absolvimus et benedicimus Sinua- » rium comitem cum cæteris comitibus filiis, » simulque cum uxoribus, et cunctis suis fide- » libus, si tamen ita peregerint, sicut per Do- » minum Metropolitanum supranominatum » audivimus, ut honor et decus, qui sub tanto » regimine debet esse omni tempore, cum ma- » gna religione observetur. Prævideat namque » ipse Archipræsul, ut in visceribus eorum » nulla machinamenta, nulla fallacia diaboli » remaneat, et postea caput vestrum pari con- » silio taliter absolvat et benedicat. Veniantque » super vos universæ benedictiones novi et ve- » teris Testamenti, et apprehendant vos : et » omnes maledictiones quas dudum intulimus » super vos, diutissime auferantur a vobis. Be- » nedicti vos in civitate, et benedicti in agro. » Benedictus fructus ventris vestri, et fructus » terræ vestræ, fructusque vinearum vestrarum, » greges armentorum vestrorum, et caulæ ovium » vestrarum. Benedicta horrea vestra, et bene- » dictæ reliquiæ vestræ : benedicti eritis ingre- » dientes et egredientes. Emittat Dominus be- » nedictionem super cellaria vestra, et super

Digitized by Google

» omnia opera manuum vestrarum. Abundare » faciat vobis Dominus omnibus bonis. Aperiat » Dominus thesaurum suum optimum, et tri- » buat pluviam terræ vestræ congruo tempore. » Benedicat Dominus operibus manuum vestra- » rum; et constituat vos in caput et non in » caudam; et sitis semper supra et non subtus: » domos ædificetis, et habitetis in eis longævo » tempore: plantetis vineas, et fructum earum » colligere faciatis; sementem modicam faciatis » in terram, et multum ex ea congregetis in » horrea vestra: omnes arbores et fruges terræ » vestræ rubigo non consumat; perenniter fe- » liciterque consenescatis, et cum Michael ar- » changelo ad portas Paradisi inlæsi pervenire » mereamini, præstante Domino. »

V. Sequuntur subscriptiones Episcoporum, quorum primus est Arnustus sanctæ Narbonensis Ecclesiæ metropolitanus. Vide in hoc Concilium observationem Gabrielis Cossartii, qui inter alia docet, Juncarias sive Juncherias locum esse in agro Magalonensi a juncorum copia sic dictum, ubi visuntur hodieque partim reliquiæ partim rudera magnificentissimæ Ecclesiæ Sancti-Vincentii, in qua hoc concilium habitum fuit. Quam ob causam comes iste excommunicatione cum tota sua familia perculsus fuerit, incompertum est.

§ XVI.

Quo dicto, et cum ante gradus majoris altaris pervenerint, ille ibidem in inferiori gradu altaris genuflectit; Pontifex vero ascendit ad altare, ubi stans versus ad introductum, deposita mitra, absolute dicit :

OREMUS.

Majestatem tuam, quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed pœnitentiam semper inquiris, respice flentem famulum tuum, attende prostratum, ejusque planctum in gaudium tua miseratione converte : scinde delictorum saccum, et indue eum lætitia salutari; ut post longam peregrinationis famem, de sanctis altaribus satietur, ingressusque cubiculum regis, in ipsius aula benedicat nomen gloriæ tuæ semper. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Deus misericors, Deus clemens, qui, secundum multitudinem miserationum tuarum, peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia tuæ miserationis evacuas; respice propitius super hunc famulum tuum, et remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis devotione poscentem deprecatus exaudi; renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum seu diabolica fraude violatum est, et unitati corporis Ecclesiæ membrorum perfecta remissione constitue. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum ejus, et non habentem fiduciam nisi in misericordia tua, ad tuæ sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XVII.

Deinde Pontifex producit signum crucis super introductum, qui surgit, et discedit.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Jam in Commentario superiori notatum est exstare binas hasce Orationes apud Burchardum Wormaciensem episcopum, lib. XI *Decretorum*, cap. VIII, et alio quidem ordine ac in nostro hodierno Romano Pontificali habentur. Altera eadem est ac illa in reconciliatione pœnitentium adhibita, uti videre est supra ad titulum III. In duobus manuscriptis codicibus, regio et Vindocinensi, annorum circiter septingentorum, a Martenio allatis, diversæ prorsus ab hactenus descriptis ad reconciliandos excommunicatos Orationes recensentur ; eisque finitis sequitur benedictio hunc in modum : « Benedic, » Domine, hos pœnitentes tua jam pietate re- » conciliatos, et, humilitatem eorum videns, » paterna pietate jube consolari. ℟. Amen. » Prostratos alleva, dispersos congrega, aduna- » tosque conserva, simulque cœlestibus donis » diriga (*forte legendum* irriga). ℟. Amen. » Dele ab eis peccati maculam, ut sine ulla » offensa majestatis tuæ, præcepta adimpleant, » et ad vitam æternam, te auxiliante, perveniant. » Quod ipse præstare digneris, cujus regnum. » Peracta hac benedictione, mandant ut Episcopus « aspergat eos aqua benedicta, addens » odorem, et postea dicat : *Exsurge, qui dormis,* » *et surge a mortuis, et illuminabit te Christus.* »

II. Porro dignum notatu est quod initio memoratorum codicum, et in manuscripto Noviomensi Rituali, ejusdem ætatis, præscriptum legitur nimirum ut, post reconciliatum excommunicatum, Episcopus « litteras per paro- » chiam dirigat, ut omnes noverint eum in » societate Christiana receptum : aliis etiam » Episcopis hoc notatum faciat. » Idipsum habetur in toties memorato lib. XI *Decretorum* quæ Burchardus collegit, sed in fine capitis VIII, ubi reconciliationem excommunicati describit. Est, inquam, notatu dignum, et ab Episcopis minime negligendum, tametsi nihil de eo ritu in hoc nostro titulo cautum sit. Quod tandem Rubricam § XVII spectat, quæ mandat Pontifici ut, recitatis Orationibus, peractisque cæremoniis ad reconciliandum excommunicatum præscriptis, producat signum crucis super ipsum genuflexum in inferiori gradu altaris, ingenue fateor me nihil in manuscriptis Pontificalibus libris reperisse.

III. Forte alienum prorsus a nostro instituto non erit, si ad calcem tituli hujus alium enarremus ritum in Ecclesia tum Latina tum Græca usitatum. Exstant sane varii canones relati ab erudito Albaspinæo, lib. I *Observationum*, cap. X, mandantes ut fideles vita functi extorres communionis, receptis eorum oblationibus per cognatos adductis, restituantur communioni. Diserte id etiam docet Innocentius III, in Epistola decretali ad quemdam Sancti-Andreæ Abbatem relata in cap. *A nobis*, XXVIII, *De sententia Excommunicationis*. Consultus enim ab ipso Abbate Innocentius utrum, si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit quo minus reconciliaretur Ecclesiasticæ unitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus ; et utrum pro tali recipiendæ sint eleemosynæ, et a fidelibus sit orandum ; ita quidem respondit : « Quantumcumque se quis, juramento præstito » quod Ecclesiæ mandato pareret, humiliare » curaverit, quantacumque pœnitentiæ signa » præcesserint ; si tamen morte præventus ab- » solutionis non potuerit beneficium obtinere, » quamvis absolutus apud Deum fuisse creda- » tur, nondum tamen habendus est apud Ec- » clesiam absolutus. Potest tamen, et debet ei » Ecclesiæ beneficio subveniri, ut, si de ipsius » viventis pœnitentia per evidentia signa con- » stiterit, defuncto etiam absolutionis benefi- » cium impendatur. » Id quod etiam innuit laudatus Pontifex in suis ad Strigonensem Archiepiscopum litteris, quas legere est in capite *Sacris*, XXXVIII, *De sententia Excommunicationis*.

IV. Varia exempla in comprobationem memorati ritus absolvendi ab excommunicatione fideles etiam vita functos, occurrunt quidem frequenter apud veteres et probatos auctores. S. Gregorius, lib. II *Dialogorum*, cap. III, testatur puerulum, qui excommunicatione innodatus obierat, contineri sepulchro non potuisse, humo cadaver semel et iterum rejiciente, donec puer absolutionem excommunicationis consecutus est, transmissa in signum exsolutionis a S. Benedicto particula sacræ Eucharistiæ, et super cadaveris denuo tumulati pectus collo-

Digitized by Google

cata. Simile beneficium, teste eodem Gregorio, a S. Benedicto consecutæ sunt Moniales quædam solutioris linguæ, quas ipse, cum illæ inter vivos degerent, excommunicatione perculerat; voluit namque in communionem recipi, oblatione pro eis facta. His adde exemplum S. Gregorii, ab ipsomet, *Dialogorum* lib. IV, cap. LV, conscriptum. Is enim Justum monachum proprietatis vitio damnatum, atque a reliquorum consortio sancti viri præcepto ejectum, Missis pro eo celebratis, et absolutione impensa, fidelium communioni restituit. De eodem narrat in ejus Vita Joannes Diaconus, lib. I, eum non mediocriter tristatum quod, « antequam » Fructuosus quidam monachus exiret de hac » vita, non solveret eum ab excommunicatio- » nis epitimio : scribens propterea Orationem » in Pictacio, dedit Diacono cuidam supra fra- » trem legendam : erat autem Oratio solvens » ab excommunicatione defunctum. » Epitimium hic idem est ac pœna, ut tradit Macrus in suo Hierolexico; pictacium autem schedulam significat.

V. Omissis aliis id genus exemplis, quæ videri possunt apud memoratum Albaspinæum, et apud Raynaudum *De Monitoriis Ecclesiasticis*, parte II, capite III, exstant in Rituali Græcorum codice, apud eruditum Jacobum Goar, tituli, quorum alter inscribitur : *Oratio remissiva post mortem.* Alter vero hunc in modum : *Orationes mortuo indulgentiam omnis interdicti et excommunicationis largientes, a Pontifice, vel, eo absente, a Patre spirituali, id est a confessore recitandæ.* Etiam Innocentius III, in laudata sua Decretali ad Abbatem Sancti-Andreæ Epistola, relata in cap. *A nobis*, XXVIII, *De sententia Excommunicationis*, de absolutione illius qui in excommunicatione decessit, loquens, ita mandat : « Absolutionis » autem forma servetur, ut fiat cum pœniten- » tiali Psalmo, et tam Oratione Dominica, » quam alia consueta. » Nempe mandat ut in ipsa absolutione ritus omnes serventur quibus viventes excommunicati absolvi solent, quosque nos sigillatim in Commentariis ad hunc titulum enarravimus. Consuevisse insuper olim et vita functos excommunicari, fuse dicemus, Deo dante, nostro II tomo Conciliorum.

APPENDIX

In qua ex manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi ordo excommunicandi et absolvendi describitur.

Super excommunicationis et absolutionis forma prænotandum est quod triplex est excommunicatio, videlicet minor, et major, et anathema. Minor excommunicatio contrahitur per solam participationem cum excommunicatis, et a tali potest simplex Sacerdos absolvere absque juratoria cautione, hoc modo: taliter enim excommunicatus confitebitur proprio Sacerdoti, dicens : « Confiteor Deo, etc. Quia » sum excommunicatus, quia participavi cum » *tali* excommunicato in oratione, vel locu- » tione, vel bibendo, vel comedendo cum eo. » Sacerdos vero eum absolvens dicat sic, vel æquipollentia verba : « Auctoritate Dei Patris » omnipotentis, et illa quæ mihi concessa est, » absolvo te a vinculo hujus excommunicatio- » nis, quam confessus es, et a qualibet alia » simili, si teneris, in quantum possum et » debeo, et restituo te Ecclesiasticis Sacra- » mentis. »

Major vero excommunicatio profertur hoc modo : « Quoniam ego *talis talem* tertio, et » etiam quarto, ad malitiam convincendam le- » giptime monuerim, etc. » Hanc autem sententiam scriptam legendo promulget.

Circa absolutionem vero ab hac majori excommunicatione, sive a canone sive ab homine prolata, tria sunt specialiter attendenda. Primum est, ut excommunicatus juret ante omnia parere mandatis Ecclesiæ, et ipsius absolventis, super ea propter quod excommunicationis vinculo est ligatus. Et si propter manifestam offen-

Digitized by Google

sam excommunicatus sit, quod omnia satisfaciat competenter. Secundum est quod reconcilietur : quod debet fieri hoc modo : excommunicatus namque, ubi sic fieri solitum est, exutus usque ad camiseam ante fores Ecclesiæ, coram absolvente genuflectat; et ille, tenens in manibus corrigiam vel virgam, dicit Psalmum *Miserere mei, Deus*, vel *Deus, misereatur nostri*, cum *Gloria Patri*. Et in quolibet versiculo verberet absolvendum cum corrigea vel virga, levius vel acrius, prout absolvendi contumacia, seu culpa minor vel major exposcat. Finito Psalmo, dicitur *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison, Pater noster. Et ne nos, etc. Salvum fac servum tuum*, vel *famulam tuam. Nihil proficiat inimicus in eo* (vel *in ea*). ℣. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℣. *Dominus vobiscum. Oremus.* Oratio. « Deus, cui pro» prium est misereri semper, etc. » Alia Oratio. « Præsta, quæsumus, Domine, huic famulo » tuo dignum, etc. » Postea dicit ei : « Aucto» ritate Dei Patris omnipotentis, etc., » usque ad ea verba « ligatus fueras. » Deinde apprehendat dexteram manum ejus, introducens illum in Ecclesiam, dicendo : « Reduco te in » gremium sanctæ Matris Ecclesiæ, etc., » usque ad ea verba, « Sacramentorum Ecclesiastico» rum. »

Tertium est, quod debent absoluto fieri justa et rationabilia præcepta. Circa quod considerandum est utrum ille fuerit ligatus a canone, vel ab homine. Si a canone, satisfacto ei quem læsit, injungendum est sibi ne ulterius contra illum canonem faciat, nisi in casibus a jure permissis, quandoque tamen de jure cogendus est sufficienter super hoc cavere. Porro, si habens temporale impedimentum quo minus ad Sedem Apostolicam accedere possit, ab Ordinario absolvitur. Tunc injungenda est absolutio (*a*), ut, statim impedimento cessante, debeat se præsentare Summo Pontifici, vel ejus Legato, mandatum ejus super hoc impleturus, nisi in pueris et mulieribus, qui, sicut quilibet perpetuum habens impedimentum, in perpetuo excusantur. Si vero aliquis ligatus est ab homine, aut offensa ejus est manifesta, tunc satisfacere debet priusquam absolvatur; aut dubia, et tunc, si post absolutionem apparuerit ipsum injuste ligatum fuisse, nichil omnino præcipiendum est ei. Si vero apparuerit ipsum juste fore ligatum, præcipiendum est ei quod satisfaciat competenter.

Anathema vero, id est solempnis excommunicatio pro gravioribus culpis, profertur hoc modo : « Quia, P., dyabolo suadente, Christianam » professionem, quam in Baptismo professus » est, etc. »

Et est notandum quod in prolatione anathematis deberent se duodecim Sacerdotes Episcopum circumstare, et lucernas, id est candelas ardentes, in manibus tenere, quas in conclusione, id est in fine anathematis prohicere debent in terram, et pedibus conculcare : quæ candelæ debent sicut sal infatuatum prohici, et ad nullum usum ulterius poni. Deinde Epistola Presbyteris per parochias, etiam vicinis Episcopis mittatur, continens excommunicati nomen, et excommunicationis causam, ne quis per ignorantiam ei ulterius communicet, et ut excommunicationis occasio omnibus auferatur.

Si vero anathematizatus penitentia ductus veniam postulat, et emendationem promittat, Episcopus qui eum excommunicavit, ante januas ecclesiæ venire debet, et duodecim Presbyteri cum eo, qui hinc inde circumstare debent : ibi etiam adesse debent illi quibus injuria vel dampnum illatum est, et ibidem secundum leges divinas opportet dampnum commissum emendare. Deinde interroget Episcopus si penitentiam, juxta quod canones præcipiunt, pro perpetratis sceleribus suscipere velit. Et si ille terræ prostratus veniam postulat, vel culpam confitetur, penitentiam implorat, de futuris cautelam spondet : tunc Episcopus, apprehensa manu ejus dextera, in ecclesia eum introducat, et communionem Christianam ei reddat, septem Psalmos penitentiales decantando, cum precibus, *Kyrie, eleyson, Christe, eleyson, Kyrie, eleyson, Pater noster, etc.*, ut supra. *Oremus.* Oratio. « Majestatem tuam, » quæsumus, Domine, etc. » Alia Oratio. « Deus misericors, Deus clemens, etc. » Require supra feria quinta Cenæ Domini, ad cartas LV, verbis pluralis numeri in singulari mutatis.

(*a*) Legendum *absoluto*.

Digitized by Google

TITULUS XVIII.

ORDO AD RECONCILIANDUM APOSTATAM, SCHISMATICUM VEL HÆRETICUM.

Apostatæ ii sunt, ut nominis ipsa notio designat, qui in eo quod recte instituere non permanent. Quamvis autem apostatæ dicantur qui relicto Clericali ministerio et regulari professione, cui voto adstricti sunt, ad sæcularem vitam transeunt, uti videre est lib. v *Decretalium*, tit. IX, *De Apostatis*, et apud eruditum Ducange, verbo *Apostatare;* in præsenti tamen, pro illis accipiuntur qui, susceptam Christianam fidem deserentes, ad nefarios judaicæ vel paganæ superstitionis ritus deflectunt, et sanctum Baptisma profanant. Schismatici a *scissura* dicuntur, quia scilicet ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, quæ est in Romano Pontifice tanquam in capite, se præscindunt, can. *Schisma*, XXIV, quæst. I. Licet hæretici isti non sint, hæreticis tamen sunt proximi: imo, ut ait S. Hieronymus, in can. *Inter*, XXIV, quæst. III, nullum schisma est quod aliquam hæresim non confingat; ideoque et hoc titulo nostri Romani Pontificalis una cum hæreticis adjunguntur. Hæretici tandem sunt illi qui quolibet modo ab Orthodoxis dissentiunt, et in Catholica fide cum Ecclesia Romana non conveniunt. Hos omnes sive apostatas, sive schismaticos, sive hæreticos, ubi erroris sui pœnituisset, consuevit jam olim Ecclesia, tam Latina quam Græca, statis ritibus ac cæremoniis reconciliare, uti in sequentibus Commentariis demonstrabimus.

§ I.

Pontifex, apostatam, schismaticum, vel hæreticum reconciliare volens, paratus amictu, stola, pluviali albo, et mitra simplici sedet super faldistorium ante fores ecclesiæ sibi paratum, coram quo genuflectit reconciliandus, quem interrogat Pontifex de fide, dicens: *Credis duodecim articulos Fidei?* Ille respondet: *Credo.* Pontifex interrogat: *Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ?* Ille respondet: *Credo.* Pontifex interrogat: *Credis et in Jesum Christum, Filium ejus unigenitum, Dominum nostrum?* Ille respondet: *Credo.* Pontifex interrogat: *Credis quod conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine?* Ille respondet: *Credo.* Pontifex interrogat: *Credis quod passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus?* Ille respondet: *Credo.* Pontifex interrogat: *Credis quod descendit ad inferos?* Ille respondet: *Credo.* Pontifex interrogat: *Credis quod tertia die resurrexit a mortuis?* Ille respondet: *Credo.* Pontifex interrogat: *Credis quod ascendit ad cœlos, et sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis?* Ille respondet: *Credo.* Pontifex interrogat: *Credis quod venturus est judicare vivos et mortuos?* Ille respondet: *Credo.* Pontifex interrogat: *Credis in Spiritum sanctum?* Ille respondet: *Credo.* Pontifex interrogat: *Credis sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem?* Ille respondet: *Credo.* Pontifex interrogat: *Credis remissionem omnium peccatorum?* Ille respondet: *Credo.* Pon-

Digitized by Google

tifex interrogat : *Credis carnis resurrectionem, et vitam æternam?* Ille respondet : *Credo.*

COMMENTARIUS.

I. Vetus est Ecclesiæ mos ut qui in hæresim semel inciderunt, etiam ad communionem Ecclesiæ redeuntes, non temere suscipiendi sint, sed prius diligenti examinatione probandi, an vere se et ex animo corrigentes revertantur; non enim statim redire se dicentibus credendum est, cum nihil hæreticis hominibus fallacius esse constet, quippe qui nullam negligunt, nullam non quærunt et captant fallendi eludendique occasionem, diabolum imitantes, mendaciorum omnium et perjuriorum parentem atque artificem, cujus et ipsi filii sunt. Ariani, uti habetur lib. II *Historiæ Tripartitæ*, cap. VI, in Concilio Nicæno, metuentes ne ab ipsius Concilii Patribus pellerentur, damnatum Arii dogma concorditer anathematizarunt, subscribentes litteris, suaque manu consentientes, et similiter se, sicut omnis Synodus, sapere profitentes. Verum, tunc quidem latenter, postea vero asserte, damnatas cœperunt allegare sententias, sæpe insidias eis ponentes a quibus videbantur esse convicti.

II. Eamdem et alii hæretici tenuerunt viam, uti videre in ipsa *Tripartita Historia*, et in *Annalibus Ecclesiasticis* cardinalis Baronii, ex quibus addiscimus sanctos Patres dolos ac fraudes hæreticorum expertos, provide statuisse ne quisquam eorum qui ad hæreticorum sectam delapsi essent, sine professione legitimæ satisfactionis, ad Catholicæ Ecclesiæ communionem reciperetur. Quæ quidem satisfactio in eo consistit ut hæreses eorumque auctores condemnent et abjurent; quia scilicet venia non datur, nisi his qui ex animo se et non simulate corrigunt et revertuntur, ut sanctus Gelasius I Pontifex Maximus scribit in sua ad Faustum Epistola.

III. Fuse de his quidem agemus infra in Commentario ad § VI. Quod autem præsentem spectat rubricam, mandat quidem ut Episcopus reconciliandum de fide interroget, dicens : *Credis duodecim articulos fidei?* Quia scilicet fidei Symbolum, quod nobis ab Apostolis non litteris, sed viva voce traditum est, in duodecim capita, sive sententias dividitur, quas, ut ait Catechismus Concilii Tridentini, parte I, similitudine quadam a Patribus nostris frequenter usurpata, articulos appellamus. Ut enim corporis membra articulis distinguuntur, ita etiam in hac fidei confessione quidquid distincte et separatim ab alio nobis credendum est, recte et apposite articulum dicimus. De his S. Leo, in Epistola XXVII, alias XIII, ad Pulcheriam Augustam, cap. IV, scribit Eutychen, qui duas in Christo naturas negabat, stultissime incessere ausum esse, « quod Dominus noster in Ecclesia neminem » sexus utriusque voluit ignorare. Siquidem » ipsa Catholici symboli brevis et aperta con- » fessio, quæ duodecim Apostolorum totidem » est signata sententiis, tam instructa sit muni- » tione cœlesti, ut omnes hæreticorum opinio- » nes solo ipius possint gladio detruncari. » Convenientem duodenarii ipsius articulorum numeri legere est rationem apud S. Thomam *Secunda Secundæ*, quæstione I, articulo VIII.

IV. Illud autem ex sacris canonibus, et priscis Patribus constat, pro varietate hæresum ac temporum atque locorum, varios olim servatos ritus fuisse admittendi hæreticos ad Ecclesiam. Testatur id quidem S. Gregorius Magnus, lib. IX, Epistola LXI, ad Quirinum, cæterosque non Hiberniæ, sed Hiberiæ Episcopos, ita scribens : « Ab antiqua Patrum institutione didicimus ut » qui, apud hæresim, in Trinitatis nomine ba- » ptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, » aut unctione chrismatis, aut impositione ma- » nus, aut sola professione fidei, ad sinum ma- » tris Ecclesiæ revocentur. Unde Arianos per » impositionem manus Occidens, per unctionem » vero sancti chrismatis ad ingressum Ecclesiæ » Catholicæ Oriens reformat. Monophysitas » vero, et alios ex sola vera confessione recipit, » quia sanctum Baptisma, quod sunt apud hæ- » reticos consecuti, tunc in eis vires emunda- » tionis recipit, cum vel illi per impositionem » manus, Spiritum sanctum acceperint; vel isti » propter professionem veræ fidei, sanctæ et » universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. » Hi vero hæretici qui in Trinitatis nomine » minime baptizantur, sicut sunt Bonosiani et

Digitized by Google

» Cataphrygæ, quia et illi Christum Dominum » non credunt, et isti sanctum Spiritum per» verso sensu esse quemdam pravum hominem » Montanum credunt, quorum similes multi » sunt, et alii tales, cum ad sanctam Ecclesiam » veniunt, baptizantur : quia Baptisma non fuit » quod, in errore positi, in sanctæ Trinitatis » nomine minime perceperunt. »

V. Ex prolixo hoc S. Gregorii testimonio scite observat Martene, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus,* cap. VI, hæreticos duplicis fuisse generis : alii namque legitimo, sive intra sive extra Ecclesiam, id est sive apud hæreticos sive Catholicos, tincti fuerant regenerationis lavacro : alii vero, sive materiæ, sive formæ, ut aiunt, defectu, verum minime Baptismum perceperant. Et isti quidem haud alio prorsus modo in gremium Ecclesiæ, quam quo gentiles ipsi, et infideles, qui Christum nunquam noverant, admittebantur, scilicet Baptismi cum solitis cæremoniis receptione. Aliorum vero admittendorum triplex erat ritus ; vel enim reconciliatio per impositionem manuum fiebat, vel per sacri chrismatis inunctionem, vel per pristinorum errorum abjurationem, ac veræ fidei professionem. Id quod clarissimis certissimisque sanctorum Patrum, ac sacrorum canonum testimoniis, priscisque ac variis ejus admissionis seu reconciliationis hæreticorum exemplis, fuse in suo omnigena eruditione referto opere *De Pœnitentia,* Joannes Morinus demonstrat.

VI. Nonnulla et de ea re nos infra dicemus, sequentes ordinem nostri hodierni Romani Pontificalis. Quod in præsentiarum omitti nequit, illud plane est, cautum fuisse ex antiquissimis Græcorum *Euchologiis*, ante annum Christi millesimum exaratis, teste Morino, lib. IX, cap. IX, ut hæretici, « antequam ad rectam fi» dem adducantur, cum professionis tempus » instat, jejunare eos oporteat dies decem aut » quindecim, et mane et vespere orationibus » incumbere Catechumenorum instar, etc. » Exstat apud Jacobum Goar, pag. 700, ordo servandus circa eos qui a Manichæis ad puram et veram fidem nostram Christianam accedunt : qui etiam mandat teneri ipsos duabus hebdomadibus jejunare, tum mane et vespere orationibus vacare, et traditam in sacris Evangeliis a Domino nostro Jesu Christo Orationem, nec non et sanctum Symbolum, et Psalmorum aliquos mente tenuisse.

VII. Jam denique non modo Episcopi, uti in nostro hoc § edicitur, sed et alii complures Sacerdotes ex concessione Romanorum Pontificum reconciliare consueverunt hæreticos, uti constat ex *Bullario Ordinis Prædicatorum,* edito a clarissimo viro Antonio Bremond ejusdem Ordinis, in cujus tomo I, pag. 79, legitur constitutio Gregorii IX, data Perusii anno 1235, die 12 augusti, qua ita scribit Priori et Fratribus Ordinis Prædicatorum Sanctæ-Mariæ ad Gradus Viterbiensis : « Quia dignum est illis intime ja» nuam aperire, qui, ab hæretica cæcitate per » spiritum consilii discedentes ad lucem, quæ » Christus est, humiliter revertuntur, auctori» tate nostra præsentibus indulgemus, ut univer» sis qui de Viterbien., et Tuscanen., Ortanen., » Balneoregien., Castren., Suanen., Amelten. » (*forte* Amelin., *vel* Amerin., *ut laudatus Bre» mond adnotat*) et Narnien. Episcopatibus ad ve» strum sanctæ prædicationis ministerium quod » implere credimini et probamini, corde com» puncti, synagoga peccantium, secta hæretico» rum, et infidelitatis errore penitus abjuratis, » cautionibus idoneis exhibitis, sponte ad Chri» stianæ fidei redeunt unitatem, nec sunt pu» blice infamati, una cum diœcesanorum consi» lio, absolutionis et reconciliationis manus im» pendere, ac salutare injungere valeatis, etc. »

§ II.

Deinde Pontifex surgit cum mitra, et super illum genuflexum dicit, absolute incipiens : *Exorcizo te, immunde spiritus, per Deum Patrem omnipotentem, et per Jesum Christum Filium ejus, et per Spiritum sanctum, ut recedas ab hoc famulo Dei, quem Deus et Dominus noster ab erroribus et perceptionibus tuis liberare, et ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam atque Apostolicam revocare dignatur. Ipse tibi imperet, maledicte ac damnate, qui pro salute hominum passus,*

Digitized by Google

mortuus et sepultus est, te atque omnes vires tuas superavit, ac resurgens cœlos ascendit, inde venturus judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

COMMENTARIUS.

I. Varius jam ab Ecclesiæ incunabulis fuit usus exorcismorum; in variis enim functionibus Ecclesiasticis ipsos adhibitos semper et rite fuisse, ex libris Ritualibus et Pontificalibus liquet, in quibus diversæ exorcizandi dæmonis formulæ recensentur. Est autem exorcismus, ut docet S. Isidorus, aliique scriptores de ritibus Ecclesiasticis, *sermo increpationis adversus diabolum*. Cur exorcismus in reconciliatione apostatæ, schismatici, hæretici adhibeatur, ex ipsa formula quæ etiam legitur in manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, annorum circiter quingentorum, et in Romano manuscripto Pontificali codice bibliothecæ Colbertinæ, annorum quadringentorum, addiscere licet.

II. Apostatas omnes, schismaticos, hæreticosque a diabolo possideri, cum eo commercium habere, ab eodemque actos, semper in pejora prolabi, tradunt quidem Ecclesiasticæ Historiæ, sancti Patres docent, et hæretici ipsi fateri non erubescunt. Testatur non semel in suis pestilentissimis libris Lutherus, se probe cognitum habere diabolum, et plusquam fructum unum salis cum eo comedisse. In impio opere *De Missa angulari*, et *De abroganda Missa*, eo dementiæ pervenit, ut fateri non erubuerit se cum diabolo in disputationem ingressum de Missa, tandemque ab eo victum et superatum rationibus illius, ut Missam abrogaret : « Contigit, inquit, me semel sub mediam noctem subito expergefieri; ibi Satan mecum cœpit hujusmodi disputationem : « Audi, Luthere, doctor » perdocte, nosti etiam te quindecim annis celebrasse Missas privatas pene quotidie? Quid, si » tales Missæ privatæ horrenda essent idololatria? » Quid, si ibi non adfuisset Corpus et Sanguis » Christi, sed tantum panem et vinum adorasses, » et aliis adorandum proposuisses? » Cui ego respondi : « Sum unctus Sacerdos, accepi unctionem et consecrationem ab Episcopo, et » hæc omnia feci ex mandato et obedientia Majorum, etc. » Addit et alia quæ videri possunt apud eruditum Dominicum Berninum, tomo IV *Historiæ omnium Hæresum*, sæculo XVI, Clemente VII Pontifice Maximo, cap. IV, pag. 382. Certe postquam ille talia de se ipso scribit, mirari satis nequeo quomodo homines inveniri possint tam cæci ac stupidi, ut, ista legentes, vel ad momentum in scelestissimi apostatæ doctrina valeant permanere, quam ipse a diabolo se accepisse gloriatur.

III. Recte itaque in reconciliatione hujusmodi hominum exorcismus adhibetur, quo dæmon ab ipsis fugetur; ejusque ritus non modo Ecclesiæ scriptores, librique antiqui Rituales meminere, sed et sacræ Synodi jam olim habitæ, inter quas videri potest prima Constantinopolitana, quæ est secunda œcumenica, can. VII. Cæterum, cum ipsa reconciliatio hæreticorum sit veluti novus Baptismus, non mirum si ritus in hoc usitati, etiam in illa adhibeantur. Quod autem initiaturi Baptismo prius exorcizari debeant, ritus est utriusque Ecclesiæ, Latinæ ac Græcæ, antiquissimus, de quo fuse loquuntur scriptores de sacris ritibus, præsertim vero eruditus Joseph Vicecomes in opere quod *De Ritibus Baptismi* inscripsit.

§ III.

Tunc signat illum cum pollice dexteræ manus in fronte signo crucis, dicens : *Accipe signum crucis Christi atque Christianitatis, quod prius acceptum non custodivisti, sed male deceptus abnegasti.*

COMMENTARIUS.

I. Signum crucis sub recitata formula adhibendum, ubi apostatæ, schismatici, hæreticive reconciliantur, præscribit manuscriptus codex Pontificalis Gulielmi Durandi. Sunt enim hujus furfuris homines, ut eos appellat Apostolus in Epistola ad Philippenses, cap. III, inimici crucis

Digitized by Google

Christi. Recentiores heterodoxi signum crucis adeo exsecrati sunt, ut illud muscarum flabellum nuncupare, usumque illius ad magiam impie referre non erubuerint. Sed hæc deliria sunt; nam, ut alios omittam Patres, diserte docet S. Basilius, in libro *De Spiritu sancto*, cap. XXVII, ritum ipsum ex Apostolorum traditione accepisse Ecclesiam. Quanta autem sit signi crucis virtus, testati non semel sunt ipsi dæmones, quos eo signo fugatos sancti Ecclesiæ Patres commemorant. Sanctus Gregorius Nazianzenus, Oratione sua adversus Julianum, narrat apostatam ipsum, etsi cruci Christi pertinaciter infensum, nihilominus adversus terrores et spectra cruce se signasse; additque : « valuit signaculum, cedunt dæmones, pellun- » tur timores. » Idipsum tradit Theodoretus, lib. III. capite III. Longum esset alia Patrum loca referre, ad astruendam auctoritatem ac virtutem signi crucis; fuse enim de hisce sparsim in decursu hujus operis egimus.

II. Signum crucis signum esse Christianorum, merito in hoc § nostro edicitur; separat enim ipsos ab infidelibus, et ab hæreticis præsertim nostri temporis : cum enim character Baptismi interna tantum nota Christiani hominis sit, decet ut Christianus notam etiam habeat externam et aspectabilem, quia non solum corde creditur ad justitiam, sed et ore confessio fit ad salutem, ut ait Apostolus in Epistola sua ad Romanos, capite X. Porro quemadmodum sanguis in postibus ædium Hebræorum distinxit Hebræos ab Ægyptiis, et servavit ab Angelo percutiente, uti habetur *Exodi* cap. XII; et quemadmodum, Ezechielis cap. IX, jubetur Angelus omnes occidere, præter eos qui signati erant signo Tau, quod juxta sanctissimorum Patrum interpretationem figuram crucis exprimit; sic nos per crucem et distinguimur ab alienis et munimur contra percutientem Angelum : « Nos Christiani, » inquit S. Ephrem in libro *De Pœnitentia*, « a gentilibus et Judæis declinemus : » postes nostras pretiosa et vivifica cruce coro- » nemus. » Hinc etiam Christianorum sepulchris ac cœmeteriis, uti superius tomo II, ad titulum VI, *De cœmeterii benedictione* diximus, cruces apponimus, ut ea distinguamus ab alienis.

III. Præter signum crucis, quod *signaculum frontium* appellat Tertullianus, in libro contra Marcionem, cap. XXII, quodque, ex præscripto nostræ hujus rubricæ, cum pollice dexteræ manus in fronte reconciliandi hæretici Sacerdos efficit, cruces binas in vestibus deferre quidem jubentur hæretici sponte conversi, in detestationis veteris erroris argumentum, ex Concilio Tolosano anni 1229, can. X. « In detestatione » quoque veteris erroris duas cruces portent de » cætero altius præeminentes, alterius coloris, » quam sint vestes eorum, unam a dextris, et » alteram a sinistris. Nec propter cruces excusetur aliquis, nisi habeat litteras sui Episcopi » testimoniales de reconciliatione ipsius. » Concilium Biterrense, anni 1233, can. IV, statuit ut « reconciliati de hæresi, qui duas cruces pro- » minentes ad mandatum Episcopi portare no- » luerint, pro hæreticis habeantur, et bona eo- » rum confiscentur. »

IV. Rursus ex Concilio Tarraconensi, anni 1242, ubi forma pœnitentiarum hæreticis præscribitur, inter alia cautum est ut « portent » duas cruces perpetuo ante pectus, quæ non » sint ejusdem coloris cum vestibus, et portent » ita ut videri possint solemniter pœnitentes. » Idipsum tandem expressius statuit Concilium Biterrense, anni 1246, capite XXVI, ubi etiam de crucum ipsarum colore, longitudine, latitudine, ac loco vestium in quo attexi debeant, hæc habet : « In detestationem erroris veteris, por- » tent in superiore veste duas cruces coloris » crocei, longitudinis duorum palmorum et di- » midii, latitudinisque duorum, et in se trium » digitorum habentes latitudinem, unam ante- » rius in pectore, et aliam posterius inter sca- » pulas. » Fit et de eo ritu in aliis etiam Synodis mentio.

§ IV.

Deinde surgit, et Pontifex, retenta mitra, sinistra sua illum apprehendit per manum dexteram, dicens : *Ingredere in Ecclesiam Dei, a qua incaute aberrasti, ac evasisse te laqueos mortis agnosce; horresce idola, respue omnem pravitatem sive superstitionem hæreticam* (vel *gentilem*, aut *judaicam*). *Cole Deum Patrem*

Digitized by Google

omnipotentem, et Jesum Christum Filium ejus, et Spiritum sanctum, unum, vivum et verum Deum, sanctam et individuam Trinitatem.

§ V.

Tunc introducit illum in ecclesiam per manum, ut eum apprehendit, usque ad altare majus, coram quo in infimo gradu ille genuflectit. Pontifex vero ascendit ad medium altaris, ubi, deposita mitra, stans versus ad illum, dicit absolute :

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, hanc ovem tuam, de faucibus lupi tua virtute subtractam, paterna recipe pietate, et gregi tuo reforma pia benignitate; ne de familiæ tuæ damno inimicus exsultet, sed de conversione et liberatione ejus Ecclesia tua, ut pia mater de filio reperto, gratuletur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

OREMUS.

Deus, qui hominem ad imaginem tuam conditum misericorditer reparas, quem mirabiliter creasti : respice propitius super hunc famulum tuum, ut quod hujus ignorantiæ cæcitate, hostili et diabolica fraude subreptum est, indulgentia tuæ pietatis ignoscat et absolvat; et altaribus sacris, recepta veritatis tuæ communione, reddatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Exstant descripti ritus in editis quidem ante Clementem VIII Pontificalibus. Ex manuscripto autem Pontificali Romano bibliothecæ Colbertinæ, annorum circiter quadringentorum, quod supra laudavimus, peracto exorcismo de quo in § II diximus, cautum est ut Episcopus « tunc introducat eum in ecclesiam, » sub ista verborum formula : « Ingredere in templum » Dei vivi, quod male deseruisti, et, exutus ab » errore tenebrarum, evasisse te laqueos mortis » lætus agnosce. Tu autem, omnipotens et mi- » sericors Deus, hanc ovem tuam de fauce lupi » substractam clementer suscipe, et gregi tuo » benignus reforma, ne de familiæ tuæ damno » inimicus exsultet; sed de conversione ejus et » liberatione Ecclesia tua, ut mater de filio per- » dito et recepto, gratuletur. » Ubi nota formulam introducendi reconciliandum hæreticum in ecclesiam, juxta laudatum Pontificale, connexam esse cum ipsa Oratione *Omnipotens sempiterne Deus, etc.*, quam, juxta præscriptum nostri hodierni Pontificalis, Episcopus dicit postquam ad altare pervenit. Alia Oratio, quamvis in ipso Romano bibliothecæ Colbertinæ Pontificali desideretur, exstat tamen in Vaticano Pontificali Durandi; in quo etiam formula introducendi in ecclesiam reconciliandum in nostro § IV descripta, unita legitur cum memorata Oratione, *Omnipotens sempiterne Deus, etc.*, in § V recitata, ut in Appendice videre est.

II. Sunt istæ Orationes profecto antiquæ; nam, præterquam quod in laudatis Pontificalibus recensentur, exstant etiam in aliis bene multis antiquioribus, semper tamen cum aliqua verborum mutatione. Videri possunt apud eruditum Morinum, in celeberrimo *De Pœnitentia* opere, lib. IX, cap. VIII, num. XX. Certe secunda Oratio, quæ incipit *Deus, qui hominem, etc.*, habetur in manuscripto codice Sancti-Remigii Remensis, et in Gellonensi, annorum circiter mille, cum aliqua tamen verborum mutatione : in eo enim titulo qui inscribitur *Reconciliatio rebaptizati ob hæreticis*, post prolixam quamdam Orationem, hæc statim sequitur : « Deus, qui hominem ad ima- » ginem tuam conditum in id reparas quod

Digitized by Google

» creasti; respice propitius super hunc famu-
» lum tuum, et quidquid ignorantiæ ipsius
» hæretica pravitas irrepsit, indulgentia tuæ
» pietatis ignosce; ut quod in eo diaboli fraude
» commissum est, et nequitia Arianæ perfidiæ
» nocuit, non ei reputetur ad culpam, sed
» membrum Ecclesiæ Catholicæ remissionis
» tuæ clementia reformetur, ut altaribus sa-
» cris, recepta veritatis tuæ communione, red-
» datur. Per Dominum. »

III. Inscribitur hæc Oratio in memoratis codicibus Sancti-Remigii Remensi et Gellonensi, pro iis qui in minori ætate conversi ad Ecclesiam redeunt; pro quibus etiam hæc alia Oratio similis primæ statim subjicitur : « Deus, hu-
» mani generis conditor et redemptor, qui
» facturam similitudinis et imaginis tuæ, se-
» cundum divitias bonitatis, in id reparas quod
» creasti : respice propitius super hunc famu-
» lum tuum, et quidquid ignorantiæ ipsius ne-
» cessitas hostilitatis influxit, indulgentia tuæ
» pietatis ignosce, ut in eo, cui adhuc intelli-
» gentia tua integra non suppetit, nihil repu-
» tetur ad culpam; sed Ecclesiæ membrum
» remissionis tuæ benignitate reputetur. Per. »
Exstat in *Euchologio* ordo cui titulus : *Officium Methodii patriarchæ Constantinopolis, de iis qui abnegarunt, secundum diversas personas et ætates, et ad orthodoxam veromque Fidem revertuntur;* itemque, ex eodem Methodio, alius ordo qui inscribitur : *Oratio pro Fidei a pueritia desertore, paganismo nimirum seipsum inquinante, et ad Ecclesiam reverso.* Utrumque hunc ordinem vide infra in Appendice ad hunc titulum. Interim, ut nihil de laudatis Sancti-Remigii Remensi et Gellonensi codicibus omittamus, lubet in calce hujus Commentarii Orationem prolixam describere, quæ titulo inscripto *Reconciliatio rebaptizati ab hæreticis* prima subjicitur. Est autem hujusmodi :

IV. « Omnipotens sempiterne Deus, Pater
» misericordiarum, et Deus consolationis, qui
» per unigenitum tuum Dominum nostrum Je-
» sum Christum, ita regenerationis humanæ con-
» secrasti mysterium, ut nec in eis qui fraude
» diabolicæ malignitatis a Baptismi unitate di-
» scedunt, ulla possit iteratione rescindi : quia,
» cum geminatur a sacrilegis, non virtus indi-
» tæ consecrationis excluditur, sed injuria fidei
» manentibus Sacramentis irrogatur. Ideo, cum
» ad veram matrem Ecclesiam Catholicam tui
» muneris aspiratione resipiscentes a potestate
» redeunt, non quod amiserunt Baptismum
» recipiunt, sed quod in se permanente fece-
» rint contumelia, veracis pœnitentiæ satisfa-
» ctione reparantur. Hinc tuam misericordiam,
» Pater sancte, supplices exoramus, ut hunc
» famulum tuum ad sancta, quæ reliquerat,
» atria revertentem immensa benignitate re-
» cipias, et piissima propitiatione salvifices,
» ut, qui ruinæ suæ lapsum, anathemando nunc
» Arium, jugi lamentatione castigat, dignæ pœ-
» nitentiæ fructus, te miserante, perficiat. Tuæ
» quippe respectu satisfactionis sumpsit ini-
» tium, tuo munere de perditionis se jam sen-
» tiat longitate regressum. Longius enim a te
» tam collatæ fidei negatione, quam operum
» pravitate disceditur : unde quæsumus ut,
» secundum multitudinem miserationum tua-
» rum, immanissima supplicis tui remittatur
» impietas, et aberrantem longius ab itinere
» salutis æternæ tua dignetur revocare ma-
» jestas. Nos autem, sicut in exsequendis my-
» steriis tuis probamur indigni, ita de tua su-
» mus miseratione certissimi, et ob hoc non
» audemus revertenti, atque pulsanti januam
» claudere, cui ad revertendum cordis oculos
» te confidimus revelasse. Et, licet actioni
» pœnitentiæ ætatem temporum præfigamus :
» tamen quia non solum diem mortis, sed et
» qualitatem pectoris ignoramus, sic eum ad
» spem reconciliationis admittimus, ut affe-
» ctum jugis pœnitudinis non omittat; sed
» perenni tempore continua lamentatione re-
» divivus, et Sacramentorum cœlestium com-
» munione mereatur esse perpetuus. »

V. Hactenus Oratio memoratorum codicum, quam puto fuisse Præfationem in hæreticorum reconciliatione recitari solitam : verba enim quibus composita est ipsa Oratio, manifeste Præfationem indicant. Sed quidquid de ea re sit, variæ quidem ac prolixæ Orationes apud Græcos, ubi hæretici reconciliabantur, usitatæ fuerunt, uti ex *Euchologio* Græcorum liquet, cujus ordines infra, juxta morem hactenus in hoc opere nostro usitatum, in Appendice referemus; ad eosque lectorem remittimus.

Digitized by Google

§ VI.

Deinde sedet ibidem Pontifex super faldistorio, et, accepta mitra, interrogat illum iterum de Fide Catholica, dicens : *Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ?* Respondet ille : *Credo.* Interrogatio : *Credis et in Jesum Christum ejus Filium unicum, Dominum nostrum, natum et passum?* Respondet : *Credo.* Interrogatio : *Credis in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, et vitam æternam post mortem?* Respondet : *Credo.* Postea interrogat Pontifex : *Homo, abrenuntias Satanæ et angelis ejus?* Respondet : *Abrenuntio.* Interrogatio : *Abrenuntias etiam omni sectæ gentilitatis* (vel *hæreticæ pravitatis*, sive *Judaicæ superstitionis*)? Respondet : *Abrenuntio.* Interrogatio : *Vis esse et vivere in unitate sanctæ Fidei Catholicæ?* Respondet : *Volo.*

COMMENTARIUS.

I. Sunt hæretici versipelles, et, suum patrem imitantes diabolum, fraudulenter semper se gerunt. Legimus sane in *Tripartita Historia* Arium vocatum ab imperatore Constantino, ejus voluntatem experiri volente, et ab eodem interrogatum an Nicæni Concilii decreta servaret, nihil moratum repente subscripsisse, jusque jurandum præstitisse, utrumque, et decreta Fidei per subscriptionem, et jusjurandum stygia arte circumvenientem et deludentem : scripserat enim hæresim suam in charta quam sub ala ferebat, unde vere se jurare prætendit, dicens sic se sapere sicut scripsisset. Sic et Macedoniani, necessitate compulsi eorum qui eos persequebantur, ad Valentinianum Augustum et Liberium Pontificem Maximum legatos mittunt, per quos libellum pœnitentiæ offerunt, in quo et verba Nicænæ fidei posuerunt, quem et legati manibus suis et, ut profitebantur, propria voluntate subscripserunt; verum, Concilio deinde a Theodosio Constantinopolim non sine assensu Romani Pontificis convocato, in quo et Macedoniani fuerunt, imperatore petente ut Ecclesiæ Catholicæ unirentur, commemorata eis legatione quam ad Liberium miserant, per quam eisdem communicaverat, omnia hæc eludentes, Arianam hæresim sequi maluerunt quam consubstantialem dicere Trinitatem.

II. Longum esset alia ejus rei exempla afferre, quæ passim in *Ecclesiastica Historia* narrantur; nihil enim frequentius antiqui sancti Patres memorant, quam varios dolos et simulationes hæreticorum; eamque ob causam sapientissime iidem statuerunt non temere ipsos ad Ecclesiam admittendos, sed, facta prius errorum abjuratione et fidei confessione. Fieri hanc, non modo apud Latinos sed et apud Græcos, per interrogationes Sacerdotis, et reconciliandi hæretici responsiones, consuevisse, docet nos antiquum Græcorum *Euchologium*, a Jacobo Goar et Joanne Morino descriptum, ubi ita inter alia legimus : « Collocat » unumquemque eorum Sacerdos coram divino » baptisterio, ipsique hæc dicit : *Dic anathema* » *huic N. et dogmatibus ejus, et iis qui consen-* » *tiunt ei, et sapientibus quæ sunt ipsius. Ab-* » *renuntio enim illi, et omni hæretico dogma-* » *ti, et credo in sanctam et consubstantialem* » *Trinitatem secundum expositionem sancto-* » *rum Patrum, qui verbum veritatis recte ex-* » *plicaverunt.* Et ad singula respondet ei qui » convertitur : *Credo.* Cætera persequitur Sa- » cerdos, eique ter dicit : *Credis in sanctam* » *consubstantialem Trinitatem?* Et respondet, » qui convertitur : *Credo.* »

III. Interrogationes ipsæ in hoc nostro § descriptæ exstant quidem in Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, sed non omnes; nam de interrogatione abrenuntiandi Satanæ, et de aliis quæ sequuntur, nulla ibidem mentio; exstant in editis ante Clementem VIII Pontificalibus.

Digitized by Google

§ VII.

Tunc, deposita mitra, surgit Pontifex, et reconciliatus accedit ad pedes ejus coram eo genuflectens. Pontifex vero imponit manum dexteram super caput illius, dicens :

OREMUS.

Domine, Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui dignatus es hunc famulum tuum ab errore gentilitatis (vel *mendacio hæreticæ pravitatis*, sive *Judaicæ superstitionis*) *clementer eruere, et ad Ecclesiam tuam sanctam revocare; tu, Domine, emitte in eum Spiritum sanctum Paraclitum de cœlis.* ℟. *Amen. Spiritum sapientiæ et intellectus.* ℟. *Amen. Spiritum consilii et fortitudinis.* ℟. *Amen. Spiritum scientiæ et pietatis.* ℟. *Amen. Adimple eum lumine splendoris tui, et in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi signetur signo cru✠cis in vitam æternam.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Triplicem olim fuisse ritum seu modum reconciliandi hæreticos, diximus supra in Commentario ad § I, nempe per manuum impositionem, per sacri chrismatis inunctionem, et per pristinorum errorum abjurationem ac veræ Fidei professionem. Quod ritum spectat impositionis manuum in reconciliatione hæreticorum adhibendæ, est plane is antiquissimus, aliis duobus modis in primis Ecclesiæ sæculis usitatior. Nam, agens Eusebius, lib. VII *Historiæ*, cap. II, de controversia tempore Stephani Papæ circa baptismum hæreticorum, diserte ait quod « ex consuetudine ab antiquis ducta » temporibus, in ejusmodi hominibus in Ec- » clesiam recipiendis, solæ preces cum ma- » nuum impositione adhiberi solerent. »

II. Huic consuetudini, quæ tempore Stephani, qui electus fuit Pontifex Maximus anno 253, jam antiqua erat, ac proinde ab Apostolis aut eorum proxime successoribus accepta, suffragium accedit S. Cypriani, qui, ut testatur S. Augustinus, lib. III *De Baptismo, contra Donatistas*, capite XI : « Hoc ipse Cyprianus etiam cum cæ- » teris statuit, ut, si ab hæresibus redirent ad » Ecclesiam, quicumque fuerant in ea baptizati, » non jam per Baptismum, sed per pœnitentiam » reciperentur. » Sive, ut loquitur Crescens a Cirtha, qui cum ipso Cypriano Carthaginensi Concilio interfuerat, apud eumdem Augustinum lib. VI, *Contra Donatistas*, cap. XV : « ut per » manus impositionem in pœnitentiam Ecclesiæ » reconcilientur. » Id quod disertis verbis Cyprianus ipse testatur, in Epistola sua LXXI, ad Quintum, sic scribens : « Quod nos quoque » hodie observamus, ut, quos constet hic ba- » ptizatos esse, et a nobis ad hæreticos transisse, » si postmodum, peccato suo cognito et errore » digesto, ad veritatem et matricem redeant, » satis sit in pœnitentiam manum imponere. »

III. Jam non solum in Ecclesia, sed etiam in hæresi ipsa, id est ab hæreticis, baptizato, ubi in Ecclesiæ gremium revertebatur, consuevisse per manus impositionem recipi, docet nos celebre S. Stephani Papæ testimonium, qui adversus sanctum Cyprianum baptizatos ab hæreticis per novum Baptismo recipientem, ita statuit : « Nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut » manus illi imponatur in pœnitentiam. » Quem ritum semper usque ad Agrippini episcopatum in Africa viguisse, non semel Cyprianus ipse testatus est. De S. Eusebio Papa scribit quidem *Liber Pontificalis :* « Hæreticos invenit in urbe » Roma, quos sola manuum impositione recon- » ciliavit. » Idipsum statuunt Concilium Nicænum I, can. VIII; Arelatense, can. VIII ; Siricius Papa, in litteris ad Himerium episcopum Tarraconensem ; Innocentius I, in litteris ad Victricium Rothomagensem ; Leo Magnus, Vigilius, et alii Romani Pontifices ac sacræ Synodi ; eodemque modo Arianos recipi inculcat assidue

Digitized by Google

in *Dialogo* suo *contra Luciferianos* S. Hieronymus, atque ita quosvis semper hæreticos receptos a Silvestro, Marco, Julio, et aliis veteribus Romanis Episcopis, Ecclesiastica narrat Historia.

IV. Forte dicet quispiam legi quidem frequenter in sacris canonibus et apud veteres Patres atque Pontifices, receptos etiam plerumque fuisse hæreticos cum sacri chrismatis unctione. Respondeo ea loca posse commode intelligi vel de simplici cæremonia, vel de hæreticis in hæresi natis, et baptizatis non adhibita præscripta a Christo Domino formula. Hanc certe rationem nos docet cur Hispanicæ Ecclesiæ Arianos unxerint, antiquum Fidei adversus eosdem *Breviarium* a viro clarissimo Jacobo Sirmondo editum, sic dicens : « Nos reverentiam » habemus Dominicis verbis, et Arianos sic » certum est baptizare. Nam, si sic baptizarent » quomodo credunt, in nomine Patris majoris, » et in nomine Filii minoris, et in nomine Spi- » ritus sancti multo minoris, tunc demum non » iterabimus, sed dabimus Baptismum, quia non » secundum regulam, quam Dominus tradidit, » baptizabunt. » Contextum hunc nonnihil aliter legit laudatus Sirmondus, sed certum est, ex recentioribus, hoc modo legendum, ut docet Lupus, in scholio ad canonem VII Concilii Constantinopolitani I.

V. Sane constat Hispanos Gothos Dominicam Baptismi regulam, quam nempe Christus instituit, omnino mutasse, eosdemque Domino canere consuevisse, non quidem, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto;* sed hunc in modum, *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto;* atque in eadem verba baptizasse, scribit in *Chronico* suo Joannes Biclarensis. Fuisse autem hunc baptismum semper, non tantum ab Ecclesia, sed et a Deo per miraculum loquente, damnatum, atque exsufflatum, in *Collectaneis* suis Theodorus lector testatur. Hac ipsa de causa reginam Brunichildem, filiam Athanagildi regis Gothorum in Hispania, uxorem Sigeberti regis Francorum, dum in Gallias venit, rebaptizatam affirmat Aimoinus monachus, lib. III, cap. XLV. Atque hinc etiam Gothos, ut pote omnis Christiani Sacramenti vacuos, unxit S. Leander. Certe de Brunichilde regina scribit sanctus Gregorius Turonensis, lib. IV *Historiæ Francorum*, cap. XXVII : « Quia Arianæ legi subjecta erat, » per prædicationem Sacerdotum, atque ipsius » regis commonitionem conversa, beatam in » unitate confessa Trinitatem, credidit, atque » chrismata est : » Teste eodem scriptore, lib. IX, cap. XV, « Intelligens veritatem Recharedus » (erat et is Arianus), « postposita altercatione, se » Catholicæ fidei subdidit, et accepto signaculo » beatæ crucis cum chrismatis unctione, credi- » dit Jesum Christum Filium, Dei æqualem, » cum Spiritu sancto regnantem in sæcula » sæculorum. »

VI. Reor equidem eos solum qui ab illis hæreticis baptizati erant, qui veram Baptismi formam vel prorsus rejiciebant, vel magnopere corrumpebant, haud aliter quam paganorum instar, per sacramentum Baptismi admitti in Ecclesiam potuisse, siquidem prior eorum Baptismus sic creditus, non solum in sacris quibusdam cæremoniis, sed in ipsa quoque forma et essentia deficiebat : quocirca simpliciter nullus et irritus habebatur in ordine ad efficiendum eos Ecclesiæ membra. Hinc est quod passim sacræ Synodi varios hæreticos ad Ecclesiam confugientes omnino rebaptizari jubeant : « De » Paulianistis, » ait Concilium I Nicænum, can. XIX, « qui deinde ad Ecclesiam confugerunt, » statutum est ut ii omnino rebaptizentur. » Paulianistæ hæretici dicti sunt a Paulo Samosateno episcopo, de quo vide Commentarium nostrum in ipsum canonem Nicænum XIX, nostro I tomo *Conciliorum*.

VII. Simile decretum habet Concilium Laodicenum, can. VIII, pro reconciliatione Montanistarum, sive Cataphrygum. Concilium I Constantinopolitanum, can. VII, idem de Montanistis, Eunomianis et Sabellianis statuit. Concilium II Arelatense, can. XVI, addit Photinianos. Concilium Trullanum, can. XCVI, Manichæos, Valentinianos, Marcionitas et reliquos talium hæresum principes, hoc est omnes qui debita Baptismi forma non essent baptizati. Neque enim alia erat via Catholicæ Ecclesiæ eos reconciliandi, quam ut instituerentur in vera fidei cognitione; primum nempe, ut catechumeni, et donarentur Baptismo, qui hoc in casu eis tribuebatur, ut pote vero Baptismo antea nunquam donatis. Cum itaque legimus in sacris canonibus, et in antiquis Sacramentorum libris, hæreticos cum unctione chrismatis ad Ecclesiam admittendos, de iis intelligendum videtur qui, uti superius diximus, veram Ba-

Digitized by Google

ptismi formam vel prorsus rejiciebant vel magnopere corrumpebant. Id quod etiam sentit Binghamus, lib. XIV *Originum Ecclesiasticarum*, cap. II, § VII.

VIII. Est tamen ejus opinionis Morinus in opere *De Pœnitentia*, lib. IX, cap. VII, ut contendat, ubi apud antiquos Patres atque Pontifices legitur recipiendos hæreticos per impositionem manus quæ per invocationem sancti Spiritus fit, debere de sacramentali Confirmatione intelligi. Quod tamen minime admittit Lupus, docens manus ipsam impositionem esse omnino pœnitentialem, probatque auctoritate Augustini, qui libro III *De Baptismo, contra Donatistas*, cap. XVI, sic inquit : « Manus autem » impositio non sicut Baptismus repeti non » potest. Quid enim est aliud, nisi oratio super » hominem ? » Utique oratio substrati pœnitentis expurgativa, frequenterque iterata, quod longe remotum est a manu confirmationis. Cur autem manus ista impositio facta hæreticis natis, dicatur passim ab Ecclesiæ Patribus impositio manus in Spiritum sanctum, arcanum aperit ipse Augustinus loco laudato, his verbis : « Spi» ritum autem sanctum, quod in sola Catholica » per manus impositionem dari dicitur, nimirum » hoc intelligi majores nostri voluerunt quod » Apostolus ait : *Quoniam charitas Dei diffusa* » *est in cordibus nostris per Spiritum sanctum,* » *qui datus est nobis.* Ipsa est enim charitas, » quam non habent qui ab Ecclesiæ Catholicæ » communione præcisi sunt. At per hoc recte » intelligitur dici non accipi nisi in Catholica » Spiritus sanctus. » Quibus adde quod idem S. Doctor ait, lib. VI, cap. XXIII : « Propter » charitatis autem copulationem, quod est » maximum donum Spiritus sancti, manus hæ» reticis correctis imponitur. »

IX. Ergo manum istam, licet pœnitentialem, majores nostri vocarunt passim manum in Spiritum sanctum, ut ita omnes ad Ecclesiam venientes hæretici, in ipso ingressu profiterentur, nullibi, nisi in Catholica, dari Spiritum sanctum, et ideo se ad illam venire, ut ab ipsa hunc accipiant quem alibi, nec per ipsum Baptisma, aut aliud quodvis Sacramentum, acceperant aut potuerant accipere. Quocirca lapsis, et natis hæreticis imponebatur manus alia et alia, id est aliis purgativis precibus et ritibus vestita, utraque tamen pœnitentialis. Eamdem itaque manum antiqui Patres quandoque *in pœnitentiam* dicunt, quandoque vero *in Spiritum sanctum :* quod nempe pœnitentialis esset, sed qua in simplex et viduum, acceptum in hæresi aut schismate, Baptismum introducebatur Spiritus sanctus. Docet hæc quidem Lupus, in canonem VII Concilii I Constantinopolitani : ubi etiam, postquam dixit, ex iisdem principiis huc usque enarratis Græcarum et Gallicarum Ecclesiarum, unctionem in reconciliatione hæreticorum adhibitam, nequaquam fuisse Confirmationis sacramentum, ita demum concludit : « Græci » igitur et Galli, immo et Hispani, manum, » quam natis et valide baptizatis hæreticis im» ponebant, ornabant sacro chrismate, ut ex» pressius demonstrarent per illam dari Spi» ritum sanctum, quem isti ad sua separata » altaria nec acceperant nec potuerant accepisse. » Chrisma enim est proprius typus Spiritus » sancti. »

X. Quoniam ritu fieret apud Græcos ipsa hæreticorum conversorum inunctio, docet Concilium ipsum Constantinopolitanum I, anno Christi 381 habitum, can. VII : « Eos, inquit, » qui rectæ fidei adjiciuntur, et parti eorum » qui ex hæreticis servantur, recipimus secun» dum subjectam hic consequentiam et consue» tudinem. Arianos quidem, et Macedonianos, » et Sabbatianos, et Novatianos, qui dicunt » seipsos catharos, hoc est mundos, vel sinistros, » et Tesseradecatitas, sive Tetraditas, et Apol» linaristas recipimus, dantes quidem libellos, » et omnem hæresim anathematizantes quæ » non sentit ut sancta Dei Catholica et Apostolica » Ecclesia, et signatos, sive unctos primo sacro » chrismate, et frontem, et oculos, et nares, et » os, et aures. Et eos signantes dicimus : Signa» culum doni Spiritus sancti. » Qui canon, a nobis nostro I tomo *Conciliorum* fuse explicatus, in Concilio Trullano, can. XCV, renovatus est, in quem, Deo dante, nostro tomo II *Conciliorum* nonnulla dicemus.

XI. Opportunum tandem videtur adtexere hoc loco formulas quasdam reconciliationis hæreticorum ad Ecclesiam redeuntium ex tribus manuscriptis codicibus antiquissimis excerptas, Petaviano, Siculo et Tolosano, ut videas quam antiqua sit Oratio ipsa in hoc nostro § VII descripta. Ergo in Petaviano codice post Octavam Paschæ legitur titulus : *Benedictio super eos*

Digitized by Google

qui de Ariana ad Catholicam redeunt unitatem. Tum ipsa Oratio sequitur hunc in modum : « Domine Deus, Pater omnipotens, Pater » Domini nostri Jesu Christi, qui dignatus es » famulos et famulas tuas ab errore et mendacio » hæreseos Arianæ eruere, et ad Ecclesiam » tuam Catholicam eos perducere, tu, Domine, » mitte in eos Spiritum Paraclitum sanctum » sapientiæ et intellectus; spiritum consilii et » fortitudinis ; spiritum scientiæ et pietatis : et » adimple eos, Domine, spiritu timoris Dei, in » nomine Jesu Christi Salvatoris nostri, per » quem et cum quo est tibi honor et gloria in » sæcula sæculorum. » In codice Tolosano legitur iisdem verbis quibus in Siculo; sed applicatio non fit ad hæresim Arianam; generaliter enim enuntiatur : « ab errore, et men- » dacio hæreticæ pravitatis. » Titulus in Tolosano codice appositus, *Reconciliatio redeuntium a paganis*, falsus est; nihil enim de Paganis in ea Oratione legitur.

XII. Quod Siculum codicem spectat, is quidem in eo est titulus : *Reconciliatio cum impositione manuum redeunti ab Arianis.* Finis est paulo diversus, uti constat ex iis verbis quæ cum fine nostræ Orationis hodierni Romani Pontificalis fere consonant : « ut in nomine » Domini nostri Jesu Christi, et signo crucis » signatus pervenire mereatur ad vitam sine » fine mansuram. Per eumdem Dominum » nostrum. » Atque hæc reconciliatio specialis videtur pro Arianis, nam alia sequitur cum hoc titulo : *Item pro iis qui de diversis hæresibus veniunt.* Est autem Oratio his verbis concepta : « Sancte Pater, omnipotens Deus, qui » famulum tuum ab errore hæreseon dignatus » es eruere et ad sanctam Ecclesiam Catholicam » revocare : quæsumus te, Domine, emitte in » eum Paraclitum Spiritum tuum sanctum » septiformem, spiritum sapientiæ et intelle- » ctus; consilii et fortitudinis; scientiæ et » pietatis : adimple famulum tuum spiritu ti- » moris Dei. Per Dominum nostrum. » Eadem prorsus legitur in codice Tolosano, sed cum titulo paulo diverso : *Benedictio super eos qui de diversis hæresibus veniunt.* Eadem quoque in Siculo codice cum hoc titulo : *Benedictio cum impositione manuum super eos qui de diversis hæresibus veniunt.*

XIII. Exstant hi pervetusti codices apud Morinum, in toties laudato opere *De Pœnitentia*, lib. IX, cap. X. Quibus adde antiquum codicem Gellonensem, annorum circiter mille, in quo eadem Oratio reperitur, uti videre est apud Martene, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VI, pag. 451, ubi etiam ex eodem Gellonensi codice recensetur titulus *Reconciliatio redeuntibus a paganis*, cum memorata Oratione, ad cujus finem legitur : « Adimple eum, « Domine, spiritu timoris tui, ut in nomine » Domini nostri Jesu Christi, signo crucis si- » gnetur in vitam æternam. Per eumdem Do- » minum nostrum Jesum Christum Filium » tuum, qui tecum vivit et regnat Deus sem- » per una cum. » Est et in aliis libris Pontificalibus sua varietas.

§ VIII.

Post hæc, si reconciliatus sit is qui præcipuus et notabilis fautor schismatis exstitit, genuflexus, ut supra, facit publice professionem et abjurationem, Pontifice cum mitra in faldistorio ante altare sedente, dicens : *Ego N., comperto divisionis laqueo quo tenebar, diutina mecum deliberatione pertractans, prona et spontanea voluntate ad unitatem Sedis Apostolicæ, divina gratia duce, reversus sum : ne vero, non pura mente, seu simulata, reversus existimer, spondeo sub ordinis mei casu, et anathematis obligatione, atque promitto tibi,* tali, *Episcopo, et per te sancto Petro Apostolorum principi, atque sanctissimo in Christo Patri et Domino nostro, Domino N., Papæ N., et successoribus suis, me nunquam quorumlibet suasionibus, vel quocumque alio modo ad schisma, de quo Redemptoris nostri gratia liberante ereptus sum, reversurum, sed semper in unitate Ecclesiæ Catholicæ, et in communione Romani Pontificis per omnia permansurum, unde jurans*

Digitized by Google

dico per Deum omnipotentem et sancta Dei Evangelia me in unitate et communione præmissis inconcusse mansurum. Et si, quod absit! ab hac me unitate, aliqua occasione vel argumento divisero, perjurii reatum incurrens æternæ obligatus pœnæ inveniar, et cum auctore schismatis habeam in futuro sæculo portionem. Deinde super librum Evangeliorum, quem Pontifex ante se tenet apertum, ponit ambas manus extensas, junctis digitis, dicens : *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Tum, producto per Pontificem signo crucis super reconciliatum, surgit reconciliatus, et discedit.

COMMENTARIUS.

I. Formula hæc abjurandi schismatis profecto antiqua est in Ecclesia, pauloque prolixior legitur quidem apud S. Gregorium Magnum Pontificem Maximum, lib. x, epist. xxxi, ubi schismaticus nescio quis Episcopus ita suum abjurat schisma : « Quoties cordis oculus, nube » erroris obductus, supernæ illustrationis lu» mine fit serenus, magna cautela nitendum » est ne latenter author schismatis irruat, et » ab unitatis radice eos qui ad eam reversi fue» rant, telo iterum erroris abscindat. Et ideo » ego civitatis *illius* Episcopus, comperto di» visionis laqueo quo tenebar, diutina mecum » cogitatione pertractans, prona et spontanea » voluntate ad unitatem Sedis Apostolicæ, di» vina gratia, duce reversus sum; et ne prava » mente seu simulate reversus existimer, sub » mei ordinis casu spondeo, et anathematis » obligatione, atque promitto tibi, et per te » S. Petro Apostolorum principi, atque ejus » Vicario beatissimo Gregorio, vel successori» bus ipsius, me nunquam quorumlibet sua» sionibus, vel quocumque alio modo, ad » schisma, de quo Redemptoris nostri mise» ricordia liberante ereptus sum, reversurum, » sed semper me in unitate sanctæ Ecclesiæ » Catholicæ, et communione Romani Pontificis » per omnia permansurum. Unde jurans dico » per Deum omnipotentem et hæc quatuor » Evangelia, quæ in manibus meis teneo, et » salutem gentium, atque illustrium domino» rum nostrorum rempublicam gubernantium, » me in unitate, sicut dixi, Ecclesiæ Catholicæ » et communione Romani Pontificis semper et » sine dubio permanere. Quod si, quod absit! » aliqua excusatione vel argumento ab hac » me unitate divisero, perjurii reatum incur» rens, æternæ pœnæ obligatus inveniar, et cum » authore schismatis habeam in futuro sæculo » portionem. Hanc autem confessionem pro» missionisque meæ chartulam notario meo, » cum consensu Presbyterorum et Diaconorum » atque Clericorum, qui me in hac unitate » obligantes, in suprascriptis omnibus prona » simul voluntate secuti, atque propriis mani» bus subscripturi sunt, scribendam dictavi, et » propria manu subscribens tibi tradidi. Acta » in loco *illo*, die *tali*, et consulibus *supra*» *scriptis*. Subscriptio Episcoporum *illorum*. » Ego ille Episcopus civitatis *illius* huic con» fessioni, promissionique meæ præstito de » conservandis subscriptis omnibus sacramen» to, subscripsi. »

II. Placuit integram hanc abjurandi schismatis formulam describere, quam etiam legere est apud Gratianum in suo Decreto, can. *Quoties*, caus. i, quæst. vi, ut videas quam antiquus sit ritus prolixiori hac Oratione schisma abjurare. Notanda sunt illa verba quibus, in formula S. Gregorii, Romanus Pontifex Vicarius S. Petri dicitur. Quod quidem novum videri non debet, cum ita passim ab antiquis scriptoribus Ecclesiasticis vocetur, imo a S. Cypriano, in Epistola lxvii, Stephanus Papa *Vicarius et successor*, præcessor Pontificum Stephani et Lucii. Vide in eamdem Epistolam *Notas* Baluzii, et ejusdem auctoris *Notas ad Agobardum*, pag. 115, et *ad Lupum Ferrariensem*, pag. 425; et tomo ii *Capitularium regum Francorum*, pag. 1283; itemque Theophilum Raynaudum in *Onomastico Pontificio*, verbo *Vicarius S. Petri;* atque, ut alios omittam complures, occurrit etiam vox illa in nostro hodierno Romano Pontificali.

III. Mihi hæc Vicarii appellatio non absque ratione ab antiquis usurpata videtur. Cum

Digitized by Google

enim omnes olim Episcopi dicerentur Christi Vicarii, quoniam, ut testatur Gotfridus Vindociensis, opusculo x, *Christi crederentur agere vices*, hinc forte, cum Summum Pontificem appellabant Vicarium Petri, indicare voluerunt, non ea tantum, qua cæteros Episcopos, sed speciali et suprema illa, qua excellebat Petrus supra omnes Apostolos in quorum locum Episcopi succedunt, Romanum Pontificem prærogativa dignitatis et potestatis antecellere. Ideoque non modo *Vicarius Petri*, sed *Vicarius Sedis Apostolicæ* dictus legitur Leo III Pontifex Maximus in Concilio Romano apud Anastasium, in ejus Vita. Vide *Notam* DLVI eruditissimi Angeli de Nuce *in Chronicam monasterii Cassinensis*, lib. I, cap. VIII.

IV. His obiter explicatis, ut rem nostram agamus, exstant apud scriptores Ecclesiasticos variæ abjurandi schismatis formulæ pro temporum, locorum, personarum ac rerum varietate. In Concilio Lateranensi III, sub Alexandro Papa III, anno 1179 celebrato, Episcopi Germaniæ, et alii qui contra ipsum Alexandrum secuti fuerant imperatorem schismaticum, schisma abdicantes, veniam supplices postularunt, hac forma præscripta : « Ego N., » anathematizo et recuso omnem hæresim ex- » tollentem se adversus sanctam Romanam Ec- » clesiam Catholicam, præcipue vero schisma » Octaviani, Guidonis et Joannis, et Ordinatio- » nes eorum irritas judico, et eis contradico, » et modo in antea me obediturum juro, et » promitto fidelitatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, » et domino meo Alexandro, et successoribus » ejus juste intrantibus, ipsique serviam abs- » que omni malo ingenio contra omnem ho- » minem secundum ordinem meum. Consilia » ejus, quæ mihi certo scripto mandaverit, » vel ipse commiserit, nulli hominum pro- » dam, nec etiam pro periculo corporis atque » membrorum. Legatum Ecclesiæ Romanæ » honorabo, et ducam et reducam, et juvabo » expensis. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta » Evangelia. »

V. De abjuratione Friderici imperatoris quædam tradit Baronius ad annum Christi 1177, quæ hic describere censui. Ait enim quod « cum ad Papam (Alexandrum III) appropias- » set, tactus divino spiritu, Deum in Alexan- » dro venerans, imperiali dignitate postposita, » rejecto pallio, ad pedes Papæ totum se extenso » corpore inclinavit, quem Alexander Papa » cum lacrymis benigne elevans, recepit in » osculo, et benedixit, moxque a Teutonicis » *Te Deum laudamus* est excelsa voce decan- » tatum. Imperator autem, apprehensa Papæ » dextera, ipsum ad Ecclesiam introduxit. » Tum alia humillima imperatoris obsequia Pontifici exhibita recenset, aliumque ritum enarrat, sermonis nempe habiti a Pontifice de imperatoris reconciliatione et ad Ecclesiæ sinum reditu : « Venientibus autem proximis » kalendis augusti, imperator cum Archiepi- » scopis et Episcopis et reliquis principibus » suis, et magna populi multitudine, ad Pa- » triarchæ palatium, in quo Papa erat hospi- » tatus, accessit. In cujus palatii aula longa » satis et spatiosa, Papa, in eminentiori loco » positus, in faldistorio suo resedit; et, Episco- » pis suis et Cardinalibus hinc inde circum- » stantibus, imperatorem quidem in sua dextera » supra Episcopos et Presbyteros cardinales, » Romualdum vero Salernitanum archiepi- » scopum in sinistra supra Diaconos cardinales » residere præcepit. Finito itaque silentio, sic » est Papa Alexander exorsus :

VI. « Hæc est, inquit, dies, Fratres charis- » simi, quam fecit Dominus: exsultemus et læ- » temur in ea, quia hic filius noster Romano- » rum imperator illustris mortuus fuerat, et » revixit; perierat, et inventus est. Nam post- » quam cordi ejus supernæ radius claritatis » illuxit, totius falsitatis depulsa caligine, de » errore ad veritatem rediit, de tenebris ad » lumen transiit, de schismate ad unitatem ac- » cessit, et ad caulas matris Ecclesiæ tanquam » ovis erratica repedavit. Exsultet igitur fide- » lium votiva religio, quia hodie Pater junio- » rem recepit filium, Catholicum principem » Romanum recuperavit imperium. Mater Ec- » clesia suum evaginatum in vaginam convertit » gladium : navis Piscatoris egregii, quæ, cul- » pis exigentibus, adversitatum turbine pene » demersa jam fuerat, nunc, procellis cessan- » tibus, ad littus solidum et veræ quietis por- » tum illæsa pervenit. Ecclesiæ suæ preces pro » bono pacis frequenter effusas Dei Filius cle- » menter audivit, et eam cum suo principe in » pace et concordia collocavit. Inde est quod, » destructis adversitatibus et erroribus uni-

Digitized by Google

» versis, secura jam pace fruitur, et jucunda » securitate lætatur. Cesset igitur antiqua dis- » cordia, finem accipiat inveterata malitia, una « Fides, unus Dominus, una sit et Ecclesia. » Schisma in unitatem transeat, et divisio ad » charitatem accedat. Omnis jam ad pacem » Ecclesia redeat, et ad matris suæ gremium » filiorum numerositas gratiosa recurrat. Sit » Deo gloria in altissimis, et in terra pax ho- » minibus bonæ voluntatis. Et quia nos im- » peratoris nostri pium animum et benignam » agnoscimus voluntatem, eum intra nostræ » mansuetudinis brachia tanquam charissimum » filium benignius amplectimur, et tam ipsum » quam uxorem et ejus filium in Catholicos » principes paterno affectu recipimus, et ipsis » honorem debitum impendere procuramus : » Deum et Apostolos nostros affectuose rogan- » tes ut ipsos Ecclesiæ suæ servent incolumes, » et per longa tempora custodiant defensores. » Hactenus Alexandri Pontificis sermo.

§ IX.

Si vero reconciliatus fuerat hæresiarcha seu præcipuus auctor alicujus hæresis, omissa promissione præcedenti, facit sequentem genuflexus coram Pontifice cum mitra in faldistorio ante altare sedente, dicens : *Ego N., cognoscens veram Catholicam et Apostolicam Fidem, anathematizo hic publice omnem hæresim, præcipue illam de qua hactenus exstiti infamatus, quæ astruere conatur* hoc, *vel* illud. *Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Apostolicæ Sedi : ore et corde profiteor me credere* sic, *vel* sic, *et eamdem Fidem tenere quam sancta Romana Ecclesia auctoritate Evangelica et Apostolica tenendam tradit. Jurans hoc per sanctam homousion, id est ejusdem substantiæ, Trinitatem; per sacrosancta Evangelia Christi. Eos autem qui contra Fidem hanc venerint, cum dogmatibus et sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Et, si ego ipse, quod absit! aliquando contra hæc aliquid assentiri aut prædicare præsumpsero, canonum severitati subjiciar.* Et mox ambas manus extensas, digitis non disjunctis, ponit super librum Evangeliorum, quem Pontifex ante se apertum tenet, dicens : *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Tum, producto per Pontificem signo crucis super reconciliatum, surgit ipse reconciliatus, et discedit.

COMMENTARIUS.

I. Desumpta est et hæc formula abjurandæ hæresis ex canone *Ego Berengarius*, *De Consecratione*, distinctione II. Fuit enim aliquando in usu hæc disciplina, ut hæretici homines errorum suorum ejuratione et publica Catholicæ Fidei professione reconciliarentur. Putant nonnulli hunc reconciliationis modum locum præsertim habuisse post exortam Nestorii et Eutychis hæresim : jam enim longe antea Alexandrinæ Synodi Patres, anno 362, quo ipsa habita fuit, in Epistola synodica nihil aliud ab Arianis ipsis exigunt, « quam ut exsecrentur » Arianorum hæresim, confiteanturque san- » ctorum Patrum in Nicæa Fidem, exsecren- » turque eos qui dicunt Spiritum sanctum esse » creaturam, et divisum ex substantia Christi. »

II. Rursus debuit ista abjuratio errorum et professio Fidei Catholicæ ab hæreticis scripto fieri, uti constat ex canone VIII Concilii œcumenici I Nicæni, ubi de Novatianis statutum est ut, priusquam ad Catholicam Ecclesiam venientes recipiantur et ordinentur, ante omnia scriptis profiteantur quod Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ dogmata suscipiant et sequantur. Servatam hanc disciplinam insequentibus sæculis cum aliis hæreticis, addiscere licet ex celebri Epistola Cyrilli Alexandrini antistitis ad Donatum Nicopolis veteris Epiri episcopum, in qua testatur se non prius ad Synaxim Paulum Emissenum Nestorio faventem admisisse, quam

Digitized by Google

dato libello Nestorii dogmata suo scripto anathematizasset.

III. Viguisse hanc sæculo v disciplinam docent nos complures S. Leonis Papæ Epistolæ : nihil enim is ultra requirit ad Eutychianorum et Nestorianorum reconciliationem, quam errorum ejurationem et fidei professionem scripto firmatam. In Epistola x, ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum, cap. vi, de Eutyche hæresiarcha ita quidem scribit : « Si » fideliter atque utiliter dolet, et quam recte » mota sit Episcopalis auctoritas, vel sero co» gnoscit, vel si ad satisfactionis plenitudinem, » omnia quæ ab eo male sunt sensa, viva voce » et præsenti subscriptione damnaverit, non » erit reprehensibilis erga correctum quanta» cumque miseratio. » Idem Leo, in fine Epistolæ ad Theodosium Augustum de eodem Eutyche rescribens, idipsum significat his plane verbis : « Si ipse, qui in hanc tentationem in» cidit, resipiscat, ita ut per libellorum satisfa» ctionem proprium damnet errorem, commu» nio ei sui ordinis reformetur. » Ubi nota velle Pontificem ut, si errori Eutyches renuntiet, ille non modo statim communioni laicæ restituatur, sed etiam Ecclesiasticæ et ordinum suorum functioni.

IV. Multa hujus rei exempla leguntur quidem in Concilio Chalcedonensi, præsertim vero in actione viii, ubi de Theodoreti reconciliatione agitur. Ut autem quod nostrum est prosequamur, servatam constat etiam longe post Leonis ævum eamdem disciplinam recipiendi hæreticos, et in Ecclesiam admittendi per solam hæresis ejurationem ac fidei professionem. In Concilio Hispalensi ii, can. xii, quidam ex hæresi Acephalorum Episcopus « conversus, atque » receptus, susceptæ fidei confessionem cum » stipulatione jurejurando protulit, atque ab » omnibus purgatus apparuit. » Felix quoque episcopus Urgellitanus, uti habetur in Concilio Romano, anno 799 celebrato, actione ii, non modo scripta orthodoxæ Fidei formula hæresim suam ejuravit, verum etiam « ipsum ortho» doxum suum libellum super sacrosancta Dei » Mysteria in nostro Patriarchio, » inquit Leo III Pontifex Maximus, « juravit sic tenere et con» fiteri; et iterum in confessione super corpus » beati Petri Apostoli ipsum ponens orthodoxum » suum libellum, similiter et illic juravit ne» quaquam se dicere audere adoptivum; sed » proprium et dilectum Filium Dei teneo et » confiteor. »

V. In antesignanis et propugnatoribus hæresis ac schismatis qui alios errori et factioni implicaverant, ea quoque conditio olim communiter requisita fuit ut deceptam a se multitudinem reducerent, priusquam perfectam absolutionem obtinerent. Hæc fuit Ecclesiæ praxis; nam de Marcione hæretico observat Tertullianus, in libro *De Præscriptionibus adversus hæreticos*, cap. xxx, ita eum reconciliationem recepturum fuisse, si cæteros, quos errore suo infecerat, Ecclesiæ restitueret, idque se facturum promisisse, sed esse morte præventum : « Marcion pœnitentiam confessus, » cum conditioni datæ sibi occurrit, ita pacem » recepturus, si cæteros quoque quos perditioni » erudisset, Ecclesiæ restitueret. » Per pacem intelligit sacramentalem reconciliationem; hæc enim est vera nostra cum Deo pax; quia sola peccata separant inter Deum et hominem. Est vocabulum etiam a sancto Cypriano et aliis antiquis Patribus frequentissime usitatum.

VI. Similem observationem de Trophimi in idololatriam lapsi (qui etiam unus ex tribus Episcopis fuit qui illegitimam Novatiani ordinationem, Episcopum contra Cornelium Papam eum constituendo, peregerant, et hoc ipso ingens Romanæ Ecclesiæ conflarant schisma) reditu ad Ecclesiam facit quidem S. Cyprianus, receptionem illius hunc in modum commemorans in Epistola lii, ad Antonianum : « Quoniam » cum Trophimo pars maxima plebis abscesse» rat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo, » et satisfaciente et pœnitentia deprecationis » errorem pristinum confitente, et fraternita» tem, quam nuper abstraxerat, cum plena » humilitate et satisfactione revocante, auditæ » sunt ejus preces; et in Ecclesiam Domini non » tam Trophimus, quam magnus fratrum nu» merus qui cum Trophimo fuerat, admissus » est : qui omnes regressuri ad Ecclesiam non » essent, nisi cum Trophimo comitante venis» sent. Tractatu ergo illic cum collegis pluri» mis habito, susceptus est Trophimus; pro » quo satisfaciebat fratrum reditus, et restituta » multorum salus; sic tamen admissus est Tro» phimus ut laicus communicet, non, secun» dum quod ad te malignorum litteræ pertule-

Digitized by Google

» runt, quasi locum Sacerdotis usurpet. » Quæ sit communio laica, fuse explicuimus in Commentario ad § XIII, tit. VI.

VII. Eamdem regulam servatam semper ab Ecclesia constat non modo in hæresiarchis et schismatum auctoribus, verum etiam in cunctis hæreseon aut schismatum doctoribus. Hinc ad antipapam Novatianum, qui plurimos ab Ecclesia secum abstraxerat, scribit, eum hortando, S. Dionysius patriarcha Alexandrinus, apud Eusebium lib. VI *Historiæ*, cap. XXXVII, his verbis : « Jam ergo, si, vel suadendo vel quasi » vi compellendo, Fratres ad Ecclesiæ concor- » diam redire efficias, culpæ magnitudinem » correctionis modus facile superabit. Atque, » ut illa tibi nullo vitio vertetur, ita hic revera » ponetur in laude. Quod si illi adeo contumaces » et animo obstinato fuerint ut nihil omnino te » posse apud illos existimes, tu tamen tuam » ipsius animam servato. » Ubi nota antesignanos ipsos hæreseon et schismatum ad suos seductos reducendos omnem adhibere conatum teneri. Id enim in naturalis juris regula fundatur, quæ dicit : « Non dimittitur peccatum, » nisi restituatur ablatum, cum restitui potest. » Etenim, ut scite docet Lupus in scholio laudati cap. XXX, libri *De Præscriptionibus*, ad illa verba *Postmodum idem Marcion, etc.*, fideles secum seducens hæreticus, aut quivis alius criminosus, est veri plagii reus, Domino Deo abstulit suam possessionem, adeoque obstrictus est restitutioni. Vide S. Augustinum in Epistola XLVIII, ad Vincentium Cartennensem, episcopum Rogatistarum, ubi hanc ipsam regulam uti necessariam et communem laudat. Quæ quidem si ab istiusmodi seductoribus neglecta fuerit, vereri debent ne de ipsis dici possit quod de se dixit moriens ac pœnitens hæresiarcha Berengarius : « Hodie in die apparitionis suæ appa- » rebit mihi Dominus meus Jesus Christus; » propter pœnitentiam, spero, ad gloriam; » propter alios, » utique ab ipso perversos, « ut timeo, ad pœnam. » Obiit in festo Dominicæ apparitionis, seu Epiphaniæ ; eamque rem narrant Gulielmus bibliothecarius monasterii Malmesberiensis , et cardinalis Baronius ad annum 1088, ubi ait nonagenarium decessisse, summam Dei misericordiam consecutum, si post tot iteratos lapsus in Ecclesia Catholica vitæ periodum clausit.

VIII. Rursus ab ipsis hæresiarchis requisitam, tanquam absolutionis eorum conditionem, ut factionis suæ reliquias detergerent, tradit quidem S. Augustinus, in Epistola sua LXXIII, ad Deuterium Episcopum, ubi narrans initam a se ipso rationem tractandi Victorinum Hypodiaconum, qui ad sectam Manichæorum transfugerat, ait eum, tametsi pœnitentem et rogantem in Ecclesiæ communionem restitui, admittere noluisse, nisi proderet quotquot nosset eodem errore infestos : « Rogavit me quidem, postea- » quam se Manichæorum auditorem confessus » est, ut eum in viam veritatis doctrinæ Catho- » licæ revocarem : sed, fateor, ejus fictionem » sub Clerici specie vehementer exhorrui, eum- » que coercitum de civitate curavi. Nec mihi » hoc satis fuit, nisi et tuæ sanctitati cum meis » litteris intimarem, ut, a Clericorum gradu » congrue Ecclesiastica severitate dejectus, ca- » vendus omnibus innotescat. Petenti autem » pœnitentiæ locum, tunc credatur, si et alios, » quos illic novit esse, manifestaverit vobis, non » solum in Malliana, sed in ipsa tota omnino » provincia. » Apud Manichæos erant quidam qui *auditores*, et alii qui *electi* dicerentur, de quibus vide Augustinum ibidem.

IX. Quod tandem reconciliandi hæretici non modo errores damnare, sed et scripto edito ejurare deberent, jam nos superius diximus, eamque conditionem Nicæna I Synodus, can. VIII, a Novatianis; Gangrensis, in proœmio, ab Eustathianis; Laodicena, can. VII, a Novatianis, Photinianis et Tesseradecatitis; Constantinopolitana I, can. VII, a Macedonianis, Sabbatianis, Arianis, Tesseradecatitis, et Novatianis exigebant; a Donatistis autem Africanæ Synodi requirebant, uti habetur in Africanæ Ecclesiæ codice, canone LVII. Cæterum jam quoque et superius dictum est debuisse hæreticos qui ad Ecclesiæ communionem redire cupiebant, non modo errorem damnare et rectæ Fidei doctrinæ subscribere, verum etiam juramentum præstare majoris confirmationis gratia : quod quidem jam olim consuevit super sacro Evangelii libro peragi, uti historiam Ecclesiasticam legenti patet.

X. Illud quoque et iis quæ hactenus enarravimus, ad calcem hujus Commentarii lubet adnectere, non modo reconciliationem hæreticorum, sed et cognitionem de hæreticis, et

Digitized by Google

causis Fidei, summo jure inspecto, ad Episcopos pertinere, etiam ubi de exemptis agitur, ex cap. *Ad abolendam*, Extra. *De Hæreticis;* et ex concilio Tridentino, sessione v *De Reformatione*, cap. ii, § *Si vero*. Judicibus autem sæcularibus interdictum est quoquo modo cognoscere, ex cap. *Inquisitionis*, *De Hæreticis* in Sexto. Ratio illa est, quia omnia quæ spectant ad Fidem et Religionem sunt propria jurisdictionis Episcopalis. Unde S. Ambrosius, epistola xxix, ad Theodosium imperatorem, ita scribit : « Si de causis pecuniariis comites tuos » consulis, quanto magis in causa Religionis » Sacerdotes Domini æquum est consulas? » Sed de his alias.

APPENDIX

In qua Ordines manuscripti ac editi recensentur, quibus apostatæ, schismatici vel hæretici reconciliari consueverunt.

ORDO I.

Ex manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi codice Pontificali, num. 4744.

ORDO AD RECONCILIANDUM APOSTATAM, SCHISMATICUM, VEL HERETICUM.

RUBRICA.

Apostatæ reconciliatio fit hoc modo. Primo enim ante fores illum Episcopus, vel Sacerdos de fide interrogat, qui dicit super illum sequentem exorcismum : « Exorcizo te, immunde spi» ritus, per Deum Patrem, et per Jesum Chri» stum Filium ejus, etc. » Tunc signet illum signo crucis, dicens : « Accipe signum crucis ✠ » Christi, etc. »

Deinde introducit illum in ecclesiam, dicens : « Ingredere Ecclesiam Dei, a qua incaute aber» rasti, et evasisse te laqueos mortis agnosce : » horresce hydola : respue omnem pravitatem, » sive superstitionem hæreticam, vel gentilem, » aut Judaicam. Cole Deum omnipotentem, et » Jesum Christum Filium ejus, et Spiritum san» ctum, vivum et verum Deum, sanctam et in» dividuam Trinitatem. Tu autem, omnipotens » Deus, hanc ovem tuam, de fauce lupi tua vir» tute subtractam, paterna recipe pietate, et » gregi tuo pia refirma benignitate, ne de fa» miliæ tuæ dampno inimicus exultet, sed de » conversione et liberatione ejus Ecclesia tua, » ut pia mater de filio reperto, gratuletur. Per » Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. »

ALIA ORATIO.

« Deus, qui hominem ad imaginem tuam » conditum misericorditer reparas quem mise» rabiliter (*a*) creasti : respice propitius super » hunc famulum tuum, etc. »

Tunc facit illum confiteri fidem Catholicam, dicens : « Credis in Deum Patrem omnipoten» tem creatorem cœli et terræ ? ℟. *Credo*. Et » in Jesum Christum Filium ejus unicum Domi» num nostrum, natum, et passum ? ℟. *Credo*. » Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ec» clesiam Catholicam, et Sanctorum commu» nionem, remissionem peccatorum, carnis re» surrectionem, et vitam æternam post mortem ? » ℟. *Credo*. »

Postea dicit ita : « Homo, abrenuntias Sa» thanæ et angelis ejus ? ℟. *Abrenuntio*. Abre» nuntias operibus et principiis ejus ? ℟. *Abre» nuntio*. Abrenuntias etiam omni septæ (*b*) » gentilitatis, vel hæreticæ pravitatis, sive Ju» daicæ superstitionis ? ℟. *Abrenuntio*. Vis esse » et vivere in unitate fidei sanctæ catholicæ ? » ℟. *Volo*. » Tunc imposita manu super capud ejus, dicit Orationem : « Domine Deus, Pater » omnipotens Domini nostri Jesu Christi, qui » dignatus es, etc. »

(*a*) Puto legendum *mirabiliter*, uti in editis libris Pontificalibus habetur.
(*b*) Legendum videtur *sectæ*.

Digitized by Google

Cum vero is qui auctor, seu præcipuus et notabilis fauctor scismaticis extitit, ad Ecclesiæ unitatem revertitur, hanc faciat publice professionem et abjurationem : « Ego N., Clericus, » Præpositus, *vel* Archidiaconus *talis* Ecclesiæ, » comperto divisionis laqueo quo tenebar, etc. »

Si vero aliquis heresiarcha, vel præcipuus auctor alicujus hæresis ad unitatem Ecclesiæ revertitur, hanc faciat publice professionem et abjurationem, dicens : « Ego N. Dyaconus, *vel* » Sacerdos, *vel* Præpositus *talis* Ecclesiæ cogno- » scens, etc., canonum severitati subjiciam (*a*). »

ORDO II.

Ex Methodio, patriarcha Constantinopolis, de iis qui abnegarunt, secundum diversas personas et ætates, et ad orthodoxam veramque Fidem revertuntur, apud Jacobum Goar, pag. 689 et sqq.

Si puer quidem comprehensus fuerit, et abnegaverit, sive metu, seu ignorantia et inscitia, is propitiatorias preces septem diebus suscipiat; et octavo die lavetur, et a lavacro, linteo accinctus, chrismate inungatur, ut solent inungi qui baptizantur; et ferat vestes novas, secundum ordinem eorum qui illuminantur. Sin autem sint adolescentes, vel senes, vel adulta ætate perfecti, siquidem propter tormenta negaverunt, clementer ac benigne cum eis agatur, sed duas quadragesimas jejunent vacantes orationibus, et genuum flexiones assiduasque preces peragentes. Duarum autem quadragesimarum appropinquante fine, rursus preces propitiatorias suscipiant, et singulis diebus *Domine, miserere*, centies dicant : et, sicut superius statutum est, laventur et ungantur : et, celebrato Sacrificio, sacrosanctis mysteriis digni habeantur, vacantes Ecclesiæ et sacrorum celebrationi octo diebus. Si qui autem sua sponte ad negandum confugerint, istos quidem revertentes suscipimus; non tamen divinis mysteriis communicant, nisi in fine vitæ suæ, secundum septuagesimum tertium canonem Basilii dicentem : « Qui salutis » mysterium transgressus, Christum negaverit, » omni vitæ suæ tempore flentium ordinem te- » nere debet, et exomologesim facere : tempore » vero quo vita excedit, divinæ clementiæ fide » ad sancta Mysteria admittitur. »

(*a*) Legendum *subjiciar*. Vide suprà § IX.

Orationes propitiatoriæ pro eo qui post abnegationem ad veram fidem revertitur.

« Dominum precemur.

» Justus es, Domine, et recta judicia tua : non » enim secundum peccata nostra fecisti nobis, » neque secundum iniquitates nostras retribuisti » nobis : verum mandata tua transgressi, mortis » sententiam juste incurrimus. Ipse namque, ut » benignus Dominus, exitus nostri visa malitia, » misericordia super nos motus, eo quod inva- » lescens adversum nos lethum nos subjugasset. » creaturam tuam redimere decrevisti, et servi » forma accepta, cum morte congressus, ima- » ginem tuam in nobis reparasti : propterea que » a mortis potestate erepti, et in viam salutis » sancti Spiritus regeneratione deducti, gratia- » que tua salvati, providentiæ tuæ dispositio- » nem celebramus : rogamusque, supplicamus, » et obsecramus, ut in secundo tuo adventu, » quo vivos et mortuos judicaturus es, et uni- » cuique secundum opera sua redditurus, mi- » sericordiæ tuæ, quæ a sæculo est, memineris : » et quia humana nostra delicta minus obser- » vas, reconciliationem petentibus concede, et » omne delictum spontaneum et involuntarium, » scienter vel ignoranter commissum, condona. » Non enim est homo qui vivat, et non peccet, » etiamsi unius diei sit vita ejus super terram. » Quis enim mundum se cor habere gloriabi- » tur? aut quis se a peccato immunem esse pro- » feret? Ecce omnes verbis et operibus coram » te peccamus, et gratia tua orbati sumus : et in » timendo tremendoque tuo tribunali justificari » speramus, non ex justitiæ operibus (nihil » enim boni super terram egimus), sed ex vera » fide, et nominis tui confessione. Scire namque » te, perfecta justitia est; et cognoscere, virtus, » et immortalitatis radix. Scimus itaque, pro- » fitemur et credimus, quia e nihilo ad esse » nos adduxisti, lapsis misertus es, peccantes » tolerasti, et a morte revocasti. Propterea ro- » gamus te, Deus noster, ut, quodcumque » coram te malum, ceu carne onusti, et in » mundo versati, sive operibus, sive verbis, sive » etiam cogitationibus perpetravimus, ipse, ut » bonus, et hominum amator, et misericors » Dominus relaxes, condones et remittas. Parce

Digitized by Google

» nobis delicta confitentibus, neque recogites, » aut in judicium cum servis tuis intres, quia » non justificabitur coram te omnis vivens. » Quia tu solus sine peccato existis, et pœni- » tentes suscipis, et tibi gloriam referimus, Pa- » tri, et Filio, et sancto Spiritui, nunc, et sem- » per, et in sæcula sæculorum. Amen. »

ALIA ORATIO.

« Dominator, Domine Deus noster, qui regni » tui clavibus Petro Apostolorum tuorum co- » ryphæo creditis, sanctaque tua Ecclesia super » eum ædificata, ei, gratia tua, potestatem li- » gandi atque solvendi super terram contulisti : » indignos nos te, tunc invocantes pro præsen- » tis servi tui reconciliatione, exaudi; mirifica » misericordias tuas versus illum, qui sperantes » in te salvas. Tu enim Deiloquorum Prophe- » tarum ore dixisti : *Convertimini ad me, et ego* » *convertar ad vos;* et : *Nolo mortem peccato-* » *ris, sed ut convertatur et vivat.* Ipse igitur, » Domine, præsentem servum tuum a via erro- » ris sui revertentem, et a te reconciliationem » exposcentem ne abjicias : sed in misericordia » visita, et in miserationibus revoca. Quia tu » es Deus, Deus pœnitentium, et ad te conver- » sorum Salvator, et tibi gloriam referimus, » Patri, et Filio, et sancto Spiritui, nunc, et » semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

ALIA ORATIO.

« Dominum precemur.

» Domine Deus, omnium conditor et Domi- » nus, bonitatis fons, omnium hominum, et » maxime fidelium, pater, qui hominem diaboli » seductione in perditionis erroris que profun- » dum demersum non despexisti, sed eum, per » unigeniti Filii tui et Dei nostri incarnationem » requisitum et servatum, ad te ipsum reduxi- » sti : ipse, benigne Domine, servum tuum » istum, rationalis ovilis Christi tui ovem, ini- » micorum impiorum captivitate redemtam re- » spice : et, quamvis puerili inscitia, aut tyran- » nica vi, mores eorum imitatus fuerit, nunc » tamen populi tui congregationi restitui per- » mitte; virtute et operatione sancti tui Spiritus » mentem ejus irradia, ut salutaris baptismatis » scintilla in ejus anima insidens et relicta, aura » gratiæ ventilata, spiritaliter rursum accenda- » tur, et impressum ei sigillum, in ejus corde » et cogitationibus, per crucis Christi tui signa- » tionem, per spem in te, et veritatis agnitio- » nem, evidentius appareat, ut te solum verum » et Patrem, et unigenitum Filium tuum Do- » minum nostrum Jesum Christum, et sanctum » tuum Spiritum agnoscat et veneretur. Sanctæ » tuæ Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ illum » conjunge. Gentilis omnis impietatis ritum ab » ejus mente absterge : in mandatis et præce- » ptis tuis ut digne ambulet, illum dirige, et » sanctorum tuorum Mysteriorum indemnata » sumptione dignum redde, et in futura vita » cælestis regni participem illum ostende. Quia » tu es Deus noster, Deus miserendi et salvandi : » et tibi gloriam referimus, Patri, et Filio, et » Spiritui sancto, nunc, et semper, et in sæcula » sæculorum. Amen.

ALTERA ORATIO.

« Domine, Deus omnipotens, Pater Domini » nostri Jesu Christi, qui omnes homines vis » salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; » qui, propter ovem deperditam, unigenitum » Filium tuum Salvatorem et Redemptorem, » imaginem tuam requisiturum et restauratu- » rum, in mundum misisti : te rogamus et te » precamur, servum tuum hunc ad miserationes » tuas recurrentem suscipe. Cum enim a puero » rectam in te fidem per sanctum tuum Ba- » ptisma nactus fuisset, ab ea tamen puerili sto- » liditate, aut aliquo alio impetu, excidit : nunc » vero, cognito errore, pœnitentia ductus, ad » tuam rursus clementiam confugit. Effunde » super illum humanitatis tuæ benignitatem, » et, ceu prodigum ad te Deum et patrem re- » vertentem, amplectere. Errorem omnem, et » hostis deceptionem ab illo abige, rationalium » tuarum ovium gregi illum annumera, gloria » sanctissimi nominis Christi tui illum exorna : » et, cum fidelibus cunctis, illibatarum tuarum » sanctificationum, in præteritorum quidem de- » lictorum remissionem, et a futuris immu- » nitatem, et animæ corporisque custodiam, » participem illum fieri largire. Da illi in omni » tempore et loco ad te recurrere, Ecclesiis » tuis vacare, et placita tibi perficere : ut per » bonorum operum exequutionem, cælestis re- » gni hæres fiat; cujus etiam nos cum eo dignos » esse concede. Gratia et miserationibus Christi

Digitized by Google

» tui, cum quo benedictus es, cum sanctissimo » et bono et vivifico tuo Spiritu, nunc, et sem- » per, et in sæcula sæculorum. Amen. »

« Pax omnibus.
» Capita nostra Domino inclinemus.
» Dominum precemur.

» Domine Deus noster, qui, cælis inclinatis, » in salutem generis humani descendisti; qui » per crucem tuam originali nos maledictione » liberatos, ad vitam beatam reduxisti; qui » dixisti gaudium in cælo fieri causa peccato- » ris unius pœnitentiam agentis : receptam » nunc rationalem oviculam, prius perditam, » gregi tuo adnecte, et rapaces lupos ab ea » effuga, et cruce tua vallatum illum, et vene- » randi nominis tui super nos servos tuos in- » vocati, gloria armatum, serpentes et scorpio- » nes calcare concede. Tu enim es Deus noster, » Deus miserendi et salvandi : et tibi gloriam » referimus, cum principii experte tuo Patre, » et cum sanctissimo et bono et vivifico tuo Spi- » ritu, nunc, et semper, et in sæcula sæculo- » rum. Amen. »

Et, Oratione completa, sacro unguento accepto, secundum baptizatorum consuetudinem, illum inungit, crucis signo expresso in fronte, et oculis, et naribus, et ore, et duabus auribus et manibus, et pectore, et scapulis et genibus, dicens : « Sigillum doni Spiritus sancti. » Et unctione perfecta, sequentem Orationem super caput ejus recitat :

« Dominum precemur.

» Domine, Deus omnipotens, qui per san- » ctissimi tui Spiritus missionem gratia disci- » pulos tuos replevisti, servum etiam tuum » hunc ab erroris via revocatum, et ad fidem » tuam reductum, et sancti tui Spiritus fra- » grantia per hujus unguenti unctionem di- » gnum habitum, in tua sanctitate custodi : da » ei secundum voluntatem tuam ambulare, » illumque tremendis tuis mysteriis frui, et » rectam semper in te fidem servantem, re- » gnum cæleste promereri concede. Gratia » Christi tui, cum quo gloria, honor et ado- » ratio tibi convenit, cum sanctissimo, et bo- » no, et vivifico tuo Spiritu, nunc, et semper, » et in sæcula sæculorum. Amen. Gloria. Et » nunc. » Et fit dimissio.

ORDO III.

Oratio pro fidei a pueritia desertore, paganismo nimirum se ipsum inquinante, et ad Ecclesiam reverso.

« Domine, Deus noster, Pater, etc. »
Sacerdos :
« Pax omnibus. »
Diaconus :
« Capita vestra Domino. »
Sacerdos Orationem :

« Tu qui cælos inclinasti, et ad salutem ho- » minum descendisti, qui per pretiosam cru- » cem tuam a maledicto et corruptione nos » liberasti, et ad æternam beatamque vitam » adduxisti. Ipse, humanissime Domine, qui » dixisti quia *gaudium fit in cælo propter* » *unum peccatorem pœnitentiam agentem*, sus- » cipe perditam ovem tuam ad te nunc re- » vertentem, et benignitatem tuam requi- » rentem, et, velut animarum nostrarum pa- » stor, liberatam illam et ereptam, sanctarum » et rationalium tuarum ovili conjunge. Da » illi per gratiam et adventum sancti tui Spi- » ritus adversus hostem virtutem et robur, ut » potestatem omnem inimicam dejiciat et con- » culcet, et sancti tui Spiritus, super nos pec- » catores servos tuos invocati, gloria et gratia » circumvalletur. Tu enim es Deus noster, » Deus miserendi et salvandi, et tibi gloriam » referimus, Patri, et Filio, et sancto Spiritui, » nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. » Amen. »

Et ungit eum Sacerdos chrismate; et dicit hanc Orationem :

« Domine, Deus noster omnipotens, qui san- » ctum Spiritum tuum in sanctos Apostolos » tuos misisti, et ejus virtute et gratia illos re- » plesti : qui et famulum tuum N. e tenebris » et errore convertisti, et in admirabile et » æternum lumen tuum illum deductum, fideli » populo tuo, et sanctæ Ecclesiæ tuæ aggre- » gasti, et tandem illum sancti tui Spiritus » fragrantia dignum effecisti : ipse, Domine, » custodi illum in sanctimonia tua, vas ele- » ctionis illum esse manifesta, et virtutibus » exorna. Da illi semper in voluntate tua am- » bulare; et eum nobiscum supercælestis et » intellectualis tuæ mensæ fruitionis partici- » pem esse concede; et sanctorum, immacu- » latorum, vivificorumque unigeniti Filii tui,

Digitized by Google

» Domini vere et Dei, et Salvatoris nostri » Jesu Christi Sacramentorum esse consortem : » ut bono certamine superato, et divino cursu » absoluto, fideque in te cum recto sensu ser- » vata, coronam gloriæ, et æterna bona, quæ » diligentibus te præparasti, consequatur. Gra- » tia Christi tui, cum quo convenit tibi gloria, » honor et adoratio in sæcula sæculorum. » Amen. »

OBSERVATIO JACOBI GOAR.

Huc usque Officium pro reconciliandis hæreticis ex D. Methodii regulis et orationibus conflatum, prout in diversis exemplaribus reperiebatur exaratum inspeximus, exemplarque unum cum alio, qua potuimus fide et diligentia, contulimus. Offert se tamen aliud, diversa ratione compositum, et, ut præcedenti admodum simile, hoc loco reponendum. Fidelissimum vero ejus exemplar e Cryptoferratensi Bessarionis manuscripto translatum, præfert in titulo testimonium se ex *Euchologio* Patriarchali desumptum fuisse, atque ideo, velut probatissimum subjicimus, mox deinceps cum exemplaribus aliis de verbo ad verbum conferendum.

ORDO IV.

Ex *Euchologio* Patriarchali, qua ratione ex hæresibus in sanctam Dei Catholicam et Apostolicam Ecclesiam remigrantes suscipere oporteat.

Arianos quidem, et Macedonianos, sancti Spiritus nimirum hostes, dicentes se puros, Tessarescædecatitas, Quartodecimanos nempe et Apollinaristas, cum dederint libellos, et anathematizaverint cum propria hæresi quamlibet etiam aliam quæ non sapit prout sapit sancta Dei Catholica et Apostolica Ecclesia, suscipimus. Præcedenter autem, cum ad rectam reducendi sunt fidem, decem aut quindecim diebus jejunare illos convenit, et, mane et vespere, orationibus, catechumenorum more, Psalmos addiscentes vacare, et tunc rectæ fidei susceptione dignos haberi. Singulos autem, quousque illorum, statuit Sacerdos coram sancta Baptismatis piscina, et hoc pacto dicit eis :

« Dic anathema *tali*, et ejus dogmatibus, et consentientibus ipsi, quique idem tenent et sapiunt. Renuncio enim ipsi, et omni hæreticæ opinioni, et credo in sanctam et consubstantialem Trinitatem, secundum sanctorum Patrum veritatis verbum proponentium expositionem. »

Et ad singula redux respondet; et tandem tertio illum interrogat Sacerdos :

« Credis in sanctam consubstantialem Tri- » nitatem? » Et respondet : « Credo. » Et inclinante caput reduce, facit Sacerdos Orationem : « Deus, Salvator noster, qui cunctos » homines salvari vis, et ad cognitionem veri- » tatis venire : suscipe servum tuum nuper ex » errore resipiscentem, et ad agnitionem veri- » tatis accedere concupiscentem. Tu enim dixi- » sti, Domine : *Alias quoque oves habeo, quæ* » *non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me* » *adducere : et vocem meam audient; et fiet* » *unum ovile, et unus pastor.* Pasce itaque » illum in fidei sensu, et agnitione veritatis, » juxta sanctorum tuorum et gloriosorum Apo- » stolorum expositionem, et signaculum sancti » tui unguenti, et pretiosi tui Corporis et San- » guinis sumptionem illi largire : perfectum » tuum servum redde illum, ut et ipse ovili » tuo connumeretur, in gloriam et laudem » magnitudinis tuæ. »

Exclamando : « Quia tuum est regnum, et » virtus, et gloria Patris, etc. »

Et ungit eum chrismate, sicut et recens illuminatos, eamdem enunciationem super illo faciens : et post hæc iterum precatur : « Do- » mine, Deus noster, qui perfectum renunciare » servum tuum N. per rectam in te fidem, et » sancti Unigeniti signaculum dignatus es : tu, » omnium Domine, veram in te fidem in illo » custodi, adauge illum in justitia, et omnibus » a te gratiis profluentibus exorna. »

Atque ita communicat; et mandatum accipit septem illis diebus carnem non comedere, neque vultum lavare, sed sicut baptizati, ita omnino se gerere; et octava die abluitur.

Nestorianos vero et Eutychianistas oportet libellos proferre, et propriam hæresim anathematizare, et Nestorium, et Eutychen, et Dioscorum, et qui opinionem eorum tenent, et omnes supra allatas hæreses : et sanctæ communionis fit particeps.

Cæterum Eunomianos unica immersione baptizatos, et Montanistas, Phrygas dictos, et Manichæos, et Sabellianos, unam esse Patris et Filii personam docentes, et alia quædam

Digitized by Google

insolita facientes, cunctosque tales hæreticos, eos nimirum qui veritati se adjungere nituntur, velut a fide alienos recipimus, illosque baptizamus.

ORDO V.

Qualiter oporteat a Manichæorum hæresi ad sanctam Dei Ecclesiam accedentes scriptis errorem abjurare.

« Anathema sit Maneti, Manichæo nimirum, et ejus opinionibus et omnibus ab eo expositis et conscriptis, et cunctis ei morem gerentibus, et iis quæ, ut præfatus sum, exposuit, et quæ vocavit ille vivens Euangelium, quod potius vitæ thesaurum trucidat, et mortis est thesaurus. Anathematizo librum epistolarum Omodæ, et alium de Sacramentis librum ad eversionem Legis et sanctorum Prophetarum studiose compositum. Anathema libro *Omnium negociatio* vocato, *Eptalogo* Agapii et ipsi Agapio. Omnem etiam ipsorum librum detestor, et omnem orationem (si non potius superstitio est) ab eis recitatam abominor.

» Anathematizo et detestor Zaradem, et Boddam, et Scythianum, Manichæorum præcessores.

» Insuper anathematizo Sisinnium ipsius Manis successorem, et Addentum, et Adimantum, quem in varia mundi climata ipse impius Manes misit.

» Simul cum his anathematizo, et detestor cum his, inquam, suprascriptis omnibus, Hieracem, et Heraclidem, et Aphtonium, expositores et commentatores nefandi et prophani Manetis, et Thomam, et Zarvam, et Gabriabium.

» Anathematizo insuper Marcionem, et Valentinianum, et Basilidem, et omnem hominem blasphemare ausum, et contra vetus et novum Testamentum eloqui.

» Adhuc anathematizo eum qui Moysem, et Prophetas, et omnia ab eis exposita, id est conscripta, non acceptat.

» Anathematizo præterea qui solem, lunam vel astra omnia ceu deos adoraverit.

» Anathematizo et detestor omnem hominem duo principia sibi invicem adversantia, ingenita, unum malum, et aliud bonum, afferentem.

» Anathematizo et qui corpus ex malo principio prodiisse, et natura malum esse asserunt.

» Anathematizo et omnem hominem, cælum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, a solo Deo facta fuisse non confitentem.

» Simul cum his anathematizo nos, et primum hominem, id est Adam, similem nobis e terra a Deo conditum esse negantem. Atque insuper anathematizo quæcumque Heules, et Scotus, et Saclacætes Nebrod vocatus, de cælis, et ideis diversis, comminiscuntur. Et unum eumdemque veteris et novi Testamenti Deum, et eos qui in utroque excelluerunt, et ut sancti laudati sunt, et ut amici Dei habiti, profiteor, sicut et magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi nativitatem, et salutarem passionem, et a mortuis resurrectionem scio, non apparenter solum, aut imaginarie, secundum veritatem realiter extitisse, ut ejus qui Patri nobisque consubstantialis (*a*) existit. »

ORDO VI.

Ex Bibliotheca regis Gallorum, circa eos qui a Manichæis ad puram et veram fidem nostram Christianam accedunt.

Accedens ad rectam fidem, præcedenter quidem jejunare tenetur duabus hebdomadibus : tum mane et vespere orationibus vacare, et traditam in sacris Euangeliis a Domino nostro Jesu Christo orationem, nec non et sanctum Symbolum, et Psalmorum aliquos mente tenuisse. Sacerdos deinde omni suo Sacerdotali ornatu indutus, penes baptisterium stans, præsentibus qui adesse voluerint, renunciaturum advocat : et illum capite nudatum juxta sanctam piscinam collocat, et dicit ad eum : « Dic » anathema Maneti Manichæo, qui se Paracle- » tum et Jesu Christi Apostolum appellare at- » tentavit. » Illoque assentiente et eadem verba proferente, aut per seipsum, aut, si Grecam linguam nesciat, per interpretem, aut, si puer fuerit, per susceptorem : rursum sequentia Sacerdos infert, et secundum modum eumdem fiunt responsa. Et omni anathematismo completo, dicit Diaconus : *Dominum precemur;* et : *Domine, miserere.* Et converso caput inclinante, hanc Orationem super eum facit Sacerdos :

(*a*) Hujus anathematismi reliqua, uti observat eruditus Goar, propter imperfectum ejus sensum, deesse videntur.

Digitized by Google

« Deus magnus, et excelsi nominis, qui te-
» nebras pristinas oris tui verbo illuminasti;
» qui, ad peccatorum propitiationem, unigeni-
» tum Filium tuum in terram misisti; qui sedes
» super Cherubim, et a Seraphim glorificaris,
» cui omne genu flectetur cælestium, terre-
» strium et infernorum, et omnis lingua con-
» fitebitur. Rex sæculorum, qui errantem
» ovem in Salvatoris nostri Jesu Christi ovile
» congregas, qui peccatorem a via erroris ejus
» avertis : ipse quoque servum tuum ab ad-
» versarii tenebris ad æternum lumen converte,
» et ab errore diaboli ad divinam unigeniti
» Filii tui cognitionem revoca. Cor illius in
» fide et in dilectione Christi tui confirma :
» partem illi et sortem in Ecclesia tua largire.
» Tu enim es Deus noster : extra te alium non
» novimus : nomen tuum invocamus, ut ju-
» giter et ab omnibus sis benedictus Deus no-
» ster, et unigenitus Filius tuus, et Spiritus
» tuus sanctus, nunc, et semper, et in sæcula
» sæculorum. Amen. »

Et responso *Amen*, signatum dimittit Sacerdos. Mox ipse hæreticus anathematizans fit Christianus, id est, reputatur ut Christianus nondum baptizatus, quales solent Christianorum pueri adhuc baptizandi. Sequenti autem die catechumenis annumeratur. Exutum enim illum et pedibus nudatum inducit, et intra templi fores ad Orientem statuit Sacerdos, et ter in faciem et pectus ejus exsufflans, imponensque ejus capiti manum, dicit hanc Orationem :

« In tuo nomine, Domine, etc. »

Et responso *Amen*, signatum cruce dimittit : et sequenti die exorcismos aggreditur. Iterum namque in templum illum Sacerdos inducit, et in faciem et in aures ejus exsufflat ; exorcismorumque Orationes subjungit, rursusque cruce signatum dimittit. Atque ita deinceps ut catechumenus, seu instructus, in ecclesia morandi et Scripturas audiendi jus obtinet. Deinde, perfectis omnibus circa Baptismum ordinatis, divina regeneratione dignus habetur.

Huc usque ritus Græcorum apud laudatum Goar.

TITULUS XIX.

DE ITINERATIONE PRÆLATORUM.

Exstat is quidem titulus in manuscripto Pontificali codice Vaticano Gulielmi Durandi, inscribiturque *Ordo ad itinerandum*, eaque habet quæ in hoc hodierni Romani Pontificalis titulo continentur. In aliis manuscriptis antiquioribus Pontificalibus libris, titulum ipsum minime invenio. Nonnulla tamen dicemus, quæ apud alios auctores antiquos reperimus, a quibus docemur, non nisi fusis primum ad Deum precibus, majores nostros, non modo Ecclesiasticos, sed et laicos homines, iter suscipere consuevisse.

§ I.

Prælatus incipiens iter agere, antequam equum ascendat, inchoat hanc Antiphonam : *In viam pacis.* Canticum Zachariæ, Luc. I : *Benedictus Dominus Deus Israel, etc.* Deinde dicit totam Antiphonam, et alia sequentia : *In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Dominus, et Angelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum pace et salute et gaudio revertamur ad propria. Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.* Reliqua secreto; deinde dicit : ℣. *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.*

Digitized by Google

℣. *Salvos fac servos tuos.* ℟. *Deus meus, sperantes in te.* ℣. *Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere nos.* ℣. *Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* ℣. *Benedictus Dominus die quotidie.* ℟. *Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum.* ℟. *Vias tuas, Domine, demonstra nobis.* ℟. *Et semitas tuas edoce nos.* ℣. *Utinam dirigantur viæ nostræ.* ℟. *Ad custodiendas justificationes tuas.* ℣. *Erunt prava in directa.* ℟. *Et aspera in vias planas.* ℣. *Angelis suis Deus mandavit de te.* ℟. *Ut custodiant te in omnibus viis tuis.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te, stella duce, pandisti: tribue nobis, quæsumus, iter prosperum tempusque tranquillum, ut, Angelo tuo sancto comite, ad eum quo pergimus locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeamus.

Deus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum, per omnes suas peregrinationis vias illæsum custodisti: quæsumus ut nos famulos tuos custodire digneris; esto nobis, Domine, in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus; ut, te duce, quo tendimus, prospere perveniamus, et demum incolumes ad propria redeamus.

Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates tuo semper protegamur auxilio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, et beati Joannis Præcursoris hortamenta sectando, ad eum quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

§ II.

Tum dicit Pontifex: ℣. *Procedamus cum pace.* ℟. *In nomine Domini.* Et discedunt.

COMMENTARIUS.

I. Quamvis opinetur Balsamon, in canonem LVII Laodicenum et IV Sardicensem, posse nimirum Episcopatum vilescere, et contemptui objici sanctissimam toto orbe dignitatem, si in eis collocarentur locis Episcopi, ubi rerum eos cogeret inopia pedibus diœcesim aut alias regiones peragrare: id tamen non omnes scriptores Ecclesiastici assentiuntur; commemorans enim S. Petrus Damiani in Vita S. Romualdi, capite XXVIII, iter Romanum illustrissimi martyris Bonifacii, qui Ottoni III imperatori carne conjunctus erat, ut Archiepiscopus ibi ordinaretur, illum pedibus, et quidem nudis, totum iter confecisse ait: « Toto illo itinere vir venerabilis, » cum omnibus qui illum sequebantur, pedester » ibat, sed ipse jugiter psallens, et cæteros longe » præcedens nudis semper pedibus incedebat. »

II. Occurrunt passim in Vitis Sanctorum,

Digitized by Google

apud Bollandianos et Surium, sancti Episcopi qui, nullo usi equo, itinera sua pedibus agebant. Talis profecto fuit S. Malachias archiepiscopus Armacanus in Hibernia, ut testatur in ejus Vita S. Bernardus : « Malachias, septus sanctorum » fratrum collegio, pedes circumit. » Talis Joannes Teuthonicus Bossinensis primum in Hungaria episcopus, postea quartus inclyti Ordinis Prædicatorum generalis magister, de quo hæc habet Thomas Cantipratanus, lib. II *De Apibus*, cap. LVII, num. LV : « Huic (nempe » S. Raymundo de Penniafort) successit et ve- » nerabilis Joannes de Theutonia natus, qui » cum multo tempore Pœnitentiarius domini » Papæ in Roma fuisset, eum Bosnensi Ecclesiæ » præfecit Episcopum : et cum haberet in Epi- » scopatu plus quam octo millia marcarum in » redditibus, in usus tamen proprios quasi nihil » inde expendebat, sed omnia pauperibus ero- » gabat, nec solum quidem equum habuit, sed » asellum, qui libros et Episcopales infulas de- » portabat. Ipse vero pede cum fratribus ince- » debat. »

III. Multa ejus rei exempla nobis suppeditat S. Gregorius in Epistolis suis : constat enim ex libro VI, epistola XLVI, quod, cum Eulogius Elusinus episcopus gravissimo ex morbo recreatus esset, ad eum missus est ab ipso Gregorio equus, qualis reperiri potuit, ut eo in perlustrandis maxime parochiis suis uteretur, donec satis confirmata et vegeta esset valetudine : « Unum » caballum vobis, qualem invenire potuimus, de » benedictione S. Petri, transmisimus, ut habeatis » post infirmitatem cum quo vectari possitis. » Ubi nota memoratum Eulogium, dum viribus integris esset, pedibus parochias suas perlustrare consuevisse. Sed quid alia exempla congero ? Vehementissime peroravit Arnulphus Lexoviensis episcopus in Concilio Turonensi sub Alexandro III, anno 1163 habito, ubi luxum quorumdam sui ævi Episcoporum perstringens, ita inquit : « Sustinemus in equis et curribus ambulare, » in magnis quandoque et mirabilibus super » nos, epulari splendide, pretiosis indui, hono- » ribus et divitiis abundare. Paupertatem Chri- » sti verbo prædicamus, sed minime exhibemus » exemplo. » Dolet passim et S. Bernardus quod complures etiam sui temporis Præsules pompatice incederent « in vestium cultu, in » equorum fastu, in multitudine clientelæ. »

IV. Hæc quidem suggillat Bernardus non uno in loco ; neque enim reprehendendi sunt Episcopi illi qui, iter agentes, equo vehantur, modo fastum omnem rejiciant : nam, præter exempla vetustiorum sanctissimorum Episcoporum qui in itineribus suis usi sunt equis, mandat quidem S. Carolus Borromæus in Concilio I Mediolanensi, ubi agit de Episcopi suppellectili, « equos ne alat nisi necessarios. » Capite autem præcedenti, agens de Episcopi vestitu, ita edixerat : « Ne mulæ aut equo Episcopali stragulum » et ornamentum ex velluto aut serico, sed ex » corio factum aut lana adhibebit : ephippiis, » calcaribus, aut frenis inauratis non utetur. »

V. His prænotatis, quod Prælatus, iter incipiens agere, antequam equum ascendat, Orationes ac preces in hoc nostro § præscriptas recitet, cautum est quidem ex Cæremoniali Episcoporum, libro I, cap. II, ubi etiam preces ipsæ *Itinerarium* appellantur : « In discessu, » inquit, recitabit in ecclesia, commode si fieri » poterit, sin minus, antequam equum ascendat, » cum suis Clericis et familiaribus, *Itinerarium ;* » idemque observabit quotidie, mane post Mis- » sam, antequam equum ascendat, quandiu erit » in itinere. » Morem hunc quidem adeo religiose tenuit S. Carolus Borromæus, ut in itinere constitutus, etiam morbo extremo laborans, et quamvis navigio veheretur, flexis genibus cum suis recitaret *Itinerarium*, adjunctis Litaniis, et precibus pro defunctis. Testatur id quidem in ejus Vita Joannes Petrus Giussanus, libro VII, cap. XI ; et Carolus a Basilica Petri, libro VI, cap. VII, ubi ita inquit : « Cum Arona, » quemadmodum modo dicebam, solvisset, in » genua procubuit, et cum suis statas itineris » preces habuit : addidit Psalmos nonnullos, » ut mortuis suffragaretur. » Addunt mox memorati auctores nautas etiam ipsos a Carolo fuisse instructos ut simul ac navigium solverent, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam et Symbolum Apostolorum dicerent.

VI. Rursus, cum multa pericula in itinere occurrere soleant, recte admodum statuit laudatus Præsul sanctissimus in Concilio IV provinciali Mediolanensi, cap. inscripto *De religiosis Peregrinationibus*, ut is, vel Sacerdos vel Clericus, antequam peregrinationi se committat, peccata primo confessus ; tum, si Sacerdos est, Missæ sacrificium quod est pro iter agentibus,

Digitized by Google

offerre; Clericus inferior sacram Eucharistiam sumere studeat. Idipsum repetit in sua diœcesana Synodo IV, decreto XXIII; ubi etiam, sicuti in IV provinciali Synodo constituerat, jubet ut « mane singulis diebus, præter Officium divinum » debitum, preces etiam illas pie recitari curet » quæ *Itinerarii* nomine appellantur. » Missa pro iter agentibus est profecto antiqua, exstatque in libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, quam nos infra in Appendice describemus.

VII. Preces ipsæ in § nostro descriptæ, quæ *Itinerarium Clericorum* appellantur, exstant quidem in manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi. Teste Augustino Patricio, lib. I *Sacrarum cœremoniarum*, sectione XII, capite inscripto *De itineratione Papæ, etc.*, antequam Papa ipse e camera sua discederet, ubi ad alias urbes sive ad alia loca se transferre volebat, hasce solitus erat dicere Orationes : « In viam pacis, salutis et prosperitatis, etc., » ut infra in Appendice. Ubi nota præter Orationem *Deus qui filios Israel, etc.*, alias recenseri in *Itinerario* Papæ Orationes ab iis quæ in hoc nostro § sunt descriptæ omnino diversas. Porro, ubi iter summus Pontifex agit, mos est ut ei sacrosanctum Christi Corpus præferatur; de quo ritu fuse agit eruditissimus Angelus Rocca in peculiari suo opusculo cui titulus : *De sacrosancto Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo.*

VIII. Fuit præterea mos sanctorum præsertim Episcoporum ut, non modo antequam se itineri committerent, verum etiam per viam, orarent, Psalmos recitarent, ac sacros libros legerent, uti videre est in Vita S. Epiphanii episcopi Ticinensis, qui floruit sæculo V; sic enim de ipso legitur apud Bollandianos, die 21 januarii : « Egressus de Ticinensi oppido, donec ad destinata loca pertingeret, tali viæ suæ fatigationem arte geminavit, ut si, temperius jumentorum defectum considerantes, in futuræ mansionis diversoria successerant, præter Psalmorum continuationem, præter lectionis perseverantiam, quorum nihil nisi stando faciebat, eligebat secessum nemorea fronde conclusum, ubi connexis arborum brachiis nox domestica texeretur, quod solum refugus per umbracula opaca sol nesciret, et thorum viridante cespite gratia naturalis sterneret. » Innumera fere ejus rei exempla passim legere est in Vitis Sanctorum apud ipsos Bollandianos et Surium.

IX. Quod Monachos spectat, exstat in *Regula* S. Benedicti integrum caput LXVII, in quo maxime disserit de precibus Orationibusque faciendis pro Fratribus dirigendis in viam, pro eis jam in itinere constitutis, et pro eisdem ex eo reversis. Exstant et in libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ tres Orationes pro Fratribus in via dirigendis, quarum prima hæc est : « Deus qui diligentibus te misericordiam tuam » semper impendis, et a servientibus tibi nulla » es regione longinquus, dirige viam famuli » tui *ill.*, ut te protectore, te præduce, per justi- » tiæ semitas sine offensione gradiatur. Per » Dominum. » Alia Oratio ita habet : « Exaudi, » Domine, preces nostras, et iter famuli tui *ill.* » propitius comitare, eique misericordiam tuam » sicut ubique es, ita ubique largire, quatenus, » ab omnibus adversitatibus tua opitulatione » defensus, justorum desideriorum potiatur » effectibus, et tibi gratiarum referat actionem. » Per. » Tertiæ tandem Orationis hæc est formula : « Deus, qui ad vitam ducis, et confidentes in te paterna protectione custodis : quæsumus ut præsenti famulo tuo a nobis egredienti » angelicum tribuas comitatum, ut ejus auxilio » protectus, nullius mali concutiatur formidine, » nullo comprimatur adversitatis angore, nullis » irruentis inimici molestetur insidiis; sed, » spatii necessarii itineris prospero gressu peractis, propriisque locis feliciter restitutus, » universos reperiat sospites, ac debitas exsolvat » tuo nomini gratias. Per Dominum. » Subjungit mox Missam pro iter agentibus, quam infra legere est in nostra ad hunc titulum Appendice.

X. Alium ritum refert Smaragdus in sua *Regula*, cap. LXVII. « His, inquit, fratribus in » via dirigendis ante altare prostratis, et ab » omnibus orationem poscentibus, dicat Sacerdos hos versus, ipso tamen incipiente : *Salvos* » *fac servos tuos : Deus meus, sperantes in te.* » *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non* » *moveantur vestigia mea. Lucerna pedibus meis* » *verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis.* » *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant* » *te in omnibus viis tuis.* His peractis, hanc Sacerdos Orationis dicat collectam : *Angelus* » *Domini bonus comitetur vobiscum, ut, peracto*

Digitized by Google

» *obedientiæ cursu, ad nos iterum revertamini* » *in gaudio. Per Dominum, etc.* Revertentibus » autem de via, et oratorii solo prostratis, ora- » tionemque petentibus, hanc eis Collectam » Sacerdos dicat : *Quæsumus, omnipotens Deus,* » *ut his famulis tuis, quos ad nos incolumes de* » *via redire fecisti, quidquid illic impediente* » *fragilitate deliquerunt, tu propitiatus dimit-* » *tas. Per Dominum.* »

XI. Claruit Smaragdus teste Trithemio in lib. *De Scriptoribus Ecclesiasticis,* et in *Catalogo illustrium virorum Germaniæ,* itemque in libro *De illustribus viris Ordinis S. Benedicti,* claruit, inquam, sæculo x, tametsi Antonius Possevinus eum vixisse asserat anno Domini 680. Quod tamen falsum est, cum citet ipse Smaragdus Concilium Aquisgranense, quod celebratum est anno 817. Sed, ut ut ea res sit, antiquæ sunt quidem Orationes ac preces quas Smaragdus recenset. Posterioribus sæculis Cluniacenses Monachos, Cassinenses et Bursfeldenses iisdem usos Collectis, cum modica tantum variatione circa versiculos præmittendos, tradit eruditus Haeftenus, *Disquisitionum Monasticarum* libro xi, tractatu iv, disquisitione iii; ubi etiam observat ipsas Collectas exstare hodieque ad calcem Psalterii Monastici, Pauli V Pontificis Maximi auctoritate recogniti.

XII. Teste eodem scriptore, in veteri Sanctæ-Justinæ *Cæremoniali,* parte i, cap. xlvii, illud quidem præscribitur, ut Superior, exeuntibus benedictionem daturus, præmittat Psalmum *Levavi oculos meos in montes,* quem alternatim conventus prosequatur. Congrue omnino, ut laudatus scriptor observat, quia nimirum in ipso Psalmo versiculus ille continetur : *Dominus custodiat introitum tuum et exitum tuum, ex hoc nunc et usque in sæculum.* Pro revertentibus de via idem *Cæremoniale* Sanctæ-Justinæ præscribit memoratum Psalmum *Ad te levavi oculos meos,* monetque adspergendos aqua benedicta tam egredientes quam redeuntes. Quin et illud pie ibidem decernitur ut egredientes adeant « ora- » torium, si sit apertum, sin autem ad januam » ejus breviter orent, Deo et Sanctis omnibus se » commendantes » Plura itinerarium Monachorum spectantia videri possunt apud ipsum Haeftenum, et apud Edmundum Martenium, lib. v *De antiquis Monachorum Ritibus,* cap. xvii. Verum non omittendum quod de sancto Alexandro fundatore Acœmetorum Constantinopoli, qui floruit sæculo v, apud Bollandianos in ejus Vita, capite v, die 15 januarii, legitur, nempe quod iter aggressurus, repente juxta consuetudinem acciperet sancti Evangelii volumen, atque in viam se dans, diceret: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, in hominibus bona voluntas.* Addit mox auctor Vitæ, consuevisse ipsum S. Abbatem, « cum proficisci vellet, id agere. »

XIII. Quod reliquos Christianos spectat, non modo antequam ii iter arriperent, orationem fundebant, verum etiam ubi ad urbem aliquam pervenissent, templum primo orationis causa adibant, ut docet nos S. Nilus, qui in peregrinatione sanctorum Patrum Sinæ ita scribit : « Postquam veni in civitatem, primum quidem » sanctum templum quæsivi, tanquam causam » bonorum, et ei eum quem par erat honorem » tribui, solum rigans lacrymis, et implens Dei » ædem vocibus lamentationum. » Sermonem ad ipsos qui iter aggrediuntur, habendum, docet nos Humbertus de Romanis, lib. ii *De modo prompte cudendi sermones,* tractatu i, cap. lxxxix et sequenti. Vide in Appendice varias Orationes a Græcis usitatas pro iis qui iter acturi sunt. Vide insuper eruditum Aloysium Novarinum inclyti Ordinis Clericorum Regularium in celebri opere cui titulus *Schediasmata sacro-profana,* lib. i, cap. xxiv, num. cxviii et seqq., ubi quosdam Hebræorum ritus exponit *De Via, et iter arripientibus.* Inter alia inquit, felicis itineris gratia, iter ipsos inituros hac uti formula : « Placitum sit ante te, Domine, Deus meus et » Deus patrum meorum, ut me ad pacem du- » cas ; et da ut redire possim in pace ; et subduc » me a manibus omnis inimici ; desque mihi » gratiam et misericordiam in oculis tuis, et in » oculis omnium qui vident me. Laudatus sis » tu, Domine, qui orationes exaudis. » Referente eodem scriptore, loco proximus, qui ingressurus est hæc pronuntiat : « Placeat tibi, Domine, » Deus meus et Deus patrum meorum, ut adire » hunc locum possim ad pacem. » Cum ingressus est, ita dicit : « Gratias ago tibi, Domine, » Deus meus et patrum meorum, qui me ingredi » in pace fecisti. » Utinam in hoc ritu nostri Christiani homines itineri se committentes, Hebræos imitarentur !

Digitized by Google

APPENDIX

In qua bini Ordines ad hunc titulum pertinentes referuntur.

ORDO I.

Ex libro Sacramentorum sancti Gregorii Papæ apud Hugonem Menardum, pag. 223 et seq.

MISSA PRO ITER AGENTIBUS.

« Adesto, Domine, supplicationibus nostris, » et viam famuli tui (a) *ill.*, in salutis tuæ pro- » speritate dispone, ut inter omnes viæ et vitæ » hujus varietates tuo semper protegatur auxilio. » Per Dominum. »

Super oblata :

« Propitiare, quæsumus, Domine, suppli- » cationibus nostris, et oblationes has, quas tibi » offerimus pro famulo tuo *ill.* benignus assu- » me, ut viam illius et præcedente gratia tua » dirigas, et subsequente comitari digneris, ut » de actu atque incolumitate ejus secundum » misericordiæ tuæ præsidia gaudeamus. Per » Dominum. »

Præfatio.

« Vere dignum et justum est, æquum et sa- » lutare, nos tibi semper et ubique gratias » agere, Domine sancte, Pater omnipotens, » æterne Deus, a quo deviare, mori ; coram » quo ambulare, vivere est : qui fideles tuos in » via deducis, et miseratione gratissima in ve- » ritatem inducis : qui Abrahæ, Isaac et Jacob » in præsentis viæ et vitæ curriculo, custos, » dux et comes esse voluisti, et famulo tuo » Tobiæ Angelum prævium præparasti : cujus » immensam misericordiam humillimis preci- » bus imploramus, ut iter famuli tui *ill.* cum » suis in prosperitate dirigere, eumque inter » viæ et vitæ hujus varietates digneris custodire : » quatenus, Angelorum tuorum præsidio fultus, » intercessione quoque Sanctorum tuorum » munitus, a cunctis adversitatibus tua misera- » tione defensus, profectionis et reversionis suæ » felicitate potitus, et compos reddatur justorum » votorum, et de suorum lætetur remissione » peccatorum. Per Christum. »

Benedictio.

« Dirigat iter vestrum Dominus in benepla- » cito suo, vobisque inseparabiliter benignissi- » mus custos inhæreat. Amen. Ducem vobis » Archangelum Raphaelem adhibeat, et omnem » a vobis incommoditatem contrarietatemque » propitiatus amoveat. Amen. Desideriorum » vestrorum pia vota clementer impleat, ut hic » bona consequi, et ad æternam beatitudinem » pervenire feliciter mereamini. Amen. Quod » ipse præstare. »

Ad complendum.

« Deus, infinitæ misericordiæ et majestatis » immensæ, quem nec spatia locorum, nec in- » tervalla temporum ab his quos tueris disjun- » gunt : adesto famulo tuo *ill.* in te ubique » fidenti, et, per omnem quam iturus est viam, » dux ei et comes esse dignare : nihil illi adver- » sitatis noceat, nihil difficultatis obsistat : cuncta » ei salubria, cuncta sint prospera ; et, sub ope » dexteræ tuæ, quicquid justo petierit desiderio, » celeri consequatur effectu. Per. »

ORDO II.

Ex lib. I sacrarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cæremoniarum, sectione XII, c. IV, auctore Augustino Patritio.

DE ITINERATIONE PAPÆ, QUANDO AD ALIAS URBES SIVE AD ALIA LOCA SE VULT TRANSFERRE.

Pontifex cum ad alia loca vult transmigrare, primum re cum sacro Collegio communicata, deleget aliquos ex dominis Cardinalibus qui itineris sui sint comites, et ad minus tres; ex quibus duo sint Diaconi, alius Episcopus, sive Presbyter; et, si non adesseut tot Diaconi, poterit unus esse Presbyter pro illo Diacono. Alii Cardinales præire vel sequi poterunt, vel remanere, si brevi Papa est rediturus, prout eis videbitur. Sed honestum est quod aliqui præcedant, si Papa est ingressurus aliquam civitatem insignem, ne videatur ita solus; et, ut honorent ingressum, præmittentur commissarii qui curent hospitia pro Pontifice et sua

(a) *Ill.* nota est nominis, occurritque in antiquis manuscriptis libris; cœpit autem ejus loco littera N. poni paulo ante annum post Christum natum millesimum, uti docet Menardus in Notis ad *Sacramentarium S. Gregorii*, pag. 383.

Digitized by Google

familia, pro Cardinalibus et aliis Pontificem deducentibus, et isti habebunt nomina omnium in volumine sive in rotulo, ut sciant pro quibus debeant providere : Pontifex cum suo caputio, et stola ad collum, mantello rubro, et galero ex cramisino, equitabit, sive portabitur in sella. Et antequam discedat de camera sua, dicet has Orationes : « In viam pacis, salutis » et prosperitatis, dirigat Dominus gressus » nostros, et Angelus suus bonus comitetur » nos ad dirigendos pedes nostros in viam » pacis, ut cum salute et gaudio eamus, et » revertamur ad propria. » Postea dicitur totus Psalmus *Benedictus Dominus Deus Israel*, cum *Gloria Patri* et *Sicut erat*. Postea reincipitur tota Antiphona *In viam pacis, etc.* Deinde sequitur *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison, Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo.* ℣. *Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.* ℟. *A facie inimici.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.* ℣. *Utinam dirigantur viæ nostræ!* ℟. *Ad custodiendas justificationes tuas in viam pacis.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

« Actiones nostras, quæsumus, Domine, ad» spirando præveni et adjuvando prosequere, » ut cuncta nostra oratio et operatio a te sem» per incipiat, et per te cœpta finiatur.

» Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus » nostros in beneplacito tuo, ut in nomine di» lecti Filii tui mereamur bonis operibus abun» dare.

» Deus, qui filios Israel per maris medium » sicco vestigio ire fecisti; quique tribus Magis » iter ad te, stella dulce, monstrasti : tribue » nobis, quæsumus, iter prosperum tempus» que tranquillum, ut, Angelo sancto tuo co» mite, ad eum quo pergimus locum, ac de» mum ad æternæ felicitatis portum feliciter » pervenire mereamur. Per Christum Domi» num nostrum. Amen. »

Deinde ingreditur iter suum. Ante Pontificem semper præferetur crux per Subdiaconum (*a*) Apostolicum, et post crucem portabitur (*b*) Corpus Christi super equum album cum campanella (*c*). Ante equum præibit Clericus Capellæ cum laterna cum lumine, et post (*d*) Sacrista cum (*e*) ferula. Et isti semper erunt inter Papam et crucem.

(*a*) De officio Subdiaconi Apostolici fuse idem Patritius agit lib. III, sectione II, cap. XXI, ubi, postquam dixit Subdiaconos participantes quinque suo fuisse tempore, nempe circa medium sæculum XV, ita subjungit : « Cum » Papa in publico procedit, sive ad divina, sive ad humana negotia, unus ex eis crucem Papalem præfert sive » equo, sive pedibus, sive utcumque. »

(*b*) De hoc ritu, nempe *de sacrosancto Christi Corpore Romanis Pontificibus iter conficientibus præferendo*, commentarium edidit eruditissimus Angelus Rocca Ordinis Sancti-Augustini, Apostolici sacrarii præfectus, ac episcopus Tagastensis; de eodemque nonnulla nos diximus tomo II Commentariorum in Romanum Pontificale ad titulum XVIII; ubi ostendimus non modo Romanis Pontificibus, sed aliis etiam Episcopis ac laicis principibus, consuevisse aliquando Eucharistiam in itinere deferri. Hic illud minime prætereundum quod in *Historia dissidii Pauli V Pontificis Maximi cum Republica Veneta* legitur de Patribus Societatis Jesu, qui, urbe exire jussi, singuli singulas hostias collo alligatas gestantes profecti sunt.

(*c*) Eucharistiam præcedente campanula ac lumine deferri debere, præsertim ad communicandum infirmos, ex variis Conciliis cautum est. Vide eruditum Emmanuelem Gonzalez in *Commentariis ad codicem Decretalis*.

(*d*) Sacrista hic est Apostolici sacrarii Præfectus, de eoque in peculiari dissertatione agit laudatus Rocca. Augustinus Patritius loco citato, cap. XIX, inter alia ejus munera hoc recenset : « Cum vero Pontifex in Pontificalibus » equitabit, præparet Sacramentum in pulvino ornato, et super equum album phaleratum imponi faciat. Equum » freno ducit aliquis ex suis familiaribus : Clerici capellæ cum laternis præcedens, ipse vero ferulam manu gestans, » in habitu statui suo condecenti equitans subsequitur; curabitque, cum ad locum destinatum perveniat, ut Sa» cramentum in loco honesto et cum luminaribus reponatur. » Ubi nota plures hic recenseri Clericos capellæ Pontificiæ qui cum laternis præcedant, tametsi, in ordine itinerationis Papæ, unius Clerici mentio fiat, qui ante equum præeat *cum laterna cum lumine*. Porro licet Sacristæ Apostolici sacrarii officium perpetuo a Fratribus Eremitis Sancti-Augustini exercendum esse declaraverit Alexander VI in sua Constitutione edita anno 1497, idibus octobris, in eaque etiam testetur a prædecessoribus suis Romanis Pontificibus *alicui ex professoribus dicti Ordinis semper committi et concedi* consuevisse; tradit nihilominus idem Patritius nulla consuetudine ipsum officium ad aliquem Ordinem religiosorum adstringi.

(*e*) Usos jam olim Romanos Pontifices ferula, fuse a nobis superius dictum est ad titulum VII.

Digitized by Google

TITULUS XX.

ORDO AD RECIPIENDUM PROCESSIONALITER PRÆLATUM VEL LEGATUM.

Prælatorum nomine eos in hoc titulo intelligimus, qui in cœtu hominum Ecclesiastico, sub quo etiam religiosum vel monasticum comprehendimus, dignitate, auctoritate et officio cæteris sunt præpositi, nempe Episcopi, Abbates, Generales Ordinum religiosorum, et alii id genus homines dignitate et auctoritate præstantes. Quod autem Legatos spectat, eos etiam intelligimus in hoc titulo, quibus Romani Pontifices legationis officium demandant : estque triplex ipsorum genus, alii enim sunt Legati *a Latere*, alii *Missi*, alii *Nati*. De quibus omnibus fuse agit Van-Espen, parte I *Juris Ecclesiastici universi*, tit. XXI; Ludovicus Thomassinus in sua *Veteri ac nova Ecclesiæ disciplina*, Canonistæ fere omnes in cap. I *De officio Legati*, et alii complures in peculiaribus tractatibus *De Legatis*. Vide nostra Prolegomena in Concilia, nostro I tomo *Conciliorum*, cap. X.

§ I.

Cum Prælatus vel Legatus civitatem aliquam vel oppidum insigne est ingressurus, processio Cleri ex more loci ordinata cum cruce procedit illi obviam extra portam urbis; et cum Prælatus sive Legatus advenerit, Prælatus ejus loci indutus amictu, stola, pluviali et mitra pretiosa; sive primam Dignitatem habens indutus superpelliceo et pluviali pretioso, offert venienti crucem osculandam, quam Legatus vel Prælatus ex equo, vel, si maluerit, descendens in terram, super tapetem stratum genuflexus devote osculatur. Tunc, si intrans est Episcopus, vel major, aut Presbyter, vel Episcopus Cardinalis, Cantores incipiunt et prosequuntur Antiphonam toni II : *Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, Pastor bone in populo, sic placuisti Domino.* Vel dicatur Responsorium toni VIII : *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo.* ℣ *Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.* ℣. *Benedictionem omnium gentium dedit illi, et testamentum suum confirmavit super caput ejus.* ℣ *Ideo. Gloria Patri.* ℣ *Ideo.*

§ II.

Si vero Legatus recipiendus sit Diaconus Cardinalis, cantatur Responsorium toni VII : *Fidelis namque et prudens dispensator in magni Patrisfamilias domo constitutus erat;* ℣ *Ut conservis suis mensuram tritici erogaret.* ℣. *Pro salute et augmento gregis sibi commissi cura pervigili sollicitus erat.* ℣ *Ut conservis.*

§ III.

Si autem duo vel plures reciperentur Legati, etiamsi non essent Episcopi vel Presbyteri Cardinales, cantatur Antiphona toni VIII : *Vos estis cives Sanctorum et domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Observatum hunc olim morem, ut Episcopis, sive Apostolicæ Sedis Legatis ad aliquem locum venientibus, Clerus et populus, honoris et officii causa, Prælato crucis vexillo, obviam procederet, non unum nos docet exemplum. In honorem S. Porphyrii Constantinopoli reducis instituisse cives Majumæ et Gazenses Christianos solemnem processionem, testatur in ejus Vita Marcus Diaconus apud Surium, ad diem 26 februarii, sic dicens : « Postquam descendimus, cognoscentes nos hi » qui illic erant Christiani, exceperunt cum » Psalmodia. Similiter vero ex civitate quoque » cum audivissent, occurrentes nobis, habentes » signum venerandæ crucis, et ipsi psallen- » tes. » Moxque commemorat idem Marcus miraculum quod virtute sanctæ crucis patratum est in illa ipsa processione, dejecta et comminuta Veneris impudica statua quæ Gazæ publice prostabat : « Cum venissemus, inquit, » ad locum in quo erat simulacrum Veneris, » portarent autem Christiani venerandum si- » gnum crucis, videns dæmon qui habitabat » in statua, nec videre sustinens signum quod » ferebatur, turpiter egressus ex marmore, » dejecit ipsam statuam, et confregit eam in » multa fragmenta. »

II. Floruit S. Porphyrius IV Christi sæculo; eodemque ævo, teste Sozomeno, lib. VIII *Historiæ*, cap. XIV, S. Epiphanio Constantiæ Cypri episcopo Constantinopolim adventanti solemni cum processione Cleri occurrit S. Joannes Chrysostomus, qui tum Ecclesiæ Constantinopolitanæ præerat : « Joannes ingredientem totius « Cleri processione veneratus est. » S. Athanasio Alexandriam ab exsilio redeunti occurrisse Alexandrinos, variis agminibus per sexus, ætates et artes divisis, egregie narrat in Oratione sua in laudem ipsius Athanasii S. Gregorius Nazianzenus : « Secundum genera et ætates » artesque divisi..., fluvius unus omnes erant. » Tum Athanasii reditum cum Christi adventu Hierosolymam comparans, sic inter alia inquit: « Jam hic quoque adventus Christi expressam » imaginem videre licet, quod erant etiam qui » ante ipsum clamarent pompamque agerent, » nisi quod non puerilis duntaxat turba faustis » illum acclamationibus excipiebat, verum » etiam omnis lingua concors et adversatrix » hominum sese mutuo superare contenden- » tium. »

III. Apud Latinos morem fuisse ut Clerici et virgines quæ castitatem professæ erant, Episcopo in ecclesiam procedenti cum cantu omnes occurrerent, testatur in Epistola sua CCIII S. Augustinus, sic inquiens : « Transit honor hujus » sæculi ; in futuro Christi judicio, nec absidæ » gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimo- » nialium occursantium atque cantantium gre- » ges adhibebuntur ad defensionem ; quæ hic » honorant, ibi onerant. » Certe, quod solemni cum processione, cum crucibus ac cereis atque Psalmodia, soleret olim Clerus ac populus obviam ire Episcopo, multis exemplis ostendi posset. De S. Cesario episcopo Arelatensi ab exsilio redeunte, habet in ejus Vita Cyprianus apud Surium die 27 augusti : « Ubi autem » percrebuit apud Arelatenses hominem Dei » reverti jamque eum urbi propinquare, om- » nes utriusque sexus cum crucibus et cereis ei » processere obviam, psallentes, et ingressum » ejus opperientes. »

IV. Præter faces ac cruces, adhibitum etiam fuisse in Episcoporum adventu thuris suffitum, docet nos Epistola S. Cyrilli episcopi Alexandrini ad Clerum et populum Alexandrinum, quam integram legere est nostro I tomo *Conciliorum*, in Prolegomenis, cap. XXXII, ubi inter alia sic ait : « Neque his contenti, nos quoque, ubi pri- » mum ex Ecclesia egressi fuimus, cum facibus » et tædis usque ad diversorium deduxerunt. » Erat enim vespera : multa passim lætitia, » multa etiam luminaria accensa, ita ut nonnullæ » quoque mulieres thuribula gestantes antece- » derent nos. » Auctor est Cedrenus, in Leone Armenio, quod, cum in Proconnesum exsilio deportaretur Nicephorus Constantinopolitanus, monasterii magni agri Præfectus eum navigio prætervehi, revelante Numine, sentiens, eumdem cum suffitu et cereis, aliisque cæremoniis prosecutus est.

V. Episcopis præterea, tanquam præconibus verbi Dei, a Clericis æque ac Monachis cum sacris Evangeliorum codicibus occurri, antiqui

Digitized by Google

moris fuit. Nam, ut alios omittam scriptores ex quibus ipsum ritum addiscimus, Ekkeardus Junior *De casibus monasterii Sancti-Galli*, capite I, ita ait : « Parat illico basilicam, et aram parat » tapetis, et pallio dorsili caminatum Evangelio » Episcopum aliquos qui aderant Presbyteros » recipere jubet. » Et sub finem ejusdem capitis : « Post non multum quoque temporis » accidit Petrum etiam Veronensem episcopum » a palatio redeuntem, simili loci gratia inopi- » natum venire, fratres autem suscipientes » illum, quod melius quidem habebant, Evan- » gelium ei offerebant. » Idem scriptor de ipso loquens ritu, capite IX, hæc habet : « Ad reci- » piendum enim Episcopum cum Evangelio, » etiamsi frater conscriptus non fuerit, æquum » esse ut pariter occurrant, omnes concordant, » et mox suscipitur Episcopus, Victor Evange- » lium obtulit ipsi, quod ubi ille osculatur, » Victor revertitur. »

VI. Illud quidem cautum est ex antiquis Farfensis monasterii consuetudinibus, ut, statim ac nuntiatus fuerit in Cœnobio Episcopi adventus, « annuat Prior, vel ille qui ordinem tenue- » rit, fratribus, si in claustro non loquitur, ut » adunentur cuncti in Ecclesia, et revertantur » in cappis omnes, et infantes in albis. Deinde » accipiant Conversi aquam sanctam, crucem, » duo candelabra et textus Evangelii, et eant » cum silentio, dent ei aquam sanctam, et os- » culetur textum, et incensetur; deinde inchoet » Responsorium *Ecce, vere Israelita;* vel, » *Audi, Israel;* et pulsentur universa signa, » eantque in ecclesiam : duo tapetia sint ordi- » nata, quorum unum ante altare principale, » alterum vero ad altare sanctæ crucis, et re- » deant in claustrum. » Legere est hunc locum antiquarum consuetudinum monasterii Farfensis apud eruditum Edmundum Martene, lib. V *De antiquis Monachorum Ritibus*, cap. XV, num. VI.

VII. Enarratos huc usque atque alios id genus ritus servatos olim, præsertim ubi novus Episcopus ad suam ecclesiam recipiebatur, addiscere licet ex antiquo Suessionensi codice Rituali, tempore Nivelonis scripto. Mandat ergo ut « ornata ecclesia omnino cortinis et palliis, » altarique vestito utensilibus suis, post Primam » pulsetur novies major campana : congregato » itaque tam omni Clero quam populo, eat » processio ordinate ad Sanctum-Petrum de » Calce, Clericulis in albis præferentibus aquam » benedictam, candelabra, thuribula, cruces; » Subdiacono induto solemnibus indumentis, » alba videlicet et tunica, ferente Evangelium, » cum Subdiaconis congregationalibus similiter » paratis, quos cæteri omnes in cappis de pallio » subsequentur. Et cum perventum fuerit ad » Sanctum-Petrum, exspectetur ibi Episcopus, » quousque ad portam civitatis pervenerit. Quo » adveniente, exeat processio illuc obviam ei, et » statim aspergatur ab aliquo Episcoporum » aqua benedicta : Subdiaconus quoque aperiat » ei Evangelium, quod cum salutaverit cum » pacis osculo, incipiat cantare : ℟. *Deum time.* » ℣. *Observa.* Et sic redeat processio ad San- » ctum-Petrum, pulsatis signis ipsius eccle- » siæ. »

VIII. Rursus ex eodem Suessionensi Rituali codice cautum est ut parata cathedra ante altare memoratæ ecclesiæ, finito prædicto Responsorio, ponat Archidiaconus Remensis Episcopum novum in cathedra; incipiatque Hymnum *Te Deum laudamus;* eoque finito, Archidiaconus dicat ℣. *Protector noster, aspice, Deus;* unusque ex Coepiscopis Orationem *Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia, etc.* Tum elevabatur Episcopus cum cathedra, ut ad majorem ecclesiam deportaretur, et quidem a quatuor viris ejus civitatis primariis, Clero magna cum pompa præcedente, Cantore autem incipiente ℟. *Honor, virtus Trinitati.* Accedente processione ad claustrum, omnes ecclesiæ campanæ pulsabantur; ubi autem processio ipsa ingrediebatur, duo Presbyteri cum duobus thuribulis exibant obviam Episcopo, statimque fiebat statio in medio ecclesiæ, Cantore incipiente Antiphonam *Pax æterna.* Qua finita, processio chorum intrabat, Episcopus vero, cum cathedra ad sedem suam delatus, in eadem a Remensi Archidiacono, Hymnum ipsum *Te Deum laudamus* incipiente, collocabatur. Finito Hymno *Te Deum*, dicebatur iterum versiculus ille *Protector noster;* et Oratio *Omnipotens sempiterne, Deus, etc.*, ut supra; postea Remensis Archidiaconus ducebat novum Episcopum ad signa seu campanas ecclesiæ, quas ipse Episcopus statim pulsabat, ut ita se de ecclesia investiri significaret. Quibus omnibus tandem peractis, recitatisque aliis Antiphonis ac precibus, cantabatur Tertia,

Digitized by Google

intereaque Episcopus ad celebrandam Missam se præparabat.

IX. Longum esset antiquos libros Pontificales atque Ecclesiasticos auctores describere, qui ritus enarrant jam olim usitatos in solemni receptione novi Episcopi, ubi primum ad ecclesiam suam veniebat. Auctor XIII sæculi, Humbertus de Romanis, in celebri opusculo *De modo prompte cudendi sermones*, lib. II, cap. XXVI, « moris esse inquit, apud devotos Christianos, » quod Prælatum suum, quando, omnibus aliis » expeditis, primo venit ad ecclesiam vel civi- » tatem suam, recipiant, et hoc cum gaudio, et » non solum cum gaudio, sed et cum magno » honore. » Concinnavit idcirco materiam ad habendum in solemni ipsa receptione sermonem, ubi inter alia adnotandum a nobis monet, « quod hujusmodi honorificam receptionem » Prælati non solum usus habet, sed dictat et » ratio, et etiam approbat Scriptura divina. » Unde, ad Philippenses II : *Excipite Epaphro-* » *ditum cum omni gaudio in Domino, et ejus-* » *modi cum honore habetote.* »

X. Moris quoque esse docet memoratus auctor, cap. LXXVIII, « quod Legatus, quando in- » trat primo ad aliquem locum suæ legationis, » in quo est aliqua ecclesia venerabilis, solet » recipi cum maximo honore a Clero et Reli- » giosis. » Quali olim, initio VI sæculi, in Oriente Legati Hormisdæ Papæ honore fuerint excepti, narrant ipsi in Epistola sua ad eumdem Hormisdam, quæ exstat apud Baronium, ad annum 519. « Antequam nos ingrederemur, inquiunt, » in civitatem ipsam (Scampinam), venerabilis » Trojus Episcopus cum suo Clero vel plebe in » occursum nobis egressus est. » Et infra : « Confitemur Beatitudini Vestræ, tantam de- » votionem, tantas Deo laudes, tanta gaudia, » difficile in alio populo vidimus. Prope omnes » cum cereis, viri cum mulieribus, milites » cum crucibus, in civitate nos susceperunt. » Notat Baronius exprimi hic aliqua ex parte religiose procedentium Christianorum formam, nimirum cereos atque cruces ferre solitos esse, et in fine processionis Missas agere : unde et mox subdunt : « Celebratæ sunt Missæ, nullius » nomen obnoxium Religioni est recitatum, » nisi tantum Beatitudinis Vestræ. » Ubi et illud notandum obiter tam miserrimum fuisse tunc temporis Orientalis Ecclesiæ statum, ut nullus in ea fuerit qui non pollutus saltem communicatione hæreticorum, tutus vere Catholicus dici, et ejus nomen in sacris publice recitari potuisset.

XI. Sed audiamus, quæso, quid ipsi Legati his subjiciunt : « Scampis nobis positis, post » Missas hora cœnatoria, Stephanus et Leon- » tius, viri clarissimi, ab imperatore (erat is » Justinus) missi in occursum venerunt, adhuc » nescientes nos in partibus Græciarum positos, » quia talia mandata fuerunt comiti Stephano » data, ut ad partes Italiæ transirent in occur- » sum nostrum. » Ex quibus illud addiscere licet, quod etiam observat Baronius, qualia nempe olim esse consueverint obsequia orthodoxorum imperatorum erga Romanum Pontificem, ut missæ ab eo Legationi per viros clarissimos occurri voluerint, antequam Legati ex Italia egrederentur, licet inter jacens transfretandum esset Hadriæ fretum, eo potissimum tempore ad navigandum minime opportuno,

XII. Qui honores posterioribus sæculis a variis regibus exhibiti fuerint Apostolicæ Sedis Legatis, in suis *Annalibus* enarrat prædictus Baronius, in eorumque *Continuatione* Odericus Rainaldus, et ex eisdem Ludovicus Thomassinus, in sua *Veteri ac nova Ecclesiæ disciplina*, parte I, lib. II, cap. CXIX, num. IX. Certe quod Legatis a latere suo missis jam olim Romani Pontifices crucis antelationem concesserint, exemplum habemus in Humberto Silvæ-Candidæ episcopo, ac S. R. E. cardinali, qui, sæculo Christi XI legatione fungens, Constantinopolim adiit ad sanandum schisma, eo tempore in Oriente recrudescens, uti videre est in Epistola Michaelis Cerularii, patriarchæ Constantinopolitani, ad Petrum Antiochenum. Referente Matthæo Parisio in *Historia Anglicana*, summo honore exceptus fuit in Anglia, anno 1237, Ottho S. R. E. cardinalis, Legatus Gregorii IX, a rege Henrico III et ab Episcopis, Abbatibus et Prælatis regni : « Rex autem ei usque ad » confinium maris occurrit, et, inclinato ad » genua ejus capite, usque ad interiora regni » eum deducit officiose : et adventantes Episcopi » cum Abbatibus et aliis Ecclesiarum Prælatis, » cum omni honore et reverentia, cum proces- » sionibus et campanarum classico, et pretiosis » muneribus, ut decuit, et plus quam decuit, » receperunt. » Addit non modo ipsi Legato occurrisse Episcopos et Clericos usque ad littus,

Digitized by Google

sed et aliquos etiam scaphis subvectos, ad navim qua vehebatur accessisse, ac munera pretiosissima obtulisse.

XIII. In Hispania, quo honore et honorificentia anno 1427 exceptus sit Martini V Legatus cardinalis Fuxensis, ab Alphonso Aragoniæ rege, et ab Episcopis, Abbatibus ac aliis tum Clericis tum laicis, testantur Acta legationis ejusdem Cardinalis apud Rainaldum ad memoratum annum 1427, num. XXI : « Ingredienti » domino Legato civitatem Valentiæ cum insi- » gniis legationis suæ obviam, ad mediam » leucam vel circa, primo Canonici ecclesiæ » Valentinæ cum solemni apparatu exiverunt : » parumper per paululum Episcopi Cathanensis, » Vicensis, Gerundensis, Elnensis, cum domino » Archiepiscopo Tarraconensi, et pluribus » Abbatibus Cisterciensibus, ac Doctorum et » Ecclesiasticorum virorum multitudine copiosa » eidem domino Legato obviam processerunt. » Insuper nobiles consiliarii, rectores civitatis » Valentiæ cum tubis, constipati militibus plu- » ribus et civibus nobilibus dictæ civitatis, » venerunt obviam eidem domino Legato. » Advolavit et ipsi obviam rex Alphonsus cum Archiepiscopo Ulyssiponensi, illum nudo capite excepit, osculum libavit, dextram concessit, tegere caput jussit, aperto ipse semper capite : « Ultra » foris civitatem dominus Alphonsus Aragonum » rex illustris in persona propria, capite disco- » operto, cum Archiepiscopo Ulixbonensis regni » Portugalliæ, cum sua regia familia obviam » venit eidem domino Legato, reverentiam » impendit, osculum sibi tradidit, et partem » dextram in progressu, post plurimas reveren- » tias et invitationes mutuas, eidem domino » Legato renuenti assignavit, ipsumque coope- » riri fecit cum capello rubeo cardinalatus, » dicto domino rege capite discooperto cum » præfato domino Legato familiariter collo- » quente, et in via versus civitatem procedente » usque ad pontem portæ civitatis, ubi ab eodem » domino Legato, cum esset jam tarde et trans- » iret hora prandii, petiit licentiam recedendi » ad palatium suum, quod est extra civitatem, » et sic recessit cum paucis. »

XIV. De honore eidem Legato exhibito a Clero et populo, ac de solemni processione qua ipsum usque ad ecclesiam prosecuti sunt, sic memoratæ legationis Acta subjiciunt : « Dictus » vero dominus Legatus cum præmissis omni- » bus, et processionibus solemnibus, infinito » populo sibi occurrente, cum maximis honori- » bus, in civitate Valentiæ et in cathedrali ec- » clesia, cum cymbalis benesonantibus, in tym- » panis, tubis et organis, cum magno gaudio » solemniter fuit receptus. Et, data benedictio- » ne ac indulgentiis in ecclesia, ad domum » Episcopalem adductus est, et cum omnibus » suis in eadem domo honorifice collocatus. » Cæterum in Hispania ipsa non desunt id genus exempla, quibus docemur quanto honore a regibus, et quanta ab Episcopis ac reliquo populo cæremonia, Apostolicæ Sedis Legati exciperentur. Quod enim Castellæ rex a dextris sedere et incedere voluerit Legatum summi Romani Pontificis, aperto ipse semper capite, et loco inferior, ad annum 1429 Rainaldus refert.

XV. Nec parciores fuere alii principes in cultu Legationum. In Polonia, teste Baronio, ad annum 1100, Casimirus rex obviam processit cum liberis suis Legato. In Hungaria jam mos ille inoleverat ut supra reges sederent Legati. Unde et Leo X conquestus est de Strigonensi episcopo cardinali Legato, qui, cum oriundus esset ex ipso regno Hungariæ, capellanum magis et clientem regis ageret quam Legatum, nec supra regem sederet. A Gallis magni quoque habiti sunt honores Legatis : ut enim testatur Thomassinus, parte I *Disciplinæ*, lib. II, cap. CXIX, Gottofredus Bullionus rex aut dux Hierosolymorum, nec incedebat nec subscribebat, nisi post Legatum Apostolicæ Sedis.

XVI. Quo tandem ritu ac honore anno 1494, exceptus sit Neapoli Joannes Borgia S. R. E. titulo Sanctæ-Susannæ Presbyter cardinalis, quem Alexander VI Legatum misit Neapolim ad investiendum Alphonsum regem de regno, atque ad ipsum inungendum et coronandum regem, refert Burchardus, qui sacris cæremoniis præerat, testisque adfuit, ut idem testatur apud Rainaldum ad ipsum annum 1494, num. V : « Rex venit obviam Cardinali usque ultra San- » ctum-Antonium, et proximum locum prope » Sanctum-Julianum, ubi, detecto capite, voluit » osculari manum Legati; quod Legatus non » admittens, ipsum ad oris osculum, et ad sini- » stram suam, ipso tamen rege ad dexteram » prius invitato, continuo equitare fecit, et ante

Digitized by Google

» regem et Legatum equitarunt omnes. Domi-
» nus Hector Caraffa, camerarius major regis,
» frater germanus reverendissimorum domi-
» norum Cardinalis et Archiepiscopi Neapoli-
» tani, portavit ensem contrario modo quo aliis
» principibus portari solet; portabat enim pun-
» ctam ensis in manu, et manicam ensis sursum
» tenebat erectam, equitans ad sinistram Capel-
» lani crucem ante Legatum portantis : post
» Legatum vero et regem non fuit servatus
» ordo. » Et infra, ritum describens quo Lega-
tus ab Archiepiscopo Neapolitano exceptus sit,
ita inquit : « Pervento hoc ordine ad portam
» civitatis, Archiepiscopus Neapolitanus, ultra
» paramenta consueta, etiam sandaliis et chiro-
» thecis indutus, porrexit crucem Legato oscu-
» landam, quam Legatus, ipso rege prius invi-
» tato, osculatus est, rex autem non est crucem
» deosculatus. Venerunt sub baldachino Lega-
» tus et Rex usque ad ecclesiam Metropolita-
» nam. »

XVII. Recens minime est institutum in solemni receptione Episcoporum seu Legatorum, super eorum caput baldachinum seu pallium, ut aiunt, deportari. Id honoris delatum uni e primis Ordinis Prædicatorum alumnis, Fratri Joanni, a Patriciis viris et civibus Bononiensibus, non sine calumnia apud Gregorium IX Pontificem Maximum, quasi sese pro Apostolico gereret, narrat Thomas Cantipratanus, ejusdem Ordinis scriptor coævus, lib. II *De Apibus*, cap. I, his verbis : « Quodam tempore
» moram fecerat dictus Frater in proxima re-
» gione, prædicatione et miraculis villas et ci-
» vitates illustrans. Ut autem civitas Bononiensis
» approximantem audivit, occurrit ei nobilium
» et magnatorum civium, et populorum innu-
» merabilis multitudo : qui, nescientes aliquid
» majoris honoris impendere, pannum sericum
» in quatuor hastis supra sanctum virum in
» magno laudis jubilo deportabant. Hæc vidit
» diabolus, et invidit, instigatque quemdam ne-
» farium qui hæc Gregorio Papæ velocissime
» nuntiaret; addens quod se Frater Joannes
» pro Apostolico gereret, qui equo albo ince-
» deret, et super se pannum sericum faceret
» deportari. »

XVIII. Hosce ac similes honores, qui a principibus viris et a Prælatis Ecclesiasticis præstari solent Apostolicæ Sedis Legatis, ubi urbes ingrediuntur, exhibitos olim civi meo S. Francisco de Paula, inclyti Ordinis Minimorum institutori, tum Neapoli a Ferdinando rege, tum etiam in Galliis a Ludovico XI, ubi ad eorum urbes pervenit, testantur quidem antiqui scriptores, quos in Vita S. Francisci de Paula italice scripta recenset noster Isidorus Tuscanus, memorati Ordinis alumnus, lib. III, cap. III et VI, ubi ritum egregie describit, quo a memoratis regibus homo Dei exceptus fuit. Id quod etiam docent Lectiones Officii ejusdem Sancti hoc anno editæ, et die 23 januarii 1740, a sacra Rituum Congregatione approbatæ pro toto Minimorum Ordine, et regno Siciliæ, quod sibi in patronum elegit. Sane hoc Officium una cum Octava summo studio ac diligentia concinnavit vir clarissimus ac omnigena eruditione præditus, ex-generalis Corrector laudati Ordinis, Calabriæ nostræ decus, Franciscus Zavarroni. In eo autem memoratus auctor summopere commendandus, quod in ipso adornando Officio, loca ex sacris Litteris deprompta, quibus Antiphonas, Versiculos, Responsoria et Capitula effecit, Vitæ S. Patriarchæ mirifico ordine aptavit; Lectiones autem secundi Nocturni, quibus per totam Octavam Sancti Vita enarratur, ex probatis et certis auctoribus ac monumentis composuit. Proh dolor! dum hæc prælo mandantur, morbo correptus e vita excedit auctor ipse clarissimus, Romæ, die 27 aprilis, non sine doctorum virorum mœrore.

XIX. Sed revertamur eo tandem unde digressi sumus, atque, ut omittam alios plures Dei servos, et Abbates, ac Generales Religiosorum Ordinum, quibus enarrati honores exhiberi a Clero et a populo civitatum consueverunt, quod nostram Rubricam spectat, alios etiam servatos ritus invenio, imo præscriptos ex manuscripto Pontificali Gulielmi Durandi codice, annorum circiter quingentorum, ordine ad recipiendum processionaliter Prælatum vel Legatum, quem in Appendice integrum referemus. Ait enim ordinandam processionem cum cruce vel reliquiis Sanctorum, occurrentem vero ecclesiæ Prælatum ei qui recipitur, paratum esse debere pluviali, mitra ac baculo Pastorali, secumque ducere majores ipsius ecclesiæ paratos etiam pluvialibus. Addit alicubi nunquam portari crucem in processione quæ fieri solet pro vivis. Sed quidquid sit de vario Ecclesiarum

Digitized by Google

usu, ex præscripto memorati manuscripti Pontificalis, « accedens Prælatus vel Legatus reci- » piendus, genua flectit coram cruce vel reli- » quiis super tappetum stratum, et crucem vel » reliquias obsculatur. »

XX. Exstant innumera pene apud Ecclesiasticos scriptores exempla, quæ nos condocent ritum occurrendi Episcopis cum Sanctorum reliquiis. De S. Otthone episcopo Bambergensi, qui obiit anno 1139, ita legimus in ejus Vita apud Surium ad diem 2 julii : « Cum autem » eatenus ad oppidum accessisset ut jam con- » spicere posset monasterium cathedralis eccle- » siæ, ab equo descendit, calceamenta deposuit, » humilitatem animi corporis habitu ostendens, » atque ita, licet rigeret februarii frigidum cœ- » lum, per nives et glaciem nudis pedibus » usque in Sancti-Gregorii ædem progressus » est, occurrentibus ei longo examine Clericis » et Monachis, laicisque nobilibus permultis » cum universa plebe Bambergensi, cum » pompa et processione insigni, cum ornamen- » tis, et reliquiis Sanctorum, cum hymnis et » cantionibus ad personam et tempus accom- » modatis, tanta denique cum exsultatione et » decoro, ut pro dignitate verbis explicari non » queat. » Ubi nota ea quæ in memorati sancti Episcopi honorem cantabantur, accommodata fuisse *ad personam et tempus*. Quamobrem recte cautum est ex nostro Romano Pontificali ut alia Responsoria canantur, si is qui cum processione excipitur, *est Episcopus*, *aut Presbyter*, *vel Episcopus cardinalis ;* alia, si Legatus *sit Diaconus cardinalis ;* ac alia tandem, *si duo*, *vel plures reciperentur Legati*, *etiamsi non essent Episcopi vel Presbyteri Cardinales.*

XXI. Ex manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, processione ecclesiam ingrediente, cantabantur Antiphonæ ipsæ cum nota, de quibus vide in nostra ad hunc titulum Appendice. Illud constat, ritum esse antiquum ut ii quibus cum solemni processione occurrebatur, cum hymnis ac laudibus Ecclesiasticis exciperentur. Teste Cyrillo monacho in Vita S. Euthymii abbatis cognomento Magni, qui obiit anno 475, apud Surium ad diem 20 januarii, ubi in solitudinem se contulisset, « confluxit ad » illum innumerabilis multitudo, cruces habens » in manibus, et *Kyrie*, *eleison*, hoc est, *Do- » mine*, *miserere*, de more, non ore solum, sed » labiis quoque cordis invocans. » Alias in aliorum susceptione adhibitas preces ac laudes, ex Vitis Sanctorum liquet. Cæterum, ut finem huic Commentario faciam, tametsi in nostro § I præscriptum sit ut Prælatus loci, Legatum eo venientem excipiens, indui debeat *amictu*, *stola*, *pluviali et mitra pretiosis*, offeratque venienti crucem osculandam ; tradit tamen Burchardus, quem superius in hoc Commentario laudavimus, quod, ubi Legatus Alexandri VI, ad Alphonsum regem Neapolis missus, ad eam urbem pervenit, anno 1494, « Archiepiscopus Neapo- » litanus, ultra paramenta consueta, etiam san- » daliis et chirothecis indutus, porrexit crucem » Legato osculandam, quam Legatus, ipso rege » prius invitato, osculatus est, rex autem non » est crucem deosculatus.

§ IV.

In porta autem urbis consueverunt magistratus illius obviare Legato vel Prælato primo intranti, ac illum benigne suscipere et associare, ac baldachinum super eum deferre. Incœpta Antiphona, processio, quæ locum habere debet immediate ante crucem Prælati, nisi intersint Canonici cathedralis ecclesiæ, ordine suo progreditur, et cantantur, post dictas Antiphonas seu Responsoria, alia Cantica vel Hymni, prout magis placet, usque ad ecclesiam majorem seu principalem loci. Si vero processioni intersint Canonici ecclesiæ cathedralis, illi soli possint ire post crucem Legati immediate ante eum; equitantes vero omnes equitare debent ante processionem, togati vero debent Legatum seu Prælatum sequi.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Baldachinus, seu baldekinus, tametsi alia significet apud mediæ et infimæ latinitatis scriptores, hic tamen pro umbraculo sumitur, seu umbella sive mappa vel mappula, quæ deferri supra caput Episcopi consuevit, dum ad altare Sacra facturus procederet, seu stationes faceret; eratque diversis imaginibus ornata, quatuorque baculis seu hastis innixa, quam quidem ii qui deferebant, *Mappularii* dicebantur, teste Durando, lib. IV *Rationalis*, capite IV, num. XI. Apud nostrates umbraculum istud appellatur etiam pallium, eoque magistratus locorum, quos honorare volebant viros sanctitate seu dignitate conspicuos dum civitates ingrederentur, lætantibus animis excepisse docent nos quidem exempla in Commentario superiori allata, ubi etiam notavimus eum honorem exhibitum fuisse Neapoli Alexandri VI Legato. Cætera quæ in hoc nostro § præscripta sunt, exstant quidem in Pontificalibus ante Clementem VIII editis; in manuscripto autem Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, nulla de loco fit mentio quem, in processione ad recipiendum Legatum vel Prælatum, Canonici Cathedralis ecclesiæ, et equitantes, ac togati habere debent.

II. Juxta ritum denique a Burchardo descriptum de receptione Legati ab Alexandro VI ad Alphonsum regem Neapolis missi, « ante regem et Legatum equitarunt omnes..... Post » Legatum vero et regem, non fuit servatus » ordo. » Locum nobiliorem in ipsa processione tenuit quidem Legatus; paulo enim ante, ita inquit Burchardus, « rex venit obviam Cardi» nali usque ultra Sanctum-Antonium, et proxi» mum locum prope Sanctum-Julianum, ubi, » detecto capite, voluit osculari manum Legati: » quod Legatus non admittens, ipsum ad oris » osculum, et ad sinistram suam, ipso tamen » rege ad dexteram prius invitato, equitare » fecit. »

§ V.

Cum Prælatus seu Legatus descenderit, et intrat portam majoris seu principalis ecclesiæ, Prælatus ecclesiæ, seu majorem dignitatem habens, indutus ut supra, detecto capite, offert illi aspersorium cum aqua benedicta, quod Prælatus seu Legatus accipiens, aspergit primo seipsum, deinde alios. Tum idem Prælatus ecclesiæ, seu majorem dignitatem habens, offert ei naviculam, aliquo alio Sacerdote superpelliceo induto thuribulum porrigente, et Legatus seu Prælatus imponit incensum, et statim Prælatus ecclesiæ, seu dignitatem habens, incensat ipsum Prælatum seu Legatum stantem cooperto capite, more consueto.

COMMENTARIUS.

I. Cautum est ex manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, ut, postquam Prælatus vel Legatus qui excipitur, genuflexus osculatus est crucem seu Sanctorum reliquias, tunc surgat, eique a Prælato, vel, eo absente, a Majore ipsius ecclesiæ ad quam Legatus vel Prælatus pervenit, oblato hyssopo cum aqua benedicta, « se et circumstantes aspergat. » Quod spectat alium ritum thuris suffitu honorandi Legatum, ita quidem memoratum Pontificale præscribit : « Thus benedictum in thu» ribulo ponendum : quo facto, idem Prælatus, » vel Major ecclesiæ incensat illum solum, et » dat illi Evangelium ad osculandum. » Ubi nota alium ritum excipiendi Legatum cum sacro Evangelii codice, eumque ipsi ad osculandum præbendi. Est vetus quidem Ecclesiæ mos, de quo superius, in Commentario ad §§ I, II et III, nonnulla diximus, quemadmodum et de usu thuris ex epistola S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini ad excipiendum Episcopum adhibito.

II. Teste Burchardo apud Rainaldum, ad annum 1494, ubi Legatus Alexandri VI Pontificis Joannes Borgia S. R. E. cardinalis, ad Alphonsum regem Neapolis, cum prædicto rege intravit ecclesiam, « porrecto sibi per Archiepi-

Digitized by Google

» scopum paratum aspersorio, regem, se, et » alios aspersit. Tum incenso fuit ipse Legatus » incensatus, non rex, rege tamen prius invitato. »

§ VI.

Deinde procedens ad altare majus ecclesiæ, et ibi super faldistorio ante infimum gradum altaris parato procumbit et orat Prælatus seu Legatus. Interim vero Prælatus ecclesiæ, seu dignitatem majorem habens, stans in cornu Epistolæ altaris versus ad orantem, detecto capite, dicit : ℣. *Protector noster, aspice, Deus.* ℟. *Et respice in faciem Christi tui;* cum omnibus sequentibus si receptus sit Prælatus aut Legatus, Episcopus vel Presbyter Cardinalis. Si vero sit Diaconus Cardinalis, omisso versu præcedente, dicit sequentem tantum : ℣. *Salvum fac servum tuum.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super hunc famulum tuum et cunctas congregationes illi commissas, Spiritum gratiæ salutaris, et, ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Descriptus in hoc § ritus exstat quidem in manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, ex quo tamen illud cautum est ut, dum Antiphonæ seu Responsoria supra in § I, II et III descripta, cantantur, Legatus seu Prælatus ad gradus coram altari deducatur, ubi ad orandum prosternatur. Responsorio autem finito, et prostrato illo manente, Prælatus ecclesiæ, vel, eo absente, is qui majoris dignitatis est in processione, dicat super illum, *Protector noster, etc.*, si nempe qui excipitur « sit Episco- » pus; si vero sit Abbas vel Cardinalis, tunc » Episcopus dicit : ℣. *Salvum fac, etc.* » Quæ verba Rubricæ Vaticani Gulielmi Durandi Pontificalis intelligenda sunt de Abbate vel Cardinali qui non sunt Presbyteri : tunc enim et iis dicendus esset versiculus ille, *Protector noster aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui.* Quilibet enim Sacerdos, sive sit Episcopus sive simplex Presbyter, *Christus* dicitur, id est *unctus.* Porro praxim rubricæ in hoc nostro § notatæ legere est quidem apud Burchardum, ubi narrat ritum solemnis receptionis Legati ab Alexandro VI missi ad Alphonsum regem Neapolis : « Ascenderunt ad altare majus, ubi » supra faldistoriis paratis genuflexerunt. Dicti » sunt versiculi et Oratio per Archiepiscopum. »

§ VII.

His dictis, Cantores cantant aliquam Antiphonam eis magis placentem de sancto Patrono ecclesiæ, cum versiculo de eodem Sancto; et cum dicitur versiculus, surgens Prælatus vel Legatus ascendit ad altare, osculaturque illud in medio, deinde procedit ad cornu Epistolæ, ubi stans, ad ipsum altare versus, cantat Orationem de dicto Sancto, deinde ad medium altaris revertitur, ubi stans dat benedictionem

Digitized by Google

solemnem populo, dicens : *Sit nomen Domini benedictum, etc.* Qua data, facit promulgari, per unum ex suis sive ex Beneficiatis ecclesiæ, indulgentias quas ipse interessentibus concedit. Deinde Prælatus ecclesiæ, et alii, dimissis paramentis, associant illum usque ad diversorium suum.

COMMENTARIUS.

I. Forte distinctius rubrica hæc enarratur in manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali, ubi ita edicitur : « Oratione finita eri- » gitur ab accubitu (nempe Legatus seu Præ- » latus) a præmissis duobus eum deducentibus, » qui solemniter benedicat et indulgentiam » concedat. Si vero benedicere noluerit, vel est » talis cui non competit benedicere vel indul- » gentiam dare, mox ad hospitium suum acce- » dat, præmissis duobus, depositis pluvialibus, » associantibus eum. Si vero Prælatus ipse ad » visitandum venerit, præmissa forma servata, » Oratio erit hæc : *Deus, humilium visitator,* » *qui eos paterna dilectione consolaris, prætende* » *societati nostræ gratiam tuam, ut per eos in* » *quibus habitas, tuum in nobis sentiamus ad-* » *ventum. Per Christum Dominum.* »

II. Jam notant theologi, inter quos Estius in libri IV *Sententiarum* distinctionem vicesimam, § VI, visum esse Durando in concessione indulgentiarum requiri potestatem Ordinis, et jurisdictionem in foro interiori, ac proinde solos Sacerdotes posse indulgentias conferre; « quia, » inquit, indulgentia est absolutio a pœna re- » manente post absolutionem culpæ, ideoque » eamdem requirit potestatem quam absolutio » a culpa, videlicet potestatem Ordinis Sacer- » dotalis. » Verum hæc sententia, cui alii etiam nonnulli subscribunt, neque in scholis, neque Ecclesiæ consuetudine recepta est. Nam et electi Episcopi, tametsi nondum consecrati, similiter et Legati Sedis Apostolicæ non Presbyteri, indulgentias conferre solent. Unde patet, quod omnes passim theologi docent, ad conferendas indulgentias, sicut ad excommunicandum, necessario requiri jurisdictionem in foro exteriori, non autem necessario in foro interiori seu pœnitentiæ.

III. Est itaque hæc potestas conferendi indulgentias penes summum Romanum Pontificem ac reliquos omnes Episcopos, tanquam Ecclesiarum Prælatos jurisdictionem ordinariam fori exterioris habentes, quemadmodum recte docet omnium theologorum princeps Angelicus Doctor in libri IV *Sententiarum* distinctionem vicesimam, quæstione I, articulo IV, ubi hanc adfert rationem, quia scilicet conferre indulgentias est communem thesaurum Ecclesiæ dispensare, dispensatio autem bonorum cujusque reipublicæ pertinet ad ejus principes et gubernatores, qui quidem in Ecclesia sunt Episcopi. Cæterum competit et ea potestas Legatis ob concessionem eisdem factam a summo Pontifice. Unde Innocentius III, in canone Concilii Lateranensis IV, relato in cap. *Accedentibus*, XII, *De excessibus Prælatorum*, districte prohibens ne quis Abbatum indulgentiarum litteras concedere præsumat, hanc statim subjungit clausulam : « Nisi forsan quisquam eorum » speciali concessione, vel alia legitima causa, » super hujusmodi valeat se tueri. » Legitimam causam *Glossa Canonici Juris* consuetudinem præscriptam, quæ dat jurisdictionem, intelligit.

IV. At iis omissis, de quibus fuse agunt theologi, ubi anno 1427 honorificentissime exceptus fuit ab Alphonso Aragoniæ rege, et ab Episcopis et Abbatibus ejus regni, Apostolicæ Sedis Legatus cardinalis Fuxensis, narrant Acta ipsius legationis apud Rainaldum, ad memoratum annum 1427, dedisse et ipsum benedictionem populo atque indulgentias : « Dominus » Legatus cum præmissis omnibus, et proces- » sionibus solemnibus, infinito populo sibi oc- » currente, cum maximis honoribus in civitate » Valentiæ et in cathedrali ecclesia cum cym- » balis benesonantibus, in tympanis, tubis et » organis, cum gaudio solemniter fuit receptus. » Et, data benedictione ac indulgentiis in Ec- » clesia, ad domum Episcopalem adductus est, » et cum omnibus suis in eadem domo honori- » fice collocatus. » Teste Burchardo, Legatus ab Alexandro VI ad Alphonsum regem Neapolis missus, post alios enarratos superius ritus, et Orationem de S. Januario, qui est ejus inclytæ urbis ac totius regni patronus, recitatam, « dedit » tandem benedictionem, et indulgentias trium

Digitized by Google

» annorum, quas publicavit sacrista ecclesiæ ex » cedula, me illam legente sibi. » Erat Burchardus Apostolicarum cæremoniarum magister, unaque cum Legato Neapolim iverat, ut cæremonias memoratæ legationis dirigeret.

V. Posse Legatum, ubi Summus Pontifex hanc ei facultatem tribuit, etiam plenarias indulgentias concedere, docent quidem theologi passim. Quod vero cæteros Episcopos spectat, temporales tantum, et non ultra quadraginta dies, idque certis in casibus, concedunt, ex præscripto capitis *Cum ex eo*, Extra. *De pœnitentiis et remissionibus*, quod ex Concilio IV Lateranensi sub Innocentio III sumptum est. Id autem adeo verum est, ut, si ipsi Episcopi præscriptam mensuram excedant, nullius valoris sint, ex cap. *Indulgentiæ*, tit. eodem, in Sexto. Quod quidem *Canonici Juris Glossa*, et omnes fere Doctores, contra nonnullos aliter sentientes, quoad excessum, non vero quoad terminum concessum, intelligendum docent, quia scilicet concessio indulgentiarum est quædam liberalitas; et, quemadmodum in donationibus, ita et in indulgentiis dicendum quod valent pro parte usque ad modum legitimum. Vide Silvestrum in *Summa*, verbo *Indulgentia*, num. XV. Cæterum etsi indulgentiæ ab Episcopis concessæ eorum duntaxat diœcesanis prosint, valent nihilominus illæ quas in aliena diœcesi Episcopus, de proprii Antistitis licentia, elargiri solet, ubi in eadem diœcesi aliena, exercendi Pontificalia facultatem obtinuit, cap. *Quod autem*, citato tit. *De pœnitentiis et remissionibus*.

§ VIII.

Cum vero novus Prælatus primo ad ecclesiam suam veniens recipitur, loco Orationis prædictæ, *Omnipotens sempiterne Deus, etc.*, dicitur sequens Oratio.

OREMUS.

Deus, omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N., quem Ecclesiæ tuæ præesse voluisti, propitius respice: da ei, quæsumus, verbo et exemplo, quibus præest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum. ℟. ***Amen.***

COMMENTARIUS.

Quibus olim ritibus ac cæremoniis exciperentur Episcopi, ubi primum ipsi ab aliena diœcesi, in qua consecrati erant, ad suam Ecclesiam perveniebant, nonnihil jam diximus nostro I tomo hujus operis, in Commentariis ad titulum XIII et supra in Commentario ad § III hujus tituli. Ex manuscripto Pontificali codice Vaticano Gulielmi Durandi, illud cautum est quidem quod in præsenti § præscriptum est: « Si autem, inquit, sit novus Prælatus primo ad » ecclesiam veniens, Oratio erit hæc: *Deus omnium fidelium pastor;* si vero sit Abbas noviter benedictus, primo veniens ad monasterium » suum, fiat prout dicitur supra in titulo *De benedictione Abbatis.* » Sed ecce ordo integer ad recipiendum personaliter Prælatum vel Legatum, ex ipso manuscripto codice Vaticano Gulielmi Durandi:

APPENDIX

In qua unicus Ordo refertur de receptione Prælatorum, ex manuscripto Pontificali G. Durandi in bibliotheca Vaticana, n. 4744.

Prælatus vel Legatus hoc modo processionaliter recipitur:

Processio enim ante fores ecclesiæ ordinata, reliquiæ vel crux, et Prælatus ecclesiæ paratus pluviali, mitra et baculo Pastorali cum Majoribus ipsius ecclesiæ paratis pluvialibus, scilicet in ultimo capite processionis. Quidam tamen nunquam portant crucem in processione quæ fit pro vivis. Et accedens Prælatus vel Legatus recipiendus genua flectit

Digitized by Google

coram cruce vel reliquiis super tappetum paratum; et crucem vel reliquias obsculatur. Deinde surgit, et tunc Prælatus, vel eo absente, Major ipsius ecclesiæ offert sibi ysopum cum aqua benedicta, ut se et circumstantes aspergat, et thus benedictum in thuribulo ponendum. Quo facto, idem Prælatus, vel Major Ecclesiæ, incensat illum solum, et dat illi Evangelium ad obsculandum, et mox ipse Prælatus ecclesiæ a dextris, et alios majoris dignitatis in ea a sinistris eum deducunt. Tunc processione ecclesiam ingrediente, cantatur Antiphona : *Sacerdos, et Pontifex, et virtutum opifex, bone pastor in populo, sic placuisti Domino, intercede pro nobis;* cum nota; vel Responsorium : *Ecce vir prudens. Ecce nunc. Gloria;* vel Responsorium : *Ecce Sacerdos magnus.* ℣. *Benedictionem;* vel, si sunt plures qui recipiuntur, cantatur Responsorium *Cives Apostolorum.* Et sic deducitur ad gradus coram altari, ubi prosternitur ad orandum. Responsorio autem finito, et prostrato manente, Prælatus ecclesiæ, vel, eo absente, is qui majoris dignitatis est in processione dicit super illum : ℣. *Protector noster, aspice, Deus.* ℟. *Et respice in faciem Christi tui.* Et hoc si sit Episcopus. Si vero sit Abbas vel Cardinalis, tunc Episcopus dicit : ℣. *Salvum fac servum tuum, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei auxilium de sancto.* ℟. *Et de Syon tueatur te.* ℣. *Nichil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Domine, exaudi, etc.* ℟. *Et clamor meus, etc.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oratio : « Omnipotens sempiterne » Deus, qui facis mirabilia magna solus. » Require supra sub titulo *De benedictione Abbatis,* ad cartas XXVIII.

Oratione finita, erigitur ab accubitu a præmissis duobus eum deducentibus, qui solemniter benedicat, vel indulgentiam concedat, et indulgentiam concedat. Si vero benedicere noluerit, vel est talis cui non competit benedicere vel indulgentiam dare, mox ad hospitium suum accedat, præmissis duobus, depositis pluvialibus, associantibus eum. Si vero Prælatus ad visitandum venerit, præmissa forma servata, Oratio erit hæc : « Deus humilium visitator, etc. »

Si autem sit novus Prælatus, primo ad ecclesiam veniens, Oratio erit hæc : *Deus, omnium fidelium pastor.* Require sub ordinatione Episcopi ad cartas XV ; si vero sit Abbas noviter benedictus, primo veniens ad monasterium suum, fiat prout dicitur supra in titulo *De Benedictione Abbatis.*

TITULUS XXI.

ORDO AD VISITANDAS PAROCHIAS.

I. Quandoquidem animarum curatio rite peragi nequit si morbi nesciantur, hi autem sciri non possint nisi medici ægros visitent, in morbos inquirant, atque studiose ipsos examinent, jam jure ac merito a sacris canonibus cautum est ut Episcopi suæ diœcesis ecclesias visitent, uti videre est apud Gratianum, causa X, quæstione I. Hoc jus profecto manasse ab antiqua consuetudine, testantur Patres Concilii Tarraconensis, apud laudatum Gratianum in can. *Decernimus,* citata causa et quæstione. Initium ea consuetudo sumpsit a Christo et ab Apostolis ; Christus enim, qui est typus Antistitum, *circuibat omnes civitates et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem;* uti habetur in Evangelio Matthæi, cap. IX. Tanti Magistri exemplo circuibat et Petrus Apostolorum princeps civitates ac vicos, ut confirmaret Fideles. Id enim expresse *Apostolorum Acta* testantur.

II. Inde Episcopi, divinis et Apostolicis imbuti regulis, toti olim fuerunt in visitationis officio. De S. Basilio Cæsariensi episcopo scribit Socrates lib. IV *Historiæ,* cap. XXI, quod, urbes perlustrans, languentes in fide confirmabat. De S. Martino Episcopo Turonensi scribit in Epistola ad Eusebium Presbyterum Severus Sulpitius, quod « cum ad diœcesim quamdam pro » solemni consuetudine, sicut Episcopis visitare » ecclesias suas moris est, media fere hieme » Martinus venisset, mansionem ei in secretario

Digitized by Google

» ecclesiæ Clerici paraverunt. » Quanta a militibus in visitatione ei occurrentibus memoratus sanctus Episcopus passus sit, narrat idem Sulpitius, *Dialogo* II de ejus virtutibus. Sed et Paulinus in Vita Martini, lib. IV, de eodem ita cecinit :

Lustrabat caulas commissi Pastor ovilis,
Queis pia claudebat rurestrem Ecclesia plebem,
Ne furum fortasse doli, rabiesve luporum,
Incautas pecudes raperent, Pastore remoto.

III. Quanta sit necessitas diœcesis visitandæ, docet nos inter alios Augustinus in Epistola sua CCXXXVII, ubi visitationes suas paucis hisce sed gravibus verbis exponit : « Quoniam visi» tandarum Ecclesiarum ad meam curam per» tinentium necessitate projectus sum, etc. » Porro, quod summopere Augustini zelum et egregiam charitatem commendat, illud est quod, non contentus ad Fussalense castrum sæpissime ventitasse, ut cives ejus omnes a Donatistarum schismate ad Catholicam Ecclesiam traduceret, proprium etiam ibi et peculiarem Episcopum ordinari curavit ; expertus non posse se, cum is locus ad quadragesimum ab Hippone, ubi residebat, lapidem situs esset, ea diligentia eum excolere quam novella Ecclesia desideraret. Testatur id quidem ipse sanctissimus Præsul Augustinus in Epistola sua CCLXI, sic scribens : « Sed quod ab Hippone memoratum » castellum millibus quadraginta sejungitur, » cum in eis regendis, et eorum reliquiis, licet » exiguis, colligendis, me viderem latius quam » oportebat extendi, nec adhibendæ sufficerem » diligentiæ, quam certissima ratione adhiberi » debere cernebam, Episcopum ibi ordinan» dum constituendumque curavi. »

IV. Si ergo usque adeo persuasum est Augustino frequentius invisendas Episcopis esse parochias suas, ut Episcopatum ipsum suum decurtari maluerit, quam creditas sibi uni habere eas Ecclesias ad quas non posset frequentissime excurrere; quid dicendum de Episcopis illis qui, vastissimis diœceses habentes, vel nunquam vel rarissime ipsas visitant ? Quod defectu visitationis Episcopalis ortæ sint in Ecclesia hæreses, ingenue fatentur Patres Concilii Coloniensis, anni 1536. Quot quantaque mala ex hac Episcoporum desidia populo Christiano proveniant, satis sacræ Synodi passim testantur, inter quas Narbonensis, anni 1609, cap. XXVII, sapientissime docet quod, nisi gregem Episcopus inviserit, quid in eo infirmum sit ignorabit, et medicamina ægris applicare non poterit. Tum addit ideo exactam Ecclesiarum visitationem ab omnibus maxime necessariam semper fuisse judicatam, ut agnoscere possit Episcopus gregem suum, hæreses tollat, pravos mores corrigat, rebelles et obstinatos verborum asperitate deterreat, consoletur pusillanimes, probosque confirmet.

V. Concilium Coloniense, anni 1549, inter sex media reformandæ, quarto loco visitationem recensens, « Non alias, inquit, sane melius » quam in visitatione deprehenduntur, corri» guntur et eradicantur errores et vitia, quæ, » visitatoribus dormientibus, seminantur, cre» scunt, et securum robur acquirunt. » Tum, allatis Christi Domini verbis in Evangelio Matthæi, cap. XIII, *Cum dormirent homines, venit inimicus homo, et superseminavit zizania*, morum nimirum et doctrinæ corruptelam, ita statim subjicit : « Dormiunt Prælati, qui non » visitant : soli vigilant et servant custodiam » noctis super gregem suum, qui mala quæ » metuuntur, visitatione præcidunt. »

VI. Hinc jure ac merito Patres Concilii Tridentini, sessione XXIV, *De reformatione*, capite III, Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos decreto suo constrinxit, ut, si quolibet anno minus possent visitare diœcesim propter ejus latitudinem, biennio saltem quolibet eam circumlustrare non prætermittant per seipsos, aut, si legitime impediti fuerint, per suum Generalem Vicarium, aut Visitatorem idoneum, tametsi Concilium Meldense non obscure innuat canone XXIX, præcepto Divino, Apostolico, atque Ecclesiastico adstringi Episcopos suam per seipsos visitare diœcesim. Sic autem inquit : « Ut quorumdam Episcoporum reprehensibilis, » imo damnabilis consuetudo omnibus modis » corrigatur, qui plebes sibi creditas, aut raro » aut nunquam per seipsos, juxta ordinem » Evangelicum et Apostolicum atque Eccle» siasticum visitant, cum Dominus dicat : *Spe» culatorem dedi te domui Israel, et audies ex » ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me;* et » cætera quæ divinus sermo complectitur. » Hoc decretum, quo Episcopi jubentur per se ipsos diœcesibus suis visitationem impendere, esse intelligendum quoties ipsi nullo languore

Digitized by Google

detenti, nullisque occupationibus implicati sunt, docent nos passim antiqui canones, ac modernorum Conciliorum decreta : « Fiant visitationes a dominis Prælatis, singulis annis, per » se, legitimo cessante impedimento, quoniam » ad eos pertinet de ovibus curam sollicitam » agere. » Verba sunt Concilii Bituricensis anni 1528, can. IX.

VII. Etsi vero optatissimum esset sacris Synodis ut, si minus late paterent diœceses, eæ quotannis lustrarentur : biennio autem, si vastiores essent, ob visitationum scilicet fructus, qui sperabantur, uberrimos; fateri nihilominus cogimur quosdam non semel Episcopos majus exhibuisse Ecclesiis suis scandalum, ubi ipsas visitabant, quam ubi easdem minime circumlustrabant. Dolet namque inter alias Synodus VII Toletana, anni 646, can. IV, quod quidam Episcopi in visitatione, « ut evidens inquisitio » patefecit, indiscreto moderamine parochianas » Ecclesias prægravantes, dum in exactionibus » superflui frequenter existunt, pene usque ad » exinanitionem extremæ virtutis, quasdam basilicas perduxisse probantur. »

VIII. Quanta fuerit in Gallia Episcoporum rapacitas cum diœceses suas visitationis causa obambulabant, ingenue testantur Patres Concilii Cabilonensis, quod habitum est anno 1313, canone XIV sic aientes : « Cavendum sane est, ne, » cum Episcopi parochias suas peragrant, » quamdam damnosam erga subditos, seu erga » socios tyrannidem exerceant : nec, quod absit! cum charitate, sed cum quadam judiciaria » invectione, stipendia ab eis exigant. » Tum monent « observandum etiam modis omnibus, » ut, si quando eis peragrandæ parochiæ necessitas incumbit, in confirmandis hominibus, in » inquirendis rebus emendatione dignis, in » prædicatione verbi Dei, in lucris animarum » potius quam in deprædandis hominibus et » scandalizandis fratribus operam dent. » Concludunt tandem tantam in hac re tenendam ab ipsis esse discretionem, « ut et verbi Dei prædicationem, sumptus ubi proprii desunt, a » fratribus accipiat, et iidem fratres illius potentia non graventur, exemplo Apostoli Pauli, » qui, ne quem gravaret, arte et manibus victum quærebat. »

IX. Concilium Lateranense III, ab Alexandro III habitum anno 1179, can. IV, postquam exemplum Pauli Apostoli proposuit, qui suis manibus, ut ipse testatur, laborabat, ne, quibus prædicabat, onerosus existeret; grave nimis esse asserens, quod quidam Prælatorum ita in procurationibus graves existerent, ut interdum Ecclesiastica ornamenta subditi exponere compellerentur, statuit quidem, ne visitantes Archiepiscopi, quadraginta, aut quinquaginta equos, sive evectiones excedant; ne Episcopi. viginti, aut triginta; Cardinales, vigintiquinque; Archidiaconi, quinque vel septem; Decani duas : « Quo circa statuimus quod Archiepiscopi parœcias visitantes, pro diversitate » provinciarum, et facultatibus Ecclesiarum, » quadraginta, vel quinquaginta evectionum » numerum nunquam excedant : Episcopi, » viginti, aut triginta; Cardinales, vigintiquinque; Archidiaconi vero, quinque, vel septem. » Decani constituti sub Episcopis, duobus equis » contenti existant. » Ex quibus satis constat quanto cum majori evectionum numero ante hoc Concilium Ecclesiarum Prælati ad illas visitandas incederent : qui tamen neque his contenti, canes venatorios, avesque secum ducebant, epulisque exquisitissimis ac sumptuosis vesci volebant; uti eadem Alexandri III Synodus innuit.

X. Quidpiam tandem est in memorati hujus Lateranensis canonis parte, quod hic omitti nullatenus debet, quod nempe de prædicto evectionum numero statutum est, soli tolerantiæ et indulgentiæ esse imputandum, pompamque illam communem opulentis tantum Ecclesiis permitti, pauperiores autem minime gravandas esse pronuntiat : « Sane quod de » prædicto numero evectionis secundum tolerantiam dictum est, in illis locis poterit observari, in quibus ampliores sunt redditus et » Ecclesiasticæ facultates. In pauperioribus autem locis tantam volumus tenere mensuram, » ut ex accessu majorum minores merito non » doleant se gravari. Nec sub tali indulgentia » illi qui paucioribus equis uti solebant, hactenus plurium sibi credant potestatem indultam. » Relatus est is Lateranensis Concilii canon in cap. *Cum Apostolus*, VI, *De censibus*, atque in multis deinde Synodis confirmatus, præsertim in Londinensi, anni 1200, can. V, et Albigensi, anni 1254, can. LVIII.

XI. Ne offensioni sit alicui hoc statutum in

Digitized by Google

tot Conciliis renovatum, adnotare hic aliqua juvabit, quæ ad stuporem eximendum, vel saltem leniendum observat Thomassinus, parte II *Veteris ac novæ Ecclesiæ disciplinæ*, lib. III, capite LXXX, num. III, ubi varias ejus constituti causas enarrat, sic dicens : 1° erant tum Episcopis cunei militum, quos alerent, et quibus regios augerent exercitus, ratione feudorum regalium his obsequiis devinctorum; 2° frequentissima tunc erant bella privata inter minusculos principes uni summo principi subditos; nec facile poterat Episcopus in iter se dare, quin et in discrimen se conjiceret, nisi cuneo militum cingeretur, quo nobiles amoliretur, Clero et Ecclesiæ creberrime infestos; 3° in peragranda diœcesi sua Episcopus vim jurisdictionis suæ ubique experiebatur, ubique ex suggestu jus dicebat, lites dirimebat, preces, pœnitentiasque publicas indicebat, mulctasque pecuniarias non in Clericos solos, sed et in laicos in causis jure et consuetudine designatis. Temporales domini non pauci, maxime laici, de ea judiciorum potestate controversiam illis faciebant. Cum non collinearet ea jurisdictio tota, nisi ad expianda expungendaque crimina, ad justitiæ et religionis incrementa, eam tueri, eique tuendæ non modicam sacrorum redditum partem impendere consentaneum erat.

XII. Hæ fuisse videntur justæ causæ exaggerandæ Episcopalis pompæ in visitanda diœcesi. His accedere potuit privata quorumdam Prælatorum superbia, quorum insolentia ex recitato Lateranensis Concilii canone apertissime constat, ubi Pontifex Maximus Alexander III, ejusque universalis Synodus, post subjectum oculis Pauli Apostoli exemplum, non aliud exprimere potuit quam quod eo canone continetur. Notata est et alia eorumdem Prælatorum intemperantia, qui, cum canes, ave-que prædatorias secum haberent, jam non Episcopi, sed venatores videri poterant : « Nec cum canibus, inquit, » prædatoriis, et avibus proficiscantur, sed ita » procedant, ut non quæ sua sunt, sed quæ » Jesu Christi, quærere videantur. » Vetuit ne a Parochis splendidiores epulas exigerent : « Nec sumptuosas epulas quærant, sed cum » gratiarum actione recipiant quod honestum » ac competenter illis fuerit ministratum. » Ex his itaque observationibus, et ex ipsa canonis lectione, tria adhuc addiscimus. 1° Multum quidem exigi hoc canone, sed multum etiam recidi de abusibus enarratis, qui fere erant communes; 2° Damnari hoc canone quod prohibetur, at non statim quod toleratur probari; 3° Non satis solide et constanter judicari posse de canone ipso, et approbato per illum temperamento, nisi quis mente ad illius sæculi cursum et conditiones ac circumstantias retro volvatur.

XIII. Quamvis autem ex recitato canone Concilii Lateranensis liquido constet quam immensus esset, ob explicatas causas, evectionum numerus, dum Metropolitæ et Episcopi provincias aut parochias suas visitabant; non deerant tamen sæculo XII, quo ipsum Concilium celebratum est, sanctissimi Episcopi qui, sine ullo Ecclesiarum gravamine, illas pedes obambulabant, comitum Apostolicorum cuneo succincti. Unus ex hisce Præsulibus fuit S. Malachias Connerethensis primum episcopus, postea archiepiscopus Armacanus, qui, auctore S. Bernardo in ejus Vita, capite VIII, « foris et rura » et oppida sæpius percurrebat cum sancto illo » comitatu discipulorum suorum, qui nunquam » deerant lateri ejus. Ibat, et erogabat vel in» gratis cœlestis tritici mensuram. Nec vehebatur equo, sed pedes ibat, et in hoc virum se » Apostolicum probans. »

XIV. Celeberrimum illud est quidem quod cap. XIX idem Bernardus subjicit; sic enim Apostolicas Malachiæ visitationes comparat cum illis sui ævi Episcoporum : « Denique cum » exiret ad prædicandum, cum peditibus pedes » et ipse ibat, Episcopus et Legatus. Forma » Apostolica hæc; et inde magis mira in Mala» chia, quo rara nimis in aliis. Verus profecto » Apostolorum hæres iste, quia talia agit. Sed » advertere est quomodo dividat hæreditatem » cum Fratribus suis, æque nepotibus Aposto» lorum. Illi dominantur in Clero : iste dum » esset liber ex omnibus, omnium se servum » fecit. Illi aut non evangelizantes manducant, » aut evangelizant ut manducent : Malachias » imitans Paulum manducat ut evangelizet. Illi » fastum et quæstum æstimant pietatem : Ma» lachias hæreditate vindicat sibi opus et onus. » Illi felices se credunt, si dilataverint terminos » suos : Malachias in dilatanda charitate glo» riatur. Illi congregant in horrea, et dolia » replent, unde onerent mensas : Malachias

Digitized by Google

» colligit in deserta et solitudines, unde impleat » cœlos. Illi cum accipiant decimas, et primi- » tias, et oblationes, insuper et de Cæsaris » beneficio telonia, et tributa, et alios redditus » infinitos, solliciti sunt nihilominus quid » manducent et quid bibant : Malachias nihil » horum habens, multos tamen locupletat de » promptuario fidei. Illis nec cupiditatis nec » sollicitudinis ullus est finis : Malachias cupiens » nihil, non novit tamen cogitare de crastino. » Illi a pauperibus exigunt quod dent diviti- » bus : iste sollicitat divites pro pauperibus » sustentandis. Illi marsupia vacuant subdito- » rum : iste pro peccatis eorum, altaria cumulat » votis hostiisque pacificis. » Tum addit : « Illi » alta palatia erigunt, turres et mœnia ad cœlos » levant : Malachias non habens ubi caput re- » clinet, opus facit Evangelistæ. Illi equos » ascendunt cum turba hominum gratis man- » ducantium panem, et non suum : Malachias » septus sanctorum fratrum collegio, pedes cir- » cuit, portans panes Angelorum, quibus satiet » animas esurientes. Illi plebes ne agnoscunt » quidem : iste erudit. Illi potentes et tyrannos » honorant : iste punit. »

XV. Placuit prolixum hunc locum describere, ut videas qualis fuerit sæculo XII vita et visitatio quorumdam Episcoporum; atque ut inde addiscant hodierni Præsules uti se gerere debent in regimine Ecclesiarum. Certe S. Malachiam Archiepiscopum Armacanum imitatus est noster Oliverius Plunket ejusdem Armacanæ Ecclesiæ Antistes, atque totius Hiberniæ Primas a Clemente IX Pontifice Maximo, ob eximias ejus animi dotes, constitutus anno 1670, ætatis suæ 41. Quanquam enim missus esset ad lupos, stetit in medio luporum Pastor intrepidus, totamque provinciam circumiens, perquirebat anhelus quem Christo acquireret; paratus et animam suam dare pro ovibus, partes boni Pastoris explevit; quamobrem, licet sub alio prætextu, violatarum scilicet regis Angliæ legum, in odium Catholicæ Religionis, crudelissimam mortem oppetiit die 1 julii anni 1681. Vitæ illius compendium Italico idiomate scripsit noster Joannes Marangonus una cum aliis Vitis servorum Dei, qui nostræ Congregationi Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis nomen dederunt. Unus enim ex iis fuit Oliverius, inter nostros adscitus anno 1654; exstatque hodie ejus effigies inter alias illustrium Patrum in aula domus, cum hac inscriptione : P. OLIVERIUS E COMIT. PLUNKET. HYBERN IN COLL. DE PROPAG. FIDE S. THEOL. ET CONTROV. LECTOR. ARCHIEP. ARMAKANUS AC TOTIUS HYBERNIÆ PRIMAS OB. KAL. JUL. MDCLXXXI.

XVI. Quæ hodie procurationes Prælatis diœcesim visitantibus præstandæ sint, diserte declarat Concilium Tridentinum, sessione XXIV, *De Reformatione*, cap. III, ubi, postquam dixit visitationum omnium Episcopalium præcipuum scopum esse, « sanam orthodoxamque doctri- » nam, expulsis hæresibus, inducere, bonos » mores tueri, pravos corrigere, populum co- » hortationibus et admonitionibus ad religio- » nem, pacem, innocentiamque accendere; » cætera prout locus, tempus et occasio feret, » ex visitantium prudentia ad fidelium fructum » constituere : *mandat primum ut modestissimo* » *comitatu ac mensa frugali utantur Præsules* » *diœcesim visitantes, nec usquam moras tra-* » *hant, ni salus populi aliter cogat.* Modesto » contenti equitatu famulatuque, studeant » quam celerrime, debita tamen cum diligentia, » visitationem ipsam absolvere. » Secundo, ut nihil prorsus muneris accipiant, non ipsi, non ipsorum ministri, quantumvis sponte offeratur, sed pastu mediocri contenti sint : « Caveant ne » inutilibus sumptibus cuiquam graves onero- » sive sint; neve ipsi, aut quispiam suorum » quidquam procurationis causa pro visitatione » etiam testamentorum ad pios usus, præter id » quod ex relictis piis jure debetur, aut alio » quovis nomine, nec pecuniam, nec munus » quodcumque sit, etiam qualitercumque offe- » ratur, accipiant, non obstante quacumque » consuetudine etiam immemorabili; exceptis » tamen victualibus, quæ sibi ac suis frugaliter » moderateque, pro temporis tantum necessi- » tate, et non ultra, erunt ministranda. » Tertio, ut in arbitrio sit eorum qui visitantur, alimenta, vel eam pecuniæ quantitatem suppeditare de qua convenerit, citra ullum antiquarum conventionum præjudicium : « Sit tamen in » optione eorum qui visitantur, si malint sol- » vere id quod erat ab ipsis antea solvi, certa » pecunia taxata, consuetum; salvo item jure » conventionum antiquarum cum monasteriis, » aliisve piis locis, aut ecclesiis non parochiali-

Digitized by Google

» bus inito, quod illæsum permaneat. » Quarto, ne in iis regionibus in quibus mos inolevit visitandi gratuito Ecclesias, exigatur quidquam, ne ipsa quidem alimenta : « In iis vero locis » seu provinciis, ubi consuetudo est ut nec » victualia nec pecunia, nec quidquam aliud a » Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis » fiant, ibi id observetur. »

XVII. Mandat hæc quidem in laudato capite Concilium Tridentinum, ejusque decreti violatoribus, qui nempe aliquid amplius acciperent, præter dupli restitutionem, alias etiam pœnas comminatur, contentas in capite *Exigit*, *De censibus*, in Sexto, aliisque itidem mulctandos eosdem præcipit in Synodo provinciali, arbitrio Synodi : « Quod si quisquam, quod absit! aliquid » amplius in supradictis omnibus casibus acci- » pere præsumpserit, is, præter dupli restitutio- » nem, intra mensem faciendam, aliis etiam » pœnis juxta constitutionem Concilii generalis » Lugdunensis, quæ incipit, *Exigit ;* nec non » et aliis pœnis in Synodo provinciali, arbitrio » Synodi, absque ulla spe veniæ mulctetur. » Ubi nota, quod scite observat laudatus Thomassinus, parte II *Disciplinæ*, lib. III, cap. LXXX, num. VIII, in fine, novo robore munitam et confirmatam esse a Concilio Tridentino, sessione XXIV, capite III, Decretalem constitutionem quæ incipit, *Exigit*, *De censibus*, in Sexto, quæ Gregorii X erat in Concilio Lugdunensi II, et qua innovabatur altera Decretalis constitutio quæ incipit, *Romana Ecclesia*, tit. eodem, quæ Innocentii IV nomine radiabat. His porro decretis id cavebatur : 1° ne procurationes exigere possent Episcopi pecunia solvi ; 2° ne a locis possent extundere, quæ non visitarent; 3° denique ne munera ulla admitterent.

XVIII. Reliquum est ut videamus nunc breviter quæ ab Episcopis loca visitari possint ac debeant. Ex Concilio Tridentino, sessione VII *De Reformatione*, cap. VII, Episcopali visitationi subjecta sunt quidem beneficia, ut aiunt, curata. Ne qua autem Ecclesiarum exemptio necessariam hanc visitationem impediat, cap. VIII cautum est ut « locorum Ordinarii Ecclesias » quascumque quomodolibet exemptas auctori- » tate Apostolica singulis annis visitare tenean- » tur, et opportunis juris remediis providere, » ut, quæ reparatione indigent, reparentur ; et » cura animarum, si qua illis immineat, aliisque » debitis obsequiis minime defraudentur : » appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, » etiam ab immemorabili tempore præscriptis, » judicum deputationibus, et illorum inhibitio- » nibus penitus exclusis. » Rursus, sessione XXI, *De Reformatione*, cap. VIII, idem Concilium mandat visitanda quotannis ab Episcopis ipsis etiam, tanquam Apostolicæ Sedis delegatis, Monasteria commendata, etiam exempta. Ne quis vero, contra mentem Concilii, prætendat hoc decretum ad Ecclesias nullius diœcesis minime pertinere : idcirco novo edito decreto Concilium ipsum mentem suam clarius exprimens, sessione XXIV, *De Reformatione*, capite IX, visitari jubet et ipsas debere « ab Episcopo cujus » cathedralis ecclesia est proximior, si id con- » stet ; alioquin ab eo qui semel in Concilio » provinciali a Prælato loci illius electus fuerit, » tanquam Sedis Apostolicæ delegato, non » obstantibus privilegiis et consuetudinibus » quibuscumque, etiam immemorabilibus. » Sessione XXV, cap. XI, illud quoque præscriptum est ut in Monasteriis, tam virorum quam mulierum, quibus imminet cura personarum sæcularium, præter eas quæ sunt de illorum familia, Episcopus visitet, et eidem curæ præficiendas examinet, certis exceptis, de quibus in laudato cap. XI fit mentio.

XIX. Sessione tandem XIV, *De Reformatione*, cap. IV, omnes generaliter Clerici Episcopali visitationi subjiciuntur ; itemque Capitula cathedralium, et aliarum majorum ecclesiarum etiam exempta, ex sessione VI, cap. IV *De Reformatione*. Quod autem jus hodie competat Episcopis visitandi hospitalia, et alia pia loca, idem Concilium sessione XXII, *De Reformatione*, c. VIII, his verbis declarat : « Episcopi etiam, tanquam » Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure » concessis, omnium piarum dispositionum, » tam in ultima voluntate quam inter vivos » sint exsecutores. Habeant jus visitandi hospi- » talia, collegia quæcumque, ac confraternitates » laicorum, etiam quas scholas, sive quocumque » alio nomine vocant, non tamen quæ sub re- » gum immediata protectione sunt, sine eorum » licentia, eleemosynas montis-pietatis sive » charitatis, et pia loca omnia, quomodocumque » nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum » cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca » exemptionis privilegio sint munita, ac omnia

Digitized by Google

» quæ ad Dei cultum, animarum salutem, seu » pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex » officio suo juxta sacrorum Canonum statuta » cognoscant et exsequantur : non obstantibus » quacumque consuetudine, etiam immemora- » bili, privilegio, aut statuto. » Hæc ad tituli » hujus nostri rubricam dicta hactenus a nobis fuisse, gratum forte erit lectori, qui si plura quæ praxim visitationum spectant, scire desideret, adire poterit Canonici Juris consultos, Fagnanum, Barbosam, ac alios, itemque recentiores varios auctores, qui de Episcopali visitatione peculiares tractatus ediderunt.

§ I.

Pontifex visitaturus diœcesim et parochias suas, cum ad civitatem seu oppida suæ diœcesis pervenerit, recipitur processionaliter eo ordine, prout supra in receptione Prælati seu Legati dictum est. Hoc solo dempto quod, loco Orationis *Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna, etc.*, seu *Deus omnium, etc.*, ipso Prælato ante altare in faldistorio genuflectente, dicitur sequens Oratio :

OREMUS.

Deus, humilium visitator, qui eos paterna dilectione consolaris, prætende societati nostræ gratiam tuam, ut, per eos in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ II.

Qua finita, Pontifex surgens ascendit ad altare majus, osculaturque illud in medio, et ibidem populo solemniter benedicit.

COMMENTARIUS.

I. Statutum est quidem in Concilio Ravennate, quod habitum est anno 1314, rubrica VI, ut quoties Episcopi per urbis vicos progrederentur, vel per suæ diœceseos fines, tympanum concreparet, quo monerentur omnes adproperare, genua flectere, et Episcopali benedictione donari : « Sacro approbante Concilio mandamus » ac statuimus quod, quotiescumque Episcopi » per civitates suas et diœceses transierint, » campanas pulsent seu pulsari faciant, ita » quod populus audire possit, et exire, et genu- » flectere ad benedictionem suscipiendam. » Si Episcopi vero accederent ad ecclesias Collegiales, aut Conventuales, obviam iis iretur in linea veste, aqua lustrali, thure, cruce, et psalmodia. Sic enim statim sequitur : « Eadem præsidentia » et approbatione mandamus et statuimus quod, » quotiescumque Episcopi accedent ad ecclesias » locorum ubi sunt capitula seu conventus, » certioratis illis de suo adventu, campanis » pulsatis, cum cottis et pluvialibus, si habue- » rint, aqua benedicta, et incenso, et cruce, » psallendo seu cantando, processionaliter et » devote eis obviam reverenter occurrant usque » ad portam ecclesiæ, vel usque ad limen cœ- » meterii, et ipsi domini Episcopi super se » prostratos (hoc est, super eos qui se prostra- » verunt) ante altare, dicta cum cantu per Sa- » cerdotem Oratione, surgentes osculati fuerint » altare, impendant benedictionem solemnem. » Ex manuscripto Pontificali Durandi, et ex aliis plurimis editis ante Clementem VIII Pontificalibus libris, finita Oratione, Prælatus qui genuflexerat, « surgit, ascendit ad altare majus, » osculatur illud in medio, et ibidem populo » solemniter benedicit. »

II. Quod ritum spectat recipiendi Episcopum cum primo ad Ecclesiam suam perveniebat, jam fuse explicuimus supra ad titulum XX, qui inscribitur *Ordo ad recipiendum processionali-*

Digitized by Google

ter Prælatum vel Legatum, itemque tomo I hujus operis ad titulum XIII, *De consecratione electi in Episcopum*. Quo amoris et observantiæ significatione, quoque apparatu a Mediolanensibus suis exceptus sit S. Carolus, eorum Antistes, ubi primum in urbem ingressus est 2 kal. octobris anni 1565, narrat in ejus Vita Carolus a Basilica Petri, lib. I, pag. 27, sic dicens : «Triumphales portas, symbola, elogiaque » honorificentissima, ac viarum ornatus non » est opus explicare. E basilica regum quæ » nunc Eustorgiana est, de more, mitra et cæte» ris Pontificalibus indumentis ornatus prodiit. » Albo equo stragulis coloris ejusdem sericis » adhibitis insidebat. Confaloneriæ familiæ, cu» jus illud est jus et institutum; nobiles viri » rubeo et splendido vestitu pedites eum cin» gebant : sericum umbraculum itidem album, » sublime super eum ferebant : Clericis et Mo» nachis ordine præeuntibus, ad majorem ec» clesiam sacra solemni pompa processit. Dux » cum senatu et aliis magistratibus et omni fere » nobilitate comitatus est : universa civitas con» currit : reliqua acta atque adhibita pro ritu » consueto. » Summa itidem obsequii ac observantiæ significatione receptos vel olim a populis proprios Pastores, docent nos Acta sancti Severini episcopi Septempedani, de quo vide quid ea in re in ejusdem Vita, quam propediem est editurus in lucem, scribit vir apprime eruditus, Bernardus Gentilius, nostræ Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis presbyter.

§ III.

Deinde, vel in medio Missæ, versus ad populum sedens, proponit populo causas adventus sui, quia sacri Canones et Ecclesiasticus ordo hoc fieri præcipiunt propter multa. Primo ad absolvendas animas defunctorum.

COMMENTARIUS.

I. Absolvere animas defunctorum nihil aliud est quam Orationes et quasvis alias preces pro defunctis dicere, thurificationes quoque, aspersiones, aliasque id genus cæremonias peragere circa corpora defunctorum. Odo episcopus Parisiensis, qui floruit labente sæculo XII, in præceptis Synodalibus § VII, ejus quidem vocis mentionem facit, sic dicens : « Sacerdotes au» dito parochianorum suorum obitu, statim » absolvant eos cum Psalmis pro defunctis, et » Collecta. » Forma et ritus prædictæ absolutionis habetur in manuscripto cæremoniarum codice monasterii Beatæ-Mariæ Deauratæ Tolosanæ : « Fit circuitus, inquit, per cimiterium a » Priore vel ab Domadario, abstergendo ab aqua » benedicta, et post, finito Responsorio cum ver» sibus, absolvuntur mortui ab illo qui fecit » officium. »

II. Quod in nostro hoc § edicitur, ut in medio Missæ Prælatus versus ad populum sedens, proponere populo debeat causas adventus sui, vix in antiquis manuscriptis Pontificalibus reperitur. In Pontificali codice Lugduni edito anno 1542, ita hæc Rubrica describitur : « Dein» de versus ad populum, sedens ibidem in » aliqua sede seu faldistorio, vel stans apo» diatus ad altare, prout sibi magis placebit, » proponit populo causas adventus sui, etc. » Ubi nota nullam in ipso Pontificali, quemadmodum neque in aliis pluribus Pontificalibus libris, fieri mentionem de Missa dicenda a Prælato ecclesiam visitante. Certe vidi fere semper Episcopos aliosque Prælatos visitare ecclesias, eumque ritum minime servasse alloquendi populum in Missa de causis adventus sui. Porro quod in nostro hoc § præscribitur, fieri ipsam allocutionem *in medio* Missæ, hoc non ita intelligendum est, ut circa consecrationem fiat, sed post recitatam Evangelii lectionem : tunc enim mos fuit sermonem ad populum haberi, ac alia quæ fieri nota populo congruens erat, ab Episcopo ipso, vel ejus jussu ab aliis promulgari.

Digitized by Google

§ IV.

Secundo, ut sciat et videat qualiter Ecclesia ipsa spiritualiter et temporaliter gubernetur; quomodo se habeat in ornamentis; qualiter ibi Ecclesiastica Sacramenta ministrantur, et divina Officia peraguntur; quale servitium ibi impenditur; qualis sit vita Ministrorum et populi; ut, ex officio inquisitionis suæ, per eum, si qua in præmissis corrigenda fuerint, corrigantur et emendentur.

COMMENTARIUS.

I. Synodus Tridentina, quæ veterum Canonum dici compendium potest, postquam sessione XXIV, *De Reformatione*, capite III, declaravit quando Episcopi, et alii quibus jus visitandi Ecclesias competere consuevit, visitationem instituere debeant, ita subjungit : « Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque » doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, » bonos mores tueri, pravos corrigere, populum » cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere; » cætera prout locus, tempus, et occasio feret, » ex visitantium prudentia ad fidelium fructum » constituere. » Ubi nota visitationem præcipue versari debere circa interiorem diœceseos statum, ut nimirum Episcopi diligentiam omnem visitando adhibeant, non modo in ecclesiarum cultu et ornamento tuendo augendove, sed maxime in omni et Cleri et populi pristina Christiana disciplina restituenda, in utriusque item moribus cognoscendis, iisdemque depravatis corrigendis, juxta doctrinam S. Caroli in Concilio IV provinciali Mediolanensi exhibitam, parte III Constitutionum, cap. *De Visitatione*.

II. Hausit hanc doctrinam S. Carolus ex antiquis sacris Canonibus, qui quidem mandant ut in visitatione observentur quæ pertinent ad curam animarum et administrationem Sacramentorum, ad cultum et ornatum ac refectionem ecclesiarum, ad Clericorum correctionem, et cætera hujusmodi in hoc § nostro præscripta : « Episcopum, » inquit Concilium Toletanum IV, anni 633, can. XXXV, « per cunctas diœceses » parochiasque suas per singulos annos ire » oportet, ut exquirat quo unaquæque basilica » in reparationem sui indigeat. Quod si ipse, aut » languore detentus, aut aliis occupationibus » implicatus, id explere nequiverit, Presbyteros » probabiles aut Diaconos mittat, qui et redditus » basilicarum et reparationes, et ministrantium » vitam inquirant. » Ubi nota 1° in Hispaniis unam ex aliis visitandarum parochiarum causis fuisse, ut reparationes ecclesiarum ab Episcopis procurarentur, quod apud eosdem deponeretur tertia pars illa proventuum quæ reparandis ecclesiis dicata erat, quemadmodum liquet ex Concilio Tarraconensi, can. VIII, cujus statuto urgentur Episcopi ad ecclesias suas omnes quolibet anno visitandas; 2° moris necdum fuisse ut a Vicariis generalibus vel ab Archidiaconis, vel denique ab Officialibus diœceses visitarentur; permittebatur enim Episcopis, ubi ægroti, vel alias occupati erant, per Presbyteros vel Diaconos eo fungi munere, ut scite observat Thomassinus, parte II *Disciplinæ*, lib. III, cap. LXXVIII, num. XVII.

III. Rursus apud Hispanos, in Bracharensi II Synodo, anni 572, can. I, jussi sunt Episcopi biduum cuique parochiæ visitandæ impendere, primum nempe diem examinandis Clericorum moribus, et qua ab ipsis ratione vel ministrentur Sacramenta, vel psalmodiæ sacræ Officia celebrentur : « Placuit ut per singulas ecclesias » Episcopi diœceseos ambulantes, primum » discutiant Clericos, quomodo ordinem Baptismi teneant, vel Missarum, et quæcumque » officia in ecclesia peraguntur. » Diem alterum jubentur impendere docendis fidelibus, tum circa Fidei orthodoxæ præcepta, tum circa mores ad pietatem aptandos : « Postquam ergo » in his suos Clericos discusserint vel docuerint » Episcopi; alia die, convocata plebe ipsius » Ecclesiæ, doceant illos ut errores fugiant » idolorum, vel diversa crimina, id est, homicidium, adulterium, perjurium, falsum testimonium, et reliqua peccata mortifera; aut » quod nolunt sibi fieri, ne faciant alteri, et ut

Digitized by Google

» credant resurrectionem omnium hominum; » diem judicii, in quo unusquisque secundum » sua opera recepturus est. » Atque ita duo saltem dies in unaquaque parochia visitanda ab Episcopis impendendi erant; tum vero statim id canon subjungit : « Et sic postea Episcopus de » ecclesia illa proficiscatur ad aliam. »

IV. Vetus tandem formula inquisitionis a Reginone abbate Prumiensi in suo opusculo *De Ecclesiasticis disciplinis* descripta, atque in duos libros distincta, juxta quam Episcopi aliique inferiores Prælati visitationem suam dirigere olim debebant, diserte nos docet quid ab Episcopis primum circa Ecclesiasticos viros, quid deinde circa laicos esset in visitatione inquirendum. Plurima in hoc Reginonis opusculo utilia, nostrisque hisce temporibus accommodata Ecclesiasticæ disciplinæ studiosus Præsul reperiet; illo usum S. Carolum in formandis sacræ visitationis instructionibus, quæ in *Actis Ecclesiæ Mediolanensis*, parte IV exstant, innuit quidem harum cum *Inquisitione*, quæ exstat in laudato opusculo Reginonis, in multis consonantia.

§ V.

Tertio ad adulteria, fornicationes, sacrilegia, divinationes et similia publica in populo punienda, ad quod interdum non sufficiunt Ecclesiarum Rectores, ostendens diligenter populo quam damnabilia et detestanda sunt crimina ipsa.

COMMENTARIUS.

I. Synodus Tridentina, sessione XXIV, *De Reformatione*, cap. X, volens providere ne Prælatorum visitationes suo frustrarentur fructu, atque ut visitationes ipsæ ad mentem Ecclesiæ instituerentur, statuit quidem ut Episcopi, quo aptius populum quem regunt possint in officio atque obedientia continere, in omnibus iis quæ ad visitationem ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus et potestatem habeant, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, et exsequendi juxta Canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua, pro subditorum emendatione ac diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Plane consonat hoc decretum constitutioni Innocentii IV, in cap. I, § *Sane*, *De censibus* in VI, ubi modum quem in sua visitatione Prælati observare debent, ita describit : « Sane hujusmodi impensurus officium, propo- » sito verbo Dei, quærat de vita et conversatione » ministrantium in ecclesiis et locis aliis divino » cultui deputatis, ac cæteris quæ ad officium » spectant, absque coactione et exactione qua- » libet juramenti, ad ipsorum subditorum » emendationem per salubria monita, nunc » levia nunc aspera, juxta datam sibi a Deo » prudentiam, diligenter intendens. Quod si de » aliquibus orta fuerit infamia, contra eos » Ordinariis ipsorum, ut super his solemniter » inquirant, denuntiet, si viderit expedire. » Notoria vero crimina, quæ examinatione non » egent, libere corrigat, pœnam debitam pro » illis infligendo. »

II. Ex duobus hisce decretis manifeste illud deducitur, visitationem ad morum magis correctionem quam judicarium processum pertinere; ideoque officium Visitatorum non male a nonnullis conferri cum officio ædilium Romanorum, quod magis in lustrando et exsequendo quam cognoscendo consistebat. Si quid enim obvium esset quod politiam notorie offenderet, ædiles e medio tolli, frangi, emendari jubebant, magis facti quam juris tramitem servantes. Sic Episcopos aliosque Visitatores in sua visitatione diœcesim circumire ac lustrare debere; et quidquid inordinatum repererint, reformare sine strepitu ac forma ordinaria judicii, sed summarie, non pœnas ordinarias imponendo, sed correctiones; neque circa dubia et altiorem indaginem requirentia, sed circa notoria versari potissimum ipsos debere, post Zypæum in *Jure novo*, tit. *De accusationibus*, num. IX. Zegerus Bernardus Van-Espen notat, parte I *Juris Ecclesiastici universi*, tit. XVII, capite IV, ubi etiam bina sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretum decreta recensentur, alterum die 24 aprilis 1595; alterum die 1 februarii 1607; quibus edicitur Episcopum non posse imponere in visitatione pœnas ordinarias, sed tantum extraordinarias, quæ magis morum emen-

Digitized by Google

dationem et correctionem quam delicti vindictam respiciant.

III. Hæc quidem procedunt ubi delicta non sunt notoria, alias enim locum habet memoratum Innocentii IV decretum, quo Episcopis mandat ut in visitatione « notoria crimina, quæ » examinatione non egent, libere corrigat, » pœnam debitam pro illis infligendo. » In visitandis maxime parochiis suam explicuisse olim Episcopos jurisdictionem adversus homines criminosos, affirmat in *Capitularibus* suis Carolus Magnus. Tum enim potissimum eorum zelum sævisse in homicidas, incestuosos, adulteros, et in omnes denique publicis criminibus irretitos, constat ex tomo II *Conciliorum Galliæ*, pag. 248 : « Ut Episcopi circumeant parochias » sibi commissas, et ibi inquirendi studium » habeant de incestu, de parricidiis, fratricidiis, » adulteriis, cenodoxiis, et aliis malis quæ contra» ria sunt Deo. » Cum præ cæteris necessaria et operosissima esset horum flagitiorum animadversio, gravissimisque vallata difficultatibus, quibus superandis pares vix essent vel Parochi, vel comites, operæ pretium erat ut prosiliret Episcopus ipse singulis annis, et has ac similes pestes in suis usque latibulis insectaretur : « Statuimus ut singulis annis unusquisque » Episcopus parochiam suam sollicite circumeat » populum confirmare, et plebes docere, et » investigare, et prohibere paganas observa» tiones, divinosque, vel sortilegos, phylacteria, » incantationes, vel omnes spurcitias gentilium » studeat. » Exstat hoc decretum lib. VII *Capitularium*, cap. XCIII; itemque cap. CIX legimus : « Ut singulis annis unusquisque Episcopus » parochiam suam circumeat, populumque » confirmet ac doceat, et ea quæ vitanda sunt » cohibeat, et quæ agenda sunt, utiliter agere » suadeat. » Capite demum CCCLX, ita inquit : « Placuit ut unusquisque Episcopus per singulos » annos, cunctas diœceses parochiasque suas » circuire non negligat, sed docendo, confir» mando, singulaque quæ necessaria sunt » restaurando et corrigendo, prout melius » valuerit, reformare satagat. »

IV. Cum vero Episcoporum auctoritas, imo et Ecclesiasticæ censuræ ad emendationem vitiorum, et abusuum præcipue inveteratorum et longe lateque grassantium vix sufficerent, jampridem in more positum fuit ut Episcopis ministri regii, quos media ætas *Missos Dominicos* vocabat, adjungerentur; ad faciliorem scilicet exsecutionem eorum quæ Episcopi, visitando, pro morum correctione ordinanda censebant : protestantibus ipsis regibus, ad hoc a se *Missos* constitui ut Episcopi eorum adjutorio munus suum et ministerium facilius implerent, uti videre est lib. II *Capitularium*, cap. XXVI; ac ut loquitur Concilium Arelatense, anni 813, can. XVII : « Ut quos Sacerdotalis admonitio » non flectit ad justitiam, regalis potestas ab » improbitate coerceat. » Hinc, et Concilium Moguntinum, anni 847, can. VII, statuit ut « consentientes sint comites et judices Præsu» libus suis ad justitias faciendas. » Verosimilius est tum, ut nunc vocant, brachium sæculare advocatum ab Episcopis, si vires non suppeterent, ad coercendos delinquentes, et pœnis quidem, ut arbitror, corporalibus : tametsi, uti alibi etiam a nobis dictum est, corporalem castigationem aliquando ab Episcopis adhibitam antiquæ Synodi et Patres testentur. Nam S. Augustinus in Epistola CLIX, ad Marcellinum, de virgarum verberibus loquens, « Qui modus, » inquit, coercitionis, et a magistris artium li» beralium, et ab ipsis parentibus, et sæpe etiam » in judiciis solet ab Episcopis adhiberi. » Synodus quoque Venetica, in Galliis habita anno 465, can. VI, de Monachis protervis, et minus obsequentibus hæc habet : « Quos si verborum in» crepatio non emendaverit, etiam verberibus » statuimus coerceri. »

V. Quod ipsos tandem Missos Dominicos spectat, dignum ac necessarium visum est Concilio Moguntino, anni 813, can. XX, ut ipsi per quæque loca directi, simul cum Episcopis uniuscujusque diœcesis, loca perspicerent monasteriorum Canonicorum pariter et Monachorum, similiter et puellarum; ut nempe per singulas civitates et monasteria providerent quæ ipsis necessaria sunt, abususque emendarent. Vide *Capitularium* librum I, cap. CXXII, et librum V, cap. LXXVIII. Cæterum quod ipsi Missi Dominici, id est regii legati, duplicis fuerint ordinis, Ecclesiastici scilicet, et sæcularis, constat ex cap. XXV, lib. II *Capitularium*, ubi et Missi utriusque ordinis nominantur, et diœceses visitandæ : « In Vesontio, quæ est diœcesis Ber» noini Archiepiscopi, Heiminus Episcopus, et » Monogoldus comes. In Mogontia, quæ est

Digitized by Google

» diœcesis Heistulphi Archiepiscopi, idem Hei-
» stulphus Episcopus, et Rhuotbertus comes.
» In Treveris Hetti Archiepiscopus, et Adal-
» bertus comes, etc. »

§ VI.

Quarto, propter casus qui de jure vel consuetudine ad Episcopum duntaxat pertinere noscuntur, qui in Constitutionibus synodalibus continentur, in quibus nullus alius se intromittere potest; protestans plebi quod si quis vel si qua in aliquo ipsorum casuum, vel in quocumque alio, consilio ejus indiguerit, paratus sit benigne audire, et consilium et absolutionem impendere, aut pœnitentiam misericorditer injungere salutarem.

COMMENTARIUS.

I. Quanquam potestas Ordinis simplicibus Presbyteris in eorum ordinatione collata, se ad omnia peccata remittenda extendat; quia tamen ad usum istius potestatis, uti passim theologi docent, necessaria est jurisdictio, quæ a majoribus ad inferiores descendit, ideo superior Prælatus sibi aliqua reservare potest, in quibus minime inferiori committat. Testatur id quidem inter alios Angelicus Doctor in IV *Sententarum*, sive quæstione XX Supplementi, articulo II. Complura harum reservationum decreta legere est in Jure Canonico, præsertim vero in canone *Si quis suadente*, XVII, quæstione IV; itemque in cap. *Conquesti*, *De sententia excommunicationis*; et cap. *Quicumque*, titulo eodem in Sexto. Concilium Tridentinum, sessione XIV, can. XI, eos anathemate ferit qui dixerint « Episcopos non habere jus reservandi sibi ca-
» sus, nisi quoad externam politiam, atque ideo
» casuum reservationem non prohibere quomi-
» nus Sacerdos a reservatis vere absolvat. »

II. Binas præsertim ob causas consuevisse jam olim Prælatos superiores, Episcopos nimirum ac Romanos Pontifices, reservare sibi quorumdam peccatorum absolutionem, constat. Prima est, ut hominum propensio ad peccandum quodam verecundiæ freno coerceatur, dum Summus Pontifex vel Episcopi sunt adeundi ad obtinendam absolutionem. Altera causa est, ut morbi graviores medicis peritioribus curandi serventur. Quod Episcopos spectat, ex canone XVI Concilii Arelatensis, anni 1260, addiscimus, consuevisse aliquando ipsos, « pro-
» pter imbecillium et impotentium et pauperum
» occupationes et penuriam, aliquando per villas
» et oppida Pœnitentiarios suos in Quadrage-
» sima destinare, ut eos a casibus qui majori-
» bus reservantur, » absolverent. Hinc plane constat, ubi Episcopi diœcesim lustrabant, eorum fuisse officium reservatis sibi peccatis absolutionem impertiendi. Porro S. Carolus in sua Mediolanensi I provinciali Synodo, cap. *De Visitatione*, recensens quæ ab Episcopis in visitatione præstari debent, inter alia ita inquit: « Omnes ad pœnitentiam cohortabuntur; et
» quos aliquo peccato teneri cognoverint, cujus
» absolutio Episcopo reservata sit; eos pie con-
» fitentes et humiliter veniam petentes, vel ipsi,
» vel per alios ad id munus delectos, absolvant. »
Idipsum in aliis quoque Conciliis provincialibus præscriptum legitur, quæ hic recensere supervacaneum est.

§ VII.

Quinto, ad exhibendum sacramentum Confirmationis, cujus solus Episcopus ordinarius minister est.

COMMENTARIUS.

I. Tradit S. Hieronymus, in *Dialogo adversus Luciferianos*, veterem esse Ecclesiæ consuetudinem, ut in visitandis parochiis Ecclesiisque longinquis Episcopi baptizatos a Presbyteris sacramento Confirmationis donarent: « Non ab-
» nuo, inquit, hanc esse Ecclesiarum consuetu-

Digitized by Google

» dinem, ut ad eos qui longe in minoribus » urbibus per Presbyteros et Diaconos baptizati » sunt, Episcopus ad invocationem sancti Spi- » ritus manum impositurus excurrat. » Episcopus ex prisco Ecclesiæ instituto diœcesim suam perlustrare solitus erat, neophytis sancti Spiritus gratiam manuum impositione impertiturus. Atque huc spectat sancti Gregorii monitum, lib. VIII, Epistola XLVI, ad Episcopum Elusinum : « Præterea, inquit, Ecclesiis, ad » quas sine labore potestis accedere, Fraterni- » tas vestra officium visitationis impendat, ut ii » qui illic Deo propitio baptizantur, inconsi- » gnati non debeant remanere. »

II. Frequentissime inculcata est hæc disciplina in Conciliis. Germanicum I, anni 742, et Liptinense, anni 743, can. III, ita quidem mandant : « Quandocumque Jure Canonico Episco- » pus circumierit parochiam ad confirmandos » populos, Presbyter semper paratus sit ad sus- » cipiendum Episcopum cum collectione et » adjutorio populi qui ibi confirmari debet. » Ubi obiter nota, verbis illis, *cum collectione et adjutorio populi*, significare voluisse canonem procurationes, sive jus illud quo Parochi Episcopum visitantem cum comitatu suo alere et sustentare tenentur. Hunc autem esse canonis sensum, ex Concilio Suessionensi, habito anno 744, can. IV, addiscimus, in quo similibus verbis non modo Parochi, sed et Abbates ipsi, eadem necessitate procurandi sive alendi Episcopum constringuntur : « Et quando jure ca- » nonico Episcopus circumit parochiam ad con- » firmandum populum, Abbates et Presbyteri » parati sint ad suscipiendum Episcopum in ad- » jutorium necessitatis. » Unde facile intelligitur memoratis verbis *Jure Canonico*, a Germanica et Liptinensi, et paulo post a Suessionensi Synodo usurpatis, jus procurationum voluisse Synodos ipsas fixum et inconcussum posthac constare, ut cui prisci canones suffragarentur.

III. Idipsum de visitandis ab Episcopo parochiis, ut nimirum baptizatos confirment, complures et aliæ Synodi statuerunt ; Cabillonensis II, anni 813, can. XIV, hæc habet : « Observandum » etiam modis omnibus est ut, si quando eis » peragrandæ parochiæ necessitas incumbit ; in » confirmandis hominibus, in inquirendis rebus » emendatione dignis, in prædicatione verbi » Dei, in lucris animarum potius quam depræ- » dandis et spoliandis hominibus et scandalizan- » dis fratribus operam dent. » Eamdem praxim confirmant duæ Burdigalenses Synodi, altera anni 1254, capite LVII, altera anni 1262, cap. IV, decernens ut, dum contigerit Episcopum suam diœcesim visitare, Parochus ejus, accepto nuntio, moneat et inducat subditos ut ad recipiendum Confirmationis sacramentum se præparent. Tandem Herbipolensis Synodus, anni 1287, cap. XXVII, postquam dixit, ob defectum visitationis, « multos mares et mulieres quasi sexa- » genarios inveniri nondum unctione chrismatis » confirmatos, » statim mandat « ut singuli » Archiepiscopi et Episcopi civitates et diœceses » suas, per se, vel per alium aut alios, anno » quolibet, vel ad minus de biennio in bien- » nium, visitare studeant, confirmando confir- » mandos, et corrigendo quæ sunt corrigenda. »

IV. Ex Sanctorum tum veterum tum recentiorum Præsulum Vitis illud plane constat, diligentissimos ipsos fuisse in administranda baptizatis Confirmatione, dum diœcesim visitarent. Narrat venerabilis Beda in Vita S. Cuthberti Lindisfarnensis episcopi, cap. XXIX, « Quod, » dum parochiam suam circuiens, monita salu- » tis omnibus ruris casis et viculis largiretur, » necnon etiam nuper baptizatis ad accipien- » dam Spiritus sancti gratiam manum impone- » ret, » comitis cujusdam uxorem ab ægritudine liberavit. Simile exemplum in ejusdem Sancti Vita, cap. XXXII, occurrit. Quam diligens in eo administrando Sacramento fuerit S. Carolus Borromæus dum vastissimam suam diœcesim perlustraret, docet in ejus Vita Giussanus. Romæ Benedictus XIII Pontifex Maximus bis in anno, Paschate et Pentecoste, in Ecclesia Lateranensi illud administrabat, tametsi alii Romani Pontifices hujusmodi munia per Præsulem quem Vicesgerentem appellant, eoque impedito, per alium Episcopum peragere soliti sint.

V. Solum Episcopum, vere et legitime institutum atque ordinatum, esse ordinarium, uti in hac nostro § edicitur, sacramenti Confirmationis ministrum, constat ex celebri Epistola Innocentii I Pontificis Maximi ad Decentium Eugubinum Episcopum, cap. III, sic scribentis : « De consignandis vero infantibus, manifestum » est non ab alio quam ab Episcopo fieri licere. » Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Ponti-

Digitized by Google

» ficatus tamen apicem non habent. Hæc autem » Pontificibus solis deberi ut vel consignent » vel Paraclitum Spiritum tradant, non solum » consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum » et illa lectio *Actuum Apostolorum* quæ asse- » rit Petrum et Joannem esse directos qui jam » baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam » Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præ- » sente Episcopo, baptizent, chrismate baptiza- » tos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit » consecratum : non tamen frontem ex eodem » oleo signare, quod solis debetur Episcopis, » cum tradunt Spiritum Paraclitum. »

VI. Eadem est aliorum Pontificum Maximorum sententia, inter quos S. Gregorius Magnus, lib. III, Epistola IX, ad Januarium episcopum Calaritanum, ita inquit : « Presbyteri baptizatos » infantes signare sacro in frontibus chrismate » non præsumant; sed Presbyteri baptizatos » ungant in pectore, ut Episcopi postmodum » ungere debeant in fronte. »

Innocentius III, in Epistola ad Vicarium suum apud Constantinopolim constitutum, relata in cap. *Quanto*, IV, *De Consuetudine*, morem quorumdam simplicium Sacerdotum reprehendit, quod apud Constantinopolim ea sacra præsumerent fidelibus exhibere « quæ ab Apostolo- » rum tempore fuerunt solis Pontificibus reser- » vata, ut est sacramentum Confirmationis, » quod chrismando renatos soli debent Episcopi » per manus impositionem conferre. » Gregorius IX, in Epistola ad Barensem Episcopum, postquam dixit chrismatos a simplici Sacerdote Confirmationis munus minime recepisse, « quia de solis Apostolis legitur, quorum sunt » Episcopi successores, quod per manus impo- » sitionem Spiritum sanctum dabant, » hæc statim subjicit : « Et ideo tam illi quam confir- » mandi de cætero a solis Episcopis consignen- » tur. » Similia legere est apud alios Romanos Pontifices, præsertim autem in Epistola Innocentii IV ad Tusculanum Episcopum, a quo de ritibus Græcorum fuerat interrogatus.

VII. Ex hisce et similibus veterum Patrum et Conciliorum testimoniis, liquido constat Episcopum esse solum Confirmationis ordinarium ministrum. Id enim Chorepiscopis vetant Concilium Parisiense VI, anni 829, cap. XXVII, et Meldense, anni 845, can. XLIV. Quod autem plures theologi et quidem minime contemnendi, quales sunt S. Bonaventura, Durandus, Hadrianus, qui fuit postea summus Pontifex; Joannes Major, Estius in IV *Sententiarum*, distinctione VII ; Alphonsus a Castro, lib. IV *Adversus Hæreses*, verbo *Character*, et verbo *Confirmatio;* Sambovius, et alii, asserant solum non modo, sed et extraordinarium esse Episcopum memorati Sacramenti ministrum, adeo ut a Presbyteris nullo modo conferri possit, obstat in primis S. Hieronymi auctoritas in Epistola ad Evagrium, ubi ita ait : « Quid facit, excepta » Ordinatione, Episcopus, quod non faciat Pre- » sbyter ? » Et in *Dialogo adversus Luciferianos* idem S. Doctor perspicue docet id quod « in » Ecclesia baptizatus, nisi per manus Episcopi » non accipit Spiritum sanctum, ad honorem » potius Sacerdotii quam ad legis necessitatem » esse institutum. » Ad quæ verba, ut scite observat Edmundus Martene, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. II, articulo III, num. II, alludere videtur venerabilis Beda in Psalmum XXVI, asserens Confirmationis unctionem « propter arrogantiam non concessam esse sin- » gulis Sacerdotibus, sicut et multa alia. »

VIII. Quandonam primum apud Latinos Presbyteri Confirmationem dispensaverint, definire minime audeo. Est tamen vetus Ecclesiæ disciplina. Etenim prima Toletana Synodus, anni 400, can. XX, post chrismatis consecrationem Presbyteris interdictam, ita pergit : « Statutum » est Diaconum non chrismare, sed Presbyte- » rum, absente Episcopo; præsente vero, si ab » ipso fuerit præceptum. » Agit omnino de chrismatione sacramentali, non vero de cæremoniali, uti quidam autumant. Cæremonialem namque Diaconus baptizans omnino facere potest. Sed et Martinus Dumiensis monasterii abbas, ac deinde Ecclesiæ Bracarensis episcopus, qui, ut putat Baronius, obiit anno 573, in sua Canonum collectione, cap. LI : « Presbyter, inquit, præ- » sente Episcopo, non signat infantes, nisi forte » illi ab Episcopo fuerit præceptum. » Ubi nota vocem *signet* nihil aliud importare quam sacramentalem Confirmationem, ut scite observat Lupus, tomo III operum editionis Venetæ, in celebri sua dissertatione *De octava Synodo*, cap. V, contra quartam Photii calumniam, pag. 340.

IX. Sequioribus sæculis in usu fuisse apud Latinos hanc disciplinam, ex eo constat quod

Digitized by Google

scilicet, labente sæculo VI, ex indulgentia et concessione S. Gregorii Magni Pontificis Maximi cœperunt Presbyteri in Sardinia hoc Sacramentum ministrare. Res ita se habet; monitus fuerat Gregorius simplices Presbyteros in Sardinia jus Confirmationis administrandæ sibi sumere, dataque idcirco ad Januarium episcopum Calaritanum Epistola, quæ exstat lib. III, num. IX, eos compressit, uti superius videre est. Verum ubi didicit eam prohibitionem nonnullis fuisse scandalo, id postea concessit quod prius negarat, data nimirum ad eumdem Januarium episcopum Epistola XXVI, quæ in eodem lib. III *Epistolarum* S. Gregorii exstat, ubi ita scribit : « Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse quod Presbyteros chrismate tangere in fronte eos qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus. »

X. Sunt qui ad hunc S. Gregorii locum aiunt, in aliquibus exemplaribus legi *baptizandos*, non autem *baptizatos* : ac proinde Gregorium de nuda cæremonia locutum fuisse : sed Estii, Natalis Alexandri aliorumque sic aientium pace dixerim quod, licet detur mendum irrepsisse in unam ex memoratis S. Gregorii Epistolis ad Januarium, verisimile tamen minime est mendum ipsum in utramque Epistolam irrepsisse; præsertim vero quod in altera Epistola, nempe XXVI, conceptis terminis testatur Gregorius se in Epistola IX non de baptizandis locutum fuisse : « Pervenit quoque ad nos, inquit, quosdam scandalizatos fuisse quod Presbyteros chrismate tangere in fronte eos qui baptizati sunt prohibuimus, etc. » Quibus verbis si qua fuerat in priori Epistola æquivocatio, manifeste ab ipso Gregorio tollitur.

XI. Longe alii auctores hallucinantur, cum aiunt Gregorium Sardiniensibus Presbyteris Confirmationis dispensationem permisisse, vitandi scandali causa, juxta hæc ejusdem summi Pontificis verba, « Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, etc., » non approbasse vero usum illum, quem œconomiæ causa tolerabat. Sed, ut scite respondet Juninus in opere *De Sacramentis*, dissertatione III, quæstione V, cap. II, articulo I, § I, cum satius sit oriri scandalum quam ut veritas deseratur, non est verisimile Gregorium a veritate descivisse ut assentiretur quibusdam contumacibus juris divini, in Sambovii systemate, infractoribus, præsertim cum indulgentia hujusmodi in animarum perniciem vergeret, quippe quod inani confirmationis umbra fidelibus in Sardinia illusum fuisset. Cæterum si quorumdam in Sardinia scandalum Gregorius timuit, cur non veritus est ne dispensatio quam concedebat in re quæ, ex adversariis, juris est divini, cæteris omnibus orbis Christiani provinciis gravissimo foret scandalo ? Cur aliarum regionum Episcopi in illam Gregorii intempestivam ac irritam, ut adversarii opinantur, indulgentiam non insurrexere ?

XII. Errant longissime profecto alii aientes, facti de quo agitur nullam habendam esse rationem, quia scilicet Traditioni adversatur. Sed minime hæc responsio ferenda est. Traditio enim, quæ ordinarium in Confirmationem jus Episcopis vindicavit, extraordinarium Presbyteris non negavit, accedente Romani Pontificis facultate : « Papa, » inquit S. Thomas, III parte, quæstione LXXII, articulo XI ad I, « Ecclesia habet plenitudinem potestatis, ex qua potest quædam, quæ sunt superiorum Ordinum, committere quibusdam inferioribus; sicut quibusdam Presbyteris concedit conferre minores Ordines, quod pertinet ad potestatem Episcopalem. Et ex hac plenitudine potestatis concessit B. Gregorius Papa, quod simplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quandiu scandalum tolleretur. » Tantum autem abest ut eam dispensationem sapientiores theologi et Summi Pontifices imperitiæ aut ignaviæ Gregorio tribuerint, quin tacite potius laudaverint, uti ex hisce verbis Eugenii IV Pontificis Maximi, Armenos docentis, aperte colligitur : « Legitur tamen aliquando per Sedis Apostolicæ dispensationem, ex rationabili et urgenti admodum causa, simplicem Sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto, hoc ministrasse Confirmationis sacramentum. » Quibus verbis ad factum S. Gregorii procul dubio respexit.

XIII. Neque desunt, tum ante tum post Eugenium IV, privilegia simplicibus Presbyteris de administranda Confirmatione concessa per

Digitized by Google

plurimos Romanos Pontifices, nempe Nicolaum III, Urbanum IV, Joannem XXII, Leonem X, Hadrianum VI, ut fidem luculentissimam faciunt Wadingus in *Annalibus Minorum*, et Cardinalis Pallavicinus in *Historia Concilii Tridentini*, lib. IX, capite VII, ubi ait his aliisque exemplis ac monumentis adductos memorati Concilii Patres, ne sententiæ theologorum, asserentium simplicem Presbyterum extraordinario jure et Pontificia dispensatione sacramentum Confirmationis administrare posse, quoquo modo præjudicarent, sessione VII, can. III, ubi de ministro Confirmationis agitur, addidisse vocem *ordinarium*, ut intelligi inde posse innuerent, salva fide simplicem Sacerdotem esse ministrum *extraordinarium* ejusdem Sacramenti.

XIV. Apud Græcos, licet præcise assignari tempus non possit quo ipsi per Presbyteros confirmare baptizatos cœperint, certum tamen videtur hanc apud ipsos disciplinam obtinuisse longe ante Photii schisma et solemnem ab Ecclesia Romana defectionem. Id nimirum Photius ipse supponit in querela quam adversus Nicolaum I movit, quod ejus Legati in Bulgaria confirmatos a Presbyteris Græcis iterum confirmassent. Sic autem in altera encyclica Epistola ad omnes Patriarchas Orientis scribit : « Chrismate unctos per Sacerdotes denuo inungere » non exhorruerunt, cum se Episcopos prædicarent, et Presbyterorum chrisma inutile » quiddam ac frustra factum comminiscerentur. » An talem quis insaniam fando unquam audivit, quam non exhorruere insani isti factitare? » ut semel unguento sacro delibutos rursus » inungerent, et augusta illa divinaque Christianorum mysteria in bene longas nugas et » risum lubentiamque conversa proculcarent. » Porro, quod Ecclesia Romana probarit olim, et nunc etiam probet delegatam Presbyteris Orientalibus confirmandi potestatem, fuse docet laudatus Jueninus, articulo II, § III.

XV. Neque obstat Innocentium III, in recitato superius cap. *Quanto*, Extra. *De Consuetudine*, irritum ac nullum judicasse datum per Presbyteros apud Constantinopolim Confirmationis sacramentum; dici enim potest cum eruditissimo Arcudio, Innocentium loqui de Parochis Latinis, qui tunc in urbe Constantinopolitana non exiguo erant numero, quosque inducere volebat ad usum et disciplinam Ecclesiæ Romanæ, ex qua oriundi erant, et cui immediate subjiciebantur. Id quidem colligit ipse Arcudius ex litteris Innocentii ad Lucium, qui apud Constantinopolitanos Sedis Romanæ partes agebat; in iis enim litteris ex quibus laudatum caput, *Quanto*, desumptum est, ita Innocentius loquitur : « Mandamus quatenus » omnibus Latinis Presbyteris apud Constantinopolim constitutis districte prohibeas (ut pote a sancta Sede nequaquam delegatis), ne » talia de cætero sua auctoritate præsumant. » Vox *Latinis* tametsi desideretur in Decretalium collectione qua hodie utimur, exstat tamen in tertia collectione apud eruditissimum Antonium Augustinum, ex qua eam decretalem Epistolam desumpsit S. Raymundus, omissa particula *Latinis* ad vocem *Presbyteris*, quæ aperte ostendit, quod paulo superius dicebamus, Innocentium respondisse de Latinis Presbyteris Constantinopoli agentibus, quibus præcipit ut consuetudinem Ecclesiæ Romanæ consequantur. Atque hic obiter nota, quod scite docet Van-Espen in *Commentario ad Canones*, parte VIII, cap. III, § IV et V, quam scilicet utile sit imo necessarium, ad veteres Decretalium collectiones recursum habere.

XVI. Postquam de ministro ordinario et extraordinario Confirmationis tum in Ecclesia Latina tum Græca vidimus, operæ nunc pretium erit investigare an omnis ætas huic Sacramento sit apta. Et quidem, sicut ætas omnis est apta Baptismo, ut loquitur S. Gregorius Nazianzenus, ita omnis ætas Confirmationi idonea est. Is enim fuit vetus Ecclesiæ mos, ut post Baptismi susceptionem continenter Confirmatio administraretur, ubi præsens erat Episcopus, quemadmodum constat ex priorum sæculorum Patribus, Tertulliano, S. Cypriano, S. Cyrillo Hierosolymitano, Optato, Paciano, Ambrosio, et aliis plurimis, inter quos duo summi Pontifices, Innocentius I, in Epistola ad Decentium episcopum Eugubinum, et Gregorius Magnus, lib. III, epistola IX, ad Januarium episcopum Calaritanum testantur. Pueris Sacramentum istud conferri posse docet etiam S. Thomas parte III, quæstione LXXII, articulo VIII ad II. « Ætas, » inquit, corporalis non præjudicat animæ. Unde » etiam in puerili ætate homo potest consequi » perfectionem spiritualis ætatis, de qua dicitur

Digitized by Google

» Sapientiæ IV : *Senectus venerabilis est, non* » *diuturna, neque numero annorum computata.* » Et inde est quod multi in puerili ætate, pro» pter robur Spiritus sancti perceptum, usque » ad sanguinem fortiter certaverunt pro Chri» sto. »

XVII. Si veteres Synodos consulamus, ac præsertim Illiberitanam et Laodicenam, profecto inveniemus datam Confirmationem post Baptismi susceptionem, et consequenter etiam infantibus; solebant enim et ipsi, vel juxta primævam Ecclesiæ ætatem, baptizari. Sequioribus sæculis nihil tam cum majori sollicitudine præcaverunt Patres, quam ne segnes aut pigri hac in re homines invenirentur : scientes, « quod » Decretales paginæ, » ut ait S. Petrus Damiani in Sermone de Dedicatione, « et sanctorum Pa» trum instituta decernunt, non esse differen» dam, post Baptismum, hujus Sacramenti » virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulen» tus ille contortor, a quo nemo unquam no» cendi inducias extorsit. » Hinc Patres Concilii Wigorniensis, anni 1240, cap. VI, ita inquiunt : « Præcipimus quod Sacerdotes parochiales sub» ditos suos studiose moneant et frequenter, » quod parvulos suos faciant confirmari. » Tum addunt : « Sciantque patres et matres eorum, » se post annum a nativitate pueri computandum » ab ingressu Ecclesiæ suspendendos, si infra » annum, dum tamen Episcopi copiam habue» rint, vel transitus Episcopi per loca in quibus » habitant fuerit manifestus, non præsentave» rint confirmandos. »

XVIII. Concilium Exoniense, anni 1287, cap. III, ne, ob parentum negligentiam, pueros contingat absque Confirmatione diutius remanere, statuit quidem « ut parvuli infra trien» nium a tempore ortus sui, Confirmationis » recipiant sacramentum, dum tamen proprii » vel alieni Episcopi copia habeatur. » Sed nota quod mox subjungit : « Alioquin paren» tes ex tunc qualibet sexta feria in pane et » aqua jejunent, donec pueri confirmentur. » Similiter et constitutiones Richardi episcopi Sarum, anno 1217 editæ, cap. XXIV, postquam mandarunt, frequenter monendum populum a Sacerdotibus ad Confirmationem puerorum, ita subjungunt : « Quod si ultra quinque an» nos ad plus, puer fuerit per negligentiam et » incuriam parentum non confirmatus; tam » pater quam mater ab ingressu Ecclesiæ tam» diu suspendantur quousque puer confirme» tur. » Et mox : « Simili pœnæ subjacebit » Sacerdos qui circa hoc negligens exstiterit. » Similes ea in re varios canones in plurimis Synodis legere est, quas hic recensere supervacaneum foret.

XIX. Non inficior in multis Conciliis illud quoque cautum esse ut minori septennio Confirmationis sacramentum minime præbeatur : id enim expresse edicit Coloniensis Synodus, anni 1280, capite V; Lingonensis, anni 1404; Senonensis, anni 1524; Parisiensis, anni 1557; Turonensis, anni 1583; et, ut alias omittam, Mediolanensis I S. Caroli, cujus disciplinam alii deinde Præsules amplexi sunt. Verum posse Episcopos justis de causis pueros septennio minores confirmare, declarat idem S. Carolus in Concilio Mediolanensi V, sic dicens : « Alio decreto, quod in Concilio Medio» lanensi I sancivimus, cautum est ne Confir» mationis sacramentum iis præberetur qui » annis septem minores nati sunt : si tamen » Episcopus, ob aliquam causam justam atque » adeo necessariam, parvulo et infanti, qui » non modo eam ætatem expleat, sed ne attin» gat quidem, administrandum aliquando cen» suerit, ne sit vetitum. » In aliis instructionibus Italico idiomate conscriptis monet ut nemo nisi duodecim annos natus illud Sacramentum postulet, nisi expressam ab Archiepiscopo licentiam ad id habeat. Catechismus quoque Concilii Tridentini, qui ejusdem S. Caroli opera, ut in ejus Vita legitur, die 4 novembris, prodiit, eam in conferenda Confirmatione disciplinam laudat, si annus duodecimus exspectetur.

XX. Hoc ita intelligendum esse, modo absit omne vitæ periculum, scite admodum observat Edmundus Martene, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus,* cap. II, art. I, num. VI : « Alio» quin, inquit, omni ætati conferendum est » Confirmationis sacramentum, et prævalere » debet illud S. Thomæ, part. III, quæst. LXXII, » art. VIII, ad IV : « Morituris hoc Sacramentum » dandum est, ut in resurrectione perfecti ap» pareant : « Quia, ut ait Hugo Victorinus, » omnino periculosum esset, si ab hac vita sine » Confirmatione migrare contingeret ; non » quia damnaretur, nisi forte propter contem-

Digitized by Google

» ptum, sed quia detrimentum perfectionis » pateretur. Unde etiam pueri confirmati de- » cedentes majorem gloriam consequuntur, » sicut et hic majorem obtinent gratiam. »

XXI. Idipsum et alii fere innumeri theologi docent, qui post editum Concilii Tridentini Catechismum floruerunt, ii præsertim qui Angelici Doctoris, S. Thomæ Aquinatis, theologorum omnium principis, doctrinam sequuntur. Vincentius Ludovicus Gotti, dignitate ac doctrina eminentissimus, inclyti Ordinis Prædicatorum, imo universæ Ecclesiæ eximium decus, tom. II *Theologiæ Scholastico-Dogmaticæ juxta mentem D. Thomæ*, tractatu *De Confirmatione*, quæstione III, dubio I, § II, postquam ex sententia S. Thomæ, dixit infantibus etiam morituris hoc Sacramentum esse dandum, de contrario usu ita sapientissime statim subjungit : « Quod autem non sit in usu, non est quia » non expediat, sed quia non potest commode » et cum debita solemnitate fieri, quia Episcopi » occupationibus aliis impediti, ad omnes lan- » guidos ire non possunt, ut ait Innocentius I, » epistola I, capite VIII. » Illa verba, « quod » autem non sit in usu, non est quia non ex- » pediat, etc., » satis demonstrant non solum posse, sed et aliquo modo teneri, ubi commode possunt, morituris infantibus hoc Sacramentum conferre.

XXII. Post hanc S. Thomæ, imo et antiquiorum Patrum doctrinam, zelantissimi Episcopi qui, ad evitandum reiterandi hujus Sacramenti periculum, ætatem quatuor vel septem annorum Sacramento ipsi suscipiendo præfixerunt, casum mortis exceperunt. Hinc Concilium provinciale Beneventanum VI, sub Hugone II Guidardio archiepiscopo habitum anno 1374, tit. V, cap. III, postquam dixit, ad evitandum iterationis periculum, exspectandam parvulis ætatem quatuor saltem annorum, ita statim subjicit : « Si vero casus necessitatis, » mortis, vel alius immineat, tunc licite, cujus- » cumque ætatis parvuli fuerint, confirmen- » tur. » Eam praxim confirmandi infantes morituros in nostra Italia, nostroque hoc tempore, religiose servavit in sua Bononiensi diœcesi præstantissimus S. R. E. cardinalis Prosper Lambertinus, sacrorum Canonum peritissimus, ac præclarissimis operibus editis undequaque insignis, ut ipsemet testatur volumine *Instructionum*, notificatione VI, pag. 62; itemque in diœcesi Septempedana theologus, æque ac canonici juris consultus, Dionysius Pieragostini, uti legitur in kalendario Septempedano anni 1739, in fine § II.

XXIII. His adde virum clarissimum Alexandrum Borgia archiepiscopum Firmanum, qui, in sua celebri Synodo, anno 1378, cap. V, post recensitam fere ad verbum Angelici Doctoris doctrinam, mandat Parochis ut, ubi periculum imminet, curent infantes cujuscumque ætatis ad ipsum deferri; paratumque se ait diebus singulis in hujusmodi necessitatis articulo infantes puerosque hoc salubri sigillo consignare. Tum etiam addit zelantissimus Pastor, si infans vel puer, propter mortis periculum, ad ipsum deferri nequeat, paratum quoque se esse ad domum procedere ubi ægrotus jacet, ut Confirmationis sacramentum ei conferat. Ne cui autem scrupulum faciat verbum *oportet*, quo laudatus Præsul in eo capite usus est, dicens quod, ubi imminet mortis periculum, « tunc, » nulla habita ratione ætatis, infantem confir- » mari oportet, » admonendus est lector, qui nimirum in sacrorum Canonum ac divinarum Scripturarum lectione parum versatus est, verbum ipsum *oportet*, non semper præceptum, sed ut plurimum significare consilium; unde legimus in Evangelio Lucæ, cap. XVIII : *Oportet semper orare :* quod explicans præstantissimus theologus S. R. E. cardinalis de Laurea *De Oratione*, opusc. II, num. III, ita inquit : « Id autem consilium est. » Sed ex contextu capitis memoratæ Firmanæ Synodi, quod ex doctrina S. Thomæ conflatum est, satis apparet nullam ex eo verbo induci necessitatem.

XXIV. Ridiculum plane esset contra hanc enarratam hactenus Patrum ac theologorum doctrinam, et praxim eximiorum Antistitum, objicere canonem *Spiritus sanctus*, *De Consecratione*, distinctione IV. Quem quidem falso, ut omnes eruditi norunt, Gratianus Melchiadi Papæ tribuit. Ubi edicitur quod, « quamvis » continuo transituris sufficiant regenerationis » beneficia, victuris tamen necessaria sunt » Confirmationis auxilia; » quia scilicet, ut ait canon : « Confirmatio armat et instruit ad ago- » nes mundi hujus et prælia reservandos. » Quibus ex verbis, ii qui infantes morituros confirmandos nolunt, illud deducunt, non de-

Digitized by Google

bere ipsis hoc Sacramentum conferri. Verum, ut jam dixi, ridiculum plane esset objicere hunc canonem, quem sibi aliquando objecit Angelicus Doctor, in laudata quæstione LXXII, articulo VIII, in IV objectione, ad quam ita ipse respondet : « Auctoritas autem illa intelligitur » quantum ad hoc quod morituris non est ne- » cessarium hoc Sacramentum propter peri- » culum pugnæ præsentis. » Paulo jam ante tradiderat quod « anima, ad quam pertinet » spiritualis ætas, immortalis est : et ideo etiam » morituris hoc Sacramentum dandum est, ut » in resurrectione perfecti appareant, secundum » illud Ephesiorum, c. IV : *Donec occurramus* » *omnes in virum perfectum, in mensuram æta-* » *tis plenitudinis Christi.* » Porro alios theologos huc afferre supervacaneum est : sat enim est theologorum omnium principis S. Thomæ Aquinatis audiisse oraculum.

XXV. Quod autem infantes ante usum rationis licite post Catechismum Romanum confirmari possint, inter alios docet laudatus S. R. E. cardinalis Gotti, num. VI, ita inquiens : « Non adeo tamen stricta est obligatio exspe- » ctandi usum rationis in collationem hujus » Sacramenti, quin Episcopus ex aliqua justa » ratione, puta ob defuturam commoditatem, » ob longam sui absentiam, ob mortem immi- » nentem, possit puerum necdum ratione uten- » tem absque peccato confirmare. Imo neque » in hoc scrupulose nimis se gerere debet; » quandoquidem Romanum Pontificale id ejus » relinquit arbitrio, ut possit nedum pueros con- » firmare, sed et infantes, his verbis : *Pontifex* » *infantes, pueros, vel alios sacri Baptismatis* » *unda perfusos confirmare volens, etc.* Et in- » fra : *Infantes per Patrinos ante Pontificem* » *confirmare volentem teneantur in brachiis* » *dextris.* »

XXVI. Expediti ab hac quæstione, de qua nonnulla etiam diximus nostro I tomo hujus operis, in Commentario ad § I tituli I, et in notis ad Humbertum de Romanis, lib. II *De Modo prompte cudendi sermones*, tract. II, cap. XLIII, pag. 281, refellendum nunc illum abusum censemus quorumdam Episcoporum, qui post prandium Confirmationem administrant. Doluerunt jam olim de ipso abusu Patres Concilii Parisiensis VI, lib. I, cap. XXXIII, sic aientes : « Perlatum est ad nos quod in quibusdam pro- » vinciis plerique Episcopi post perceptionem » cibi et potus soleant per impositionem ma- » nuum tradere Spiritum sanctum : quod tam » excellenti ministerio prorsus non convenire, » et ita deinceps fieri non debere, omnibus » nobis visum est. » Tum memorato *Actuum Apostolorum* loco ex capite II, ubi dicitur quod Apostoli Deum collaudantes et benedicentes, ac jejunantes, meruerint accipere Spiritum sanctum, ita subjiciunt : « Dignum quippe est » ut Pontifices Christi primum jejunando et » orando, in cordibus suis domum præparent » Spiritui sancto, et sic per impositionem ma- » nuum cæteris fidelibus eum tradant oran- » do. » Hanc jejunii legem imponit Episcopo inter alias Synodus Meldensis apud Burchardum, lib. IV, cap. LXVII : « Ut Episcopi nonnisi » jejuni per impositionem manus Spiritum » sanctum tradant. » Concinit Rothomagensis Synodus, anni 1072, can. VII, ubi ait statutum esse ut Confirmatio « non detur nisi jejunis » et a jejunis. » Vide nostrum I tomum hujus operis, in Commentario ad § VII tituli I.

XXVII. Ab illo quoque abusu alieni esse debent Episcopi, quem olim multis in Ecclesiis grassatum legimus, exigendi scilicet pretium pro Confirmatione administranda : « Consi- » gnandis fidelibus pretia nulla Episcopi præ- » figant. » Verba sunt S. Gelasii Pontificis Maximi in suis Decretalibus litteris ad Lucaniæ Episcopos. Canone VIII Concilii Toletani XI, anni 675, cautum est quidem ne pro consignandis fidelibus aliquid accipiatur, nisi sponte oblatum. In Concilio Bracharensi II, anni 572, can. IV, jam alius damnatus fuerat Episcoporum abusus, qui pro chrismate ab ecclesiis parochialibus tremissem exigebant. Est abusus qui et sequioribus etiam sæculis grassatus est, quemque variæ Synodi et Romani Pontifices ab Ecclesia penitus eliminare conati sunt, uti videre est apud Lupum, tomo IV operum, editionis Venetæ, in secunda proœmiali dissertatione, quæ inscribitur *De Simoniæ crimine et variis ad ipsum spectantibus,* cap. VII.

XXVIII. Quod spectat ritum quo ad confirmandum procederet Episcopus in Ecclesia saltem Mediolanensi, ita illum nobis Cæremoniale Ambrosianum describit : « Accedenti Archi- » episcopo ad ecclesiam ministrandi hujus Sa- » cramenti causa, obviam prodibit universus

Digitized by Google

» Clerus illius Ecclesiæ, organorumque modu-
» latione et musicorum concentu, si commode
» fieri potest, ac campanarum sono excipietur
» in januis, ubi Archiepiscopus cappam induit,
» et a digniori præsente, et Clero illius eccle-
» siæ aspersorio accepto, aspergit seipsum et
» circumstantes; eidemque assistunt digniores
» Ecclesiæ, nisi forsitan adsint ex Ordinariis
» Metropolitæ; atque, ita præcedentibus Eccle-
» siasticis illius Ecclesiæ, prævia ante Archi-
» episcopum immediate cruce archiepiscopali,
» a Sacerdote cotta induto delata, nisi adsit
» Capitulum Metropolitanæ, quod sub cruce
» Archiepiscopali incedit, ante majus altare
» accedit, procumbensque in faldistorio pau-
» lisper orat, tum ad suum solium accedens a
» parte Evangelii erectum, induitur paramentis
» pro Missa. » Et paulo inferius subjungit :
« Absoluta Missa, ad Confirmationem admi-
» nistrandam procedet, depositis paramentis
» Missalibus, indutisque, ut supra dictum est, »
nempe stola, pluviali albi coloris, gemma pectorali et mitra auriphrygiata.

XXIX. Ex hactenus recitato Ambrosiani Cæremonialis loco jam patet usus Ecclesiæ Mediolanensis administrandæ Confirmationis mane post Missam. Id quod in multis etiam decernitur Synodis, inter quas Aquensis, anni 1585, horam diei tertiam adsignat, quia scilicet hora tertia Spiritus sanctus in Apostolos illapsus eosdem confirmavit, ut testantur *Acta Apostolorum*, cap. II. Sed de his et aliis scitu dignis ad cæremonias administrandæ Confirmationis spectantibus, vide Commentarios nostros ad titulum I, tomo I hujus operis.

§ VIII.

Deinde inducit diligenter populum ad pœnitentiam, et instruit in Ecclesiasticis Sacramentis, et in articulis Fidei, et qualiter debent declinare a malo et facere bonum; fugere vitia, et sectari virtutes; alteri non facere quod sibi fieri nolunt.

COMMENTARIUS.

I. Notatum a nobis jam superius fuit in Commentario ad § IV, ex canone I Concilii Bracharensis II, quod celebratum est anno 572, jussos esse Episcopos primum quo quamlibet parochiam visitant diem examinandis Clericorum moribus impendere, et qua ab ipsis ratione vel administrentur Sacramenta vel psalmodiæ sacræ officia celebrentur : alterum vero diem imbuendis populis doctrina Catholica, tum circa Fidei orthodoxæ dogmata, tum circa mores ad pietatem aptandos : « Postquam ergo in
» his suos Clericos discusserint vel docuerint
» Episcopi, alia die, convocata plebe ipsius Ec-
» clesiæ, doceat illos ut errores fugiant idolo-
» rum, vel diversa crimina, id est homicidium,
» adulterium, perjurium, falsum testimonium,
» et reliqua peccata mortifera; aut quod nolunt
» sibi fieri, non faciant alteri. » Ubi nota nostram Rubricam desumptam videri ex recitato canone I Concilii II Bracharensis, quem legere est apud Gratianum, causa X, quæstione I, can. XII.

II. Potissimum visitationis Episcopalis scopum fuisse ut Evangelica prædicatione parochiæ omnes imbuerentur, ex canone X Concilii IV Lateranensis, anni 1215, apertissime declaratur; mandat enim Episcopis prædicatores doctos et probatos eligere, per quos diœceses lustrarent quando ipsi per se non possent : « Generali constitutione sancimus ut Episcopi
» viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium
» salubriter exsequendum assumant, potentes
« in opere et sermone, qui plebes sibi commis-
» sas vice ipsorum, cum per se idem nequive-
» rint, sollicite visitantes, eas verbo ædificent
» et exemplo. » Constat itaque ex recitato canone Episcopos, dum parochias obambulant, prædicationi potissimum instare debere; eamque ob causam, juxta præscriptum ejusdem canonis, quos Episcopi vice sua Concionatores aut Visitatores ablegant, eos ipsi alere suo sumptu debent : « Quibus ipsi, cum indiguerint,
» congrue necessaria ministrent. » Nedum eo tempore, uti nunc fit, quadragesimali tempore Concionatores per oppida et vicos quosque, forsan nec per urbes quaslibet spargebantur :

Digitized by Google

ideoque omnibus debitor erat Episcopus, cujus alias præcipuum munus prædicatio verbi Dei est; Parochorum enim tanta erat inscitia ut Concilium Ravennatense, anni 1311, rubrica xv, nihil aliud expeteret a Parocho quam ut « com» petenter sciat legere et cantare divinum Of» ficium. »

III. Præcedentibus sæculis quanta fuerit ipsorum Parochorum inscitia, ex lib. vi *Capitularium* Caroli Magni, cap. clxxxii, addiscimus, ubi ita inquit : « Nullus sit Presbyter, qui » in Ecclesia publice non doceat lingua quam » auditores intelligant, Fidem omnipotentis Dei » in unitate et trinitate simpliciter credere, et » ea quæ generaliter omnibus dicenda sunt de » malis evitandis, sive faciendis bonis, et judi» cio in resurrectione futuro. » Notandum sane quod mox subjicit : « Si vero ipse verbis ma» nisfeste explicare non poterit, petat sibi ea » a doctiore taliter transcribi qualiter aperte » legat, quod qui audiunt, intelligant. Et qui » amplius non poterit, vel his verbis admoneat: » Pœnitentiam agite, appropinquat enim re» gnum cœlorum, » Hincmarus quoque in suo ad Presbyteros Capitulari expressit quid specialiter addiscere, quid docere Parochos necesse sit, explanationem scilicet Symboli et Orationis Dominicæ juxta doctrinam sanctorum Patrum : « Ut unusquisque Presbyterorum expositionem » Symboli atque Orationis Dominicæ juxta tra» ditionem orthodoxorum Patrum plenius di» scat. Exinde prædicando populum sibi com» missum sedulo instruat. »

IV. Omitto alia veterum Præsulum ac canonum loca, ex quibus abunde doceri possemus magna ubique fere locorum laborasse Ecclesias prædicatorum penuria, qui populum ad pœnitentiam inducerent, et in Ecclesiasticis Sacramentis, et in articulis Fidei potissimum instruerent. Huic malo ut occurrerent zelantissimi Episcopi, iterum atque iterum diœceses suas obambulabant, populosque ignaros ac rudes Christiana doctrina imbuebant; uti videre est passim in Vitis sanctorum Præsulum, apud Surium, Bollandianos, et alios qui de ipsis scripserunt.

§ IX.

His expletis, fit populi confessio, et absolutio generalis, et indulgentia datur per Pontificem.

COMMENTARIUS.

I. Peracto ab Episcopo, sive ab alio Prælato, sermone, ac explicatis sigillatim causis adventus sui, ex præscripto non modo editorum Pontificalium, sed ex manuscripto codice Pontificali Durandi, fit populi confessio, et absolutio generalis, et indulgentia datur per Pontificem, « publicanda per aliquem ex suis, vel benefi» ciatis illius ecclesiæ, prout in Missa Pontifi» cali post Evangelium ponitur, » ut scite notat Felicianus Comensis episcopus in suo *Manuali Visitatorum*, lib. ii, tit. i, pag. 90. Modus indulgentiis ab Episcopo concedendis præscriptus est in capite *Cum ex eo*, xiv, *De Pœnitentiis et remissionibus*, quod ex Concilio iv Lateranensi sub Innocentio III desumptum est. ubi, postquam decrevit Pontifex « ut, cum dedi» catur basilica, non extendatur indulgentia » ultra annum, sive ab uno, sive a pluribus » Episcopis dedicetur; ac deinde in anniversario » Dedicationis tempore, quadraginta dies de » injunctis pœnitentiis remissio indulta non » excedat; » paulo inferius et illud præcipit, nimirum, « hunc quoque dierum numerum in» dulgentiarum litteris moderari, quæ pro qui» buslibet casibus aliquoties conceduntur. »

II. Non inficior potuisse olim ante Concilium ipsum Lateranense iv Episcopos, ubi expedire judicabant, id omne ex pœnitentia dimittere quod a pœnitentibus persolvendum supererat; nondum enim olim mos invaluerat recurrendi ad solum Romanum Pontificem, ut quis plenarias indulgentias obtineret. In ipso quidem Concilio iv Lateranensi, quod habitum est anno 1215, detractum est nonnihil ab ea potestate, quod ea plures Ecclesiæ Præsules in Fidelium perniciem, et in Ecclesiasticæ disciplinæ enervationem abuterentur. Testatur id quidem memoratus Pontifex in laudato capite *Ex eo*, sic dicens : « Quia per indiscretas et superfluas » indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Præ-

Digitized by Google

» lati facere non verentur, et claves Ecclesiæ » contemnuntur, et pœnitentialis satisfactio » enervatur, decernimus, etc. » Porro locum hæc habent, ubi Episcopi publice ac solemni ritu indulgentias in foro externo concedunt; in foro enim pœnitentiæ non solum quadraginta dierum, sed et plurium annorum indulgentias elargiri possunt; uti inter alios tradit Prosper Fagnanus, confirmatque ex Innocentii IV interpretatione ad textum in dicto capite *Cum ex eo*.

§ X.

Post hæc Pontifex, deposita cappa, induitur amictu, stola, pluviali violacei vel nigri coloris, et mitra simplici, et stans cum mitra juxta altare, versus ad populum, incipit Antiphonam : *Si iniquitates*. Postea cum Ministris seu Capellanis suis dicit Psalmum *De profundis clamavi ad te, Domine*, totum; et in fine : ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine. Et lux perpetua luceat eis.* Tum dicit totam Antiphonam : *Si iniquitates observaveris, Domine : Domine, quis sustinebit?* Qua dicta, deposita mitra, dicit : *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster*, quod secrete completur. Et interim, accepto aspersorio cum aqua benedicta, tertio aspergit ante se. Deinde, imposito incenso in thuribulo, et illo benedicto, eodem modo incensat. Quo facto, pronuntiat versus : *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *In memoria æterna erunt justi.* ℟. *Ab auditione mala non timebunt.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animas eorum.* ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat eis.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Pontificali fecisti dignitate vigere : præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ XI.

Deinde, aqua benedicta, Thuriferario, duobus Ceroferariis, cruce, et Clero præcedentibus, et cantantibus Responsorium : *Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum,* * *Tu eis, Domine, dona requiem, et locum indulgentiæ.* ℣. *Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.* * *Tu eis, Domine;* Pontifex cum mitra exit ad cœmeterium, interim dicens cum Ministris suis Antiphonam *Si iniquitates, etc.*, deinde Psalmum *De profundis;* et in fine : ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine. Et lux perpetua luceat eis;* et Antiphona repetitur, *Si iniquitates observaveris, Domine : Domine, quis sustinebit?* Quibus omnibus dictis, cum fuerint in medio cœmeterii, subsistunt suo ordine, et Chorus cantat Responsorium : *Libera me, Domine, de morte æterna, in die illa tremenda,* * *Quando cœli movendi sunt et terra. Dum veneris judicare sæculum per ignem.* ℣. *Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira.* * *Quando cœli movendi sunt et terra.* ℣. *Dies illa, dies iræ, calamitatis et miseriæ,*

Digitized by Google

dies magna et amara valde. * *Dum veneris.* ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.* Tum repetitur Responsorium : *Libera me, Domine, etc.*, usque ad primum versum. Interim, dum Responsorium repetitur, offertur per digniorem ecclesiæ navicella, et per alium ex Ministris thuribulum Pontifici, qui imponit incensum more consueto. Responsorio repetito, Chorus cantat : *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.* Mox Pontifex, mitra deposita, convenienti voce dicit : *Pater noster,* reliqua secreto. Deinde aspergit et incensat, prout fecit in ecclesia. Quo facto dicit versus : *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *In memoria æterna erunt justi.* ℟. *Ab auditione mala non timebunt.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animas eorum.* ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat eis.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulos tuos Sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniæ largitor, et humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam ut nostræ congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.* ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat eis.* Tunc duo Cantores dicunt ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* Et mox Pontifex elevata dextera, producit signum crucis ab omni parte super cœmeterium.

§ XII.

Tum accepta mitra per Pontificem, revertuntur omnes ad ecclesiam ordine quo venerunt, Choro dicente congruenti voce sine nota totum Psalmum L : *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam;* cum ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine. Et lux perpetua luceat eis.* Quem etiam Pontifex ipse dicit voce demissa cum Ministris seu Capellanis suis. Quibus dictis, et cum ad Chorum ante majus altare pervenerit Pontifex, deposita mitra, stans ibidem in medio, versus ad altare, dicit : *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster,* reliqua secreto. Deinde dicit : *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animas eorum.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum,* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Digitized by Google

OREMUS.

Absolve, quæsumus, Domine, animas famulorum famularumque tuarum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et Electos tuos resuscitati respirent. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Quid sit animas defunctorum absolvere, jam nos in Commentario ad § III abunde explicuimus. Quibus ritibus ac cæremoniis ipsa absolutio ab Episcopo in visitatione, primum in ecclesia, ac deinde in cœmeterio sit peragenda, fuse in descriptis rubricis exponitur, quæ quidem, ut scite notat Lucas Antonius Resta episcopus Andriensis, parte I *Directorii Visitatorum ac Visitandorum*, cap. VII, pag. 22, « juxta » locorum qualitatem debent præcise servari in » omnibus ecclesiis cathedralibus, collegiatis, » et parochialibus, et ubi fuerint cœmeteria. » Multa quæ ad harum Rubricarum cæremonias ac preces dici possent, explicata jam a nobis fuerunt nostro tomo II hujus operis, ad titulum VI, *De Cœmeterii benedictione;* nonnulla autem infra etiam dicentur ad titulum XXVII, *De Officio quod post Missam solemnem pro defunctis agitur.*

§ XIII.

His peractis, depositis stola et pluviali nigris seu violaceis, et assumptis albis, incipit visitationem a sanctissima Eucharistia; ad baptisterium; inde ad sancta olea; ad sacras reliquias; tum ad altaria, et capellas, et sacras imagines; item ad sacristiam et cœmeterium se confert; post ad ædes canonicales, hospitalia, confraternitates, et alia loca pia. Poterit postea Pontifex confirmare pueros, præmissa monitione, et aliis servatis, prout supra in principio de confirmandis dictum est.

COMMENTARIUS.

I. Si editos ante Clementem VIII atque Urbanum VIII libros Pontificales inspiciamus, nihil profecto in ipsis exstat de iis quæ in hoc nostro § præscripta sunt, excepta Confirmationis collatione : « His peractis, » verba sunt editorum veterum Pontificalium, « depositis stola » et pluviali nigris, et assumptis albis, poterit » Pontifex confirmare pueros, præmissa moni- » tione, et aliis servatis, prout supra in princi- » pio de chrismandis in fronte dictum est. Aut, » si placeat, poterit Pontifex illud pro alia hora » vel die reservare, et successive alia facit quæ » supra proposuit se facturum. » Idipsum legere est in manuscripto Pontificali Vaticano codice Gulielmi Durandi, qui exstat in omnium celeberrima Vaticana bibliotheca, cui, ut non semel notatum est, nostrum Romanum Pontificale in omnibus fere consentit.

II. Sequentes autem nos ordinem hodierni Romani Pontificalis, quod ipsi Pontifices Maximi Clemens VIII et Urbanus VIII suis constitutionibus approbarunt, peracta absolutione defunctorum, tam in ecclesia quam cœmeterio, incipiendam esse visitationem a sanctissima Eucharistia, addiscimus. Quo apparatu ac ritu ipsa Eucharistiæ visitatio peragenda sit, docet quidem in Pontificalibus cæremoniis ac sacris ritibus apprime versatus Lucas Antonius Resta episcopus Andriensis, parte II *Directorii Visitatorum, etc.*, capite III. Ait enim, educto, ea qua decet reverentia, Sacramento a loco ubi custoditur, debere ipsum qui illud eduxit, per se vel Cantores, primum canere Hymnum *Tantum ergo Sacramentum, etc.*, tum vero observare locum ac pyxidem in qua asservatur, aliaque ad illius cultum spectantia; iisque diligenter visitatis, reliquum Hymni dicere : *Genitori Genitoque, etc.* Quæ in Eucharistiæ visitatione a

Digitized by Google

Visitatoribus observanda sint, ex aureis *Actis Ecclesiæ Mediolanensis* addiscere licet, in iisque zelantissimus Præsul inveniet quæ in aliarum rerum visitatione inspicere debet.

§ XIV.

Expedita itaque Confirmatione, et benedictis ornamentis, si qua benedicenda sunt, depositisque indumentis Ecclesiasticis, confessiones, et deinde querelas, si quæ sunt, audit. Tum de conversatione Cleri et populi, et qualiter spiritualia et temporalia in ipsa Ecclesia ministrantur, et de libris ac ornamentis diligenter de plano inquirit.

COMMENTARIUS.

I. Tempore abuteremur et litteris, si in iis quæ in hoc § continentur enarrandis immoraremur. Jam enim ex iis multa in Commentariis superioribus ad hunc titulum, et tomo II hujus operis explicuimus. Ea igitur consulenda, ne actum agere videamur. Hoc unum hoc loco addiderim, non modo in sacra Episcoporum visitatione, sed etiam ubi agebantur Synodi, inquisitum de iisdem fuisse. Ut enim alia omittam, ita in *Capitulari* Theodulphi Aurelianensis episcopi ad suos Parochos, exarato circa annum Christi 797, num. IV, legimus : « Quando more » solito ad Synodum convenitis, vestimenta, et » libros, et vasa sancta, cum quibus vestrum » ministerium et injunctum officium peragitis, » vobiscum deferte. Necnon duos aut tres Cle» ricos, cum quibus Missarum solemnia cele» bratis, vobiscum adducite ; ut probetur quam » diligenter, quam studiose Dei servitium pe» ragatis. » Porro instituendam esse visitationem tum ante tum post celebratam Synodum dixerim, ut per eam innotescat Prælato, quæ in diœcesi innovanda, mutanda, temperanda, corrigenda, quæque ei ad Synodum referenda, quia forte modum vel vires ejus excedunt. Post eam vero, ut eorum quæ salubriter instituta sunt, curet exsecutionem. Hunc enim esse inter cætera visitationis finem, docet Concilium Coloniense anni 1536. Declaravit autem id exemplo suo Apostolus, qui, regressus a Synodo Apostolorum, uti habetur *Actorum* cap. XV, *perambulabat Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum et seniorum.*

II. Est quidem vetus Ecclesiæ disciplina, quam nostro hoc ævo renovavit in suo Concilio Lateranensi, anni 1725, Benedictus XIII, titulo VII, cap. I, sic inquiens : « Cum Episcopi » ad Apostoli normam omnibus omnia fieri et » esse teneantur, ut omnes sibi commissos » Christo lucrifaciant, animadvertendum est » illis ut, dum in civitatibus residentes, corpore » ab aliis absunt oppidis diœcesis, studeant » tunc, ut ipse Paulus aiebat, spiritu præ» sentes omnibus inveniri, quod quidem » assequentur, si, post generalem habitam visita» tionem, post coactas Synodos et latas leges, » in utramque non obdormiant aurem ; sed de » ipsa decretorum exsecutione solliciti, fideles, » ultra testes synodales, deligant Ministros qui, » diœcesim proprio eorumdem Episcoporum » stipendio circumeuntes, hac atque illac per» transeant, omnia, an pro debito sint adim» pleta, perlustrantes, et populis fiant bonus » odor in omni loco. » Placuit hoc integrum caput describere, ut vel inde intelligas quanta fuerit memorati Pontificis sedulitas in reparanda collapsa Ecclesiæ disciplina.

III. Adnotandum hic denique superest quod in Concilio IV provinciali Mediolanensi, *Constitutionum* parte III, cap. *De visitatione*, statuit S. Carolus, et post ipsum alii in suis provincialibus Synodis zelantissimi Archiepiscopi ; ut nimirum Episcopi, qui cæteris omni bene sancteque agendi exemplo præire debent, antequam Cleri populique visitationem ineant, a se suaque familia visitandi initium utiliter faciant ; quo reliqui omnes, domesticæ illius visitationis actione exsecutioneque incitati, Pastoralia jussa, quæ ipsi visitando præscripserint, promptius ac studiosius exsequantur. Vide et alia S. Caroli Concilia, in quibus varia scitu digna præscribit.

Digitized by Google

§ XV.

Peracta demum visitatione illius loci, et omnibus expeditis, cum discedere voluerit Pontifex, in suo habitu communi accedit ad ecclesiam, et stans ante altare in cornu Epistolæ, versus ad illud, dicit Psalmum *De profundis*, totum, cum ℣. *Requiem æternam*, et Antiphona *Si iniquitates*. Deinde dicit: *Pater noster*. ℣. *Et ne nos inducas in tentationem*. ℟. *Sed libera nos a malo*. ℣. *A porta inferi*. ℟. *Erue, Domine, animas eorum*. ℣. *Requiescant in pace*. ℣. *Amen*. ℣. *Domine, exaudi orationem meam*. ℟. *Et clamor meus ad te veniat*. ℣. *Dominus vobiscum*. ℟. *Et cum spiritu tuo*.

OREMUS.

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt : famulis et famulabus tuis hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum; ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen*. Post hæc discedit quo voluerit.

COMMENTARIUS.

Præscribunt quidem hunc ritum editi libri Pontificales, quibus præivit manuscriptus codex Pontificalis Durandi, ut, terminata visitatione, migrare alio volens Episcopus, primo ad ecclesiam jam visitatam accedat, ibique pro defunctis precetur, juxta modum in hoc nostro § recitatum. Plura effari nequeo : vix enim huic Commentario scribendo manum admoveram, cum ecce suavissimus germanus meus F. Josephus-Maria Ordinis Minorum Lector, ut aiunt, Jubilatus, qui sex abhinc mensibus Romam venerat ut nonnullos perspicacissimi sui ingenii fœtus typis committeret, præsertim vero Historiam nostræ civitatis Paulæ ac panegyricas Orationes, lethali morbo correptus die decima maii, decima tandem septima ejusdem mensis die, hora 19 obdormivit in Domino, hoc anno Christi 1740, ætatis suæ 48. Qualem vir eximius vitam duxerit, in sua pretiosa morte palam ostendit. Summa enim cum esset Christiana pietate, fortitudine, doctrina et eloquentia præditus, non modo mortem lætus atque intrepido animo aspexit, semel atque iterum dicens: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus;* verum etiam Ecclesiasticis Sacramentis rite munitus, dici nequit qua patientia morbi dolores perferret, qua humilitate a cunctis veniam peteret, quibus theologalium virtutum actibus repetitis divinam misericordiam imploraret. Christi imaginem e cruce pendentis corde et manu perstringens, iterum atque iterum quinque sacræ imaginis vulnera osculabatur. Tanta autem dicendi vehementia ac arte suam Deo animam commendabat, ut adstantes plerique egregium hominis animum terrena calcantis, ac profundam illius doctrinam et eloquentiam admirati sint. Spero equidem oraturum pro me in cœlis dulcissimum meum germanum, sicut mihi et alii fratri nostro, Thomæ Mariæ S. Theol. Magistro, Ordinis Prædicatorum, qui et ejus etiam lateri aderat, frequenter promisit, ut quæ ad Dei gloriam opera incœpi, ipso nunc e cœlo favente, ad optatum finem perducam.

[Locum reliquimus eximio et candido auctori desideratissimi fratris mortem plangentis, cujus verba nobis in memoriam referunt sancti Bernardi luctum in obitu dilecti sui Gerardi, quem Religio simul et natura germanum ipsi dederant. Nunc ad visitationem ecclesiarum per Prælatos redeundum est, de qua abs re non erit præclarum hic addere documentum e sacra Rituum Congregatione emanatum, exponens quomodo talis visitatio exercenda sit, quoad ritus et cæremonias, cum a Vicario Capitulari peragitur. De jure est ut possit dictus Vicarius per diœcesim visitationem instituere, elapso anno a die novissimæ

Digitized by Google

visitationis ab ultimo Episcopo defuncto peractæ; at cum Vicarius Capitularis ecclesiæ Abellinensis Sedem Apostolicam consuluisset de ritibus servandis, ac de præstandis sibi a Clero obsequiis hac in functione, peteretque Rubricas Romani Pontificalis ad hunc casum explanari, sacra Rituum Congregatio, annuente Gregorio XVI, sequentem instructionem misit, quæ deinceps vim legis obtinet.

« Vicarius Capitularis procedat ad ecclesiam cathedralem veste talari indutus, ubi intra portam recipietur ab universo Capitulo. Quum eo pervenerit, assumet superpelliceum, vel alia insignia canonicalia, si sit Canonicus; eidemque, biretum Presbyterale manu tenenti, dignior ex Capitulo stans aspersorium per contactum exhibebit. Præcedente cruce capitulari, cæterisque de Clero, recta statim, inter duos digniores ex Capitulo, perget ad sacellum ubi sanctissimum Sacramentum asservatur, atque paratis super genuflexorio pulvinaribus, una cum prædictis dignioribus, in genua provolutus orabit. Adsurgens inde, principem petit aram et brevi oratione super infimo gradu peracta, sedebit in camerali sede, ante latus Epistolæ super altaris suppedaneum præparata, cæterisque in propriis subselliis consedentibus; et, caput bireto cooperiens, tradet, si moris est, Cancellario visitationis edictum legendum; et deinde proponet causas adventus sui, ut habetur in Pontificali Romano (*Ordo ad visitandas Parochias*). His absolutis, ab altare descendet, et in plano, extra latus Epistolæ, stans, supra superpelliceum, vel rochetum, si eo utatur, amictum, stolam et pluviale nigrum induat, eique duo Sacerdotes assistent. Interim sedes ab altare amovebitur, cujus frons pallio, itidem nigro, obtegetur. Visitator autem adhuc stans juxta altare in cornu Epistolæ, versus ad populum incipit Antiphonam *Si iniquitates*. Cætera peraguntur ut in Pontificali Romano loco citato. »]

TITULUS XXII.

ORDO AD RECIPIENDUM PROCESSIONALITER IMPERATOREM.

I. Imperator olim dux exercitus dictus est, qui, aliquot hostium millibus prostratis, optimum militiæ suæ dedisset exemplum. Eo nomine donatum Pompeium legimus, quod in Africa superasset Domitium. Cœpit deinde imperatoris nomen ex senatus-consulto perpetuum esse principis nomen. Id enim testatur Suetonius in Julio Cæsare, cap. LXXVI. Nostris moribus receptum est verum imperatorem illum fieri qui septem virorum Germaniæ, quos Electores vocant, suffragio atque consensu ad Christiani populi monarchiam legitime evehitur, uti docet Aurea-Bulla Caroli IV, tit. II. Eam dignitatem, quæ olim penes Romanos et Constantinopolitanos imperatores diu remanserat, Leo III Pontifex Maximus primum Carolo Magno indulsit, anno 801. Quam ob causam id Leo effecerit, refert Anastasius Bibliothecarius in præfatione ad VIII Synodum, quia scilicet Græci imperatores, « postquam variorum fautores vel incen» tores essent errorum, sanctam Christi Eccle» siam diversis hæresibus scindere minime for» midaverunt. » Teste Pagio in Vita Gregorii V, errant qui ad ipsum Gregorium institutionem septem virorum Germaniæ principum, penes quos solos esset imperatoris eligendi potestas, referunt; conaturque idem Pagius ostendere memoratum electorum numerum medio sæculo XIII prævaluisse.

II. Titulum imperatoris etiam ab aliis regibus usurpatum tradit eruditus Ducange, in suo *mediæ et infimæ Latinitatis Glossario*, verbo *Imperatores*. Videri potest et de ea re eximius Lupus, tomo V operum, editionis Venetæ, in Concilium Turonense Victoris II Romani Pontificis, ubi inter alia scribit imperatorem Hispaniæ voluisse appellari Sancium; eumque titulum Ferdinando suspensum, ab Alphonso VII iterum fuisse assumptum. Sed, quidquid de hisce quæstionibus sit, de quibus hic fusius agere alienum

Digitized by Google

est a nostro instituto, quibus veri imperatores Romani cæremoniis susciperentur, ubi ad aliquam urbem veniebant, nostra hic interest explicare.

III. Est quidem pervetustus ritus, apud gentiles usitatissimus, ut civitatem quamcumque intranti imperatori cum solemni processione obviam iretur. Celebre est quod ea in re de Germanico, Caii Caligulæ imperatoris patre, scribit in ipsius Caligulæ Vita, cap. IV, Suetonius Tranquillus, sic dicens : « Sic vulgo favo» rabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo » adveniret, vel sicunde discederet, præ turba » occurrentium prosequentiumve nonnunquam » eum discrimen vitæ adiisse : e Germania » vero post compressam seditionem revertenti, » prætorianas cohortes universas prodiisse ob» viam, quamvis pronuntiatum esset ut duæ » tantummodo exirent : populi autem Romani » sexum, ætatem, ordinem omnem usque ad » vicesimum lapidem effudisse se. » Ita a Capuanis Hannibalem, ab Atheniensibus Attalum Asiæ regem, a Gallis Viennensibus Julianum Cæsarem, fuisse susceptum testantur Titus Livius, Ammianus Marcellinus, et alii antiqui scriptores : inter quos memoratus Suetonius et Julius Capitolinus, Cæsaris Augusti, quod solitus semper esset, ne populum inquietaret, de nocte ingredi vel egredi civitates; atque Antonini Philosophi, quod filiæ suæ nuptum proficiscenti occurri prohibuisset, summopere modestiam prædicant.

IV. Apud Christianos consuevisse jam olim imperatores ac reges solemni cum processione a populo et Clero, atque a Pontificibus ipsis excipi, testantur passim Ecclesiasticarum rerum scriptores. S. Gregorius Turonensis, qui, ut aiunt Bellarminus et Baronius, sæculo Christi VI floruit, lib. VIII *Historiæ Francorum*, cap. I, memoriæ prodit, Guntheranno regi cum ipsa S. Martini festivitate Aureliam venisset, obviam processisse immensam hominum multitudinem *cum signis atque vexillis*. Signa hic idem sunt ac cruces, eaque vox frequentissime occurrit apud scriptores Ecclesiasticos passim, et in lege I Cod. *Nemini licere, etc.*, ubi sancitum est « signum illud (*id est* crucem) Salvatoris » Christi nemini licere, vel in solo, vel in silice, » vel in marmoribus humi positis inscul» pere, etc. »

V. Quomodo exceptus sit Carolus Magnus ab Hadriano I Pontifice Maximo, ubi, anno 774, in vigilia Paschæ, quæ ipso anno in diem secundam aprilis incidit, Romam pervenit, ita enarrat Anastasius Bibliothecarius in Vita Hadriani : « Cujus adventum audiens beatissimus Hadria» nus Papa, quod sic repente ipse Francorum » advenisset rex, in magno stupore et extasi » deductus, direxit in ejus occursum universos » judices ad fere triginta millia ab hac Ro» mana urbe, in locum qui vocatur Novas, ubi » cum bandora » (*id est* vexillo) « susceperunt : » et, dum appropinquasset fere unius milliario » a Romana urbe, direxit universas scholas » militiæ una cum patronis, simulque et pueris » qui ad discendas litteras pergebant, depor» tantes omnes ramos palmarum atque olivarum » laudesque omnes canentes, cum acclama» tionum earumdem laudum vocibus ipsum » Francorum susceperunt regem; obviam illi » ejus Sanctitas dirigens venerandas cruces, » id est signa, sicut mos est ad exarcham aut » patricium suscipiendum, eum cum ingenti » honore suscipi fecit. » Ubi nota 1° signa hic etiam vocari cruces, quarum usus in processionibus Ecclesiasticis, uti alibi diximus, profecto est antiquissimus; 2° Morem esse antiquum, ut cum solemni processione, præcedentibus crucibus, non modo imperatores ac reges, sed exarchæ ac patricii reciperentur. De patriciis egregium opus edidit Romæ anno 1736 amicus noster Octavianus Gentilius.

VI. De eodem Carolo Magno, qui iterum Romam venit anno Christi 800, scribit in ejus Vita Adimarus apud Pagium in *Breviario Gestorum Pontificum Romanorum*, in Vita Leonis III, ipsum Pontificem, et Romanos cum eo, apud Nomentum, duodecimo ab Urbe lapide, Carolo occurrisse, eumque summo cum honore suscepisse : in crastino vero in gradibus insignis basilicæ Apostolorum principis stantem Leonem, missis obviam Romanæ urbis vexillis, ordinatis etiam per congrua loca tam peregrinorum quam civium turmis, qui venienti Carolo laudes dicerent, ipsum cum Clero et Episcopis equo descendentem, gradusque memoratæ basilicæ ascendentem suscepisse, dataque Oratione in laudatam basilicam beati Petri, psallentibus cunctis, introduxisse. Vide Baronium ad ipsum annum Christi 800, et alios

Digitized by Google

auctores qui gesta Caroli Magni scripserunt. Porro quod imperatores Romani solemni cum processione, cum hymnis et canticis et campanarum sonitu, cum vexillis et sacris reliquiis excipi soliti essent, addiscere licet ex Vita S. Ermenoldi abbatis, apud Surium, die 6 januarii, ubi hæc habet :

VII. « Henricus imperator ob culpas suas a Romano Pontifice anathemate plexus aliquando fuit. Interim tamen non infimi Ecclesiæ proceres et quidam alii, ob imperatoriam dignitatem, solitam ei præstabant reverentiam. Porro is, honoris et amoris causa quo non mediocri prosequebatur sanctum Othonem Episcopum fundatorem nostrum, cum eodem venit ad novellam ejus implantationem invisendam, multa nobilium et magnatum turba vallatus. Putabant omnes sanctum Ermenoldum abbatem loci, tum ob imperatoriæ celsitudinis majestatem, tum ob beati Othonis reverentiam, obviam ei processurum cum Fratrum collegio, cum canticis et hymnis campanarumque clangoribus, cum vexillis et sacris reliquiis. At ille multum diversus ab eis qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et peccati parietem suis liniunt adulationibus, atque ea causa in domibus regum mollibus vestiuntur : tanquam columna immobilis nec metu impellebatur, nec flectebatur gratia aut favore, ut illi honorifice obviam veniret, aut blanditer illum salutaret quem sciebat a Pontifice Maximo communione privatum. Sed cum per nuntios didicisset adventare imperatorem, jussit omnia monasterii ostia obserari, severeque prohibuit ne quis eum salutandi aut excipiendi causa foras exiret. »

VIII. Quanquam vero ex variis monumentis Ecclesiasticis doceamur consuevisse imperatores, tum alibi, tum Romæ præsertim, solemni cum pompa ac processione excipi ; fateri nihilominus cogimur magnificam illam cæremoniarum pompam, quam ad excipiendum imperatorem venientem ad Urbem peregrinationis causa, lib. I *Sacrarum Cæremoniarum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ*, sectione XIII, cap. I, describit Augustinus Patricius, et Jacobus Volaterranus cardinalis Papiensis, lib. VII *Commentariorum*, ordinatam quidem fuisse anno 1468, quo Fridericus imperator Urbem venit. Sic enim inquit memoratus cardinalis Papiensis : « Post hæc » de ingressu in Urbem agi cœptum est. Cujus » solemnitas cum neque ex Cæremonialibus » libris, neque ex omni historia reperiri tunc » posset, aliter enim cum coronam petit, aliter » cum privatæ rei causa venit, accipitur Cæsar, » hæc deducendi ratio novo exemplo est sumpta. » Ideo a me diligentius annotata, ut sit posteris » in hunc casum, quod vel sequi, vel adinve- » nire melius habeant. » Tum ritum enarrat, quem nos inferius describemus.

IX. Illud hic insuper de usu crucis adnotandum censeo, prælatam non modo ipsam fuisse a viris Ecclesiasticis, excipiendi et honorandi causa, imperatores ac reges ad aliquem locum venientes, verum etiam a supplicibus et oppressis ad misericordiam et opem impetrandam. Hinc refert Nicetas Choniates in Alexio, capta a Latinis Constantinopoli, Græcos illis obviam processisse cum crucibus et sacris imaginibus, ut misericordiam erga se provocarent. Simile quid ex Ligurino poeta addiscimus, qui ita de iis qui jus auxiliumque a Friderico poscebant, cecinit :

. . . . . Ex omnibus undique multi
Urbibus ac vicis aderant, queruloque ferebant
Innumeras clamore cruces : hoc quippe querelas
More solent aperire suas.

Visi non semel Neapoli sunt perfidorum quorumdam baronum regni subditi, ad impetrandam justitiam adversus tyrannicas ipsorum baronum oppressiones, ordinata processione, præcedente cruce, querulis vocibus ad proregem recurrere, viri æque ac mulieres, senes ac pueri, virgines, viduæ, spineas etiam coronas non semel gestantes. Sed hæc obiter dicta sint.

§ I.

Quando imperator venit ad aliquam urbem vel oppidum insigne, Clerus urbis obviam venit ei processionaliter, ut dictum est superius de receptione Prælati vel Legati ; tamen extra portam aliquantulum magis remote quam Prælato et Legato fieri solet. Imperator ex equo, vel, quod magis convenit, descendens, in terra

Digitized by Google

super tapete stratum genuflexus osculatur ibidem crucem, et sub baldachino deducitur usque ad ecclesiam. Processio præcedit immediate imperatorem, et is qui gladium imperatori præfert, equitat immediate post Prælatum processionis. Si vero Legatus Apostolicus imperatorem reciperet, aut cum eo urbem intraret, vel alias secum iret vel equitaret, ille qui gladium imperatori præfert et alius crucem Legati portans simul ire debent. Crux Legati, quia debetur ei latria, erit a dextris, et gladius imperatoris a sinistris. Interim dum procedunt ad ecclesiam, cantatur Antiphona toni VIII : *Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam.* Et post Antiphonam prædictam cantantur Hymni vel alia cantica devota, prout magis placebit.

§ II.

Cum imperator descenderit, et intrat ecclesiam, Prælatus Ecclesiæ, accepto aspersorio, aspergit eum, deinde alios in genere, et procedunt usque ad altare majus, coram quo imperator genuflectit super faldistorio ibidem sibi parato. Prælatus vero ecclesiæ ascendit ad cornu Epistolæ altaris, ubi stans versus ad orantem, detecto capite, dicit : *Deus, judicium tuum regi da.* ℟. *Et justitiam tuam filio regis.* ℣. *Salvum fac N. imperatorem nostrum, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Fiat pax in virtute tua.* ℟. *Et abundantia in turribus tuis.* ℟. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, in cujus manu sunt corda regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, et imperatori nostro famulo tuo N. regimen tuæ sapientiæ appone, ut, haustis de tuo fonte consiliis, et tibi placeat, et super omnia regna præcellat.

Prætende, Domine, quæsumus, famulo tuo N. imperatori nostro dexteram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirat, et quæ digne postulat, assequi mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ III.

Deinde, si Prælatus sit Episcopus vel major, stans ante altare benedicit solemniter populo dicens : *Sit nomen Domini benedictum, etc.* Intellige, si non sit præsens Legatus, quia benedicet Legatus, si sit præsens ibi. Qua benedictione data, depositis sacris vestibus, associat imperatorem usque ad ejus hospitium. Si autem Prælatus ipse non sit Episcopus vel major, finitis orationibus prædictis, depositis vestibus sacris, associat, ut supra.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Semper magni habita fuit in Ecclesia imperatoris dignitas, præsertim vero ab Apostolicæ Sedis Præsulibus, Romanis Pontificibus Maximis, qui summo semper honore Christianos Catholicosque imperatores Romam venientes excipere consueverunt. Ab Ecclesia certe Romana, omnium matre ac magistra, ad alias profectus est ritus solemni cum processione ipsos excipiendi. Augustinus enim Patricius, qui trecentis abhinc circiter annis floruit, fuitque sub pluribus Romanis Pontificibus Apostolicarum cæremoniarum Magister, ex veteri Romanæ Ecclesiæ instituto, novis semper ritibus sæculorum successu aucto, ita insignem cæremoniam describit, qua Fridericus III imperator Romæ a Paulo Papa II, anno Christo 1468, receptus est: » Ut primum Pontifici annuntiatum est Cæsarem » in Italiam adventasse, Romam via Flaminia » petiturum, jussit provinciarum Ecclesiæ Ro- » manæ præfectos, per quas iter facturus erat » Cæsar, ut venienti honoris causa obviam irent » Pontificis nomine ad fines provinciæ, illumque » cum omni suo comitatu publicis sumptibus » magnifice exciperent, et honores ei omnes » impenderent; juberentque per civitates om- » nes, qua esset transiturus, Clerum in porta » obviam exire cum crucibus, et deducere ad » ecclesiam cum Antiphonis, Versiculis et Ora- » tionibus, ut in Pontificali habetur. »

II. Referente laudato Patricio, qui pro sui muneris partibus cæremoniam ipsam dirigebat, ut idem recitato loco testatur, « ut Ecclesiæ agrum Cæsarem intrasse Papa cognovit, nobiles quosdam ex ordine equestri præmisit, qui Cæsari obviam irent, gratulantes Pontificis nomine prosperum ejus adventum, et omnia Pontificis officia pollicentes. Post hos missi sunt duo sacri palatii causarum Auditores, qui Spoleti, et duo deinde Archiepiscopi ex Assistentibus Papæ, qui Marini Cæsari se exhibuerunt. Designavit præterea Pontifex duos Apostolicæ Sedis Legatos, Guillelmum episcopum Hostiensem Rothomagensem, et Franciscum Sancti-Eustachii diaconum Senensem, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, datis mandatis ut duorum dierum itinere Cæsari obviam irent, descenderentque ex equis, ubi ex propinquo eum manifeste viderent, sive ipse imperator descenderet, sive in equo maneret.» Ait hic tamen Patricius consuevisse, descendentibus ex equis Legatis, et ipsum imperatorem descendere.

III. « Die autem quo Urbem intravit, hoc ordine exceptus est. Primi obviam iere ad tertium lapidem, vicecamerarius, præfectus, senator, conservatores, cancellarii Urbis, omnes cum habitu suæ dignitatis, et cum his capita regionum, et alii magistratus urbani cum civibus nobilioribus : quos non multo intervallo ordines curiæ et cancellariæ officiales, duce Episcopo Urbinate, correctore et abbreviatore litterarum Apostolicarum, secuti sunt. Tertio loco, Prælati domestici Pontificis cum aulicis proceribus, et nobilibus multis ad secundum lapidem processere. Sacer deinde Cardinalium senatus extra portam ad quingentos passus Cæsarem exspectabat : cui advenienti, suo et Pontificis nomine, felicem adventum gratulatus est, verba faciente priore Episcoporum Cardinalium. Clerus Urbis in ipsa porta cum crucibus et reliquiis, ut Cæsarem exciperet, jussus erat. Hoc igitur ordine, quamvis propter serum introitum omnino servari non potuit, Urbem ingressus est. Primo procedebant mixtæ Cardinalium familiæ cum militibus Cæsaris; tum familiares laici Pontificis cum familiaribus imperatoris : inde nobiles et barones; tum conservatores cum officialibus Urbis : deinde oratores principum et regum non Prælati : postremo senator et præfectus Urbis cum suis ornamentis. Armiger Cæsaris cum ense nudo inter illos et cæsarem solus equitabat. Sequebatur Cæsar sub baldachino medius inter duos seniores Episcopos Cardinales : cui in porta Vicarius Papæ, qui Clero Urbis præest, paratus in Pontificalibus, crucem exosculandam porrexit, Clero Antiphonam illam cantante : *Ecce mitto Angelum meum, etc.*

IV. » Præcedebat Clerus supplicabundus immediate ante præfectum et senatorem : sequebantur imperatorem Cardinales per ordinem, Episcopi, Presbyteri et Diaconi; officiales et nobiliores cives ducebant equum Cæsaris freno et baldachinum portabant. Post Cardinales sequebantur Prælati Cæsaris cum Prælatis orato-

Digitized by Google

ribus, et demum alii Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates et alii Curiales togati. Ex itinere duo Presbyteri et Diaconi Cardinales divertentes ad Pontificem prævenerunt, qui cum illis et nonnullis aliis Prælatis, atque aulicis suis, cum pluviali et mitra descendit ad ecclesiam Sancti-Petri, ubi in capella majori, in sede eminenti sedens, Cæsarem exspectabat. Cæsar ordine quo diximus ad gradus basilicæ pervenit, ubi equo descendens, a Cardinalibus et aliis ad confessionem beati Petri deductus est, ubi paratum faldistorium erat, super quod procumbens aliquantulum oravit. Interim Cardinales omnes ad Pontificem ascendentes, in locis suis sederunt, et duo Presbyteri et Diaconi, qui prævenerant, Cæsarem apud faldistorium orantem exspectantes, illum finita Oratione deduxerunt ad Pontificem; qui, ut Pontificem vidit, genu terram tangens, illum veneratus est; et accedens propius, Pontificis pedes osculatus est, deinde manum. Pontifex illum benigne suscipiens atque e terra elevans, ad osculum oris recepit, et assurgens eum modeste amplexatus est; moxque jussit eum sedere in sede pro eo honorifice præparata inter solium Pontificis et sedilia Episcoporum Cardinalium : tum excepit Prælatos et proceres Cæsaris ad pedis osculum.

V. » Cæremoniis hisce peractis, a duobus Diaconis Cardinalibus deductus Cæsar ad altare majus, ibi super paratum sibi faldistorium diutius genuflexus oravit. Interim Chorus cantavit Antiphonam illam : *Elegit eum Dominus, et excelsum fecit illum præ regibus terræ.* ℣. *Glorificavit illum in conspectu regum.* ℟. *Et non confundetur.* Surgens deinde Pontifex sine mitra dixit : *Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *Deus, judicium tuum regi da.* ℟. *Et justitiam tuam filio regis.* ℣. *Salvum fac, Domine, servum tuum Fridericum imperatorem nostrum.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et de filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Fiat pax in virtute tua.* ℟. *Et abundantia in turribus tuis.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* « Oremus. » Deus, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis » clavibus regni cœlestis, animas ligandi at- » que solvendi Pontificium tradidisti; interces- » sionis ejus auxilio famulus hic tuus Fride- » ricus imperator noster a nexibus peccatorum » suorum liberetur. » Sequuntur mox duæ aliæ Orationes, quarum prima incipit : « Prætende, » quæsumus, famulo tuo, etc., » (quæ eadem est ac secunda in nostro hodierno Pontificali ad § II descripta); altera vero sic habet : « Omni- » potens sempiterne Deus, Christiani imperii » protector et conservator, da servo tuo *N.* im- » peratori nostro virtutis invictæ triumphum, » ut ad nostram et Ecclesiæ tuæ sanctæ atque » fidelium omnium unitatem et pacem subdi- » tas illi facias universas barbaras nationes. » Per Christum Dominum nostrum. Amen. » Prima quæ in nostro Pontificali exstat, incipitque, « Deus, cujus in manu, etc., » omnino in ordine ab Augustino Patricio relato desideratur.

VI. Hunc eumdem ritum in adventu Friderici servatum idem Augustinus Patricius in quadam Epistola describit, quam typis mandavit vir clarissimus Ludovicus Muratorius, suoque tomo XXII *Rerum Italicarum* inseruit. Quandoquidem autem de hoc ipso Friderici imperatoris in Urbem adventu, ac de ritibus in ejus receptione servatis luculenter agit Jacobus Volaterranus cardinalis Papiensis, lib. VII *Commentariorum*, lubet ejus narrationem loco Appendicis ad calcem hujus Commentarii describere. Sic autem ait :

VII. « Cum calendis decembribus qui fuit annus sedentis Pauli quintus, nuntiatum esset Fridericum imperatorem ejus nominis Tertium in Italiam descendisse voti solvendi causa quod ad ædem Apostolorum ex Germania voverat; idque Venetorum litteris certissimum haberetur, conversus Pontifex ad ejus suscipiendi curam, unum ex secretariorum ordine, quam longissime obviam jussit, negotio injuncto ut crebris nuntiis de ratione viæ et cæteris quæ cognovisset, sine mora significaret. Inde vocatis in consilium Patribus, quatuor ex diversis nationibus Episcopos designavit, judicesque Rotæ duos, et consistoriales advocatos totidem, qui secretario succedentes secunda salutationis officia exhiberent. Delegit quoque Cardinalem Hostiensem ac Sancti-Eustachii, qui præstarent tertia, non tamen ultra biduiviam progrederentur.

Digitized by Google

VIII. » Post hæc de ingressu in Urbem agi cœptum est. Cujus solemnitas cum neque ex Cæremonialibus libris, neque ex omni historia reperiri tunc posset, aliter enim cum coronam petit, aliter cum privatæ rei causa venit, accipitur Cæsar, hæc deducendi ratio novo exemplo est sumpta. Ideo a me diligentius annotata, ut sit posteris in hunc casum, quod vel sequi, vel adinvenire melius habeant. Cognita igitur via, quæ illi per Flaminiam erat, cum jam et Pisauri secretarius, et non longe a Spoleto Episcopi, Cardinales autem sexto ab Urbe milliario obviam illum habuissent, die ipso adventus quadruplex gratulatio a quatuor hominum generibus per intervalla diei et locorum est instituta. Primam ad mille passus trans pontem Milvium, ducente Procamerario, præstiterunt præfectus Urbis et conservatores, regionum capita, reliquique urbani magistratus, in eam pompam compositi, quam ludis testaceis circumferre sunt soliti; secundam ad ipsum pontem Præsul Urbinas, quem sequebantur Subdiaconi omnes, judices Rotæ, Clerici cameræ, Acolythi, cubicularii, secretarii, advocati, diplomatum scriptores, item omnis ordinis curiæ nostræ ministri; tertiam vero ad medium fere spatium quod est inter portam et pontem, quæstor ærarii. Hunc magno agmine comitabatur tota Pontificis familia, toparchæ Romani et duces belli, et præeuntibus ostiariis, custodibusque Pontificum; his virgas sericeas, illis argenteas clavas manu gerentibus. Ultimam Cardinales exhibuerunt, ad eam viæ partem ordine collocati quæ venienti sinistrior esset.

IX. » Hos cum primo accessu vidisset Cæsar, capillamento detracto, singulos apprehensa manu et dato osculo salutavit, gratiæ et benignitatis documenta ostendens. Ingresso Urbem præsto fuit umbraculum aureum, quo solemnibus suis uti olim consueverat Pius. Atque una Romani cives per vicos dispositi, qui illud hastilibus sustinentes toto itinere per vices succederent. Morantibus cæremoniis, ad tertiam jam horam processerat nox. Itaque, antecedente sæcularium turba, quæ innumera erat, et sequente Patrum collegio atque omni Clero, moveri cœpit hæc pompa lucentibus undique viis multitudine cereorum, qui certatim accensi claritatem præstabant. A porta ad ædem Marci Pontificis recta est itum. Inde ad dexteram flexum, et Pontificali via in theatrum Pompeii perventum : denique in Vaticanum ad basilicam Petri accessum. Quacumque autem fuerat transeundum, imperatum erat ad decorem et magnificentiam vias ornari; idque summo studio pro ædibus suis quique impleverat. Pendentibus utrinque versicoloribus aulæis, sed nox superveniens abstulit cuncta. Dum enim metus est ne humore noctis (id quod in his ornatibus accidit) exposita nitorem suum amitterent, detensa jam erant omnia, et domi recondita, paucis exceptis locis, in quibus major fuerat honorandi Cæsaris quam accipiendi incommodi cura.

X. » Ad ædem divi Laurentii-in-Damaso Præsul Urbinas cum omni comitatu, quem dixi; quæstor item cum palatinis Episcopis, et Presbyteri Cardinales duo, ac Diaconi quatuor ad Pontificem, sicut institutum erat, diverso itinere contenderunt, ut essent qui in basilicam descendenti assisterent. Ad basilicam vero, quantum a primis gradibus ad summum altare pertinet, collegia Religionum Sacerdotiorumque dextera et læva, in veste sacra disposita erant, hymnos transeunti Cæsari concinentia. Ad primos quoque gradus Vicarius templi cum suo Collegio in mitra, et sacro pluviali religiose illum accepit, crucem, quæ in manu erat, porrigens osculandam. Natalis Domini nox illa erat, et hora jam quinta.

XI. » Itaque Pontifex, qui exspectare Cæsarem atque excipere ad portam Argenteam in vestibulo constituerat, indecorum judicans id jam horæ eam rem fieri, in chorum ascenderat, et sacrum Matutinum jusserat inchoari altiori solio residens. Ad eum igitur per media hæc collegia imperator accedens, pedem, manum et faciem deosculatus est. Sed, post pedis manusque osculum, allevans eum altius Pontifex, et de sede assurgens, præcipuo affectu in utrumque latus illum complexus est; moxque in propinqua sede collocans inter se Patresque, ad dexteram media, ad complendum sacrum suo se loco continuit. Eo absoluto, Diaconi Cardinales duo, quibus præceptum id erat, ad altare Cæsarem deduxerunt; ad cujus ille aditum primum in genua procidens tamdiu perseveravit orans, donec et votum absolveret, et divinæ preces super eum a Pontifice mitterentur. Earum hæc fuit prima solemnitas.

Digitized by Google

XII. » Cantaverunt alta voce duo ex Choro : *Elegit eum Dominus, et excelsum fecit præ regibus terræ.* Ab omni Choro responsum est : *Glorificavit illum in conspectu regum, et non confundetur.* Inde assurgens Pontifex ex ritu Cæremonialium librorum peregit reliqua, Choro præfanti illi in omni respondente. Inde e solio descendens, dextramque imperatoris apprehendens, in Pontificiam illum, atque inde in cubiculum ad quietem perduxit. Cum vero non putaret hoc primo ac pene tumultuario matutinæ laudis officio tantæ nocti satisfactum esse, solemnius aliud censuit iterandum, in quo et Cæsar et Patres ensisque sacratus pro more adessent. Itaque ad horam duodecimam paulo quidem ante primum diluculum secundum indixit. In eo Cæsar, vetusto sedis ritu, ense de manu ejus cum benedictione accepto, illoque, ut erat nudus, armigero astanti tradito, camisium stolamque, albam et pluviale ministrantibus Diaconibus Cardinalibus sumpsit, iisdemque latus ejus claudentibus, Evangelium lectionis septimæ non injucunde cantavit, lectionem ipsam eorum alteri prosequentem relinquens. Admonuerat inter vestiendum cæremoniarum Magister ut transversam stolam et pluviale ad sinistram apertum acciperet : *Non faciam*, inquit; et utrumque a collo ad pectus rectum induens, conversusque ad Magistrum : *Sic*, inquit, *semper sum solitus.* Suadente iterum illo ut, post Evangelium decantatum, pro aliorum consuetudine, ad pedem Pontificis osculandum ascenderet; germanico verbo, quod a circumstantibus est intellectum : *Et hoc*, ait, *etiam minime :* putans videlicet, ut creditum est, a vulgari aliorum obsequio majestatem imperii ea in re vindicandam.

XIII. » Mane vero ipso Paschali solemnibus Missarum operatus est Pontifex, in quibus, post communicationem suam, Eucharistiæ partem in hoc ipsum servatam Cæsari obtulit subnixo quidem in genua, et suum honorem Sacramento reddenti. Ab altari sub umbraculo digredientes, ad venerandum Domini Salvatoris Sudarium, quod imperatum erat proferri, profecti sunt : inde pulpitum supra gradus basilicæ ascenderunt, ex quo Pontifex solemni more benedicens plebi, quæ innumera ad visendum convenerat, summam peccatorum veniam tribuit. In ea denuntianda, quod semper latine et italice, per Diaconos Cardinales fieri est solitum, cum in extremis verbis admonerentur turbæ ut, acceptæ gratiæ memores, pro Romana Ecclesia et Pontifice suo orarent, additum est : « Et pro Friderico imperatore » nostro, ut contra infideles gentemque hære- » ticam divinum ei semper subsidium adsit. » Introitus sui, et noctis dieique Natalis, hæc fuit celebritas. »

XIV. Hactenus cardinalis Papiensis, cujus prolixum atque insignem locum placuit ad hujus Commentarii et tituli calcem describere, quod in ipso multi ac egregii enarrentur ritus, qui titulum ipsum illustrant, aliisque Præsulibus normam aliquam tribuunt juxta quam, pro locorum ratione, valeant ipsi imperatorem ad sua loca venientem excipere.

TITULUS XXIII.

ORDO AD RECIPIENDUM PROCESSIONALITER REGEM.

Quanta sit regum dignitas atque excellentia sat nobis sacræ Litteræ significant, in quibus variis quidem honoris titulis declaratur; vocantur enim filii Altissimi, dii, uncti Domini, in Dei solio sedentes, nutricii Ecclesiæ. Iis obsequium omne et honorem jure ac merito eædem sacræ Litteræ jubent impendi, et quidem ex divina ordinatione, teste Apostolo in Epistola ad Romanos, cap. XIII, ubi ita inquit : *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas, nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati*

Digitized by Google

Dei ordinationi resistit. Tum paulo inferius hunc in modum concludit : *Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal : cui timorem, timorem : cui honorem, honorem* Sed et Apostolorum princeps in Epistola sua prima, cap. II, idipsum Christianis inculcat, dicens : *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis; quia sic est voluntas Dei. Deum timete, regem honorificate.* Inter alia honorum argumenta regum dignitati ac majestati exhibitorum, unum esse ut iis aliquo advenientibus obviam cum solemni processione Clerus eat, docent nos antiqui Ecclesiasticæ Historiæ scriptores, ac manuscripti libri Pontificales, in quibus prædictus ritus excipiendi reges ipsos præscribitur.

§ I.

Quando rex ad aliquam urbem aut oppidum insigne venit, Clerus processionaliter obviam vadit ei extra portam, ubi rex ex equo, vel, quod magis convenit, descendens, in terra super tapete stratum genuflexus, osculatur crucem quæ per Prælatum sibi porrigitur. Deinde sub baldachino ducitur usque ad ecclesiam ordine supradicto. Interim cantatur Responsorium toni VIII : *Elegit eum Dominus, * Et excelsum fecit illum præ regibus terræ. ℣. Glorificavit eum in conspectu regum, et non confundetur. * Et excelsum. ℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. * Et excelsum.* Deinde cantantur Hymni vel alia cantica magis placentia. Cum rex ecclesiam intrat, Prælatus, accepto aspersorio, aspergit eum, deinde alios in genere; et procedunt usque ad altare majus, coram quo rex genuflectit super faldistorio ibidem parato, et orat. Prælatus vero ascendit ad cornu Epistolæ altaris, ubi stans versus ad orantem, detecto capite, dicit : ℣. *Deus, judicium tuum regi da.* ℟. *Et justitiam tuam filio regis.* ℣. *Salvum fac regem nostrum, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Fiat pax in virtute tua.* ℟. *Et abundantia in turribus tuis.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cui omnis potestas et dignitas famulatur, da huic famulo tuo regi nostro N. prosperum suæ dignitatis effectum; in qua te semper timeat tibique jugiter placere contendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ II.

Deinde Prælatus, si sit Episcopus, vel major, accedit ad medium altaris, et ibi populo solemniter benedicit. Tum, sacris dimissis vestibus, regem usque ad hospitium comitatur.

COMMENTARIUS.

I. Exstat in manuscripto codice Vaticano Gulielmi Durandi titulus qui ita inscribitur : *Ordo ad recipiendum regem vel principem processionaliter.* Tum ritum enarrat, sic inquiens : « Si rex vel princeps processionaliter recipitur, » cantatur Responsorium : *Elegit eum Domi-*

Digitized by Google

» *nus, et excelsum, etc.* Aliud Responsorium : » *Posui adjutorium.* ℣. *Inveni David.* Aliud » Responsorium : *Tua est potentia, tuum est* » *regnum, Domine.* ℣. *Creator omnium,* » *Deus, etc.* Require sub Responsoria : *Adape-* » *riat,* vel Responsorium : *Dilexisti justitiam.* » ℣. *Propter veritatem, etc.* Et Responsorio fi- » nito, illo prostrato ante altare manente, dici- » tur : ℣. *Deus, judicium tuum regi da* ℟. *Et* » *justitiam tuam filio regis.* ℣. *Salvum fac* » *regem* vel *comitem.* ℟. *Deus meus, sperantem* » *in te, etc.*, ut supra : » id est in eo ordine ubi agitur ad recipiendum processionaliter Prælatum vel Legatum. Sequitur Oratio : « Deus, » cui omnis potestas, etc. » Hæc fere ad verbum ex laudato manuscripto Durandi codice Pontificali, in quo, tametsi ritus ipse recipiendi processionaliter regem parce et subobscure enarretur, plene tamen ac satis dilucide ab Augustino Patricio exponitur, lib. I *Sacrarum Cæremoniarum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ*, sectione XIII, cap. II, ubi agit de receptione regis venientis ad Urbem. Sic autem inquit :

II. » Cum Pontifici nuntiatum erit regem quempiam Romam venturum, mandet rectori provinciæ qua ille primum transiturus est, ut venienti regi ad fines agri Ecclesiæ obviam vadat, illum Pontificis nomine benigne suscipiat, honoret, et per totam suam provinciam deducat, nlatque cum omni sua familia publicis sumptibus. Cum civitates et insignia oppida intrabit, occurrat ei Clerus cum supplicatione et baldachino, cantantes Hymnos, Antiphonas, Versiculos et Orationes, ut in libro Pontificali habetur ; et mittat quamprimum numerum equitum, qui sunt cum rege, et qualitatem comitum ejus ad Pontificem : mittantur deinde ad tres diætas duo Prælati qui occurrant regi Pontificis nomine, et deinde quatuor alii ad duas : demum per quindecim aut sexdecim milliaria mittantur duo ex Presbyteris, sive diaconis Cardinalibus Legati obviam, qui regem ad Urbem deducant. Ordinentur qui in toto itinere, dum erit in terris Ecclesiæ, faciant expensas regi. In die introitus, Vicecamerarius, sive gubernator Urbis, cum præfecto, senatore, conservatoribus, cancellariis, capitibus regionum, et aliis officialibus et nobilibus civibus, primi exibunt obviam ad secundum aut tertium lapidem. Ad primum lapidem occurret regi familia Pontificis cum omnibus ordinibus et officialibus curiæ. Sacer senatus Cardinalium in porta obviabit regi, et per priorem Episcoporum Cardinalium fient verba congratulatoria nomine Pontificis et collegii, et omnes Cardinales tangent manum regis, et osculabuntur genam, deinde hoc ordine intrabunt in Urbem.

III. » Primo præcedent familiæ dominorum Cardinalium et Curialium mixtim ; familia deinde Pontificis cum officialibus curiæ sæcularis, videlicet scriptoribus Apostolicis et abbreviatoribus, et hujusmodi. Et cum familia regis, barones, nobiles, conservatores, oratores principum et regum non prælati, præfectus Urbis et senator. Si quis princeps aut magnus nobilis erit cum rege, locetur inter oratores laicos, vel cum senatore aut præfecto, pro dignitate sua. Nota tamen quod orator imperatoris semper præcedit senatorem. Sequuntur deinde servientes armorum cum suis baculis argenteis, quorum aliqui semper discurrent, curantes ut alii præcedant secundum datum ordinem. Deinde sacrum collegium Cardinalium, Episcopi, Presbyteri, Diaconi. Rex vero erit medius inter duos seniores Diaconos in ultimo loco. Post regem erunt immediate duo aut tres cubicularii sive secretarii sui. Deinde oratores, Prælati, Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates : et si quis Prælatus erit cum rege, erit inter Prælatos oratores. Prælati ex familia Papæ in ejusmodi actibus, quando collegium est præsens, non præponuntur aliis, quia collegium est ibi tunc nomine suo et Pontificis ; sed stabunt in loco suæ promotionis.

IV. » Clerus Urbis cum Vicario occurret regi ad gradus basilicæ Sancti-Petri, et ibi regi ex equo descendenti Vicarius offeret crucem osculandam. Et tunc præcedent cantantes Antiphonam *Ecce ego mitto Angelum meum, etc.*, et alios Hymnos ; et sic deducetur ad altare majus ordine quo venerat : ubi super faldistorium sibi paratum orabit genuflexus. Interim Chorus cantabit Responsorium : *Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea.* ℣. *Inveni David servum meum ; oleo sancto meo unxi eum.* ℟. *Et exaltavi, etc.* Item aliud : *Tua potentia, tuum regnum, Domine : tu es super omnes gentes : da pacem, Domine, in diebus nostris.* ℣. *Creator omnium, Deus terribilis et fortis, justus et misericors.* ℟. *Da pacem, etc.*

Digitized by Google

Finito Responsorio, rege adhuc prostrato permanente, prior Cardinalium dicit Versus et Orationes infrascriptas supra regem, stans in cornu dextro altaris, ubi dicitur Evangelium : *Pater noster : ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo. ℣. Deus, judicium tuum regi da, etc.*, » ut in nostro § I. Sciendum tamen quod, juxta ordinem a memorato Augustino Patricio relatum, post Orationem, « Deus, cui omnis potestas famulatur, etc., » binæ aliæ Orationes sequuntur, sub unaque omnes conclusione « Per Christum Dominum » nostrum, » terminantur. Prioris initium est : « Deus, qui beato Petro Apostolo tuo, collatis » clavibus, etc.; » altera vero sic incipit : « Prætende, Domine, *N.* regi famulo tuo, etc.; » utraque exstat in Commentario ad titulum præcedentem.

V. Recitatis hisce Orationibus, cautum est, ex ipso Patricii ordine, ut « surgat rex ab oratione, et deducatur a Cardinalibus ad aliquem locum sibi præparatum ad hoc : et ibi eum dimittant cum duobus ultimis Presbyteris, et totidem ultimis Diaconis Cardinalibus ; alii omnes ascendant ad Pontificem : qui paratus cum pluviali et mitra pretiosis, exit ad publicum consistorium in prima aula regali ornatum. Cum omnes sederint, facta a Cardinalibus consueta reverentia, duo antiquiores Diaconi ibunt ad regem cum sex aut octo Prælatis acceptis a solio Pontificis ; et illi duo juniores ibunt ad consistorium, et facta reverentia sanctissimo Domino nostro, sedebunt in loco suo ; et mox deducetur rex ad Pontificem a quatuor Cardinalibus in hunc modum : Primo præcedent familiares regis, tum quatuor servientes armorum, et post eos Minister cæremoniarum, inde duo Presbyteri Cardinales, deinde rex medius inter duos antiquiores Diaconos, et post eum sex aut octo Prælati prædicti. Rex tertio genuflectet in conspectu Pontificis : duo Presbyteri Cardinales præcedentes facient reverentiam Pontifici, et exspectabunt ibi stantes ante Pontificem : deinde ascendet primus Diaconus, et post eum rex, qui genuflexus osculatur pedem sanctissimi Domini nostri. Pontifex porrigit ei manum, quam postquam fuerit osculatus, levet eum, et recipiet ad osculum oris. Interim ascendet et alius Diaconus ; his peractis, et aliquibus verbis gratulatoriis et grates agentibus per Pontificem et regem dictis, deducitur rex a Diaconis ad sedendum post primum Episcopum Cardinalem, et ipsi revertuntur ad sedendum ad locum suum. Et tunc, si Pontifici placet, proponuntur ab advocatis aliquæ causæ : quibus finitis, surgunt omnes, et rex accedit ad Pontificem cum Cardinalibus ; et ejus familia osculatur pedes Pontificis. Deinde Pontifex cum omnibus revertitur ad cameram, et mittit aliquos Cardinales qui deducant regem ad cameram suam. »

VI. Adnotandum hic monet Patricius quod, secundum quod legit in pluribus libris Cæremoniarum, « rex in prima die adventus sui non debet servire Pontifici in aliquo actu, neque in ferenda cauda, neque in mensa secum prandere, neque in aliqua re. In aliis autem diebus portabit caudam pluvialis, dabit aquam manibus, sive in Missa sive in mensa, et in convivio portabit primum ferculum, et in collatione primum potum, et hujusmodi : sedebit autem ubicumque erit in publico, aut in secreto cum Cardinalibus post primum Cardinalem super cussinem aureum sive purpureum, et in loco suo incensabitur, et capiet pacem per eumdem, ut alii Cardinales. Pontifex donabit regem aliquibus muneribus devotis et pretiosis, veste aurea, et equo phalerato, sicut fecit Sixtus IV Christigervo, sive, ut alii rectius scribunt, Christierno, regi Daniæ, et Ferdinando, regi Siciliæ, qui Romam venerunt tempore Jubilæi, anno Christi 1474. In discessu sociabitur rex a Cardinalibus usque ad portam civitatis. Si rex veniret ad Urbem ob aliam causam quam peregrinationis, possent omitti omnia quæ fiunt in ecclesia Sancti-Petri ; et sine supplicatione Cleri deduceretur a Cardinalibus ad locum destinatum, et inde ad consistorium publicum, ut dictum est. Si vero Pontifex non esset Romæ neque in terris suis, quando rex aliquis ad eum veniet, tunc neque per tot diætas mitteret ante eum, neque faceret ei expensas ; in ingressu autem honoraretur, et reciperetur in consistorio publico, ut superius dictum est. »

VII. Hactenus Romanæ Ecclesiæ ritus in regum susceptione, quem quidem non tanquam suo tempore adinventum, sed ex priscis Ecclesiæ Romanæ Ritualibus libris describit sacrorum rituum ipsius Ecclesiæ peritissimus Augustinus Patricius. Meminit Christierni Daniæ regis in Urbem adventus Jacobus cardinalis Papiensis

Digitized by Google

in Epistola sua LVI ad Bernardum Ilcinensem, data 4 aprilis 1474, in qua summos honores quibus ille a Pontifice exceptus est, ac plura optimi principis christianæ modestiæ, et singularis in Sacerdotalem ordinem observantiæ exempla recenset, sic dicens : « Nos hic Dano- » rum regem honoribus summis accepimus. » Turba omnis curialis egressa est obviam. » Patres ad portam congressi, medium illum » per Urbem ad basilicam Petri, inde ad Pon- » tificem perduxere juri dicundo nunc publice » præsidentem. Religio summa in summo rege » enituit. Procubuit in genua ante illius pedes, » nec ante se elevari est passus, quam sermo- » nibus suis esset responsum. Redeunti in cu- » biculum Xisto, exeuntique ad divina horum » dierum, gremia ejus semper portavit. Lavanti » manus pelvim sustinuit. Inter duos primos » Cardinales sessum receptus, non prius sedere, » non prius tegi voluit, quam utrumque ab » utroque factum esset. Me hodie alterum ex » duobus illi assidentem rogari per interpretem » fecit, ut pateremur post omnes Cardinales ad » osculum crucis eum ascendere. Est enim hæc » dies Parasceve. Cum rogarem cur ita depo- » sceret : « Ut habeatur, inquit, justus honos » summo Senatui. » Plura hujusmodi hoc solo » triduo sunt ab eo præstita Apostolicæ Sedi ; » in quibus trium magnorum regnorum rex a » Septentrionibus veniens, nobis Italis, quo » animo esse in summum Sacerdotium debea- » mus, exemplo suo edocuit. Reversus a Matu- » tino et Tenebris hæc tibi dictavi. Bene vale, » mi Iliacensis charissime. Romæ, 4 aprilis » 1474. »

VIII. Scribit Crantzius, lib. VIII *Daniæ*, cap. XXXVII, Christiernum a Pontifice magnis muneribus cumulatum, ac nuncupatum jam ante ab illo de Jerosolymitana profectione votum in amplam eleemosynam in xenodochium Sancti-Spiritus in Saxia conferendum commutasse. Donatum præterea Rosa aurea narrat Nauclerus, ac tulisse famam illum Romam accessisse, non modo ut votum compleret, sed etiam ut Christianos adversus Turcam ad sacrum bellum concitaret. Sed iis omissis, quod Monachos spectat, solemnis et apud ipsos fuit regum ac principum, ubi ad monasteria veniebant, susceptio. S. Benedictus qui VI sæculo floruit, in *Regula* sua, cap. LIII, omnibus in monasterium supervenientibus hospitibus congruum honorem exhiberi mandat ; de magnatibus vero nominatim agens, ita inquit : *Divitum terror ipse sibi exigit honorem.* Hinc ubi reges ac principes, aliique illustres viri suum in monasterium adventum Monachis significabant, solemni prorsus cum cæremonia a tota simul Congregatione suscipiebantur. S. Gislenus, qui obiit circa annum 660, « sumpta lympha sanctificata, thu- » ribulo cum thymiamate, sanctoque Evangelio, » Dagoberto Francorum regi ad se venienti processisse obviam dicitur in ejus Vita, num. IX, apud Surium, die 9 octobris. Nominoi Britanniæ principi ad Rothonense monasterium accedenti « venerabilis Convoion simul cum fratribus » perrexerunt obviam principi, susceperuntque » eum honorifice deducentes cum laudibus et » hymnis, » ut scribitur lib. I *De gestis Sanctorum Rothonensium*, cap. XI. Teste Adalgiso monacho, in libro *Miraculorum S. Theodorici*, cap. XV, Rodolphus abbas Sancti-Theodorici monasterii prope Remos, Roberto Flandrensium comiti, et reginæ Danorum, « collecto cœnobi- » tarum suorum cœtu, cum vexillis et appa- » ratu ecclesiastico decenter processit obviam, » et honorifice utrumque recepit, comitem et » reginam. »

IX. Ex antiquis Farfensis monasterii consuetudinibus, is ad excipiendum regem ad monasterium venientem præscriptus est ritus, quem refert in suo *De antiquis Monachorum ritibus* opere, lib. V, cap. XV, num. IV, Martene : « Cum auditus fuerit adventus regis in mona- » sterium, tunc Abbate vel Priore annuente » Fratribus, si tempus non fuerit loquendi in » claustro, conveniant omnes in ecclesiam, et » vestiant se in cappis etiam Conversi, et infan- » tes induant se tunicis. Secretarii præparent » processionem, et tunc sonent duo majora » signa. » Et paulo post : « Conversi bini et » bini sint ; tum infantes cum magistris ; deinde » P. Abbas ; et tunc alii Fratres duo ac duo, » sicut superiores ; tamen cum silentio eant. » Pervenientibus ad eum, tradent ei aquam » sanctam, et osculetur textum, et incensetur. » Deinde inchoetur Responsorium *Ecce mitto* » *Angelum meum ;* et pulsent famuli omnia » signa. In ecclesia tapetia sint duo ordinata, » quorum unum sit ante altare Sanctæ-Crucis, » et alterum ante majus. Tunc Abbas inchoet

Digitized by Google

» Antiphonam vel Responsorium quod velit, » quod conveniat : quo expleto, dicant capitu- » lum et has Orationes : *Omnipotens sempiterne* » *Deus, miserere famulo tuo, etc.*, et redeant in » claustrum. » Mox addit eadem facienda esse ad reginam suscipiendam, sed tamen, dum ecclesiam ingredietur, hanc Antiphonam decantandam : *Cum sederit Filius hominis, etc.*

X. Jam non modo imperatoribus ac regibus, sed et provinciarum rectoribus impensum olim fuisse apud gentiles enarrati honoris officium, manifeste docet S. Gregorius Nazianzenus in celebri sua Oratione *In laudem Athanasii* inscripta, ubi inter alia ait ipsum Athanasium, ab exsilio redeuntem, fuisse ab Alexandrina in genera, ætates ac artes divisa civitate susceptum, quomodo augustales præfecti ac ipsi Augusti excipi solent. Porro, tametsi ex præscripto Pontificalium librorum, ut videre est ad § I, Prælatus ecclesiæ advenienti regi extra portam civitatis occurrat, eique crucem exosculandam porrigat; vetitum id tamen videtur in Concilio VIII, œcumenico IV, Constantinopolitano, can. XIV, ubi ita legimus : « Eos qui a divina » gratia ad Episcopale vocantur officium, tan- » quam imaginem et figuram ferentes sanctorum » cœlestium hierarchiarum, id est Angelorum, » secundum hierarchicum plane gradum omni » honore dignos ab omnibus principibus et sub- » ditis sancimus haberi, et nequaquam strategis, » vel quibuslibet aliis principibus obviam procul » ab ecclesiis suis occurrere, sed neque semet a » multo spatio, de equis vel mulis ejicere, aut » cum timore et tremore procedere ac adorare. »

XI. Est quidem antiqua Ecclesiæ disciplina, ne principibus ecclesiam ingressuris procul occurratur; eamque imitatus impius Apostata Julianus, ita scribit ad Arsacium paganorum atque idololatrarum in Galatia pontificem, apud Sozomenum, lib. V *Historiæ*, cap. XV : « Ingre- » dientibus Præsidibus in urbem nemo Sacerdos » obviam prodeat, nisi quando ad templa deo- » rum accedunt, solum intra vestibula. » Uti Christianorum fidem, ut recte notat Lupus ad ipsum canonem XIV Concilii IV Constantinopolitani, ita et Ecclesiasticos ritus esse ornatissimos, atque humani generis ad Christum Dominum potentissime attractivos videbat ac invidebat impius ac dolosus Apostata; ideoque ipsis etiam gentilem idololatriam vestiri sanxit, et principem ac reipublicæ ministros recipi in delubra, quomodo recipiebantur in basilicas Christianorum. Certe, uti ex Anastasio liquet in Vitis Romanorum Pontificum, advenientem imperatorem Romanus, cum sui Cleri processione, Pontifex solebat ad gradus ecclesiæ exspectare.

TITULUS XXIV.

ORDO AD RECIPIENDUM PROCESSIONALITER PRINCIPEM MAGNÆ POTENTIÆ.

I. Jam, ut superius notatum est in Commentario ad § I et II præcedentis tituli, in manuscripto Pontificali codice Gulielmi Durandi sub uno eodemque ordine ritus describitur recipiendi processionaliter regem vel principem. In editis plurimis ante Clementem VIII Romanis Pontificalibus, ita is inscribitur titulus : *Ordo ad recipiendum processionaliter principem.* Recte autem in nostro hoc titulo hodierni Romani Pontificalis additur *magnæ potentiæ;* quia scilicet multi sunt præsertim in nostra Italia principum titulo insigniti, qui vix unum parvum feudum habent, subjecti et ipsi regibus eorumque magistratibus, sicut et cæteri subditi, tametsi non modo ut reges se gerant regulosque se appellent, sed et ipsos superare studeant, tyrannosque etiam aliquando imitentur, occidentes subditos, vel ut minimum eorum bona diripientes.

II. Dolet quidem de eo Barrius noster, lib. I *De antiquitate et situ Calabriæ*, cap. XXII, quod *De Calabriæ planctu* inscribitur, sic dicens : « Regio ipsa monstris etiam, regulis, inquam, » et tyrannis abundat, qui eam expilant et de-

Digitized by Google

» glubunt, ac veluti alteri Campani læstrygones, » ob inexplebilem sitim et inexhaustam avari- » tiam, mortalium labores depascunt in dies; » et silvas, saltus, agros, pabula, flumina, aucu- » pia, venationes, omnium demum populorum » jura sibi usurparunt. Quare populos sibi sub- » jectos, quod eos longe vexent, vexallos, hoc » est vexatos, appellant. Quod Romani modestiæ » causa non subjectos appellabant, sed socios. » Mercaturam insuper, vilem rem, ingenuis » hominibus indignam, eorum plerique exer- » cent. Apud Romanos in tanto imperio nequa- » quam tot familiæ et insatiabiles harpyiæ erant » mortalium labores depascentes. Verum enim » vero multæ claræ urbes molestissimas excus- » sere e cervice bipennes, quod duræ servitutis » jugum ferre non valerent. » Hactenus Barrius, barones sui temporis suggillans, eos præsertim qui nostram Calabriam injustis ac gravibus extorsionibus vexabant. Opus tanti auctoris, quod difficile apud bibliopolas inveniretur, Romæ anno 1737 iterum edidit, prolegomenis suis, additionibus ac egregiis notis illustratum, amicus meus eruditissimus et conterraneus Thomas Aceti, clericus beneficiatus basilicæ Vaticanæ; qui etiam ad illa Barrii verba, *expilant et deglubunt*, notat Tiberium, teste Suetonio, præsidibus onerandas tributo provincias suadentibus rescripsisse, « boni pastoris esse » tondere pecus, non deglubere. »

III. Si qui erant in nostro regno Neapolitano ingenii hujus barones, jam pœnitus desierunt. Nam, propter miseriam inopum et gemitum pauperum, exsurgens Dominus Carolum Borbonium regem misit, ut quorumdam regni magnatum violentias cohiberet. Quoniam autem nostri regis hic mentio incidit, ut cum Patribus Concilii Toletani VI, anni 638, loquar, dum sui regis Chintillani laudes prædicant, can. XVI : « Tanta erga nos » nostri principis exstant beneficia, ut longum » sit ea promere lingua. Ipse enim, auctore » Deo, nobis pacem, ipse quasi captivam re- » duxit charitatem : ipsius ope quieti, ipsius » sumus largitione ditati : ipse medicamine » bonitatis suæ, et reis pepercit et rectos su- » blimavit. Cui si dignis voluerimus respon- » dere beneficiis, non tantis exstamus copiis » virtutis, quibus tantæ voto sufficiamus vo- » luntatis. »

§ I.

Quando princeps magnæ potentiæ ad aliquam urbem aut insigne oppidum venit, Clerus processionaliter ei obviam venit extra portam. Ubi princeps ex equo, vel, quod magis convenit, descendens, in terra super tapete stratum genuflexus, osculatur crucem quæ per Prælatum sibi porrigitur. Deinde sub baldachino ducitur usque ad ecclesiam ordine supradicto. Interim cantatur Responsorium toni I : *Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea.* ℣ *Manus enim mea auxiliabitur ei.* ℣. *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.* ℣ *Manus enim mea. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* ℣ *Manus enim mea.* Deinde cantantur Hymni vel alia cantica magis placentia.

§ II.

Cum princeps ecclesiam intrat, Prælatus, accepto aspersorio, aspergit eum, deinde alios in genere, et procedunt usque ad altare majus, coram quo princeps genuflectit super faldistorio ibidem sibi parato, et orat. Prælatus vero ascendit ad cornu Epistolæ altaris, ubi stans versus ad orantem, detecto capite, dicit: ℣. *Salvum fac principem nostrum, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eum.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Fiat pax in virtute tua.*

Digitized by Google

℟. *Et abundantia in turribus tuis.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo*

OREMUS.

Deus, cui omnis potestas et dignitas famulatur, da huic famulo tuo principi nostro prosperum suæ dignitatis effectum; in qua te semper timeat tibique jugiter placere contendat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ III.

Deinde Prælatus, si sit Episcopus, vel major, accedit ad medium altaris, et ibi populo solemniter benedicit. Tum, sacris dimissis vestibus, principem usque ad hospitium comitatur.

COMMENTARIUS.

Multa quæ dicta superius sunt, referri ad hunc titulum possunt; consueverunt enim jam olim non modo imperatores ac reges, sed et alii magni principes solemnibus cum cæremoniis religiose ab Episcopo et Clero excipi, ubi ad aliquam urbem vel locum insignem adveniebant. Id quidem ex antiquis auctoribus et libris Pontificalibus liquet, in quibus ritus ad eos excipiendos præscribitur. Juxta Romanæ Ecclesiæ morem, ab Augustino Patricio descriptum, lib. 1, sect. XIII, principes Romani imperii Electores, qui certe aliis principibus præter reges, sicut Cardinales aliis Prælatis ratione electionis digniores sunt, ubi Romam veniunt, solemniori cæremonia ac alii non ita clari principes, excipiuntur. Ergo, quemadmodum Patricius, cap. V, refert, excipietur Elector imperii, quem principem maximum vocat, « ut agrum Ecclesiæ Romanæ intraverit, » omni humanitate et honore, ut diximus de » rege, sed non tanto apparatu; neque Clerus » ibit obviam cum processione. » Ubi nota loqui Patricium de Electoris, sive alius magnæ potentiæ principis, tametsi non ita clari, adventu ad urbem Romam; ad alia enim loca, præsertim sui principatus non modo solemni cum processione, sed cæteris servatis ritibus exciperetur : juxta ea quæ in hoc titulo aliisque præcedentibus explicuimus.

TITULUS XXV.

ORDO AD RECIPIENDAM PROCESSIONALITER IMPERATRICEM VEL REGINAM.

Quanquam in Vaticano Durandi Pontificali codice minime ordinem invenerim ad recipiendam imperatricem, exstat tamen is præsens titulus in antiquis editis ante Clementem VIII Pontificalibus, cum iis Rubricis ac precibus in nostro Pontificali hodierno Romano descriptis. Codex manuscriptus Durandi hunc habet titulum : *Ordo ad recipiendam reginam vel principissam processionaliter.* Tum ritum ita describit : « Quando regina vel principissa » processionaliter recipitur, cantatur Respon- » sorium : *Ista est speciosa quæ ascendit, etc.;* » et, ea prostrata ante altare manente, dicit : » ℣. *Salvam fac ancillam tuam, etc.* Oratio : » *Deus, cujus providentia in sui dispositione* » *non fallitur, etc.* » Hæc Oratio, ut in nostro hodierno et in antiquioribus editis libris Pontificalibus præscriptum est, dicitur quidem ubi

Digitized by Google

imperatrix vel regina exciperetur; in adventu autem principissæ utique magnæ potentiæ, loco prænotatæ Orationis alia diceretur, ut in sequenti titulo videre est.

§ I.

Quando imperatrix vel regina ad aliquam urbem vel insigne oppidum venit, Clerus processionaliter ei obviam venit extra portam. Imperatrix vel regina ex equo, vel, quod magis convenit, descendens, in terra super tapete stratum genuflexa osculatur crucem quæ per Prælatum sibi porrigitur. Deinde sub baldachino ducitur usque ad ecclesiam ordine consueto. Interim cantatur Responsorium toni VIII : *Ista est speciosa inter filias Jerusalem.* ℣ *Sicut vidistis eam plenam charitate et dilectione in cubilibus et in hortis aromatum.* ℣. *Ista est speciosa quæ ascendit de deserto, deliciis affluens.* ℣ *Sicut. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* ℣ *Sicut.* Deinde cantantur Hymni vel alia cantica magis placentia.

§ II.

Cum imperatrix vel regina ecclesiam intrat, Prælatus, accepto aspersorio, aspergit eam, deinde alios in genere, et procedunt usque ad altare majus, coram quo imperatrix vel regina genuflectit super faldistorio ibidem sibi parato, et orat. Prælatus vero ascendit ad cornu Epistolæ altaris, ubi stans versus ad orantem, detecto capite, dicit: ℣. *Salvam fac ancillam tuam, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.* ℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eam.* ℣. *Nihil proficiat inimicus in ea.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* ℣. *Fiat pax in virtute tua.* ℟. *Et abundantia in turribus tuis.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, ineffabilem clementiam tuam supplices exoramus, ut, sicut Esther reginam Israeliticæ plebis causa salutis ad regis Assueri thalamum, regnique sui consortium transire fecisti: ita hanc famulam tuam Christianæ plebis salutis gratia ad gratiam tuam transire facias, ut tibi super omnia jugiter placere desideret; et, te inspirante, quæ tibi placita sunt, toto corde perficiat, et dextera tuæ potentiæ illam semper hic et ubique circumdet. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ III.

Deinde Prælatus, si sit Episcopus, vel major, accedit ad medium altaris, et ibi solemniter populo benedicit. Tum, sacris dimissis vestibus, imperatricem vel reginam usque ad hospitium comitatur.

COMMENTARIUS.

I. Quid in receptione reginæ Vaticanus Durandi codex servandum præscribat, dictum est supra ad initium tituli. Si autem Romam veniret, « honoraretur, » inquit Patricius, lib. I,

Digitized by Google

sect. XIII, cap. III, « et in ejus adventu omnia » servarentur quæ dicta sunt de rege in omnibus et per omnia...; sed non recipietur a » Pontifice ad osculum oris, sed ad pedis et » manus; neque poneretur ad sedendum inter » Cardinales, verum, salutato Pontifice, post » osculum pedis et manus, Papa surgeret, et » rediret ad cameram suam; et illa dimittere» tur cum aliquibus Cardinalibus ad locum sibi » paratum. » Addit auctor hunc ritum minime servatum fuisse, ubi regina Daniæ tempore Sixti IV et Innocentii VIII Romam venit, ibique aliquandiu mansit : « Non enim recepta » fuit in consistorio, sed a collegio reducta ad » domum suæ habitationis. »

II. Pergit Patricius, ritumque describit quo reginæ Romam venientes honorari ac excipi solent, sic inquiens : « In ecclesia fieret ei » suggestus ornatus extra et prope capellam, » ubi cum suis ancillis posset stare, et audire » Missam; et cum Diaconus thuris suffitu ex» cipit Cardinales, reginam Acolythus unus » eodem modo excipiat. Similiter cum datur » pax Cardinalibus, Subdiaconus, qui servit » in Missa, portet pacem argenteam sive au» ream osculandam reginæ. Neque illa servit » in aliquo Pontifici, nec debet esse aliquo » modo in convivio cum Pontifice. » Hactenus peculiaris ritus qui Romæ ex antiquo more in reginæ receptione servatur. Quæ vero apud Patricium sequuntur, ritum spectant etiam ab Episcopis et Prælatis servandum, ubi ad alias urbes seu oppida insignia reginæ venirent. Sic enim ait : « In porta igitur ecclesiæ San» cti-Petri, super gradus occurret ei Clerus » cum supplicatione indicta, et Prælatus of» fert ei crucem osculandam, et Chorus can» tat Responsorium : *Ista est speciosa inter* » *filias Hierusalem : sicut vidistis eam plenam* » *charitate, et dilectione in cubilibus, et in* » *hortis aromatum.* ℣. *Ista est speciosa quæ* » *ascendit de deserto, deliciis affluens. Sicut* » *vidistis, etc. Gloria Patri, etc. Sicut vidi*» *stis, etc.* Deinde, cantando *Te Deum laudu*» *mus*, perveniunt ad altare majus ubi regina » super faldistorium orat. Interim Prælatus » stans apud altare, dicit super eam Versiculos » et Orationes, videlicet : ℣. *Salvam fac an*» *cillam tuam, etc.* » Sequitur tandem Oratio quæ incipit *Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, etc.*, ut supra in § II hujus tituli.

TITULUS XXVI.

ORDO AD RECIPIENDAM PROCESSIONALITER PRINCIPISSAM MAGNÆ POTENTIÆ.

Exstat in plurimis editis ante Clementem VIII Pontificalibus ordo inscriptus *Ad recipiendam processionaliter principissam*, sine illo addimento, *magnæ potentiæ*, quod tamen recte in posterioribus Pontificalium editionibus appositum esse superius a nobis notatum fuit. In manuscripto Vaticano Pontificali Gulielmi Durandi codice sub uno eodemque titulo legitur *Ordo ad recipiendam reginam vel principissimam processionaliter*; ejusque nomine non quidem uxorem seu filiam alicujus baronis, qui alius subest imperio, sed uxorem vel filiam alicujus magni principis, qui nullum recognoscit superiorem, qualis est aliquis imperii Elector, magnus Etruriæ dux, et alii id genus principes.

§ I.

Principissa magnæ potentiæ recipitur processionaliter eo modo et ordine, prout supra de imperatrice vel regina dictum est, hoc solo excepto quod, loco Orationis *Deus, cujus providentia, etc.*, dicitur hæc sequens :

Digitized by Google

OREMUS.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut hanc famulam tuam ubique sapientia tua doceat et confortet; atque eam Ecclesia tua fidelem semper agnoscat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Nihil in hoc titulo occurrit quod dictum non fuerit ad initium hujus tituli et in Commentariis ad titulos superiores : ipsi igitur consulendi. Apud toties laudatum Augustinum Patricium, quamvis varii exstent tituli ad recipiendos principes, uti superius notatum est, de receptione tamen principissæ nullus profecto ordo refertur.

TITULUS XXVII.

DE OFFICIO QUOD POST MISSAM SOLEMNEM PRO DEFUNCTIS AGITUR.

I. Missam pro defunctis offerre, ritus plane est antiquissimus ab Apostolis ipsis profectus. Quid enim tam frequens apud veteres tum Græcæ tum Latinæ Ecclesiæ Patres, quam ipsa pro defunctis Sacrificii oblatio? Liturgiam pro eisdem vita functis reperire est tam apud Clementem, seu alium ejus nomine antiquum auctorem *Apostolicarum Constitutionum*, libro VIII, tum apud Dionysium Areopagitam sub finem libri *De Ecclesiastica Hierarchia.* Quam adeo late contra Magdeburgenses vindicat doctus auctor Franciscus Turrianus, libro V *Defensionum pro Canonibus Apostolorum et Epistolis primorum Pontificum*, et commentariis suis in prædictas *Constitutiones Apostolicas*, ut, quemadmodum plerique autumant, pluribus non sit opus.

II. Sed afferamus alios Patres. Testatur Tertullianus in libro *De corona Militis*, capite III, suo tempore, id est II Christi sæculo consuevisse oblationes pro defunctis fieri, ad eumque certe Apostolicum morem alludit S. Cyprianus in Epistola sua LXVI, ad Clerum et plebem Furnis consistentem, ubi scribit ne pro Geminio Victore defuncto, qui, contra Ecclesiæ disciplinam, Geminium Faustinum presbyterum tutorem testamento suo nominaverat, Sacrificium celebretur : « Quod Epi- » scopi, inquit, antecessores nostri, religiose » considerantes et salubriter providentes, cen- » suerunt ne quis frater excedens ad tutelam » vel curam Clericum nominaret, ac si quis » hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec Sa- » crificium pro dormitione ejus celebraretur. » Et paulo post : « Et ideo Victor, cum, contra » formam nuper in Concilio a Sacerdotibus » datam, Geminium Faustinum presbyterum » ausus sit tutorem constituere; non est quod » pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio. » Ubi obiter nota verbo *dormitionis*, non *mortis*, uti Cyprianum, quia scilicet mortis nomen, ut ad Epistolam tertiam observet Rigaltius, quantum poterant evitabant Christiani, ob spem resurrectionis et vitæ sempiternæ; eamque ob causam, pro mortuo dicebant *præmissum*, et pro morte *obitum*, *excessum*, *dormitionem* et *assumptionem*, ut facile esset probare perspicuis testimoniis Tertulliani, Cypriani, Hieronymi et aliorum.

III. Consuevisse Missam præsente cadavere, antequam ipsum sepulturæ demandaretur, ex antiquo Ecclesiæ ritu celebrari, vetera quidem Patrum exempla et loca illustria abunde nos docent. Luculentissimum ejus disciplinæ testem

Digitized by Google

habemus S. Augustinum, qui, lib. IX *Confessionum*, cap. XII, de S. Monicæ matris suæ funere Deum alloquens, ita inquit : « Cum » ecce corpus elatum est, imus et redimus sine » lacrymis. Nam, neque in eis precibus quas » tibi fudimus cum offerretur pro ea Sacrifi» cium pretii nostri, jam juxta sepulcrum po» sito cadavere, priusquam deponeretur, sicut » illic fieri solet, nec in eis precibus ego flevi. » Ubi nota morem jam Augustini tempore in Italia invaluisse offerendi Sacrificium pro defunctis, præsente cadavere.

IV. Eumdem in Africa eodem Augustini ævo servatum morem, ex memorati Augustini Vita addiscimus, in qua ejus auctor Possidius, capite XXXI, mortem et sepulturam ipsius Augustini ita describit : « Membris omnibus sui » corporis incolumis, integro aspectu atque » auditu, et, ut scriptum est, nobis adstanti» bus et videntibus, et cum eo pariter oranti» bus, obdormivit cum patribus suis, enutritus » in bona senectute, et nobis coram, pro ejus » commendanda corporis depositione, Sacri» ficium Deo oblatum est. » Testatur Baronius, ad annum Christi 715, a Possidio ipso oblatum fuisse pro Augustino Sacrificium ; quod verosimile autumat Joannes Salinas, canonicus regularis Lateranensis, in notis ad recitatum Possidii locum, quod « et præsens tunc » esset funeri, et religiose ita illi parentavit, » cum quo per annos quadraginta familiariter, » et absque amara ulla dissensione, Dei dono » dulciter vixit. » Sed quidquid de ea re sit, nobis sat est illud ostendisse, morem esse antiquum ut præsente cadavere Sacrificium celebraretur. Id enim et alii antiqui Patres testantur, inter quos Paulinus in Vita S. Ambrosii, ubi ejusdem sancti Doctoris ac Mediolanensis Ecclesiæ Episcopi funus enarrat : « Lu» cescente, ait, die Dominico, cum corpus » illius, peractis Sacramentis divinis, de ec» clesia levaretur portandum ad basilicam » Ambrosianam, etc. » De S. Lupicino scribit in Vitis Patrum S. Gregorius Turonensis, quod » celebratis Missis, cum summo honore gau» dioque sepultus est. » Vide Concilium Valentinum in Hispania habitum anno 524, ubi, can. IV, statutum est ut, post oblatum quidem in Episcopi defuncti commendationem Sacrificium Deo, sepulturæ tradatur. In Oriente, jam ante Ambrosium atque Augustinum, in usu fuit is ritus ; Constantinum enim imperatorem cum Liturgia sepultum in templo Apostolorum testatur Eusebius, lib. IV *De Vita Constantini*, cap. LXXI.

V. Longum esset alios id genus offerre canones et exempla, quæ passim legere est in Conciliis et apud Historiæ Ecclesiasticæ scriptores, præsertim vero apud Bollandianos et Surium in Vitis Sanctorum. Id quod etiam religiose servandum antiquissimi *Sacramentorum* libri præscribunt ac Rituales codices mandant. Quamobrem satis mirari nequeo cur Romæ Cardinalium defunctorum exsequiæ atque absolutiones non mane post Missam solemnem, sed vesperi celebrentur ; tametsi Benedictus XIII toto sui Pontificatus tempore, veteris disciplinæ observantissimus, sua Pontificia præsentia ac majestate, mane, solemni cum Missa exsequias ipsas defunctorum Cardinalium peragere consueverit, eamque ob causam, dum nempe in ecclesia Sancti-Augustini pro defuncto S. R. E. cardinali Marco Antonio Ansidei officium ageret, in morbum incidit, paucisque post diebus in Domino obiit. Erat Benedictus veteris Ecclesiæ disciplinæ servator tenax et custos, sciebatque Romani Ritualis præscriptum quod quidem ritum celebrandi Missam præsente corpore etiam et hodie observari desiderat, eumque antiquissimum esse asserit : « Quod antiquissimi » est instituti, illud, quantum fieri poterit, re» tineatur, ut Missa præsente corpore defuncti » pro eo celebretur, antequam sepulturæ tra» datur. »

VI. Vespertinæ ergo sepulturæ, quæ non raro singularitatem aliamve vanitatem sapiunt, uti ait Van-Espen, parte II *Juris Ecclesiastici universi*, tit. XXXVIII, cap. I, num. XLIII, non facile sunt admittendæ ; neque eas inquit extra casum necessitatis admitti a Rituali Mechliniensi, ubi ita ait : « Pro laudabili et antiqua consuetudine » Ecclesiæ, corpus adulti defuncti ante meri» diem cum Missa, orationibusque et cæremo» niis debitis, casu necessitatis excepto, sepeliri » convenit. » Eadem legere est in aliis non paucis Ritualibus atque Episcoporum Conciliis, quæ hic recensere supervacaneum est.

Digitized by Google

§ I.

In exsequiis alicujus Summi Pontificis, S. R. E. Cardinalis, seu Metropolitani aut Episcopi proprii, seu imperatoris, regis, vel ducis magni, aut domini loci, finita Missa, ordinantur in loco ubi absolutiones fieri debebunt, in capite loci, in medio, unum faldistorium pro illo qui celebravit, et in quatuor angulis quatuor scabella, videlicet, in quolibet angulo unum scabellum. Subdiaconus accipit crucem processionalem, unus Acolythus accipit thuribulum cum igne, et naviculam cum thure et cochleari; alius Acolythus vas aquæ benedictæ cum aspersorio; et duo alii Acolythi duo candelabra cum luminaribus ardentibus capiunt. Interim Prælatus qui celebravit, apud faldistorium prope altare deponit planetam, manipulum, et, si placet, poterit deponere dalmaticam et tunicellam, et accipit pluviale nigrum et mitram simplicem, et quatuor alii Prælati, si adsint, accedent ad sacristiam, vel alium locum convenientem et propinquum, ubi quilibet eorum accipit super rochetum, vel, si sit Regularis, supra superpelliceum, amictum, stolam, pluviale nigrum, et mitram simplicem, si ea uti possunt, sin minus biretum; et omnes sic parati accedunt apud Prælatum celebrantem paratum, cum quo vadunt ad castrum doloris, seu feretrum, aut sepulturam, vel alium locum, in quo absolutiones fieri consueverunt, hoc ordine. Præcedant duo Acolythi, unus cum thuribulo et navicula incensi; alius cum vase aquæ benedictæ et aspersorio; tum duo alii Acolythi cum duobus aliis candelabris, et candelis accensis, in quorum medio erit Subdiaconus qui in Missa cantavit Epistolam, paratus sine manipulo, deferens crucem; post eum duo juniores Prælati; deinde duo seniores, et quilibet eorum penes se habebit unum Capellanum superpelliceo indutum, qui mitra sibi serviat, et unum scutiferum, qui cereum accensum portet : ultimo loco incedat Prælatus qui Missam celebravit, ad sinistram habens Diaconum paratum sine manipulo, qui eum comitetur, et post eum Capellani superpelliceis induti. Si vero non adsint quatuor Prælati, loco deficientium parantur Canonici digniores ecclesiæ, vel alii in dignitate constituti, supra superpellicea pluvialibus nigris, et ordine supradicto procedunt ad locum absolutionis; ubi cum fuerint, locantur hoc ordine : Thurificarius cum Acolytho deferente aquam benedictam subsistunt in capite loci a parte dextera; Acolythi vero Ceroferarii ac Subdiaconus cum cruce vadunt ad pedes loci, et Subdiaconus cum cruce collocabit se in medio eorum. Junior Prælatus sedebit in scabello in angulo castri doloris ad pedem dexterum; alius post eum in angulo ad humerum sinistrum; tertius in angulo ad pedem sinistrum; quartus, qui erit senior, in angulo ad humerum dexterum loci. Celebrans vero sedebit in faldistorio in capite loci in medio, ita ut crucem directo respiciat. Omnibus sic ordinatis, surget Celebrans detecto capite, omnibus similiter surgentibus, et incipiet in tono Lectionis absolute Orationem : *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quoniam nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum tua, quæsumus, judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commen-*

Digitized by Google

dat; sed, gratia tua illi succurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui, dum viveret, insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Antequam ea explicemus quæ in hac prolixa et sequentibus Rubricis continentur, operæ pretium ducimus nonnulla de obsequiis dicere quæ majores nostri defunctis statim post eorum obitum exhibere consueverunt. Simul itaque ac efflaverat aliquis animam, clausis ejus oculis et ore obturato, corpus ipsius lavabant, pretiosis unguentis ungebant, congruis vestimentis induebant, ac tandem Hymnorum ac Psalmorum decantatione, solemni cum cereis processione, ad ecclesiam portabant. Laudat apud Eusebium, lib. VII *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XVII, quorumdam pietatem Dionysius Alexandrinus, qui mortuorum Christianorum « corpora manibus erectis supinisque excipere, gremio suo » reponere, occludere oculos, ora obturare, » gestare humeris cadavera, decenter ornare, » illis adhærescere, amice complecti, lavare ac» curate, et linteo funebri involvere non gra» vati sunt. » Ubi nota inter alios ritum claudendi oculos mortuo, quem in Christo Domino religiose servatum non obscure indicat S. Epiphanius in Homilia *De sepultura Domini*, Josephum ab Arimathæa ita alloquens : « Num» quid digitis tuis oculos Jesu, ut mortuorum » de more solent, claudis ? » De hoc ritu late agit eruditus auctor *Romæ subterraneæ*, lib. I, cap. XXI, qui et genuinam hujus ritus rationem ibidem numero XIII indicat, ad propulsandum scilicet horrorem illum qui ex apertis patentibusque mortuorum oculis, quibus omnis cum vita ac lumine decor exstinctus est, exemplo animis adstantium refunditur.

II. Quod corporis lotionem spectat, erat sane maxima antiquis pœna fœdatum sepeliri, ut colligere licet ex cap. XX *Levitici* in fine : *Sanguis eorum sit super illos.* Inde morem in Ecclesia inolevisse defunctos lavari, eruditus Stephanus Durantus conjicit, lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XXIII, num. XIV. Sed, ut ut sit ea Duranti opinio, certe Christiani homines ejus ritus originem a Christo Domino ducere possunt, cujus sacrum corpus a Josepho ab Arimathæa ablutum fuisse nonnulli sancti Patres docent, inter quos Chrysostomus, Theodoretus, et Epiphanius qui, in laudata Homilia de sepultura Domini eumdem Josephum alloquens, ita inquit : « Anne aqua Dei illius cor» pus abluis, qui omnes a peccatis abluit et » expiavit, omnibusque puritatem tribuit ? » Exstat celebre ejus ritus exemplum in *Actis Apostolorum*, cap. IX, ubi Tabithæ religiosæ feminæ mors ita describitur : *Factum est autem in diebus illis ut infirmata moreretur, quam cum lavissent, posuerunt illam in cœnaculo.*

III. Apud scriptores tum Latinos tum Græcos, nihil frequentius occurrit quam cæremonia lavandi corpus defuncti. Tertullianus in *Apologetico*, cap. XLII, ad eum ritum alludens, inquit : « Rigere et psallere post lavacrum mortuus » possum. » Quem locum Rhenanus de ipso Christianorum more interpretatur, quo corpora defunctorum lavantur. Eumdem ritum summopere commendat Dionysius Alexandrinus, apud Eusebium, lib. VII *Historiæ*, cap. XXII, ubi agit de charitate exstinctis peste exhibita in civitate Alexandrina. Erat communis omnium Christianorum cæremonia, quæ innumeris pene exemplis probari posset ; ut enim alia omittam, S. Gregorius, lib. III *Dialogorum*, cap. XVII, de quodam Monacho ex monte Argentario, qui mortuum suscitavit, loquens, sic ait : « Quadam vero die, dum ejus hospitium, quod non » longe ab ecclesia aberat, intrasset, cujusdam » pauperculæ mulieris maritus juxta defunctus » est ; quem ex more lotum, vestimentis indu» tum, et sabano constrictum, superveniente » vespere, sepelire nequiverunt, etc. » Ex quo satis deducitur pium lotionis obsequium non modo principibus ac nobilibus, verum etiam pauperculis, et quidem *ex more*, exhibitum fuisse. Nam idem Gregorius, lib. IV, cap. XVI, de transitu Tarsillæ virginis hæc habet : « Cum» que corpus ejus ex more mortuorum ad la» vandum esset nudatum, longæ orationis usu, » in cubitis ejus et genibus, camelorum more, » inventa est obdurata cutis excrevisse. » Servant hunc hodie ritum omnes fere Religiosorum

Digitized by Google

familiæ ex præscripto Ritualium, quibus addi potest constitutum libri *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, ubi, post preces Psalmosque in cujusque obitu recitari solitos, ita subdit : « Postea » lavetur, et ponatur in feretrum. »

IV. Ex manuscripto codice monasterii Sancti-Benedicti Floriacensis, annorum circiter mille, post cadaveris lotionem, antequam illud e domo efferretur, hanc Orationem dicebat Sacerdos : « Suscipe, Domine, animam servi tui » *ill.*., quam de ergastulo hujus sæculi vocare » dignatus es, et libera eam de principibus » tenebrarum et de locis pœnarum, ut, abso» luta omnium vinculo peccatorum, quietis ac » lucis æternæ beatitudine perfruatur, et inter » Sanctos et Electos tuos in resurrectionis glo» ria resuscitari mereatur. Per. » Exstat eadem hæc Oratio in veteri manuscripto libro *Sacramentorum* Bibliothecæ Colbertinæ, qui fuit olim Sancti-Dionysii, itemque in codice Ratoldi abbatis, et aliis multis manuscriptis Ritualibus libris. Cæterum, ut alios omittam, ex manuscripto codice Romaricensi, annorum circiter septingentorum, ubi corpus lavabatur, tam ab iis qui illud lavabant quam ab aliis profecto tum hæc cantabantur : ℣. *Libera me, Domine, etc.* ℟. *Clamantes.* ℣. *Antequam nascerer.* ℟. *Commissa mea pavesco.* ℣. *Subvenite, sancti Dei.* ℟. *Suscipiat eam.* Antiphona : *Suscipiat te, Christus.* Psalmus : *In exitu Israel.* Antiphona : *Chorus Angelorum.* Psalmus : *Dilexi quoniam*, usque ad *Ad Dominum cum tribularer clamavi, etc.* Sunt preces jam olim usitatæ ex aliis Ritualibus libris. Vetustus Ritualis codex Sancti-Eligii Noviomensis, annorum sexcentorum, qui servatur in bibliotheca Majoris-Monasterii Turonensis, illos præterea ritus in lotione cadaveris servandos mandat : « 1° ut a vertice usque ad plantam pedis lave» tur, exceptis verendis, quæ veteri staminea » coopertæ tenentur; 2° ut qui servit de thure, » sine intermissione abundanter incenset cor» pus; 3° ut, lavato corpore et parato, id est » vestito, domnus Abbas vel Prior spargat in » feretrum aquam benedictam, et incenset. »

V. Totum cadaver jam olim majores nostri variis unguentis et aromatibus condire consueverunt, exemplo Christi edocti, qui, indignantibus discipulis quod mulier pretiosum unguentum in ipsius caput effudisset, Matthæi cap. XXVI, hunc in modum respondit : *Mittens hæc unguentum hoc in caput meum, ad sepeliendum me fecit;* sive ut legitur apud Marcum, cap. XIV : *Prævenit ungere corpus meum in sepulturam;* vel ut habet Joannes, cap. XII : *Sinite illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.* Hinc post Christi passionem et mortem, de religiosis mulieribus, Maria Magdalena et Maria Jacobi et Salome, in Evangelio Marci, cap. ultimo, legitur quod *emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum;* sive, ut ait Evangelium Lucæ, cap. XXIV : *Una sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata.* Cæterum memoratus Joannes in Evangelio suo, cap. XIX, diserte ait, mortuo Christo, petiisse corpus ejus a Pilato Josephum ab Arimathæa, et una cum Nicodemo, qui tulerat mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum, accepisse corpus Jesu, et ligasse illud *linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.*

VI. Exemplo itaque Christi, cœperunt fideles Christianorum corpora cum aromatibus sepelire. De S. apostolo Andrea produnt Acta, a Breviario Romano relata die 30 novembris, corpus Apostoli jam defuncti a Maximilla *optimo loco cum aromatibus* fuisse sepultum. Narrant quoque Acta S. Calixti Papæ, quod ipse S. Calepodii corpus « cum gaudio linteaminibus in» volvit, aromatibus condivit, et honorifice » cum hymnis et laudibus sepelivit in cœme» terio ejusdem. » Juxta eumdem morem, S. Euplii Diaconi, qui sub Diocletiano et Maximiano Catanæ martyrio coronatus est, sublatum corpus a Christianis, *et conditum aromatibus* sepultum, ejusdem sancti Martyris Acta referunt. Hinc quoque Maximus præses inclyto Martyri S. Tarachio exprobrans simul et comminans aiebat : « Putas quia mulierculæ ali» quæ post mortem corpus tuum habent aro» matibus vel unguentis condire, nequissime? » Nam et modo cogitabo ut reliquias tuas » exterminem. » Innumera ejus rei exempla exstant passim apud Bollandianos et Surium in Vitis Sanctorum, præsertim vero veterum Martyrum.

VII. Neque vero solum ipsis olim, sed et aliis quoque fidelibus hoc obsequium exhibitum diserte testatur Tertullianus in *Apologetico adversus gentes*, cap. XLII, his verbis :

Digitized by Google

« Si Arabiæ quærantur, scient Sabæi pluris » et carioris suas merces Christianis sepe- » liendis profligari quam diis fumigandis. » Est quidem antiquus ritus ab Ægyptiis per Patriarcham Joseph, uti legitur *Geneseos* capite L, ad Judæos translatus, ac deinde a Christo approbatus, uti ex variis Evangelii locis superius ostendimus : fuisse autem eam cæremoniam a Christianis religiose observatam non uno in loco idem Tertullianus affirmat, aliique antiqui scriptores testantur, inter quos Prudentius, in suo ad exsequias Hymno, defunctorum unctionis ritum versiculis hisce describit :

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est;
Aspersaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine servat.

Sane fateor ritus plurimos, quibus circa mortuos eorumque sepulturam jam pridem usi fuere Christiani hodieque etiam nos utimur, non modo Judæis, sed et gentilibus communes fuisse. Verum non ideo respui debent, quia gentiles ad suam ipsorum superstitionem et gentilitatis errorem ritus ipsos adhibuerunt. Huc enim referri potest quod docet S. Augustinus, lib. II *De Doctrina Christiana*, non ideo respuendam esse musicam, quia gentiles illa ad suam superstitionem abusi sunt : « Nos, in- » quit, non propter superstitionem profano- » rum debemus musicam fugere, si quid inde » utile ad intelligendas Scripturas rapere po- » tuerimus. »

VIII. Juxta pervetustum morem Græcorum, corpus defuncti, aqua lotum ac aromatibus et unguentis delibutum, oleo aut chrismate tertio in modum crucis aspergitur, exstatque ea in re Oratio quam in suo *Euchologio* affert eruditus Goar, pag. 437 ultimæ editionis Venetæ. Meminit ejus ritus S. Dionysius, vel alius ejus nomine antiquissimus auctor, in libro *De Ecclesiastica Hierarchia*, cap. VII, ubi, postquam dixit : « Mortuo ab omnibus salu- » tato, oleum superfundit Antistes, » hanc paulo infra rationem subdit : « Memento quia » secundum divinam regenerationem ante sa- » crum Baptisma prima fuit Symboli parti- » cipatio data initiato post integram vestis de- » nudationem et unctionis oleum. » Tum addit : « His demum omnibus peractis, oleo » respergitur obdormiens, et tunc quidem ad » sacra certamina initiatum olei unctio evo- » cabat. Nunc vero dum effunditur, ostendit » pugnis omnibus perfunctum, omnique ex » parte perfectum illum, qui obdormiit, quasi » certaminis coronam adeptum. » Fusius id- ipsum enarrat Simeon episcopus Thessalonicensis, qui etiam addit : « Nos itaque id agi- » mus, et mortuis in Christo fratribus oleum » superinfundimus; non illud tamen viventi- » bus præberi solitum, de quo frater Domini » loquitur (id est S. Jacobus in sua Canonica Epistola, ubi agit de oleo sancto, quo, ex Apostolica traditione, Ecclesia ungit infirmos), « sed aliud ex templi et maxime altaris lam- » pade. » Circa duodecimum sæculum quo ipse floruit, testatur Balsamon hunc ritum ungendi chrismate sacro Pontifices et Sacerdotes defunctos in Ecclesia Alexandrina servatum fuisse : « Usus hic in Alexandrinorum » regione ab antiquo invaluit, ut Sacerdotum » et Pontificum mortuorum corpora sacro chri- » smate ungerent et tumulo reconderent. » Inungebant sane Græci oleo mortuos priusquam eos sepulturæ traderent, adjungebantque Orationem super ipso sepulcro dicendam, quam ex manuscripto Cryptoferratensi Bessarionis cardinalis codice, et Barberino Sancti-Marci memoratus Goar describit.

IX. Ritum hunc unctionis, quem Catholici cadaveri impendebant ad declarandum eum qui defunctus erat, jam sacris certaminibus functum fuisse, juxta S. Dionysii explicationem, quidam aliquando hæretici, quos Theodoretus, lib. I *De hæreticorum Fabulis*, hæresi XV, *Ascodrytas* vocat, imitati sunt; quippe qui defunctos suos ungebant, sed vana quadam superstitione ducti, quam notat S. Irenæus lib. I *Adversus hæreses*, cap. XVIII, « alii sunt » qui mortuos redimunt, in fine defunctionis » mittentes eorum capitibus oleum et aquam, » sive supradictum unguentum (opobalsamum) » cum aqua, et cum supradictis invocationibus, » ut incomprehensibiles et invisibiles principi- » bus et potestatibus fiant, ut superascendat » super invisibilia interior ipsorum homo, » quasi corpus quidem ipsorum in creatura » mundi relinquatur, anima vero projiciatur » demiurgo. » Meminit horum hæreticorum, » ad annum Christi 175, cardinalis Baronius,

Digitized by Google

qui etiam ex Epiphanio, hæresi XXXVI, tradit Heracleonem quoque ejusque sectatores inter alia consuevisse, invocatis super morientes quorumdam principatuum nominibus, ungere defunctos oleo et aqua, interdum etiam balsamo, ut, quod somniabant, incomprehensibiles fierent et invisibiles supernis principatibus, ac si ab eorum potestate redimerentur.

X. Veniamus nunc ad vestes quibus contegi corpora defunctorum consueverunt. Splendidas et pretiosas illas fuisse tum apud Græcos tum apud Latinos, testes habemus S. Chrysostomum et S. Hieronymum; quorum alter, in Vita S. Pauli Eremitæ, ita inquit : « Parcite, » quæso, vobis, parcite saltem divitiis quas » amatis. Cur et mortuos vestros auratis ob- » volvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus » lacrymasque non cessat? An cadavera divi- » tum nisi in serico putrescere nesciunt? » Chrysostomus vero, homilia LXXXIV, ita quidem in morem sui temporis invehitur : « Tu » cum audieris nudum Dominum resurrexisse, » cessa, quæso, ab insana funeris impensa. » Quid sibi hoc superfluum vult et inutile » dispendium quod ipsis plurimum affert de- » trimenti, mortuis vero nullam utilitatem, » sed damnum potius? Sumptuosa namque » sepultura nonnunquam causa est ut fures » cadaver effodiant, et nudum et insepultum » projiciant. » Quod divitum cadaveri timebat Chrysostomus, id quidem Hadriano Papæ I contigit, uti constat ex ejus Vita descripta a viro clarissimo Joanne Mabillonio, tomo I *Musæi Italici*. S. Gregorius Nyssenus, in Epistola ad Melitensem Episcopum de sepulcrorum violatoribus agens, sepultorum meminit ornamenti; exstantque idcirco innumeræ fere leges et canones in sepulcrorum violatores.

XI. Tametsi autem nimium vestium luxum memorati Patres Chrysostomus et Hieronymus reprehendant, sciendum nihilominus est in Pontificum, regum et principum exsequiis, præsertim vero virorum sanctorum, pretiosas vestes aliaque complura quæ ad splendorem pertinent, a viris doctis minime improbari, uti notat eruditus Durandus, lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XXIII, num. XIV; Menardus in *Notis ad Sacramentarium S. Gregorii*, et alii. Erant sane cuilibet mortuo propriæ vestes, pro qualitate personæ. Hinc Episcopi defuncti Pontificalibus omnibus ornamentis induebantur. Id moris fuisse Romanorum Pontificum, docet memorata superius Hadriani Papæ Vita his verbis : « Sepulto itaque summo » Pontifice, et universali Papa Hadriano Apo- » stolicis infulis involuto, ut mos est Roma- » num sepelire Episcopum. » Posterioribus sæculis, quibus vestibus defuncti Romani Pontifices induerentur, addiscere licet ex celebri testimonio quod de corporis Bonifacii VIII inventione facta anno 1 Pauli V, die 26 septembris, ad annum Christi 1303, num. VIII, refert Abrahamus Bzovius, quod quidem, tametsi paulo prolixum est, puto nihilominus me rem gratam curioso lectori facere si hoc loco describam. Sic ergo inquit :

XII. « Vestimenta hæc erant : femoralia tibialibus conjuncta coxas stringentia, quibus antiqui utebantur, ex inverso rubro cum zona serico rubro super corio cooperta, in cujus summitate erant punctales argentei, sive fibulæ; sed quia erant ex lana, jam fere consumpta videbantur.

» Tunica interior, quæ subtana dicitur ex inverso albo.

» Rochettus longus erat palmis sex, et quarti unius usque ad talos ex tela Cameraci, quæ *Cambraia* dicitur, qui cingebatur cingulo ex corio serico rubro cooperto in modum zonulæ cum quatuor cordulis sericeis rubris ante pendentibus, stringentibus zonam.

» Alba, quæ et camisium dicitur, erat ex tela subtili Cameracensi, cum fimbriis ante et post tibias, nec non ad manus et pectus, quæ fimbriæ ante et post tibias singularum ipsarum habent in latitudine palmos tres cum dimidio, in longitudine palmum unum, in quibus, auro et serico acupictæ, ut vulgo dicitur *riccamo*, infrascriptæ habebantur historiæ. In fimbria ante tibias sunt in primo ordine historiæ Annuntiationis, Visitationis, Nativitatis; Apparitionis Angelorum ad pastores; quando Magi veniunt Jerosolymam; quando loquuntur cum Herode; et cum Angelus admonet illos ut revertantur per aliam viam. In secundo ordine ejusdem fimbriæ habentur : concilium Herodis super occisione Innocentium; occisio subsecuta; apparitio ut Joseph fugiat in Ægyptum; fuga subsecuta; obitus Herodis; circumcisio Christi; disputatio inter Doctores; et cum in-

Digitized by Google

venitur a matre : *Fili, quid fecisti nobis sic?* In fimbria vero retro tibias : concilium Sacerdotum ut caperent Jesum ; captura Christi, et amputatio auriculæ; flagellatio Christi, bajulatio crucis, crucifixio, obitus in cruce et militis percussio, sepultura ac resurrectio. In secundo ordine : descensus ad inferos; *Noli me tangere; valde mane una sabbatorum :* tres aliæ historiæ resurrectionis; quando dicit Thomæ : *Infer digitum tuum huc;* et ascensio in cœlum; quas tres historias subter corpus positas excipere non valui.

» Alba longa erat usque ad pedes, et in pectore aderat fimbria cum imagine Annuntiationis.

» Stola stricta, et longa erat palmis VI et quart. III usque ad floccos ex broccato, intertexto argento et serico nigro, opere turcico.

» Cingulum Pontificale ex serico rubro et viridi, pulchre quidem intertextum cum suis cordulis sericeis ante pendentibus, suisque globulis et floccis. Manipulum strictum auro argentoque intertextum opere ad undas cum serico nigro et violaceo, duplum erat pendens a tunica longum palmis III.

» Sandalia nigri coloris acuta, et cuspidata more Gothico sine cruce ex serico nigro ad flores parvos auro intertextos longitudine palmi unius, et quarti unius.

» Tunica Pontificalis ex saia de serico nigro, cum manicis et suis modulis, stringebatur prope manus, et erant strictæ instar manicarum vestis.

» Tunica longa palmis V et semis, in extremitate alta palmis IV et semis : fimbriæ ante et post in latitudine palmi unius, in longitudine palmorum III, ex broccato in campo violaceo, cum leonibus auro et serico intextis.

» Dalmatica ex saia de serico nigro, longa palmis VI, lata in fine palmis V et semis ; in extremitate ante et retro erant fimbriæ latæ palmi unius et semis ; longæ palmorum III, ex broccato aureo in campo, opere turcico vel persico, et quidem pulcherrimo propter splendidissimum aurum elaboratis certis rosis, binisque canibus rectis, cum manicis latis, in quarum summitate prope manus erant aliæ fimbriæ ejusdem broccati in circuitu foderatæ serico croceo.

» Caligæ Pontificales ex serico nigro quod *Ormosinum* dicitur, cum suis ligulis quibus necterentur. Casula sive planeta, lata, ut antiqui utebantur, in longitudine ante et retro palmorum sex et quarti unius ex saia de serico nigro, cum auriphrygio auro intexto in campo violaceo ad sportas, opere mauro mirifice solideque confecto, ut visu mirum esset, tum ob soliditatem dictæ casulæ, tum reliquorum indumentorum.

» Habebat fanonem circa collum et humeros, eo modo quo hodie summi Pontifices utuntur; nempe pars supra albam et pars supra planetam ex puro serico velo albo subtilissimo, sine auro et aliquo ornatu, involutum pluries primum circa humeros super albam, inde inversum super casulam circa collum. Super alba duplex magis erat in parte dextera quam sinistra.

» Supra fanonem erat pallium ; sed quia ex lana consutum erat, præter quamdam particulam supra tibias, usque ad crura longum, et plumbum ante et post terga pendens serico nigro coopertum extremitati pallii positum, quadra forma cernebatur.

» Cruces pallii serico nigro, ut hodie summi Pontifices utuntur, nec non spinulæ aureæ sapphiris pretiosis ornatæ, quarum una in medio pectoris, altera in armo sinistro aderant, integræ adhuc exstabant.

» Chirothecæ ex serico albo ad acum cum phrygio pulcherrimo ad perlas in longitudine palmi unius et quarti.

» Manus complicatæ in modum crucis, dextera supposita sinistræ, in cujus dexteræ annulari digito super ipsis chirothecis aderat annulus aureus pulcherrimus cum uno sapphiro ovato pretioso ac magno et perforato, non modici valoris.

» Mitra alba ex tela damaschina intexta ad sportas foderata corio albo in forma parva, nempe longa palmum unum. »

XIII. Explicatis vestibus quibus defuncti Romani Pontifices quingentis circiter abhinc annis indui solerent, venio ad Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, quos etiam defunctos Pontificalibus indui vestibus consuevisse antiqui auctores abunde nos docent. De S. Ignatio, patriarcha Constantinopolitano, statim ac obiit, ita legimus in ejus Vita, « illum sacro Patri» archæ ornatu ex more domestici vestiunt, et » venerandum Jacobi fratris Domini super» humerale cum veneratione illi induunt, quod » ante aliquot annis Hierosolymis sibi missum

Digitized by Google

» tanta veneratione prosecutus est, ac si ipsum » Jacobum Apostolum, et primum in humerali » Pontificem spectaret. Hoc propterea voluit » ut secum sepeliretur. » Narrat, ad annum Christi 310, cardinalis Baronius S. Petrum patriarcham Alexandrinum, et inclytum Christi martyrem, « indutum vestibus Sacerdotali» bus albi coloris, colobio et omophorio, trium» phali pompa ad cœmeterium delatum, » sepulturæ mandatum fuisse. » Puto in eo labi Baronium, si memoratis verbis intendat sepultum etiam fuisse Petrum cum ipso omophorio; mos enim Alexandrinæ Ecclesiæ fuit ut, quemadmodum notavimus tomo I, tit. XIV, *De Pallio*, § IX, num. IX, defuncti Episcopi pallium, seu omophorion (id enim pallium significat) quod sancti Marci Evangelistæ primitus fuerat, in successorem transiret, teste Liberato in suo *Breviario*, cap. XX.

XIV. Episcopos olim Pontificali veste indutos sepulturæ traditos docet quidem Theodoretus in *Philotheo*, cap. XVII; exemplisque pene innumeris id confirmare possem, quæ in sanctorum Episcoporum Vitis antiqui auctores referunt. Gerardus monachus, in Vita S. Udalrici, ait Hildegardem, religiosam et nobilem feminam, « camisiale cera perfusum » attulisse, « ut sacro corpori caute secreto circumdaretur, » ne sacerdotalis paratura qua indutus erat, » cito a terra consumeretur; quia ipse adhuc » vivens præcepit ne tabulatum ligneum cor» pori ejus superposuissent, sed puræ terræ » imponerent, et ligneo operculo cooperirent. » Flodoardus, lib. IV *Historiæ Ecclesiæ Remensis*, cap. XLVIII, agens de inventione sancti Merolilani Scoti, hæc inter alia habet: « Conspi» ciensque videt corpus integrum Sacerdotalibus » infulis redimitum. » Credibile est hunc sanctum virum episcopum fuisse, quia peregrini Scoti illi Clerici ut plurimum erant episcopi, regionarii videlicet sine titulo consecrati, ut scite observat Menardus in librum *Sacramentorum* sancti Gregorii Papæ, pagina 267. Porro de S. Birino, episcopo Dorcestrensi, apud Surium, die 3 decembris, legitur: « Inventus est » quoque annulus, item crux plumbea, calix » parvus, etc., » quæ quidem Pontificalia sunt ornamenta, ut ex circumstantiis clarum est. Corpus sancti Berengari *cum casula et sandaliis* repertum fuisse; Hermanum vero Metensem episcopum *cruce, mitra et pallio* decoratum fuisse sepultum, tradit in *Chronico Virdunensi* Hugo abbas Flaviacensis. Sanctum Bennonem Misnensem episcopum cum casula et baculo Pastorali humatum, refert auctor ejus Vitæ, num. XXXII, apud Surium, die 16 junii.

XV. Rursus de sancto Gebhardo, episcopo Constantiensi, auctor ejus Vitæ, lib. I, cap. XXII, inquit: « Cum ergo lotus, et Sacerdotalibus, ut » moris est, vestibus indutus, et feretro impo» situs, ad ecclesiam fuisset deportatus, etc. » Ex quo facile intelligitur quod scribit S. Gregorius Turonensis in libro *De Vitis Patrum*, cap. III, ubi agit de S. Gallo Arvernæ episcopo: « Exinde ablutus, et vestitus, etc. » Et cap. IV, ubi de S. Gregorio Lingonum episcopo agit: « Sed nec de ipso vestimento, quod cum eo po» situm fuit, aliquid ostensum est diminutum. » Celebre est tandem quod de S. episcopo Hugone scribit, ad annum 1200, in sua *Historia Angliæ* Matthæus Parisius. « Ante sane viri » Dei sepulturam, dum pro eo exsequiæ mor» tuorum agerentur, et ipse more Pontificum » discooperta facie jaceret, mitram habens in » capite, chirothecas in manibus, annulum in » digito, cum cæteris Pontificalibus ornamen» tis, etc. »

XVI. Ut Episcopi Pontificalibus, ita Presbyteri aliique Clerici congruis suis Ordinibus induti vestibus sepulti et ipsi fuerunt. Exstat ea de re egregium anonymi Turonensis scriptoris testimonium in suo manuscripto *Speculo Ecclesiæ*, apud Martene, lib. III *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, cap. XII, num. XI, ubi ita inquit: « Sigillum cereum in modum crucis compa» ctum, et aquam benedictam continens, super » caput defuncti ponimus, quod est signum » baptismi et christianitatis suæ, et testimo» nium quod ipse fidem Christi habuit in » mente. Clerici vero ordinati cum illis indu» mentis in quibus fuerunt ordinati, debent et » sepeliri, et Sacerdos cum illis cum quibus » assistit altari. Monachus vero cum cuculla » sua, quod est professionis suæ signum. Super » pectus vero Sacerdotis debet poni calix loco » sigilli, quidquid sit de oblata: quod si non » habetur stanneus, saltem samius, id est ficti» lis. Samus enim est insula ubi primo facta » sunt vasa figuli. Episcopus debet habere an» nulum, quia sponsus est: cæteri Sacerdotes

Digitized by Google

» non, quia sponsi non sunt, sed amici sponsi, » vel vicarii. Item capilli debent Clerico ton- » deri, corona fieri, barba radi. » Hactenus anonymus Turonensis, quem ait laudatus Martene ad finem XII sæculi floruisse.

XVII. Gulielmus Durandus, qui vixit sæculo XIII, in *Divinorum Officiorum Rationali*, lib. VII, capite XXXV, num. XLI, describens ritum suo tempore usitatum, hæc habet : « Clerici si » sunt ordinati, illis instrumentis induti sint » quæ requirunt Ordines quos habent. Si vero » non habent Ordines sacros, more laicorum » sepeliantur. » Statimque addit : « Verumta- » men licet in aliis Ordinibus propter paupertatem hoc sæpius omittatur, in Sacerdote tamen » et Episcopo nullo modo prætermittendum » est. » Hodie tametsi ex Rituali Romano, Pauli V Pontificis Maximi jussu edito, Sacerdos aut cujusvis Ordinis Clericus defunctus vestibus suis quotidianis communibus usque ad talarem vestem inclusive, tum desuper sacro vestitu Sacerdotali vel Clericali, quem Ordinis sui ratio poscit, indui debet ac exponi ; servatur tamen passim is ritus, ut cum congruis Ordinibus suis vestibus sacri homines minime sepeliantur; antequam enim sepulturæ mandentur, vestibus ipsis exui solent, exceptis amictu, alba et cingulo, quibuscum alicubi saltem humantur. Licitam esse hanc consuetudinem, et religioni ac pietati satis consentaneam, ut sacri homines vestibus sacris induti ac benedictis sepeliantur, docet Suarez tomo III, disputatione LXXXI, sectione VIII. Ne ipsæ tamen sacræ vestes a sæcularibus hominibus adhibeantur, præ ertim vero altaris pallæ, quibus aliquando alicubi defuncti involvebantur, expresse prohibent Concilia, Arvernense, anni 535, can. III; et Antissiodorense, can. XII.

XVIII. Ritum quem ad nostra hæc usque tempora servatum vidimus, alligandi calicem sanctum inter manus defuncti Sacerdotis, expressum reperies apud Amalarium, lib. IV *De Ecclesiasticis officiis*, cap. XLI, ubi ex Beda funus narrat sancti Luthberti episcopi Lindifarnensis, sic inquiens : « A navigantibus ad insu- » lam nostram delatus, toto corpore lavato, ca- » pite sudario circumdato, oblata super pectus » sanctum posita, vestimento Sacerdotali in- » dutus, in obviam Christi calceamentis suis » præparatis, in sindone cereata involutus, ani- » mam habens cum Christo gaudentem. » Subjungit mox Amalarius haud dubie hunc esse morem Ecclesiæ Romanæ, quod Angli ab illa per S. Augustinum S. Gregorii discipulum fidem acceperint : qui tamen locus cum apud Bedam minime reperiatur, nec libro IV *Historiæ Anglorum*, in quo fuse de S. Luthberto scribit, neque in ejusdem S. Episcopi Vita ab eo scripta, scite Hugo Menardus in librum *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, pagina 268, existimat aliquid in excusis Bedæ exemplariis deesse; quia scilicet arbitrari non licet adeo vecordem fuisse Amalarium qui mendaciter ea de sua industria finxerit.

XIX. Ex recitato Amalarii seu Bedæ testimonio, ipsum quidem ritum collocandi calicis et patenæ super defuncti pectus Romæ atque alibi tum usitatum colligit eruditus Antonius Caracciolus, clericus Regularis, in notis ad *Constitutiones* sui Ordinis, parte I, cap. IX, pag. 88, ubi etiam exemplum refert S. Birini primi episcopi Dorcestrensis, qui, ab Honorio Papa in Angliam missus, obiit circa annum Domini 640. Sic enim in ejus Vita legitur : « Ejus deinde » corpus, cum ad digniorem locum transferen- » dum esset, aperto sepulcro inventum est in- » tegrum cum duplici stola, et infula rubra e » panno serico, atque cum cruce e metallo con- » fecta pectori ejus imposita, denique cum ca- » lice ad umbilicum ejus posito. » In aliis Vitis sanctorum Episcoporum apud Bollandianos et Surium, frequenter reperies sepultos ipsos cum calice super pectus apposito.

XX. Quod oblata super pectus S. Luthberti posita, non modo calicem et patenam significet, ut putat Caracciolus, verum etiam sanctissimam Eucharistiam, non videtur addubitandum : fuisse enim et illud aliquando usitatum, ut sacrum Christi corpus, quod Eucharistiam seu oblatam vocant, præsertim super Episcopi defuncti pectus collocaretur, exemplis quidem illustribus et multis docemur. Præter exemplum S. Luthberti, satis de eo jam ritu constat ex Vita S. Basilii Magni, quæ nomine S. Amphilochii circumfertur. Sic enim inquit : « Divi- » dens panem in tres portiones, unam quidem » suscepit cum timore multo, aliam vero ser- » vavit ad consepeliendum sibi, tertiam vero » super columbam argenteam suspendit super » altare. » Fragmentum hujus testimonii re-

Digitized by Google

tert inter alios Æneas Parisiensis episcopus in libro *Adversus Græcos*, ubi dicitur aliquando Hostiæ consecratæ particulam secum sepeliendam conservasse.

XXI. Dicet forte quispiam id quod olim fortassis fuerat in more, vetitum deinde fuisse in Concilio III Carthaginensi, anni 397, can. VI: « Item placuit ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur; dictum est enim a Domino : *Accipite, et edite.* Cadavera autem nec accipere possunt, nec edere : » itemque in Carthaginensi VI, can. LXXXIII, et in Antissiodorensi, anni 578, can. XII, his verbis : « Non licet mortuis nec Eucharistiam nec osculum tradi, nec velo vel palliis eorum corpora involvi. » Verum respondet Menardus recitato loco, Concilia ipsa in eos agere qui Eucharistiam in os defunctorum, gratia communionis inferebant. Unde Concilium Carthaginense III recte subjungit : « Dictum est enim a Domino : » *Accipite, et edite ;* » et Antissiodorense, « nec » osculum tradi; » quia sumpturi Eucharistiam se mutuo osculabantur, juxta veterem Ecclesiæ morem, de quo nos alias. Cum igitur loci ex Amphilochio et Beda citati nullo modo spectent ad mortui communionem, sed ad collocationem Eucharistiæ super illius pectus, nihil ait Menardus in ipsis locis exstare quod memoratis Conciliis adversetur. Unde S. Benedictus, sacrorum Canonum minime ignarus, ut quem bis evomuerat terra puerum Monachum repentina morte raptum in ædibus parentum, quos sine Abbatis benedictione convenerat, reciperet, ejus parentibus manu sua protinus « communionem corporis Dominici dedit dicens : « Ite, et hoc Dominicum corpus super » pectus ejus cum magna reverentia ponite, et » sic sepulturæ eum tradite. » Quod cum factum esset, terra puerum non amplius evomuit, ut scribit S. Gregorius, lib. II *Dialogorum*, cap. XXIV.

XXII. Jam non modo post celebratas Carthaginenses Synodos III et VI, sed et post Antissiodorensem, quæ labente sæculo VI celebrata est, consuevit cum mortuis Eucharistia sepeliri; sic enim inter alia legimus in libro *Inventionis, seu Translationis corporis S. Udalrici Augustani episcopi*, qui labente sæculo X obiit : « Inventum est corpus sanctissimi Confessoris super » aurum et topazion pretiosum, cum quibus» dam particulis Pontificalium induviarum nec» dum vetustate consumptarum; et in dextro » latere ad caput pyxis argentea admodum ni» tens in sacello holoserico, et in pyxide, ut » quidam dicebant, Sanguis Domini et alia » sancta continebantur : inventa est etiam ci» stella secreta admodum magna; quæ omnia » plena erant et referta reliquiis Sanctorum. » Ubi nota non modo cum vestibus Pontificalibus, et cum Christi Corpore sepultos fuisse aliquando Episcopos, verum etiam cum Sanguine Christi in vase recondito, et reliquiis Sanctorum. Apud Græcos etiam humari consuevisse Episcopos cum Eucharistia, præter exemplum S. Basilii, testatur Balsamon in canonem LXXXIII Concilii Trullani, ubi etiam hanc rationem assignat : « Quod sanctus panis post » mortem Antistitibus tradatur, existimo fieri » ad avertendos dæmones, ut et per ipsum tan» quam viaticum deducatur ad cœlum, qui » magna et apostolica professione dignus est » habitus. »

XXIII. Sed quoniam ritus Græcorum mentio incidit, audiamus, quæso, quæ cæremoniæ ex *Euchologio* adhibeantur, ubi Sacerdotes vita functi sunt : « Aliquo e Sacerdotum numero, » inquit, ad Dominum migrante, tres alii Sa» cerdotes conveniunt, eum e lecto deposituri. » Cum vero corpus nudum a Sacerdotibus la» vari nefas sit, oleo puro illud abstergunt, et » mox consuetis illud amiciunt vestibus : tum » vero Sacerdotali ornatu superinduunt, operta » tamen ejus facie calicis velo, et sacro ei » Evangelio superimposito. His peractis, Sacer» dotes illi, sacris vestibus assumptis, progre» diuntur, et Præfectus a benedictione Officium » auspicatur, etc. » Multa in hac *Euchologii* Rubrica exstant, quæ superius fuse a nobis explicata sunt. Quod autem juxta Græcorum ritum, defuncti Sacerdotis ex reverentia studiosissime faciem tegunt Orientales, et velo majori altaris *aere* dicto obducunt, factitatum id etiam olim a Latinis constat; prohibitum vero a Concilio Arvernensi, canone III, et ab Antissiodorensi, can. XII. Prohibent sane id varii canones, inter quos septimus Arvernensis, ne de opertorio Dominici Corporis seu palla altaris Sacerdotis corpus defuncti obtegatur, quia scilicet sacro velamine hujusmodi usibus reddito, « dum » honorantur corpora, altaria polluuntur. » At

Digitized by Google

vero polluti altaris suspicionem a se removent Græci, nam velum ipsum altaris, *aerem* dictum, eodem quo mortuum sepulcro recondunt, ut tradit Jacobus Goar.

XXIV. Ritus præterea antiquus fuit ut homines præsertim sacri ac religiosi cum chartula Fidei confessionem continente sepelirentur. De S. Joanne Gualberto abbate ita in ejus Vita legimus die 12 julii : « Jamque morti proximus » convocatos discipulos ad fraternam concordiam cohortatur; et in breviculo cui conseperiri voluit jussit hæc scribi : « Ego Joannes » credo et confiteor fidem quam sancti Apostoli » prædicaverunt, et sancti Patres in quatuor » Conciliis confirmaverunt. » Aliam fidei formulam pectori suo apponi jussit Mauritius episcopus Parisiensis, ut scribit Rigordus in Vita Philippi Augusti, hæc verba continentem : « *Credo quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum : quem visurus sum ego ipse, et non alius, et oculi mei conspecturi sunt. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* » Solent hodieque Romani Pontifices, ubi de eorum salute desperatur, fidei confessionem subscribere. Teste Edmundo Martene, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XXII, num. XI, in percelebri Ecclesia Bisuntina, Canonicis sepeliendis in manibus ponitur chartula in qua hæc confessionis formula continetur : « Confiteor Deo omnipotenti, » beatæ Mariæ Virgini, omnibus Sanctis, et » vobis, fratres, peccata quæ feci corde, ore, » opere et omissione, mea culpa, Deus, mea » culpa, mea gravissima culpa. Ideo deprecor » vos ut oretis pro me. »

XXV. Quemadmodum autem sacri homines, uti superius dictum est, vestibus ordinibus suis congruentibus induebantur, ita etiam laicos homines in habitu cuilibet ordini proprio sepultos constat. Constantini Magni, qui primus imperatorum Christianam Religionem professus est, funus describens Eusebius, lib. IV de ejus Vita, cap. LXVI, ita inquit : « Post hæc milites » arreptum cadaver aurea capsula includunt; » et undique purpurea veste contectum Con» stantinopolim perducunt. Ibi tum, in omnium » magnificentissimis imperatoriis ædibus, celso » atque edito loco deponunt, luminibusque cir» cum funus aurea super candelabra accensis, » admirabile spectaculum intuentibus præbe» bant, et sane ejusmodi, quale nunquam in » terris ullum a condito mundo sub sole visum » est. Nam intus in ipso fere medio regii palatii, » excelsa et aurea capsula inclusum imperatoris » corpus imperiali apparatu, id est purpura et » diademate ornatum permulti circumfusi vi» giles die noctuque asservabant. »

XXVI. Quali ornatu sepultus fuerit Honorius imperator, addiscere licet ex Epistola Bullingeri ad Vadianum inter *Philologicas* a Goldasto editas, ubi de inventione facta mausolei istius imperatoris et duarum ejus conjugum, anno 1543, in subterranea Vaticana ecclesia, hæc habet : « Erant hæc cadavera palliis aureis in» voluta, ipsæque calvariæ aureis cinctæ diade» matibus....; ossa adhuc cohærentia simul » cum vestibus statim ad attactum sensumque » aereis abierunt in pulverem. Aurum ex vesti» bus collectum et purgatum ponderabat li» bras 80. In pectore alterius massa racemi » specie dependebat, composita ex auro, ada» mante, smaragdo atque aliis gemmis. Appo» sita erant et vasa aliquot perforata, forma » clepsydrarum odoris gratia concinnata, etc. » Consuevisse in ipsis aureis imperatorum vestibus præclariora illorum facinora intexi, tradit Corippus, lib. I in laudem Justini Minoris, sic inquiens :

Et tulit intextam pretioso murice vestem,
Justinianorum series ubi tota laborum
Necto (a) auro insignita fuit, gemmisque coruscа.
Illic barbaricas flexa cervice phalanges,
Occisos reges, subjectasque ordine gentes
Pictor acu tenui, multa formaverat arte.
Fecerat et fulvum distare coloribus aurum,
Omnis ut aspiciens ceu corpora vera putaret,
Effigies auro, sanguis depingitur ostro.
Ipsum autem in media victorem pinxerat aula
Effera Vandalici calcantem colla tyranni,
Plaudentem Libyam fruges laurumque ferentem.
Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
Exserto et nudam gestantem pectore mammam
Altricem imperii libertatisque parentem,
Hæc ideo fieri vivax sapientia jussit,
Ornatum ut propriis funus regale triumphis
Augustum in tumulum fatalis duceret hora.

XXVII. Omnium quæ afferri possunt de imperatorum funere, celeberrimum profecto

(a) Legendum *Nexo*.

Digitized by Google

exemplum est quod de Caroli Magni funere, sive ornatu quo sepultus est, refert in ejus Vita Monachus quidam Engolismensis, sic dicens : « Corpus ejus aromatizatum est, et in sede au- » rea sedens positum est in curvatura sepulchri, » ense aureo accinctus, Evangelium aureum » tenens in manibus, reclinatis humeris in ca- » thedra, et capite honesto erecto, ligata aurea » catena ad diadema : et in diademate lignum » crucis positum est. Et repleverunt sepulchrum » ejus aromatibus, pigmentis, et balsamo, et » musco, et thesauris multis in auro. Vestitum » est corpus ejus vestimentis imperialibus, et » sudario sub diademate facies ejus operta est. » Cilicium ad carnem ejus positum est, quod » secreto semper induebatur; et super vesti- » mentis imperialibus pera peregrinalis aurea » posita est, quam Romam portare solitus erat. » Sceptrum aureum et scutum aureum, quod » Leo Papa consecraverat, ante eum posita sunt » dependentia; et clausum et sigillatum est se- » pulchrum ejus. »

XXVIII. Regio ornatu reges aliosque principes ac equites, habitu cuilibet ordini proprio indutos legimus passim apud antiquos scriptores, qui etiam tradunt vestibus ipsis adjecta fuisse propria arti quam agebant defuncti, instrumenta seu ornamenta suæ conditioni propria. In Historia monasterii Sancti-Florentii Salmuriensis, de tumulis tempore Friderici abbatis, hoc est sæculo XI, eo in cœnobio repertis, hæc inter alia legimus : « Tumulum quoque » longo post tempore haud longe a monasterio » cum aperuissent, quoddam phylacterium su- » per corpus defuncti invenerunt, quem (*a*) » cum cæteris in monasterio collocaverunt. » Alium vero in loco quo domus infirmorum, » quæ in veteri claustro sita est, aperientes, » spatam cum vagina juxta eum invenerunt, » quem comitem aut magnum potentem fuisse » æstimaverunt : quia antiquitus personæ cum » signo suæ potentiæ tumulabantur; mulieres » quoque cum armillis et inauribus et annulis » variisque ornamentis. » Porro S. Meinvercus Paderbornensis episcopus, ut legitur in ejus Vita apud Surium, die 5 junii, num. XVII, in monumento cujusdam opificis, qui construendo ecclesiam defunctus erat, « posuit ad caput ejus » trullam ejus et malleum, ad posteritatis mo- » numentum. » Jam quod Martyres cum instrumentis martyrii sepeliri consueverint, doctus ac nobilis adolescens Hispanus, discipulus meus, Rodericus Lopes, quem diu in re litteraria erudivi, egregie ostendit in suo manuscripto *De persecutionibus Ecclesiæ* opere.

XXIX. Cæremoniis peractis quas huc usque explicuimus, vestiti defuncti solebant in cœnaculis seu tricliniis primum exponi, uti constat ex *Apostolorum Actibus*, cap. X, ubi ita legimus : *Cum Tabitham lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.* Id quod suo tempore Tolosæ observatum testatur Stephanus Duranti, lib. I *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XXIII, num. XIV. Verum, ut idem auctor affirmat, Lutetiæ Parisiorum, ubi quis extremum vitæ spiritum edidit, cadaver in vestibulo ædium ad januam ipsam vulgo collocari solet, quod nonnulli ad consuetudinem ethnicorum referunt. Moris enim erat et apud Græcos, et apud Romanos cadaver ad januam deponere; quod eruditi quidam ex Suetonio in *Augusto*, cap. I; Homero, *Iliade* VI; Virgilio, *Æneidos* XI; Luciano et quibusdam aliis adnotarunt. Forte illud Lutetiæ usu receptum est, quo et mortis, quæ propter incertos casus quotidie imminet, prætereuntes reminiscantur, et ad precationes pro defuncto excitentur. Porro ob Parochorum avaritiam inolevit aliquando vel in alma Urbe abusus, ut, quemadmodum testatur Leo X Pontifex Maximus in sua Constitutione quæ incipit *Illius qui charitas est*, edita 5 kal. februarii, anno 1519, « Cadavera pauperum defunctorum quo- » tidie per bajulos in plateis ac locis publicis » ejusdem urbis passim ad colligendum pro » eorum vectura et sepultura eleemosynas po- » nerentur; ac sine cruce et sine lumine, ac » cum magno dedecore et Christifidelium hor- » rore ad sepulturam veherentur. »

XXX. Huic et aliis id genus malis occurrens Julius S. R. E cardinalis Medices, qui postea Clemens VII Pontifex Maximus fuit, illustrem archiconfraternitatem Charitatis instituit, quam Leo prædicta Constitutione approbavit; eique inter alia injunxit ut « cadavera pauperum » defunctorum decenter cooperta, ac cruce et » luminibus præcedentibus, saltem uno Presby-

(*a*) Legendum *quod*.

Digitized by Google

» tero ac aliquibus aliis associantibus, ad sepul-
» turam deferri facere propriis expensis cura-
» ret. » Pium hoc institutum diu a nostra illustri Charitatis archiconfraternitate religiose servatum concessum est tandem pientissimæ societati *Mortis* nuncupatæ, cujus sodales summa totius Urbis ædificatione pauperes mortuos, et alia cadavera quæ vel submersa, vel alias intra vel extra Urbem insepulta reperiantur, ad Ecclesiasticam sepulturam cum Psalmorum cantu ac luminibus rite asportant.

XXXI. Sed his obiter dictis et quasi per transennam, locabantur in feretro mortui, quod ligneum erat, ut testatur S. Ambrosius in cap. II Lucæ, hæc addens : « Lignum enim etsi antea
» non proderat, posteaquam tamen Jesus id te-
» tigit, proficere cœpit ad vitam. » In nobilibus aureum velamentum super feretrum, quo corpus obtegeretur, apponi solitum indicat S. Hieronymus in Epistola ad Paulam de obitu Blesillæ, sic dicens : « Ex more parantur exse-
» quiæ, et, nobilium ordine præeunte, aureum
» feretro velamen obtenditur. » De hoc velamine, quod alii culcitram, alii pallium feretrale appellant, S. Carolus in sua provinciali I Synodo Mediolanensi, cap. inscripto *De funeribus et exsequiis*, hæc mandat : « Dent operam Epi-
» scopi diligenti cohortatione ut in singulis
» parochiis, communibus eorum sumptibus
» qui sunt in parochia, comparetur pallium,
» quod mortuo imponi solet, idque omnibus in
» funere gratis commodetur ; quod si Parochiani
» id recusaverint, singuli Parochi, et alii Ec-
» clesiarum curatarum rectores pallium ad
» hujusmodi usum emant ; pro quo mortuorum
» hæredes illis minimum aliquid Episcopi arbi-
» tratu largiantur. » Tum de nobilium pallio ita subjungit : « Si vero nobiles homines aureo
» vel serico vel omnino pretioso pallio uti vo-
» luerint, pecunia sua faciendum curent : quod
» ad ejusmodi cadaverum usum nullo modo
» in posterum adhibeatur, sed illi ecclesiæ in
» qua mortuus sepultus fuerit, illico post funus
» acquisitum sit, et in ejus ornamenta conver-
» tatur. »

XXXII. Indicta ad sepeliendum defuncti cadaver die, omnes qui funeri interesse debebant, ad illius domum conveniebant. Efferendo cadaveri destinati fuerunt antiquitus juvenes, ut *Acta Apostolorum* innuunt, cap. V : *Intrantes invenerunt Saphiram mortuam.* Paulo ante in eisdem legitur : *Et efferent te.* Instituti fuere deinde Copiatæ, de quibus fuse diximus tomo II, ad titulum VI *De Cœmeterii benedictione.* Fuisse etiam aliquando in usu ut corpus parentis a filiis, cognatorum a consanguineis, imperatorum a principibus senatus deportaretur ad tumulum, antiqui scriptores tradunt; idque inter alios satis indicat S. Ambrosius, lib. I *De excessu fratris sui Satyri*, num. XXXVI, sibi ipsi ita exclamans : « O dura cervix, quæ tam lugubre
» onus, consolabili licet obsequio, gestare potui-
» sti ! » Testatur quoque S. Gregorius Nyssenus in Epistola ad Olympium, ubi agit de funere sororis suæ Macrinæ, sustinuisse ipsum una cum Araxio episcopo priores feretri partes, posteriores vero, duos de Clero : « Cum autem, ait,
» hæc ita constituta studiose gererentur, ego
» feretrum subiens, illum advocavi ut alteram
» partem sustineret : posteriores vero feretri
» partes subierunt alii duo de Clero insignes
» viri. »

XXXIII. Alias etiam matronas vitæ religiosæ ab Episcopis ad sepulturam delatas frequenter antiqui scriptores tradunt. S. Hieronymus, in Epistola ad Eustochium de obitu Paulæ, ita inquit : « Translataque Episcoporum manibus, et
» cervicem feretro subjicientibus, cum alii
» Pontifices lampades cereosque præferrent,
» alii choros psallentium ducerent, in medio
» ecclesiæ Speluncæ Salvatoris est posita. »
Egregium ea in re exemplum narrat Nicephorus lib. II *Historiæ*, cap. XXII, ubi agens de exsequiis beatæ Virginis, sic scribit : « Cereis
» ardentibus, floribusque sparsis, atque Angelis
» cœlitus feretrum vel præeuntibus vel stipan-
» tibus vel etiam consequentibus, divinis Patri-
» bus et Apostolis mirifica quædam carmina
» concinentibus, intellectualis illa atque spiri-
» tualis arca ex Sion in Gethsemani, Apostolicis
» eam gestantibus manibus, fertur. » Plures in hoc Nicephori testimonio eruditus lector observare poterit ritus jam olim in funeribus initio Christianæ Religionis usitatos, quos nos inferius sigillatim dilucidabimus.

XXXIV. Quod Episcopos spectat, delatum ipsorum feretrum ab aliis Episcopis, ex Surio et ex Bollandianis in Vitis sanctorum Episcoporum addiscimus. S. Gregorius Nazianzenus, Oratione sua in laudem Basilii, sub finem ait

Digitized by Google

ipsum Basilium *Sanctorum manibus* elatum fuisse. Corpus vero S. Hugonis Lincolniensis episcopi a regibus, comitibus et principibus ad ecclesiam delatum, narrat in sua Anglicana *Historia* Matthæus Parisius, ad annum 1200. De feretri bajulis consuetudinem sui temporis, id est sæculi XII quo floruit, ita exprimit Anonymus Turonensis in suo manuscripto *Speculo Ecclesiæ:* « Debet autem corpus perferri ad tumulum a » consimilibus : ut si fuerit Diaconus, a Diaco- » nis; si Sacerdos, a Sacerdotibus; miles, a mi- » litibus; alicujus fraternitatis confrater, a suis » confratribus. Mulieres non debent ferre cor- » pus, ne appareat membrorum earum nudi- » tas. » Ipsum docet Durandus, scriptor XIII sæculi, in suo *Rationali*, lib. VII, cap. XXXV, num. XXXVII : « Mulieribus vero non licet » corpora ferre, ne cogantur corpora sua las- » civiam incitantia denudare, quod facile con- » tingere posset. » In nostra Sancti-Hieronymi Charitatis domo defuncti Presbyteri feretrum a quatuor ultimis nostræ Congregationis Oratorii Sacerdotibus e cubiculo ad ecclesiam defertur.

XXXV. Juxta veterem Ecclesiæ morem, præibat feretrum Clerus et populus, faces et cereos ardentes gestantes, uti vel ex superius enarratis liquet, et ex innumeris pene Patrum locis. Acta proconsularia martyrii S. Cypriani Carthaginensis episcopi apud Ruinartium testantur ipsius corpus positum fuisse « cum cereis et sco- » laribus (id est facibus) in arcis Macrobii pro- » curatoris, quæ sunt in via Mappaliensi juxta » piscinas, cum voto et triumpho magno. » S. Gregorius Nazianzenus, Oratione in laudem Cæsarii, inter alia ita scribit de ejus funere : « Celebri pompa ad Martyrum sedes effertur, » sanctisque parentum manibus honoratur, » matre accensas faces gestante, etc. » Sanctus Gregorius Nyssenus describens funus S. Macrinæ sororis suæ : « Ex utraque parte, inquit, præce- » debat non exiguus Diaconorum Ministrorum- » que numerus, qui omnes ordine progredien- » tes accensos cereos manibus gestabant. » S. Gregorius Turonensis, lib. VIII *Historiæ Francorum*, cap. X, de Clodovæo Chilperici filio hæc habet : « Convocato igitur Episcopo civi- » tatis, cum Clero et populo, ac cereorum in- » numerabilium ornatu, ad basilicam Sancti- » Vincentii detulit tumulandum, non minus » plangens nepotes mortuos, quam cum vidit » filios proprios jam sepultos. »

XXXVI. Longum esset alia id genus loca exscribere, sed adde his quod scribit, in Vita sancti Germani episcopi Antissiodorensis, Constantius presbyter apud Surium, die 31 julii, ubi circa finem testatur Gallos funus prædicti sancti Præsulis honorifice curasse, et multitudinem luminum splendorem sibi etiam per diem vindicantem, repercusso solis radio, refulsisse. Corippus quoque poeta describens funeream pompam Justini imperatoris, lib. III, ita canit :

. . . . . Tota populus processit ab aula,
Mœstaque funereas accendunt agmina ceras;
Omnis in exsequias sexus convenit et ætas:
Hinc Levitarum mirabilis ordo canentum,
Virgineus canit inde chorus, vox æthera pulsat.

Notandum hic insuper est quod Baudonivias in Vita S. Radegundis scriptum reliquit, agens de ipsius exsequiis : « Liberæ quæ ante eam » cereos portaverant, totæ in gyro sepulchri » adstabant. Unaquæque in suo cereo suum » nomen dabat scriptum : totæ uni ex famulis » cereos ipsos juxta ordinationem tradebant. Fit » contentio in populo : alii dicebant cereos ipsos » in ejus sanctum sepulchrum mitti debere, alii » dicebant non. » Cum ergo cerei in Christianorum funere ab Ecclesia semper usitati sint, quis non videt quanta sit recentiorum præsertim hæreticorum stultitia, qui luminum in funeribus gestationem ut impiam et superstitiosam irrident ?

XXXVII. Certe S. Gregorius Nazianzenus, Oratione II *In Julianum*, postquam dixit Constantii corpus delatum fuisse nocturnis cantionibus et cereorum ignibus, id statim addit, Christianos his officiis pium eorum e vita discessum ornando existimasse : « Celebri pompa » deducitur, religiosisque his etiam nostris » officiis, hoc est nocturnis cantionibus et ce- » reorum ignibus, quibus nos Christiani pium » e vita discessum ornandum existimavimus. » Eumdem hunc pium ritum et usum summopere commendans S. Joannes Chrysostomus Homilia IV *in Epistolam Pauli ad Hebræos*, diserte ait cereos defunctis prælatos fuisse in signum triumphi ob peracti viriliter agonis cursum : « Dic mihi, quid sibi volunt istæ ful- » gentes lampades? An non defunctos tanquam » athletas deducimus? » Vide p ura apud Onu-

Digitized by Google

phrium Panvinium Ordinis Eremitarum Sancti Augustini scriptorem eruditissimum, in libro *De Ritu sepeliendi mortuos*, cap. v.

XXXVIII. His minime adversatur canon XXXIV Concilii Illiberitani, quo vetatur cereos per diem in cœmeterio accendi; nam, ut ea omittamus quæ de ipso canone diximus nostro II tomo hujus operis, ad titulum VI *De Cœmeterii benedictione*, non desunt auctores qui autumant pleraque alia eo etiam Concilio prohiberi ad exstirpandas et funditus tollendas Gentilium superstitiones quas novi Christiani illis Hispaniæ locis tum retinebant. Porro nos cereos accendimus, non ex superstitione, sed ad significandum animas vivere, et defunctos filios lucis ac eorum corpora resurrectura. Gentiles jam olim prætulisse faces in funeribus suis, tradit Cornelius Tacitus lib. III *Historiæ Augusti :* « Dies, » inquit, quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo ploratibus inquies, plena Urbis itinera, collucentes per campum Martis faces. » Idipsum ex Suetonio addiscimus in *Caligula*, cap. XIII, et ex Virgilio, lib. XI *Æneidos*, ubi de Pallantis funere agens ita canit :

. . . . . Et de more vetusto
Funereas rapuere faces, lucet via longo
Ordine flammarum, et late discriminat agros.

XXXIX. Convocatos et invitatos in Christianorum funeribus, nedum Sacerdotes et Religiosos, sed et egenos et pauperes prodit Origenes, libro III *In Job*, sic dicens : « Celebramus mirum, Religiosos cum Sacerdotibus convocantes, Fideles una cum Clero invitantes, » adhuc egenos et pauperes, pupillos et viduas » saturantes, ut fiat festivitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus quarum » memoriam celebramus. » Sanctus Ambrosius in Oratione funebri de obitu fratris sui Satyri : « Fleverunt, inquit, et pauperes, et, quod multo » pretiosius est multoque uberius, lacrymis » suis ejus delicta laverunt : illæ sunt lacrymæ » redemptrices. » S. Joannes Chrysostomus frequens est in ea asserenda disciplina; Homilia XXXII *in Matthæum* scribit : « Cur post mortem tuorum pauperes convocas ? Cur Presbyteros ut pro eis velint orare obsecras ? Non » ignoro te responsurum ut defunctus requiem » adipiscatur, ut propitium Judicem inveniat. » Rursus Homilia XXVII *in caput* XI *Epistolæ* I *ad Corinthios*, hæc habet : « Sed si filii vel fratris » defuncti facis commemorationem, errore con» cuteris conscientiæ, nisi consuetudinem im» pleres, et pauperes convocares. » Viget hæc hodieque Neapoli consuetudo, ut in funeribus pauperes convocentur, quos sancti Januarii vocant, qui defuncti feretrum sequuntur, candelas accensas gestantes.

XL. Illud præterea apud Christianos a primordiis nostræ Religionis in usu fuit, ut in exsequiis defunctorum Psalmi et Hymni canerentur. Id quidem constat ex variis Patrum locis superius allatis, quibus hic alia lubet adjungere. Auctor *Apostolicarum Constitutionum*, quæ nomine S. Clementis circumferuntur, lib. VI, cap. XXIX, hæc habet : « Pro fratribus » nostris, qui in Domino obierunt, et acceptabilem Eucharistiam offerte in ecclesiis et » cœmeteriis vestris, atque in exitu mortuorum » psallentes, eos deducite. » S. Hieronymus tum in obitu Paulæ, tum in Blesillæ funere, tum in Fabiolæ exsequiis, psalmodiæ meminit : in Vita vero S. Pauli eremitæ narrat S. Antonium, obvoluto et prolato foras corpore sancti Pauli, « Hymnos et Psalmos ex Christiana tra » ditione » decantasse. Hunc ritum confirmat Concilium Toletanum III, can. XXII, his verbis : « Qui divina vocatione ab hac vita recedunt, » cum Psalmis tantummodo et psallentium voci» bus debent ad sepulchra deferri. » Et quidem recte; docet enim S. Joannes Chrysostomus, Homilia LXI *in caput* XII *Joannis*, honorem qui haberi debet defunctis, non esse fletum, non ejulatum, sed Hymnos et Psalmos, et optimam vitam. Quæ verba mutuatus videtur a Basilio Seleuciæ archiepiscopo, qui in concione de Lazari exsuscitatione ita scribit : « Luctus et fe» mineus ululatus non cedunt in usum et hono» rem vitæ defuncti, sed Hymni et Psalmi, et » vita quam honestissime instituta. » Porro idcirco Toletanus canon ait eos, « qui divina » vocatione ab hac vita recedunt, cum Psalmis » tantummodo, etc., » quia scilicet pro his qui sibi mortem consciverunt, itemque pro Catechumenis prohibetur in oblatione commemorationem fieri, vel cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deduci. Vide Concilium Bracharense I, can. XXXIV et XXXV.

XLI. Qui in funere defunctorum Psalmi, et quem ob finem decantarentur, exponit idem

Digitized by Google

S. Chrysostomus, Homilia IV *in caput* II *Epistolæ Pauli ad Hebræos*, sic dicens : « Cogita » quid psallas in illo tempore : *Revertere*, » *anima mea, in requiem tuam, quia Dominus* » *benefecit tibi;* et iterum : *Non timebo mala,* » *quoniam tu mecum es;* et iterum : *Tu es re-* » *fugium meum a tribulatione.* » Paulo post hæc subdit : « Pro qua re, dic mihi, Presby- » teros vocas et psallentes? Nonne ut consola- » tionem recipias? nonne ut honores disceden- » tem?» Homilia VI *De Pœnitentia,* sub initium ita inquit : « Diluculo quæruntur Hymnorum » modulationes, et primus, et medius, et no- » vissimus est David. Si pompæ in funeralibus » defunctorum, et primus, et medius, et novis- » simus est, etc. » Homilia tandem LXX *ad populum Antiochenum*, finem ob quem hymnodia et psalmodia in defunctorum exsequiis instituta est, ita exponit : « Quid autem Hymni? » Nonne glorificamus Deum et illi gratias » agimus, quia jam defunctum coronavit, ab- » solvit a laboribus, et ab incertitudine sub- » latum apud se retinet ? Nonne Hymni pro- » pterea, nonne propterea psalmodiæ? » Latius de hoc ritu in gratiarum actionem adhibito in mortuorum delatione agit auctor libri *De Ecclesiastica Hierarchia,* cap. VII; et multis ex antiquitate adductis testimoniis adstruit eruditus Panvinius *De Ritu sepeliendi mortuos*, cap. V; et latius auctor *Romæ subterraneæ,* libro I, capite XIX. S. Augustinus, libro IX *Confessionum*, capite XII, de funere matris agens ait Evodium aperuisse Psalterium, et cantare cœpisse Psalmum centesimum : *Misericordiam et judicium.* Sane Justiniani imperatoris sæculo, Ascetriæ seu Sanctimoniales, dum corpus efferebatur, psallere consueverunt; constituit namque « non minus quam octo » asceterias sive canonicas quæ psallerent, et » tres Acolythos qui cereos deferrent, cujusvis » funeri interesse debere. »

XLII. Psalmos ipsos nedum cani consuetum dum funus duceretur, sed etiam nocte, quæ præcedit funus, veteres vigilasse, nocturnasque vigilias canendis Psalmis egisse, testatur in primis S. Gregorius Nyssenus in Epistola ad Olympium de morte sororis suæ Macrinæ, sic inquiens : « Cum igitur nocturna pervigilatio, » ut in Martyrum celebritate, canendis Psalmis » perfecta esset, et crepusculum advenisset, » confluentium vicinis e locis omnibus vi- » rorum et mulierum multitudo Psalmorum » decantationem fletibus interpellabat. » De S. Aredio Abbate, qui obiit anno circiter 590, legimus quidem in ejus Vita quod post secundam noctis horam defuncto, et ejus « cor- » pore ex more composito atque in feretro » collocato, totam in Psalmis et Hymnis per- » vigilem beati magistri deduxere discipuli » noctem. » De S. Ebrulpho, qui eodem anno 590 obiisse dicitur, ait ejus Vitæ auctor, num. XXIV, quod ipsum jam mortuum « Fra- » tres cum magna reverentia in ecclesia de- » portantes, diebus tribus et noctibus hymnos » et laudes Deo canentes, sanctum illius cor- » pus diligenter visi sunt custodisse, exspe- » ctantes conventum servorum Dei. » Atque, ut alia exempla omittam quibus docemur continuam circa defunctum psalmodiam actam olim fuisse, præsertim vero a Monachis, ubi aliquis ex iis obiisset, ita profecto præscribit utraque Regula sancti Aureliani ad Monachos et virgines : « Quando aliquis defunctus fuerit » usque media nocte, eum pauci Fratres in » oratorio pervigilent, post mediam noctem, » qui vigilaverunt, quiescant; et iterum alii » vigilent. » Forte hinc vigiliæ mortuorum ortæ sunt; multisque hodie in locis interdiu vigiliæ mortuorum canuntur a Monachis circum corpus in ædibus defuncti.

XLIII. Cantum etiam a gentilibus in funeribus adhibitum fuisse constat, sed lugubrem, quo suum de morte mœrorem et luctum demonstrarent; cui et plurima insana et fanatica externi luctus indicia addebant, viros mulieresque ad hoc conducentes, ut continuo suo ejulatu luctum ipsum testarentur. S. Joannes Chrysostomus, Homilia LXI *in cap.* XI *Joannis*, ait consuevisse ipsos gentiles ostentationis studio gladiis interdum brachia incidere, vulneribus cruentare, itemque genas vellere et capillos evellere. Ipsum fanaticum plangentium morem, seu potius abusum, etiam apud Judæos olim fuisse, in Evangelio Matthæi, cap. IX, addiscimus, ubi habetur quod, cum Christus Dominus in cujusdam principis Pharisæorum domum, cujus filia paulo ante obierat, eamdem a mortuis excitaturus venisset, invenit ibi *tibicines et turbam tumultuantem;* id est flentem et ejulantem : « In more enim,

Digitized by Google

» inquit Ambrosius, receptum erat ut, in omni » ductione funeris, tibicines ad intendendos » excitandosque confluentium luctus adhibe- » rentur, et præficæ; » hoc est, mulieres quæ mercede conducebantur ad deflendum laudandumque defunctum.

XLIV. Hos immodicos luctus, ut scite observat Van-Espen, parte II *Juris Ecclesiastici universi*, tit. XXXVIII, cap. I, num. XXXII, in Christianorum quidem funeribus improbaverunt Patres, ne alias ethnicis occasio daretur Religionem Christianam irridendi, quasi aliud factis, aliud verbis probarent Christiani; dum scilicet ritibus suis luctum ostenderent, et ubique verbis prædicarent mortem a Christianis esse expetendam, esseque transitum e mortali ac misera vita ad æternam et felicem ac omnis miseriæ expertem, juxta illud apostoli Pauli in Epistola ad Thessalonicenses, capite IV, ubi ita ait : *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent.* Is plane Apostoli locus in morte dulcissimæ matris meæ, quam ipsa oppetiit hoc anno 1740, die 20 januarii, et charissimi fratris mei F. Josephi-Mariæ Ordinis Minimorum, nuper Romæ defuncti, die 17 maii, me summopere consolatus est, movitque ne ipsos nisi ad paucas horas lugerem. Consolatus est etiam aureus S. Cypriani liber *De Immortalitate,* quem utinam omnes legerent in suorum parentum et charorum morte! Constat olim in Officio defunctorum usitatam fuisse illam lætitiæ vocem *Alleluia* non modo apud Græcos, uti in *Euchologio* videre est, sed et apud Latinos, uti habetur in Remensi codice a Menardo allato in Notis ad librum *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, pag. 260, et in aliis multis. Ea quidem voce in Officio defunctorum adhibita, puto equidem significare voluisse majores nostros lætitiam quæ toti Ecclesiæ ex morte justorum obvenit. Unde S. Hieronymus, Fabiolæ matronæ Romanæ funus describens, in ejus Epitaphio ita inquit : « Jam fama volitans tanti prænuntia » luctus totius urbis populum ad exsequias » congregabat. Sonabant Psalmi, et aurata » tecta templorum in sublime quatiebat ALLE- » LUIA. » Ob allatam rationem in defunctorum exsequiis inter alios canebatur Psalmus CXIII, *In exitu, etc.*

XLV. Clericis potissimum, ut exemplo suo ostendant de morte propinquorum non esse dolendum more gentilium, qui spem non habent, sed potius iis congratulandum de triumpho, vetitum est, ex Concilio Toletano anni 1473, can. VIII, ne in morte parentum vestes lugubres sumerent. Vocat in primis Concilium absurdum et reprehensibilem quorumdam Clericorum abusum qui lugubres et luctuosas vestes induunt, et flebiliores quam suæ congruit honestati ex eo se reddunt, quia parentes consanguineique eorum et amici, corruptibilem carnis nostræ molem deponentes, ad æternam patriam de præsentis exsilii miseria convolarunt. Hunc abusum penitus abolitum vult, « cum et secundum sententiam ore benedicto » prolatam, qui credit in Christum, etiamsi » mortuus fuerit, vivet. » Decernit deinde sub pœna suspensionis a perceptione fructuum suorum beneficiorum per tres menses pro qualibet vice, « ut ulterius luctuosas vestes induere » Clerici in sacris Ordinibus constituti vel » beneficiati nostræ provinciæ non audeant. » Lugubrem et atrum amictum improbare videtur S. Cyprianus in laudato libro *De Immortalitate.* Cæterum ex his illud nequaquam concludere licet, omnem in morte Christianorum luctum reprehendi aut a Patribus vetitum fuisse, sed immodicum luctum more gentilium, uti docet S. Augustinus, Sermone XXXII, *De verbis Apostoli*, alias CLXXII, sic dicens : « Ideo non admonuit Apostolus » ut non contristemur, sed non sicut cæteri » qui spem non habent. Contristemur ergo » nos in nostrorum mortibus necessitate amit- » tendi, sed cum spe recipiendi : inde angi- » mur, hinc consolamur : inde infirmitas » afficit, hinc fides reficit : inde dolet humana » conditio, hinc sanat divina promissio. » Flevisse Augustinum ad horam Monicam matrem suam dulcissimam testatur ipse, lib. IX *Confessionum*, cap. XII.

XLVI. In Episcoporum præsertim exsequiis, illum quoque ritum fuisse observatum, ut defuncti corpus per varias a Clero deduceretur ecclesias antequam deponeretur in tumulum, ut in iis scilicet preces et absolutiones solemnes pro ejus anima agerentur, Vita S. Wolfangi episcopi docet; scribit enim ejus Vitæ auctor quod, « cum apud Sanctum-Petrum fuisset su-

Digitized by Google

» sceptus, ac Vigiliarum Missarumque celebrationibus Domino foret commendatus, stollentes cum magna reverentia portabant eum per singula urbis monasteria, novissime vero ad ecclesiam beati Martyris Emmerauni, cujus honore (a) dum vixerat, intimo affectu excolebat. Qua Missarum solemniis et exsequiarum Officiis rite peractis, mirifice atque honorifice ibidem sepultus est. » Idem contigit in exsequiis S. Annonis Coloniensis archiepiscopi, qui obiit anno 1075, cujus corpus per septem continuos dies cum solemni pompa ad varias singulis diebus ecclesias delatum est, uti videre est in ejus Vita apud Surium, die 4 decembris. Notat tandem Durandus, qui floruit sæculo XIII, lib. VII *Rationalis*, cap. XXXV, num. XXXVII, quod, dum de domo ad ecclesiam seu sepulturam defuncti portantur, secundum quorumdam locorum morem, ter in via pausatur : « Primo, inquit, ad significandum quod ipse in hac vita existens, ut posset digne Domino præsentari et cum aliis Sanctis perpetua quiete perfrui, in tribus specialiter se ipsum exercitavit, videlicet in Dei dilectione, in charitate proximi, et in custodia sui; sive quod in fide sanctæ Trinitatis vixit atque vitam finivit. Secundo, ad repræsentandum quod Dominus triduo in ventre terræ pausavit. Tertio, tres pausæ fiunt in via, ut per tres diætas psalmodiæ quæ tunc dicitur, trina fiat ei absolutio a delictis tribus modis, scilicet cogitatione, verbo et opere commissis. » Ita ille.

XLVII. Quidquid autem de hisce interpretationibus sit, quibus Durandi libri *Rationalis* summopere abundant, ut nostrum ordinem prosequamur, delato ad ecclesiam defuncto, consuetæ pro eo preces persolvebantur, Missæque sacrosanctum sacrificium pro eo offerebatur, sine quo non solebant humari mortui, uti fuse ad initium tituli hujus ostensum est. Certe ex communi monasteriorum usu sepulturæ obsequium post Missam præstitum defunctis fuisse, patet ex veteri *Breviario Cassinensium*, ex *Concordia* Dunstani, atque manuscriptis antiquis *Consuetudinibus Cluniacensis monasterii* et *Sancti-Benigni Divionensis* in quibus ita præscriptum legimus : « Omni tempore sepeliendus Frater post majorem Missam. Missa matutinalis pro eo festive canitur; tractus non cantatur; et, si IV aut VI feria Quadragesimæ, quando agenda est processio, sepeliri contigerit, processio dimittitur, sepelitio autem fiet post majorem Missam, postquam scilla, *id est* campana, ad Vesperos pulsata fuerit. » Addunt et alia quæ videri possunt apud eruditum Martene, lib. V *De antiquis Monachorum Ritibus*, cap. X, num. XIV, pag. 787. Porro juxta easdem *Consuetudines*, « si in ipsa nocte Resurrectionis Dominicæ vel ipsius diei crepusculo obierit, quo scilicet oporteat eum ipso die sepeliri, matutinalis Missa pro eo cantabitur. Nam tanta est auctoritas præsentiæ ipsius defuncti, ut etiam in tanta solemnitate hujusmodi Missa non possit sine negligentia intermitti, etc. »

XLVIII. Spectat exsequiarum ritum oratio funebris, quæ olim ut plurimum post Missam fiebat ad eos qui convenerant, vel in defuncti laudem, vel ad excitandos fideles ut instantes ad Deum preces funderent pro ipsius animæ requie. Ita in funere S. Udalrici episcopi, uti in ejus Vita legitur, Wolfangus, qui exsequiis præerat, « publica Missa expleta, omnes in commune sobrio et cauto sermone admonuit ut pro illa sancta anima intima intentione cordis devote exorent, ut, ab omni vinculo delictorum absoluta, Deo donante, perenni gaudio in ævum cum Sanctis et electis Dei perfrui mereretur. » In S. Bonaventuræ « exsequiis primam Missam celebravit Frater Petrus Tarantasiensis episcopus, cardinalis Ostiensis, et sermonem habuit proposito themate : *Doleo super te, frater Jonatha;* » qui totus fuit in Sancti laudem, ut in ejus Vita apud Surium, die 14 julii, videre est. Fuit is Petrus ex Ordine Prædicatorum primum archiepiscopus Lugdunensis, mox ante consecrationem a Gregorio X, creatus S. R. E. cardinalis episcopus Ostiensis, tum pœnitentiarius, tandem vero, mortuo Gregorio, die 21 januarii anni 1276, Summus Pontifex electus, dictusque Innocentius V, qui eodem anno obiit die 20 mensis junii.

XLIX. Morem esse Ecclesiæ antiquissimum, priusquam defunctus sepeliatur, ipsum lau-

(a) Legendum videtur *honorem*.

Digitized by Google

dandi funebri oratione, ex veterum Patrum exemplis liquet. S. Meletium ab omnibus sapientibus cum præconiis maximis sepultum scribit Theodoretus, lib. II *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. XIV, et lib. IX *Historiæ Tripartitæ*, cap. XIII. Eumdem Meletium a multis, præcipue a Gregorio Ecclesiæ Nicenæ funebribus orationibus concelebratum confirmat Nicephorus, lib. XII *Historiæ*, cap. XI. Exstat memorati Gregorii oratio in funere Meletii habita. Exstant et veterum Patrum orationes funebres, Eusebii in funere Constantini, Gregorii Nazianzeni in funere Basilii, Athanasii, Cæsarii; et inter Latinos, Ambrosii in exsequiis Valentiniani Augusti, et in fratris sui Satyri funere; exstant et aliæ innumeræ aliorum Patrum orationes funebres in exsequiis defunctorum illustrium recitatæ. Plures id genus orationes scripsit S. Hieronymus, nempe in obitu Paulæ, Fabiolæ, Blesillæ, Nepotiani, et aliorum.

L. Quales in funeribus habendæ sint orationes, edicit in I provinciali Synodo S. Carolus, ubi agit de funeribus et exsequiis : « Nemini quemquam in funere laudare liceat, nisi » et eum quem laudare velit Episcopus dignum censuerit, et laudationem scriptam » ante probarit. » Tum ita addit : « Licet tamen in funere concionem habere, quæ tota » referatur ad humanam miseriam, fidelium » oculis proponendam, omnesque ad vigilandum cohortandos ne, cum venerit Dominus » hora qua non putarint, inveniat eos dormientes. » His concinit Synodus Cameracensis, anni 1604, tit. XIII, cap. II, ubi mandat « ut brevem semper habeant exhortationem » Parochi in sepultura et exsequiis defunctorum, antequam populum a loco sepulturæ » dimittant, in eaque ad orandum pro defunctis omnes hortentur. » Quod funebrem in laudem defuncti orationem spectat, monet eadem Cameracensis Synodus, cap. III, ut « in » his orationibus ita diserte se gerant concionatores, ut assentationem omnem fugiant, et » non nisi ob veras et compertas virtutes defunctos laudent. » Synodus quoque Namurcensis, anni 1639, tit. XVI, cap. V, de ea re ita præscribit : « Eas sobrie habeant, potius auditores consideratione mortis et judicii ad » peccatorum fugam excitando, quam immo» dice laudes defuncti propalando. » Erant olim frequentes hujusmodi orationes funebres; perraræ hodie sunt, præterquam in summorum Pontificum, regum et perillustrium personarum exsequiis. Fieri hodieque solent apud Monachos Carthusienses, ex antiqua et laudabili consuetudine. Quod olim in Cardinalium exsequiis, in illorum laudem oratio funebris ageretur, innuit Augustinus Patricius, lib. I *Sacrarum Cæremoniarum*, sect. XV, cap. I.

LI. Reliquum est ut de precibus seu suffragiis, sive de Officio quod post Missam solemnem pro defunctis agitur, juxta ritum in hoc nostro I § descriptum, nonnulla dicamus. Teste Augustino Patricio loco citato, ubi agit de exsequiis Cardinalium, finita Missa, post *Requiescant in pace*, fiebat ex veteri ritu sermo in laudem defuncti; et Cardinalis qui celebravit, dimissa planeta, accipiebat pluviale, et sedebat cum mitra alba, dum sermo habebatur. Eo finito, accendebantur candelæ, et quatuor alii Cardinales Episcopi, si mortuus erat Cardinalis Episcopus, si vero defunctus erat Presbyter Cardinalis, quatuor Cardinales Presbyteri, induti supercelliceo, amictu, stola, pluviali nigro, et mitram albam in capite habentes, simul cum Celebrante ibant ad feretrum ubi jacebat cadaver, vel ad illam molem, seu tumulum feretrum repræsentantem, quem *castrum doloris* vocant, hoc ordine : primo procedebant duo ex Capellanis Celebrantis cum superpelliceis, quorum alter thuribulum et navicellam, alter vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferebat; deinde duo alii cum candelabris et luminaribus; tum Subdiaconus paratus cum cruce; postea duo Cardinales juniores parati; tum duo seniores itidem parati; postremo Cardinalis qui celebravit, et post eum Diaconus paratus, et alii sui Capellani cum superpelliceis. Unusquisque Cardinalis secum unum Capellanum habebat, qui ei de mitra inserviebat; aliquosque scutiferos assistentes, quorum unus cereum accensum deferret.

LII. Cum ad feretrum defuncti sive ad castrum doloris perveniebant, Subdiaconus cum cruce et ceroferariis ponebat se ad feretri pedes, in medio scilicet, aliquantum longe a feretro. Post eum stabant Cantores. Ad feretri caput in medio contra crucem faldistorium Celebrantis collocabatur, super quod celebrans

Digitized by Google

ipse Cardinalis sedebat, stante apud ipsum Diacono qui in Missa Evangelium cecinerat; qui deferebat incensum et aquam benedictam, aliisque Capellanis etiam apud ipsum Celebrantem manentibus. Quatuor memorati Cardinales ita erant dispositi : senior ad humerum dextrum feretri; alter ad pedem sinistrum; tertius ad humerum sinistrum; ultimus tandem ad pedem dextrum. Quiescebant ibi aliquantulum, tum post aliquam morulam, surgebant omnes deposita mitra, et tenente librum uno ex Capellanis, Celebrans cum Diacono incipiebat absolutionem : *Non intres in judicium, etc.*, ut in nostro hodierno Romano Pontificali. Est antiqua Oratio quam juxta feretrum dicendam a Sacerdote præscribit antiquus inter alios manuscriptus codex Ritualis monasterii Sancti-Benedicti Floriacensis, annorum circiter mille, et alii complures Rituales libri ab Edmundo Martene allati, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XV, et ab Hugone Menardo in Notis ad librum *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ.

§ II.

Qua finita, omnes sedent coopertis capitibus, et Cantores incipiunt Responsorium toni IV : *Subvenite, Sancti Dei, occurrite, Angeli Domini, suscipientes animam ejus, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.* ℣. *Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinu Abrahæ Angeli deducant te, * Offerentes eam, etc.* ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. * Offerentes eam in conspectu Altissimi.* Tunc duo Acolythi cum thuribulo et navicella, et aqua benedicta et aspersorio accedent ad angulum dextrum capitis, ubi est dignior Prælatus, et se ad ejus dexteram collocabunt. Incœpto versiculo *Requiem æternam*, Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum digniorem Prælatum qui, ministrante Diacono naviculam, imponit thus in thuribulum. Finito Responsorio, Chorus cantat : *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison.* Et, cum dicitur primum *Kyrie, eleison,* surgunt omnes detectis capitibus, et ultimo *Kyrie, eleison,* dicto, prædictus dignior Prælatus dicit voce intelligibili : *Pater noster,* quod secrete complet; et interim, accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam seu lectum mortuorum, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, ter aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante et fimbrias pluvialis sublevante; et, dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, et similiter cruci reverentiam faciet, transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum, et ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificat, ter in qualibet parte laterali thuribulum ducens; et, cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans, intelligibili voce dicit versiculos : *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animam ejus.* ℣. *Requiescat in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Deus, cui omnia vivunt et cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius : te supplices deprecamur ut suscipi jubeas animam famuli tui N. per manus sanctorum Angelorum tuorum deducendam in sinum amici tui

Digitized by Google

Abrahæ Patriarchæ, resuscitandamque in novissimo judicii magni die; et quidquid vitiorum, diabolo fallente, contraxit, tu pius et misericors abluas indulgendo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Finita Oratione *Non intres in judicium, etc.*, de qua superius in Commentario ad § I dictum est, juxta ritum a Patricio descriptum, Cardinales omnes sedent cum mitra, et Cantores primum Responsorium canunt, *Subvenite, etc.* Antequam Responsorium ipsum finiatur, Diaconus cum deferentibus incensum et aquam benedictam accedit ad seniorem Cardinalem ad humerum dextrum sedentem, et cum cantatur *Requiem æternam*, Clericus cæremoniarum accipit thuribulum et navicellam, et accedit ad ipsum seniorem Cardinalem, et offert thuribulum, Diacono vero navicellam; Cardinalis imponit incensum in thuribulo dicens : *Ab illo benedicaris, etc.* Deinde cum Cantores cantant *Kyrie, eleison*, surgunt omnes sine mitra, et ipse primus Cardinalis dicit voce competenti *Pater noster.* Et mox capit aspersorium de manu Diaconi, et circuit lectum, aspergens illum aqua benedicta. Diaconus interim elevat manu dextra fimbriam pluvialis. Cum vero Cardinalis transit ante alios Cardinales ibi adstantes, facit unicuique reverentiam, inclinando caput, et idem etiam facit cruci : Diaconus vero qui simul pergit, genuflectit. Facto circuitu, reddit aspersorium Diacono, et de ejus manu capit thuribulum, et simili modo incensat circumcirca, inclinando se Cardinalibus et cruci. Ut autem complevit gyrum, reddit thuribulum Diacono, et revertitur ad locum suum. Diaconus, quando dat aliquid Cardinali vel recipit ab eo, osculatur ejus manum. Cardinalis stans in loco suo, voce competenti, tenente librum ante ipsum Diacono, dicit : *Et ne nos inducas in tentationem, etc.*, ut supra in hoc nostro præsenti § II.

II. Hactenus ritus, qui Romæ servatur in exsequiis Cardinalium et Summorum Pontificum, ab Augustino Patricio descriptus, quem quidem jam olim in aliorum funeribus servatum ex antiquis Ritualibus libris constat. Responsorium *Subvenite, Sancti Dei, etc.*, cum versiculis ac precibus et Oratione *Deus, cui omnia vivunt, etc*, legitur quidem in pervetusto manuscripto codice monasterii Sancti-Benedicti Floriacensis, annorum circiter mille, in quo tamen Oratio ipsa paulo aliter legitur, et est aliquantum prolixior. Sic enim habet : « Deus, » cui omnia vivunt et cui non pereunt mo- » riendo corpora nostra, sed mutantur in me- » lius : te supplices deprecamur ut quidquid » anima famuli tui *ill.* vitiorum, tuæque volun- » tati contrarium, fallente diabolo, et propria » iniquitate atque fragilitate contraxit, tu pius » et misericors ablue indulgendo, eamque su- » scipi jubeas per manus sanctorum Angelorum » tuorum : deducendam in sinum patriarcha- » rum tuorum, Abraham scilicet amici tui, et » Isaac electi tui, atque Jacob dilecti tui : quo » aufugit dolor et tristitia atque suspirium, fi- » delium quoque animæ felici jucunditate læ- » tantur, et in novissimo magni judicii die » inter Sanctos et electos tuos, eam facias per- » petuæ gloriæ percipere portionem, quam » oculus non vidit et auris non audivit, et in » cor hominis non ascendit, quæ præparasti di- » ligentibus te. Per. »

III. Incenso thure honorari defunctos debere, probat Baronius ad annum 34, ex actis Synodi Chalcedonensis. Aqua vero benedicta aspergi docet Durandus, lib. VII *Rationalis*, capite XXXV, non ad tollenda peccata venialia, sed ut omnis immundorum spirituum præsentia arceatur. Fiunt etiam incensationes ad eosdem dæmones expellendos, ex Innocentio III, lib. II *De Mysteriis Missæ*, cap. XVII, et ad pellendum odorem malum defunctorum, ex Beletho in *Explicatione divinorum Officiorum*, cap. CLXI ; et ut ostendatur quod defunctus Deo obtulit se in odorem bonorum operum ; seu quod defunctis prosit oratio, quæ est velut incensum, juxta id quod legitur in Psalmo CXL. Denique, ut scite notat Gavantus in suo *Sacrorum Rituum Thesauro*, parte II, tit. XIII, rubrica IV, tam incensatio quam aquæ benedictæ aspersio adhibentur in signum societatis et communionis sacramentorum quam nobiscum habuerunt defuncti dum vixerunt. Balsamon ad canonem CVI Concilii

Digitized by Google

Carthaginensis scribit ideo nos « lampadibus, » suffitibus et magnificis congregationibus de- » functum excipere, ut qui sit per baptismum » sanctificatus. » In antiquis Ritualibus libris, ac præsertim in vetusto codice monasterii Sancti-Eligii Noviomensis, annorum circiter sexcentorum, variæ occurrunt thurificationes et aquæ benedictæ aspersiones ad corpus defuncti, de cujus humatione sic inter alia inquit : « Corpore us- » que ad fossam allato, aquam benedictam » spargit in fossam, atque incensat eam. Quo » facto, statim sine quolibet intervallo ponitur » corpus in terram, iterumque aqua benedicta » aspergitur, et incensatur. »

IV. Dubitarunt aliquando nonnulli an benedicendum sit thus quo adoleri ex prisco ritu solent defuncti. Qui benedicendum thus ipsum negant, aiunt in antiquioribus Missalibus, et in modernis Cæremoniali Episcoporum et Rituali codice Parochorum, quibus etiam addi potest præsens nostri hodierni Romani Pontificalis Rubrica, nihil de ea cæremonia præscribi. Equidem aio benedicendum thus quo defuncti adolentur, quia, præterquam quod ritus ipse præscriptus legitur in laudato Augustini Patricii Cæremoniali, cujus verba initio hujus Commentarii recitavimus, ut scite observat memoratus Gavantus, in Missali recognito, aperte jubetur benedicendum thus iis verbis : « Be- » nedicens illud more solito. » Tum addit triplici id niti fundamento : « Primo, inquit, » auctoritate Cæremonialis Papæ, lib. I, sectio- » ne XV, cap. I, ubi expresse jubetur benedici » incensum pro adolendis defunctis, et addun- » tur verba : *Ab illo benedicaris, etc.* Deinde » ex Innocentio III incensatio hæc fit præcipue » ad expellendos dæmones, quæ ratio connotat » benedictionem thuris et thuribuli, ex Duranto, » lib. I. *De Ritibus*, cap. IX, num. IX. Demum » non aqua simplici, sed benedicta defunctos » aspergimus. Ergo etiam thure benedicto erunt » incensandi. » De libris in oppositum citatis ait ab ipsis non prohiberi thuris benedictionem, sed vel omitti vel tanquam usitatam supponi. Qui plura quæ praxim spectant incensandi, et aqua benedicta aspergendi defunctos scire desiderat, legat eruditissimas dudum mihi amicitia juncti viri clarissimi D. Cajetani Merati Clerici Regularis observationes atque additiones ad ipsum Gavantum, a doctis viris summopere commendatas.

§ III.

Qua finita, omnes sedent cum mitra, et Chorus cantat Responsorium toni IV : *Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum,* ℣ *Tu eis, Domine, dona requiem et locum indulgentiæ.* ℣. *Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.* ℣ *Tu eis.* ℟. *Requiem æternam, etc.* ℣ *Tu eis.* Tunc duo Acolythi cum thuribulo et navicula, et aqua benedicta et aspersorio, accedent ad secundum digniorem Prælatum sedentem in angulo ad sinistrum pedem, et se ad ejus dexteram collocabunt. Incœpto versiculo *Requiem æternam, etc.*, Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum secundum digniorem Prælatum, qui, ministrante Diacono naviculam, imponet thus in thuribulum. Finito Responsorio, Chorus cantat : *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison.* Et dum dicitur primum *Kyrie, eleison,* surgunt omnes detectis capitibus; et ultimo *Kyrie, eleison,* dicto, prædictus secundus dignior Prælatus dicit voce intelligibili : *Pater noster,* quod secrete complet; et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam seu lectum, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, ter aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante et fimbrias pluvialis sublevante; et, dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, et similiter cruci reverentiam faciet, transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum,

Digitized by Google

et ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificabit, ter in qualibet parte laterali thuribulum ducens; et cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans, intelligibili voce dicit versiculos : *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animam ejus.* ℣. *Requiescat in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Fac, quæsumus, Domine, hanc cum servo tuo N. defuncto misericordiam, ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, ut sicut hic eum vera fides junxit fidelium turmis, ita eum illic tua miseratio societ choris Angelicis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

I. Peracto primo circuitu, et finita Oratione *Deus, cui omnia vivunt, etc.*, juxta Patricii ritum, Cardinales sedent, et Chorus cantat Responsorium *Qui Lazarum resuscitasti, etc.*, ut in hoc nostro § III. Diaconus interim accedit ad secundum Cardinalem apud sinistrum pedem, et dum dicitur *Requiem æternam, etc.*, imponitur incensum. Ad *Kyrie, eleison*, omnes surgunt, et deinde ipse secundus Cardinalis dicit *Pater noster*, aspergit et incensat, ut primus, et reversus ad locum suum dicit *Et ne nos, etc.*, cum aliis versiculis in hoc nostro § descriptis ; tum Orationem *Fac, quæsumus, Domine, hanc cum famulo tuo N. defuncto misericordiam, etc.*

II. Juxta præscriptum manuscripti codicis monasterii Sancti-Benedicti Floriacensis, annorum circiter mille, finita Oratione *Deus, cui omnia vivunt, etc.*, superius a nobis relata, sequebatur Responsorium *Antequam nascerer*, tum versiculus *Commissa mea pavesco*, postea ter *Kyrie, eleison*, tandem vero Oratio ipsa *Fac, quæsumus, Domine, etc.* Notat Menardus in notis et observationibus ad librum *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, pagina 269, cani *Kyrie, eleison*, in Officio defunctorum juxta usum veterem, prout præcipitur in quodam Concilio Arelatensi apud Severinum Binium post Concilium III Arelatense. Postquam enim Concilium prohibuit in exsequiis defunctorum carmina diabolica et profana, subjungit : « Si quis autem cantare » desiderat, *Kyrie, eleison* cantet. » Responsorium *Qui Lazarum resuscitasti, etc.*, quod nostri hujus § initio exstat, occurrit in antiquo defunctorum Officio, et in aliis priscis Ritualibus libris.

§ IV.

Qua finita, omnes similiter sedent cum mitra, et Chorus cantat Responsorium toni VIII : *Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ? * Quia peccavi nimis in vita mea.* ℣. *Commissa mea pavesco, et ante te erubesco; dum veneris judicare, noli me condemnare, * Quia peccavi nimis in vita mea.* ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. * Quia peccavi.* Tunc duo Acolythi cum thuribulo et navicula, et aqua benedicta et aspersorio, accedent ad tertium digniorem Prælatum sedentem in angulo ad sinistrum humerum, et se ad ejus dexteram collocabunt. Incœpto versiculo *Requiem æternam, etc.*, Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo

Digitized by Google

ante dictum tertium digniorem Prælatum, qui, ministrante Diacono naviculam, imponet thus in thuribulum. Finito Responsorio, Chorus cantat *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison.* Et cum dicitur primum *Kyrie, eleison,* surgunt omnes detectis capitibus, et ultimo *Kyrie eleison* dicto, prædictus tertius dignior Prælatus dicit voce intelligibili : *Pater noster,* quod secrete complet; et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam seu lectum, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, ter aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante et fimbrias pluvialis sublevante; et, dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, et similiter cruci reverentiam faciet, transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum, et ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificabit, ter in qualibet parte laterali thuribulum ducens; et cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans, intelligibili voce dicet versiculos : *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animam ejus.* ℣. *Requiescat in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui N., quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Pergit Patricius ritum antiquum Romanum exponere in exsequiis S. R. E. Cardinalium et Summorum Pontificum usitatum : « Finita, inquit, Oratione, sedent Cardinales cum mitra, » et Chorus cantat Responsorium : *Domine, » quando veneris, etc.* Interim Diaconus cum » sociis accedit ad tertium Cardinalem apud » sinistrum humerum sedentem, et in tempore » ponitur incensum, et ad *Kyrie, eleison,* omnes surgunt, ut supra ; et ipse tertius Cardinalis dicit *Pater noster;* aspergit et incensat, ut alii; et reversus ad locum suum dicit : » *Et ne nos inducas in tentationem, etc.* » Preces ipsæ ac versiculi exstant quidem in antiquo Officio defunctorum, quod in antiquis manuscriptis libris Ritualibus legitur. Oratio *Inclina, Domine, etc.,* exstat in toties laudato manuscripto codice monasterii Sancti-Benedicti Floriacensis, annorum circiter mille, et in aliis multis sequioris ævi, uti videre est apud Edmundum Martene, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus,* cap. XV.

§ V.

Qua finita, omnes similiter sedent cum mitra, et Chorus cantat Responsorium toni VI : *Ne recorderis peccata mea, Domine, * Dum veneris judicare sæculum per ignem.* ℣. *Dirige, Domine, Deus meus, in conspectu tuo viam meam.* * *Dum veneris.* ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.* * *Dum veneris.* Tunc duo Acolythi cum thuribulo et navicula, et aqua benedicta et aspersorio, accedent ad quartum et juniorem Prælatum sedentem in angulo ad

Digitized by Google

dexterum pedem, et se ad ejus dexteram collocabunt. Incœpto versiculo *Requiem æternam, etc.*, Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum quartum digniorem Prælatum, qui, ministrante Diacono naviculam, imponet thus in thuribulum. Finito Responsorio, Chorus cantat *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison.* Et cum dicitur primum *Kyrie, eleison*, surgunt omnes detectis capitibus, et ultimo *Kyrie, eleison,* dicto, prædictus quartus Prælatus dicit voce intelligibili : *Pater noster*, quod secrete complet; et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam seu lectum, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, ter aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante et fimbrias pluvialis sublevante; et, dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, et similiter cruci reverentiam faciet, transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum et ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificabit, ter in qualibet parte laterali thuribulum ducens; et cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante scabellum stans, intelligibili voce dicet versiculos : *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animam ejus.* ℣. *Requiescat in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Absolve, quæsumus, Domine, animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos et electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Sunt hæ preces ac cæremoniæ, ut semel et iterum dictum est, jam olim in Officio defunctorum usitatæ ex plurium Ritualium librorum testimonio. Augustinus Patricius præsentem ritum ita describit : « Oratione completa, se» dent Cardinales. Chorus cantat Responso» rium: *Ne recorderis, Domine, peccata mea, etc.*, » versus : *Dirige, Domine, Deus meus, etc.* In» terim Diaconus cum sociis accedit ad ulti» mum Cardinalem apud dextrum pedem, et in » tempore imponitur incensum. Surgunt ad » *Kyrie, eleison.* Et ipse Cardinalis quartus » dicit : *Et ne nos, etc.*, » cum cæteris versiculis et Oratione in hoc nostro § notatis. Ex præscripto manuscripti codicis Ritualis monasterii Sancti-Benedicti Floriacensis, finita Oratione *Inclina, Domine, etc.*, in § IV descripta, levabatur de ecclesia corpus ut sepeliretur, cum Antiphona *Aperite mihi*, et Psalmo *Confitemini.* Tum hæc admonitio seu Oratio sequebatur : « Piæ recordationis affectu, Fratres carissimi, » commemorationem faciamus cari nostri *ill.*, » quem Dominus de temptationibus hujus se» culi assumpsit : obsecrantes misericordiam » Dei nostri, ut ipse ei tribuere dignetur placi» dam et quietam mansionem, et remittat om» nes lubricæ temeritatis offensas, ut, concessa » venia plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc » sæculo proprio vel alieno reatu deliquit, » totum ineffabili pietate ac benignitate sua » deleat et absterget. Quod ipse præstare digne» tur. » Oratio *Absolve*, in hoc nostro § descripta, exstat in multis antiquis Ritualibus libris a Martenio allatis. Quo ritu defuncti sepulturæ traderentur, infra ad calcem tituli hujus dicemus, ne quid sacræ ac venerandæ antiquitatis in Christifidelium defunctorum exsequiis, quas explicamus, ignoretur.

Digitized by Google

§ VI.

Qua finita, omnes similiter sedent cum mitra, et Chorus cantat Responsorium toni I : *Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda,* * *Quando cœli movendi sunt et terra,* * *Dum veneris judicare sæculum per ignem.* ℣. *Tremens factus sum ego et timeo, dum discussio venerit atque ventura ira.* * *Quando cœli movendi sunt et terra.* ℣. *Dies illa, dies iræ, calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde.* * *Dum veneris.* ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. Libera me, Domine, etc.* Tunc duo Acolythi cum thuribulo et navicula, et aqua benedicta et aspersorio, accedent ad dexteram Prælati qui Missam celebravit. Incœpto versiculo *Requiem æternam, etc.*, Acolythus dabit naviculam Diacono, et ipse accedet cum thuribulo ante dictum Prælatum, qui, ministrante Diacono naviculam, imponet thus in thuribulum. Finito Responsorio, Chorus cantat *Kyrie, eleison, Christe, eleison, Kyrie, eleison.* Et, cum dicitur primum *Kyrie, eleison,* surgunt omnes detectis capitibus, et ultimo *Kyrie, eleison,* dicto, prædictus Prælatus dicit voce intelligibili : *Pater noster,* quod secrete complet; et interim accepto aspersorio cum aqua benedicta de manu Diaconi, aspergit sepulturam seu lectum, circumcirca ambulans, incipiens a sua parte dextera, ter aspergens quamlibet lecti partem lateralem, Diacono a dextris comitante et fimbrias pluvialis sublevante; et, dum transibit ante alios Prælatos, illos salutabit, et similiter cruci reverentiam faciet, transiens ante illam ad pedes lecti. Postquam cum aspersorio circumierit lectum et ad locum suum redierit, ibidem ab eodem Diacono capiet thuribulum, et lectum similiter circumcirca thurificabit, ter in qualibet parte laterali thuribulum ducens; et cum redierit post thurificationem ad locum suum, ante faldistorium stans, intelligibili voce dicet versiculos : *Et ne nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos a malo.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine, animam ejus.* ℣. *Requiescat in pace.* ℟. *Amen.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Absolve, quæsumus, Domine, animam famuli tui N., ut defunctus sæculo tibi vivat, et quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

§ VII.

Deinde dicit idem Pontifex benedicens lectum : ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat eis.* Tum duo ex Cantoribus dicunt alta voce : *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* Quo dicto, Prælati ipsi qui mitris utuntur illas recipiunt, et omnes, eo ordine quo venerunt, revertuntur ad sacristiam, vel alium locum idoneum, ubi deponunt sacras vestes, et ad propria quisque revertitur.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Quarto peracto circuitu, « sedent, ait » Patricius, et Chorus cantat *Libera me, Domi-* » *ne, etc.* Interim Diaconus cum sociis accedit » ad Cardinalem qui celebravit, sedentem ad » caput, et in tempore imponitur incensum. Ad » *Kyrie, eleison,* surgunt Cardinales sine mitra, » et qui celebravit dicit *Pater noster;* asper- » git et incensat, ut fecerunt alii quatuor, et » reversus ad locum suum stans dicit : *Et ne* » *nos inducas in tentationem.* ℟. *Sed libera nos* » *a malo.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine,* » *animam ejus.* ℣. *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* » ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* » *Oremus. Absolve, quæsumus, Domine, animam* » *famuli tui N. ut defunctus sæculo tibi vivat, etc.* » Deinde dicit idem Cardinalis : *Requiem æter-* » *nam dona eis, Domine.* ℟. *Et lux perpetua lu-* » *ceat eis.* Et in fine duo Cantores dicunt : » *Requiescant in pace.* ℟. *Amen.* His completis, » omnes, ordine quo venerant, revertuntur ad » loca ubi acceperant paramenta, et exuunt sa- » cras vestes. Alii autem Cardinales et Prælati, » dum hæc fiunt circa castrum doloris, rema- » nent sedentes in locis suis, exspectantes finem. » Demum omnes discedunt ad suas habitatio- » nes. »

II. Huc usque Augustinus Patricius, lib. I *Sacrarum Cæremoniarum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ,* sectione XV, cap. I, ubi agit de morte et exsequiis Cardinalium. Placuit autem ejus ritum describere, quod sacris cæremoniis in descriptis huc usque paragraphis omnino consonat. Responsoria, versiculi, preces Orationesque antiquissimi profecto sunt, exstantque, uti superius non semel notatum est, in variis Ritualibus libris, in quibus tamen non quinque absolutiones, sed una semper a Celebrante fieri solita absolutio legitur; excepto manuscripto Pontificali Vaticano Gulielmi Durandi, cui per omnia fere concinit nostrum Romanum hodiernum Pontificale. Cæterum, etsi pervetusti sint ritus haberi soliti in funeribus defunctorum, variasse tamen illos constat pro temporum et locorum diversitate.

§ VIII.

Absolutiones istas quatuor vel quinque non semper in omnibus exsequiis fieri convenit, sed tantum in primis exsequiis quæ fieri solent post obitum. In exsequiis vero anniversariis non debent fieri hujusmodi quatuor absolutiones, sed una tantum per Prælatum celebrantem, post Missam; vel si adesset castrum doloris, vel alius locus quo eundum esset ad absolvendum, Celebrans solus paratus, ut supra, præcedente cruce cum omnibus Ministris superius narratis, et sequentibus eum suis Capellanis, accedet ad castrum doloris, et, ibidem dispositis Ministris, ut supra dictum est, stans ante suum faldistorium in capite lecti, dicit Orationem : *Non intres in judicium cum servo tuo, etc.*, in tono prædicto : qua finita, sedet, et Chorus cantat Responsorium : *Libera me, Domine, etc.*, et *Kyrie, eleison,* ut supra. Prælatus vero imponit incensum, ac aspergit et incensat lectum ordine quo supra dictum est, et demum dicit unam ex quinque præfatis Orationibus quam maluerit; et in fine, dicto Responsorio *Requiem æternam, etc.*, ordine quo venit, revertitur ad sacristiam vel alium locum deputatum, et, ibidem depositis paramentis, recedit ad propria. Quod similiter servari poterit etiam in primis exsequiis, ubi commode quatuor Prælati, qui post Missam, ut supra dictum est, absolvant, haberi non poterunt.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Tametsi ex nostri hujus § præscripto absolutiones quatuor vel quinque, in omnibus exsequiis quæ post obitum agi solent, fieri conveniat, constat tamen Romæ ipsas absolutiones quinque in solius Romani Pontificis funere celebrari; in aliorum autem exsequiis, etiam primis post obitum, solum Celebrantem absolvere post Missam. Tradit Edmundus Martene, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XIV, num. XVI, antiquam hodieque in insigni monasterio Sancti-Audoeni Rothomagensis consuetudinem servari, ubi cum celebrans Sacerdos ad Offertorium Missæ pervenerit, ab omnibus Sacerdotibus in choro existentibus defunctus Frater hoc modo absolvitur : « Præcentor acceptam stolam collo » cujusque Sacerdotis imponit : tum ille ex char- » tula sibi exhibita sequentem pro defuncto » absolutionem recitat : ℣. *Dominus vobiscum.* » ℟. *Et cum spiritu tuo. Oremus : Dominus* » *Jesus Christus, qui dixit discipulis suis : Quæ-* » *cumque ligaveritis super terram, erunt liga-* » *ta et in cœlis ; et quæcumque solveritis super* » *terram, erunt soluta et in cœlis : de quorum* » *numero, quamvis indignos, nos esse voluit :* » *ipse te absolvat N. per ministerium nostrum* » *ab omnibus peccatis tuis, quæcumque cogi-* » *tatione, locutione aut operatione negligenter* » *egisti, et a nexibus peccatorum absolutum* » *perducere dignetur ad regna cœlorum, qui* » *cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat* » *Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* »

II. Addit mox laudatus auctor ad hujusmodi forte ritum et illud spectare, quod in tertia compilatione *Statutorum Carthusiensium*, cap. II, legitur : « Absolutio defuncti post sepulturam » in claustro, de quo loquitur statutum, non » debet fieri per modum absolutionis sacra- » mentalis, sed per modum orationis, etc. » Est sane et illud curiosum, quod in Epistola Petri venerabilis abbatis Cluniacensis vigesimaquinta inter Petri Abaelardi Epistolas legitur, ad cujus sepulcro suspendendam hanc ad Heloisam absolutionem misit : « Ego Petrus Clu- » niacensis abbas, qui Petrum Abaelardum in » Monachum Cluniacensem recepi, et corpus » ejus furtim delatum Heloisæ Abbatissæ et » Monialibus Paracleti concessi, auctoritate Dei » et omnium Sanctorum absolvo eum pro offi- » cio ab omnibus peccatis suis. »

III. Pluribus tandem ac variis diebus celebrari jam olim consuevisse defunctorum exsequias, antiqui scriptores narrant. Auctor *Apostolicarum Constitutionum*, lib. VIII, cap. XLII, diei tertiæ meminit, ejusque ritus mysticam etiam rationem assignat, sic dicens : « Peragatur » dies tertia mortuorum in Psalmis et Lectionibus » et Orationibus, propter eum qui tertia die » resurrexit. » Septimæ diei mentionem faciunt sancti Ambrosius et Augustinus, quorum alter in oratione de fide resurrectionis ita ait : « Nunc, quoniam die septimo ad sepulcrum » redimus, qui dies symbolum futuræ quietis » est. » Augustinus vero, libro I *Quæstionum super Genesim* ad finem, inquit : « Septimus » dies in Scripturis auctoritatem habet : unde alio » loco scriptum est (id est *Ecclesiastici*, c. XXII) : » *Luctus mortui septem dierum.* » Tum hæc addit : « Septenarius numerus propter sabbati sacra- » mentum præcipue quietis indicium est. »

IV. Diem nonum non modo memorat sanctus Joannes Damascenus in sermone de fidelibus defunctis, sed et ritum etiam commendat, quem tamen S. Augustinus in *Quæstionibus ad Genesim* improbat his plane verbis : « Nescio » utrum inveniatur alicui Sanctorum in Scri- » pturis celebratum esse luctum novem dierum, » quod apud Latinos *Novendiale* appellatur. » Augustinum sequitur auctor nomine Alcuini, in libro *De divinis Officiis*, capite inscripto *De exsequiis mortuorum et eorum commemoratione.* Improbat et istum numerum Stephanus Duranti, lib. II *De Ritibus Ecclesiæ Catholicæ*, cap. XLIII, num. V, ubi ait videri sibi prohibendos esse ab hac consuetudine Christianos : « Si » qui istum in mortuis suis numerum servant, » qui magis est in gentilium consuetudine. » At vero aliter sentit eruditus Josephus-Maria Prola Societatis Jesu, in opere quod inscripsit *De novendialibus supplicationibus in honorem Sanctorum*, Romæ edito anno 1714, ubi ritum ipsum commendat, variasque explicationes ad Augustini locum adducit, quæst. V, num. CXXXVIII et pluribus sequentibus. Certe, ex antiquis, memorat nonam diem in exsequiis defunctorum

Digitized by Google

celebrari solitam, et quidem juxta morem Romanæ Ecclesiæ, ut infra dicemus, Theodorus archiepiscopus Cantuariensis; itemque Justinianus in *Novella* sua, constitut. CXXXIII, c. III; auctor *Constitutionum Apostolicarum*, et alii paulo inferius citandi.

V. Ex recentioribus meminit diei nonæ Augustinus Patricius non modo in exsequiis Romani Pontificis, quæ per novem dies solent hodieque celebrari, verum etiam ubi de Cardinalium funere agit, sic dicens : « In prima, et nona die, » quæ est ultima, in qua fiunt eædem cæremo- » niæ » (quas nos superius in nostris ad hunc titulum Commentariis descripsimus), « nisi quod » in ultima non fit sermo, consueverunt legi, in » ecclesia ubi fiunt exsequiæ, centum quinqua- » ginta Missæ, et datur pro eleemosyna cuique » celebranti unus grossus Papalis et duæ parvæ » candelæ. Aliis septem diebus intra novenam » dicuntur centum Missæ quolibet die, et hora » competenti cantatur Missa pro defunctis per » aliquem Episcopum, et familia defuncti adest » sedens in loco suo. Intorticia non accendun- » tur circa ecclesiam, sed super scamnis a late- » ribus lecti, et novem supra castrum doloris » sine aliis candelis. Cardinales non veniunt, » distribuitur cera Celebranti et Ministris, » Clericis sive Religiosis illius ecclesiæ, fami- » liæ defuncti et aliis qui adsunt. Apud sepul- » crum vero, ubi jacet corpus, quotidie po- » nuntur duo intorticia quæ ardent dum divina » celebrantur. Finita Missa intra novenam, » Prælatus qui celebravit, deponit planetam, et » accipit pluviale et mitram, et præcedente » Subdiacono cum cruce, Ceroferariis, incenso » et aqua benedicta, vadit ad castrum doloris. » Eum sequuntur Diaconus et alii Ministri al- » taris; Religiosi autem sive Clerici ecclesiæ » disponunt se circa castrum, Subdiaconus cum » cruce et Ceroferarii ad pedes. Prælatus vero » stans ad caput in medio sine mitra absolute » incipit : *Non intres in judicium*, ut supra. Et » in fine Chorus cantat primum Responsorium. » Et post *Kyrie, eleison*, Prælatus sine mitra » dicit : *Pater noster*. Aspergit et incensat per » circuitum, ut supra diximus. Et deinde stans » in loco suo dicit : *Et ne nos inducas, etc.*, » cum aliis versiculis et prima Oratione, in » cujus fine dicit : *Requiem æternam dona ei,* » *Domine.* ℟. *Et lux perpetua luceat ei.* Et » Chorus dicit : *Requiescat in pace.* Et sic re- » vertitur ad se exuendum. In secunda die di- » citur secundum Responsorium et secunda » Oratio; et sic deinceps. Et cum finierint, » reincipitur a primo. »

VI. Ut ritum autem a Patricio descriptum absolvam, hæc tandem in fine ejus capitis, quod est de Cardinalium exsequiis, inquit : « In nona » die fit omnino ut in prima, nisi quod non fit » sermo. Cantatur Missa per Cardinalem, et per » Cardinales fit absolutio apud castrum doloris. » A die vero quo est sepultum corpus, usquequo » incipiantur exsequiæ, consueverunt in ea ec- » clesia celebrari aliquot Missæ pro defunctis, » non tamen per Prælatos, et fiunt ad partem » ibi aliquot eleemosynæ propter hoc. Familia » vero defuncti solet per quadraginta dies sus- » tentari in ejus domo, et tandem unicuique » redditur aliquod præmium, vel secundum » taxationem a domino factam, vel, ut exsecu- » tores censuerint, habita ratione servitii, tem- » poris et qualitatis. » Hæc ille, ex quo præter alia addiscimus non modo in obitu Summi Pontificis, ut hodie solum fieri solet, verum et ubi Cardinales moriebantur, novendiales exsequias celebratas fuisse. Plura in recitato prolixo Patricii testimonio observabit studiosus lector, quibus ego explicandis, ne in longum hæc oratio abiret, supersedendum censui.

VII. Celebratas quoque fuisse defunctorum commemorationes aliis diebus a prænotatis, ex antiquis Patribus addiscimus. S. Ambrosius, qui libro II *De excessu fratris sui Satyri*, diei septimi meminit; in Oratione de obitu Theodosii imperatoris ait aliquos observasse diem tertium et trigesimum, alios autem septimum et quadragesimum. Trigesimi diei mentionem facit S. Ephrem in suo testamento his verbis : « Assidue pro mea parvitate offerre digne- » mini; et cum trigesimum diem complevero, » mei memoriam faciatis, etc. » Eumdem dierum numerum memorat in tractatu *De ordine Eremitarum* S. Hildebertus Cenomanensis episcopus, sic inquiens : « Continuis pro eo » triginta diebus Missarum solemnia specialiter » celebrantur. » Theodorus Cantuariensis archiepiscopus in suis *Capitulis selectis*, quæ exstant *Spicilegii* Dacheriani tomo IX, Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, qualis sua ætate vigebat, commemorans, ait : « Prima, et tertia, et

Digitized by Google

» nona, et trigesima die pro eis Missa agatur; » inde post annum, si voluerint, observetur. »

VIII. Inter dies a defuncti obitu celebrari solitos quadragenarius etiam recensetur ab auctore *Constitutionum Apostolicarum*, lib. VIII, cap. XLII, ubi, postquam dixit : « Peragatur dies » tertius mortuorum, etc., » addit : « Item dies » nonus in recordationem superstitum et de- » functorum ; atque etiam dies quadragesimus » juxta veterem typum : Mosem enim ita luxit » populus, etc. » His consonat in sua *Novella*, constitutione CXXXIII, cap. III, Justinianus imperator, ubi ita ait : « Sed neque aliquam exco- » gitent occasionem, aut viri ad monasteria » muliebria ingrediendi, aut mulieres viris » deputata occasione eorum quæ circa funus » aguntur, et tertiam, et nonam convenientes » diem, et dum quadraginta compleantur. » Egregium plane est quod de eo usu legitur in Vita S. Theodosii Cœnobiarchæ, qui obiit circa annum Christi 540, apud Bollandianos, die 11 januarii, num. XVII : « Jubet autem Pater omnia » ipsi fieri quæ lex vult fieri mortuis, tertianas, » inquam, novenas, et consequenter etiam qua- » dragenas. »

IX. De anniversariis, quæ recurrentibus annis ipso obitus die celebrari solent, innumera pene exstant veterum Patrum testimonia. Auctor memoratus *Apostolicarum Constitutionum*, recitato superius loco, ubi mentionem facit diei noni et quadragesimi, anniversarium diem adjungit : « Denique anniversarius pro memoria » ipsius. » Tertullianus in libro *De corona Militis* cap. III, morem sui temporis referens, ait : « Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua » die facimus. » Idem in libro *De Monogamia* scribit : « Et offerat annuis diebus dormitionis » ejus. » Meminit diei anniversarii S. Gregorius Nazianzenus, Oratione in laudem Cæsarii ; S. Joannes Damascenus in sermone de fidelibus defunctis; Alcuinus loco superius recitato ; et inter alios Amalarius, lib. III *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XLIV, ubi addit anniversarium diem ideo repeti pro defunctis, quoniam ignoramus qualiter eorum causa habeatur in alia vita. In libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ exstat non modo *Missa in die depositionis defuncti, sive tertio, septimo trigesimoque;* verum etiam *Missa in anniversario unius defuncti, et Missa plurimorum defunctorum.* De quibus vide infra in Appendice.

X. Olim in solemni Officio quod pro Ludovici VI Francorum regis anniversario decantabatur, Lectiones de vita ejusdem principis a Sugerio Abbate scriptas recitatas fuisse testatur *Chronicon Mauriniacense*. In percelebri etiam Sancti-Dionysii templo apud Gallos, ante annos centum, in solemni anniversario Dagoberti regis, de vita ipsius Lectiones rite recitabantur. Qui ritus, postquam monasterium Dionysianum Benedictinæ Sancti-Mauri Congregationi adgregatum fuit, ita mutatus est, ut in Officio Lectiones ex libro *Job* recitentur ; Vita vero Dagoberti Fratribus in refectorio existentibus legatur, teste Edmundo Martene, libro III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XIV, num. XIX. Quanquam vero ex huc usque enarratis non modo ipso obitus die, ex antiqua Ecclesiæ tum Latinæ tum Græcæ traditione, sed et tertio, septimo, nono, trigesimo, quadragesimo, et anniversario defunctorum exsequiæ celebrentur; tenenda est nihilominus regula hujus nostræ Rubricæ, in qua edicitur, in primis solum exsequiis quæ fieri solent post obitum, absolutiones quatuor vel quinque celebrandas, unam vero tantum per Prælatum celebrantem in exsequiis anniversariis, juxta ritum in eadem Rubrica hodierni Romani Pontificalis descriptum.

XI. Fuse jam omnem fere funerum ritum explicuimus, præsertim si huc usque enarratis ea addantur quæ tomo II, ad titulum VI *De Cœmeterii benedictione*, diximus. Ne quid autem quod ipsum spectat ritum prætermittamus, lubet ad hujus commentarii calcem nonnulla adnotare ; ac primo quidem, tum apud Græcos tum apud Latinos, potissimum vero apud Monachos, variis precibus ac cæremoniis solitos fuisse sepulturæ defunctos mandari. Id passim antiqui libri Rituales docent a Martenio allati, eamque disciplinam hodieque servant inter alios Fratres inclyti Ordinis Prædicatorum. In ipsis Ritualibus libris illa notanda sunt verba : « Et sic levatur » de ecclesia, » cadaver scilicet, quod post peractas exsequias extra ecclesiam deportabatur, quia scilicet, uti diximus tomo II, ad memoratum titulum VI *De Cœmeterii benedictione*, non omnibus licitum erat in ecclesiis seu basilicis sepulturam consequi. Sepeliebantur itaque olim in cœmeteriis, variæque etiam Orationes ac

Digitized by Google

Psalmi recitabantur tum ante sepulcrum priusquam corpus sepeliretur, tum quando deponebatur, tum antequam clauderetur sepulcrum, tum etiam post clausum. Constat is ritus ex manuscripto Pontificali Salisburgensi, in quo illud præterea edicitur ut « deinde Sacerdos » faciat crucem super sepulcrum, dicendo : » *Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus* » *sancti descendat super hoc corpus.* ℟. *Amen.* » Similiter, et reliqui Presbyteri singuli facien- » tes crucem super sepulcrum dicant : *Signum* » *Christi sit super te*, omnibus respondentibus » *Amen.* »

XII. Una cum cadavere, teste Durando, libro VII *Rationalis*, cap. XXXV, ponebantur in tumulo aqua benedicta, prunæ cum thure, hedera vel laurus. Similia habet in suo manuscripto *Speculo* anonymus Turonensis, qui etiam addit : « Quidam sortilegii contra fidem agentes ponunt » quinque solidos supra pectus mortui ; et in » hoc imitantur morem gentilium qui in ore » mortui ponebant denarium, ut habeat qui » porrigat ore trientem. » Fuse hanc superstitionem enarrat in suis ad *Decretales* Commentariis Emmanuel Gonzalez. Crucem etiam in sepulcro ad defuncti caput apponi solitam, ad laudatum titulum VI tomi II satis ostendimus. Quod, præter crucis signum, in superiori aut interiori sepulcri lapide inciderentur et imagines Christi aut Apostolorum, vel tituli nomen dignitatemque defuncti continentes, ex Gregorio Turonensi, in libro *De gloria Confessorum*, cap. XXXV, XXXVI et CV, affirmat Martenius, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, capite XIV, num. XII. Est is ritus antiquus cujus in carmine de S. Hippolyto meminit Prudentius, dicens :

Innumeros cineres Sanctorum Romula in urbe
Vidimus, o Christi Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, et singula quævis
Nomina, difficile est ut replicare queam.
Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

XIII. Affigebantur ergo epitaphia sepulcris, eorumque non pauca affert in suo de cœmeteriis opere eruditus Marcus-Antonius Buldethus, nuperrime vero Joannes Marangonus in appendice dissertationis ad Acta S. Victorini episcopi Amiternensis, et martyris. Est is sane antiquus mos personarum præsertim illustrium tumulis epitaphia affigendi, quæ passim in ecclesiis legere est. In nostro Sancti-Hieronymi Charitatis templo consueverunt jam olim domini deputati obsequium istud majoribus nostris Presbyteris illustrioribus exhibere, uti constat ex tribus marmoreis inscriptionibus, quæ hodieque exstant ad parietem templi prope sacrarii januam. Prima hæc est :

PIETATI ET MEMORIÆ
PETRI SPATHARII ARETINI
QVOD TEMPLI HVIVS
PORTAS CONFLVENTIBVS
PATRIBVS APERVERIT
QVIBVSCVM VIXIT
ECCLESIÆ DEI PERVTILIS
SACERDOS PVRVS
INNOCENS.

Altera in laudem venerabilis servi Dei Bonsignorii Cacciaguerræ hunc in modum inscripta legitur :

D. O. M.
BONSIGNORIO
CACCIAGVERRÆ
SENENSI MIRÆ
SANCTITATIS
SACERDOTI
OBIIT ANNO
D. MDLXVI.
ÆTATIS LXXII.
HVMATVS EST HIC
PRID. KAL. IVL.

Tertia inscriptio prout est in marmore insculpta sic habet :

D. O. M.
HENRICVS PETRA PLACENTIN. QVI
S. PHILIPPI NERII OPERA SACERDOS
FACTVS ET AD ECCLĀ..
HANC INHABITAN...
INDVCTVS BONSIGNO...
CACCIAGVERRA DVCE
MAGNOS IN SPIRITV
PROGRESSVS HABVIT
HIC IACET OB.
VII. IDVS DECEM. MDLXXXX.

XIV. Marmoreas hasce inscriptiones pavimento ecclesiæ nostræ appositas, ubi memorati viri illustres separatis locis fuerant sepulti, a viro clarissimo Petro Bassano, inclytæ Archiconfraternitatis Charitatis deputato, translatas ad ipsum parietem sacrario sive sacristiæ, ut

Digitized by Google

aiunt, proximum, testatur altera marmore inscriptio superius posita, cujus hæc sunt verba a nobis tali ordine distributa.

MONVMENTA VIRORVM DE HOC LOCO
AC DE REPVBLICA OPTIME MERITORVM
IN HVNC ILLVSTRIOREM SITVM
DEPORTARI CVRAVIT
PETRVS BASSANVS DEPVTATVS
NE VIRTVS CVM TVMVLO LATERET.

XV. De nostris superius memoratis Patribus summa cum laude inter alios mentionem faciunt Gallonius, Baccius, Bernabeus, Presbyteri sanctæ-Mariæ in Vallicella Urbis, Congregationis de Oratorio, in Vita S. Philippi Nerii. Vitam ipsorum italico idiomate scripsit, ac Romæ in lucem edidit una cum aliis Vitis antiquorum Patrum nostræ Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis, vir cl. Joannes Marangonus, qui etiam memoratas inscriptiones affert, sed alia litterarum distributione ac in marmoribus insculptæ sunt. Mutatio licet sit parvi momenti, tamen nos prout exstant descripsimus, excepta inscriptione ubi dicitur Petrus Bassanus monumenta transtulisse.

XVI. Unum adhuc est quod ad calcem hujus commentarii adnotandum censeo, consuevisse non modo ethnicos, sed et Christianos, peracto funere, sepulcra floribus et coronis spargere : « Non ego floribus tumulum ejus aspergam, » sed spiritum ejus Christi odore perfundam. » Verba sunt S. Ambrosii in Oratione funebri de obitu Valentiniani. Cui adde S. Hieronymum, qui in Epistola ad Pammachium de obitu uxoris sic inquit : « Cæteri mariti super tumulos con- » jugum spargunt violas, rosas, lilia purpu- » reosque flores, et dolorem pectoris his officiis » consolantur. » His adde antiquum et præcarum poetam Prudentium, qui in Hymno *De Exsequiis* ita de eo ritu cecinit :

Nos tecta fovebimus ossa,
Titulumque, et frigida saxa,
Violis et fronde frequenti,
Liquido spargemus odore.

APPENDIX

In qua ex libro Sacramentorum *S. Gregorii Papæ variæ pro defunctis Missæ* (*a*) *olim dici solitæ referuntur.*

MISSA

Pro Episcopo defuncto.

Da nobis, Domine, ut anima famuli tui *ill.* episcopi, quam de seculi educis laborioso certamine, Sanctorum tuorum cœtui tribuas esse consortem. Per.

Super oblata.

Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui *ill.* episcopi hæc prosit oblatio, quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per.

Intra Actionem (*b*).

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro commemoratione depositionis animæ famuli tui *ill.* episcopi, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, et, quem in corpore constitutum Sedis Apostolicæ gubernaculo præesse voluisti,

(*a*) Sacrificia pro defunctis offerre est antiqua Ecclesiæ traditio ducta ab Apostolis. Nam, præter ea quæ superius in nostris ad hunc titulum commentariis dicta sunt, ritum pro defunctis offerendi, magnifice, ut assolet, descripsit S. Dionysius, vel alius ejus nomine auctor, in lib. *De Ecclesiastica Hierarchia*. S. Joannes Damascenus Oratione pro mortuis, Apostolicum hoc esse institutum sanctorum Patrum testimonio ostendit. S. Epiphanius inter errores Aetii, hæresi LXXV, hunc enumerat quod negaret offerendum esse Sacrificium pro defunctis. Missarum pro defunctis meminit inter alias Synodus II Vasionensis, anno 529 habita, easque a Missis publicis distinguit, statuens, cap. III, ut in Missis quæ fiunt in defunctorum commemorationibus, semper *Sanctus* dicatur eo ordine quo dicitur ad Missas publicas. Amalarius, lib. IV *De Officiis*, cap. XLII, loca quædam fuisse ait in quibus quotidie Missa pro defunctis celebrabatur.

(*b*) Actio hic idem est ac *Canon Missæ*, quia scilicet in eo, ut ait Walafridus, Dominica sacramenta conficiuntur. Vide Joannem cardinalem Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. XI, num. I, in fine.

Digitized by Google

in electorum tuorum numero constitue Sacerdotum, diesque nostros, etc.

Super (a) dypticia.

Memento etiam, Domine, famulorum tuorum *ill.*, qui nos præcesserunt et dormiunt in somno pacis.

Item post Lectionem.

Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis indulgentiam deprecamur. Per.

Ad complendum.

His sacrificiis, quæsumus, omnipotens Deus, purgata anima famuli tui *ill.* Episcopi, ad indulgentiam et refrigerium sempiternum pervenire mereatur. Per.

ALIA MISSA.

Pro Episcopo defuncto.

Deus, qui inter apostolicos Sacerdotes famulum tuum *ill.* Episcopum censeri fecisti, præsta, quæsumus, ut quorum vicem gerebat ad horam in terris, eorum perpetuo consortio lætetur in cælis.

Super oblata.

Hæc oblatio, Domine, quæsumus, animam famuli tui *ill.* Episcopi omnibus vitiis humanæ conditionis absolvat, quæ totius mundi tulit etiam immolata peccatum. Per.

Præfatio.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: devotis clementiam tuam mentibus obsecrantes, ut animam *ill.* Episcopi in electorum tibimet Pontificum numero jubeas consistere gaudentem: ut, qui hic tuo pro eis supplex deserviebat altari, gloriosa illic cum eis tua gratuletur et laude. Per Christum Dominum nostrum.

Intra Actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, quam tibi offerimus pro commemoratione animæ famuli tui *ill.* Episcopi, quæsumus, placatus accipias, et cum Præsulibus Apostolicæ dignitatis, quorum est sequutus officium, habere tribuas sempiternæ beatitudinis portionem, atque inter summi Pastoris efficias præcipua membra censeri, diesque nostros, etc.

Ad complendum.

Da veniam, Domine, quæsumus, per hæc sancta mysteria animæ famuli tui *ill.* Episcopi, ut occursu non terreatur malo, sed tuo protegatur auxilio. Per.

Alia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut anima famuli tui *ill.* Episcopi, quam in hoc seculo commorantem sacris muneribus decorasti, cælesti sede gloriosus exultet. Per Dominum.

ITEM ALIA.

Pro Episcopo defuncto.

Suscipe, Domine, quæsumus, preces nostras pro anima famuli tui *ill.* Episcopi, ut in Pontificum tibimet placitorum perpetua sede lætetur. Per.

Super oblata.

Offerimus, Domine, hostias placationis et laudis, ut, perpetuæ misericordiæ largitate, animam famuli tui *ill.* Episcopi in lucis æternæ facias regione gaudere. Per.

Præfatio.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; ineffabilem tuæ clementiæ potentiam suppliciter exorantes ut famulus tuus *ill.*, beatorum tabernaculis constitutus, evasisse se carnales glorietur angustias, diemque judicii cum voto gratulationis expectet. Per Christum Dominum nostrum.

Intra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus

(a) De dipthychis fuse egimus nostro I tomo *Conciliorum*. In multis codicibus, teste eodem viro clarissimo Joanne Bona, lib. II *Rerum Liturgicarum*, cap. XIV, num. I, Oratio in qua fit defunctorum commemoratio, ita inscribitur: *Super dipthyca*. Nomina enim fidelium defunctorum tabulis inscribere, et intra Missarum solemnia recitare, antiquissima consuetudo est et Apostolicum institutum, ut fuse ostendit Stephanus Duranti, lib. II *De Ritibus Catholicæ Ecclesiæ*, cap. XLIII, num. IX, et alli passim eruditi scriptores de Ecclesiasticis Officiis agentes.

Digitized by Google

pro anima famuli tui *ill.* Episcopi, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, et, quem tuis altaribus servire tribuisti, ad beatorum pertinere jubeas consortia Sacerdotum, diesque nostros, etc.

Ad complendam.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut animam famuli tui *ill.* Episcopi in congregatione justorum æternæ beatitudinis jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum.

ALIA MISSA.

Pro Episcopo defuncto.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum *ill.* Sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per.

Super oblata.

Suscipe, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui *ill.* Episcopi Sacerdotis quas offerimus hostias, ut, cui Pontificale donasti meritum, dones et præmium. Per Dominum.

Ad complendum.

Preces nostras, quæsumus, Domine, quas in famuli tui *ill.* Episcopi depositione deferimus, propitiatus exaudi, ut, qui nomini tuo ministerium fidele dependit, perpetua Sanctorum societate lætetur. Per Dominum.

MISSA.

Pro Episcopo defuncto.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum *ill.* Pontificali fecisti dignitate vigere, præsta, quæsumus, ut eorum et perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum.

Super oblata.

Hæc oblatio, Domine Deus, animam famuli tui *ill.* ab omnibus vitiis humanæ conditionis absolvat, quæ totius mundi tollit etiam immolata peccatum. Per.

Præfatio.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: devotis clementiam tuam mentibus obsecrantes, animam famuli tui *ill.* in electorum tibimet Pontificum numero gaudeas consistere gaudendo (*a*) : ut, qui tuo pro eis supplex deserviebat altari, gloriosa illic cum eis gratuletur laude. Per Christum Dominum nostrum.

Ad complendum.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, suscipe pro anima famuli tui *ill.* Sacerdotis preces nostras; et lucis ei lætitiæque regionem in Sanctorum tuorum societate concede. Per Dominum.

MISSA.

Pro Sacerdote defuncto.

Præsta, quæsumus, Domine, ut anima famuli tui et Sacerdotis tui *ill.*, quam in hoc seculo commorantem sacris muneribus decorasti, celesti sede gloriosa semper exultet. Per Dominum.

Super oblata.

Suscipe, Domine, quæsumus, hostias pro anima famuli tui et Sacerdotis tui *ill.*, ut, cui Pontificale donasti præmium, dones et meritum. Per.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut animam famuli tui et Sacerdotis tui *ill.*, in congregatione justorum, æternæ beatitudinis jubeas esse consortem. Per Dominum.

MISSA UNIUS DEFUNCTI.

Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animæ famuli tui *ill.*; ut, qui de hac vita in tui nominis confessione discessit, Sanctorum tuorum numero eum facias aggregari. Per Dominum nostrum.

Super oblata.

Propitiare, quæsumus, Domine, animæ famuli tui *ill.*, pro qua tibi hostias placationis

(*a*) Ubi lectionem istam insulsam adinvenerit auctor, difficile esset assignare; namque in cunctis editionibus libri *Sacramentorum* huc usque vulgatis legitur sic : « Obsecrantes ut animam *ill.* episcopi in electorum tibimet « pontificum num ro jubeas consistere gaudentem. » (EDIT.)

Digitized by Google

offerimus; et, quia in hac luce in fide mansit Catholica, in futura vita ei retributio condonetur. Per Dominum nostrum.

Ad complendum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut animam famuli tui *ill.* ab Angelis lucis susceptam in præparata habitacula deduci facias beatorum. Per.

MISSA

in die depositionis defuncti, sive tertio, septimo, trigesimoque.

Adesto, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui *ill.*, cujus in depositione sua officium commemorationis impendimus, ut si aliqua ei secularis macula inhæsit, aut vitium mundiale infecit, dono tuæ pietatis indulgeas et abstergas. Per Dominum.

Alia.

Quæsumus, Domine, famulo tuo *ill.*, cujus tertium (*vel* septimum, *sive* trigesimum) obitus sui diem commemoramus, Sanctorum tuorum atque electorum largire consortium, et rorem ei misericordiæ tuæ perennem infunde. Per.

Super oblata.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hanc oblationem, quam tibi offerimus ob diem depositionis tertium (*vel* septimum, *sive* trigesimum) famuli tui *ill.*, placatus benignus assume.

Præfatio.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: per Christum Dominum nostrum. Per quem vita hominum, per quem resurrectio mortuorum. Per ipsum te, Domine, suppliciter deprecamur ut animam famuli tui *ill.*, cujus diem depositionis tertium (*vel* septimum, *sive* trigesimum) celebramus, indulgentiam largiri digneris perpetuam, atque contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis partem restituas. Per quem majestatem.

Ad complendum.

Omnipotens sempiterne Deus, collocare dignare animam famuli tui *ill.*, cujus diem depositionis tertium (*aut* septimum, *vel* trigesimum) celebramus, in sinibus Abrahæ, Isaac et Jacob; ut, cum dies agnitionis tuæ venerit, inter Sanctos et electos tuos eum resuscitari præcipias. Per eundem.

MISSA

in anniversario unius defuncti.

Præsta, Domine, quæsumus, ut anima famuli tui *ill.*, cujus anniversarium depositionis diem celebramus, his purgata sacrificiis indulgentiam pariter et requiem capiat sempiternam. Per.

Super oblata.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris pro anima famuli tui *ill.*, cujus annua dies agitur, pro qua tibi offerimus sacrificium laudis, ut eam Sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per Dominum.

Ad complendum.

Suscipe, Domine, preces nostras pro anima famuli tui *ill.*, ut, si quæ ei maculæ de terrenis contagiis adhæserunt, remissionis tuæ misericordia deleantur.

MISSA PLURIMORUM DEFUNCTORUM.

Propitiare, quæsumus, Domine, animabus famulorum famularumque tuarum *ill.* et *ill.* misericordia sempiterna, ut mortalibus nexibus expeditas, lux eos æterna possideat. Per.

Super oblata.

Hostias tibi, Domine, humili placatione deferimus, ut animæ famulorum famularumque tuarum per hæc placationis officia tuam misericordiam consequantur. Per.

Ad complendum.

Inveniant, quæsumus, Domine, animæ famulorum famularumque tuarum *ill.* et *ill.*, omniumque in Christo quiescentium, lucis æternæ consortium, qui in hac luce positi tuum consequuti sunt sacramentum. Per.

Digitized by Google

Recensentur ex duobus antiquis codicibus ritus servari olim soliti circa defunctos ab egressu animæ usque ad sepulturam.

ORDO I.

Ex antiquo manuscripto codice monasterii Sancti-Benedicti Floriacensis, annorum circiter mille, atque a viro clarissimo Edmundo Martene typis commisso, et libro III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XV, inserto.

In animæ egressu dicatur Antiphona : *Suscipiat te Christus, qui creavit te, et in sinum Abrahæ Angeli deducant te.* Psalmus : *In exitu Israhel de Ægypto.*

Sequitur Oratio :

« Omnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori animam ad similitudinem tuam inspirare dignatus es; dum te jubente pulvis in pulverem revertitur, tu imaginem tuam cum Sanctis et electis tuis æternis sedibus præcipias sociari, eamque ad te revertentem de Ægypti partibus blande leniterque suscipias, et Angelos tuos sanctos ei obviam mittas, viamque illi justitiæ demonstra, et portas gloriæ tuæ aperi. Repelle, quæsumus, ab ea omnes principes tenebrarum, et agnosce depositum fidele quod tuum est : suscipe, Domine, creaturam tuam non ex diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero, quia non est alius deus præter te, Domine, et non est secundum opera tua. Lætifica, clementissime Deus, animam servi tui *ill.*, et clarifica eam in multitudine misericordiæ tuæ. Ne memineris, quæsumus, iniquitatum ejus antiquarum, et ebrietatum quas suscitavit furor mali desiderii; licet enim peccaverit, tamen te non negavit : sed, signo fidei insignitus, te qui omnia, et eum inter omnia fecisti, fideliter adoravit, qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Item Antiphona :

Chorus Angelorum te suscipiat, et in sinu Abrahæ te collocet, ut cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem.

Psal. *Dilexi quoniam*, usque (ad) *Ad Dominum, cum tribularer.*

Sequitur Oratio :

« Diri vulneris novitate perculsi, et quodam modo cordibus sauciati, misericordiam tuam, mundi Redemptor, flebilibus vocibus implo-ramus, ut kari nostri *ill.* animam ad tuam clementiam, qui fons pietatis es, revertentem, blande leniterque suscipias; et quas illa ex carnali commemoratione contraxit maculas, tu, Deus, inolita bonitate clementer deleas, pic indulgeas, oblivioni in perpetuum tradas, atque hanc laudem tibi cum cæteris redditu-ram, et ad corpus quandoque reversuram, Sanctorum tuorum cœtibus aggregari præcipias, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivis et regnas. »

Tunc rogat pro eo orare Sacerdos :

Et ne nos inducas in tentationem. Requiem æternam. Anima ejus in bonis demorabitur. Et non intres in judicio. A porta inferi.

Oratio.

« Partem beatæ resurrectionis obtineat, vitamque æternam habere mereatur in cælis per te, Christe Jesu, qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen. »

Alia.

« Deus, cui soli competit medicinam præstare post mortem, præsta, quæsumus, ut anima famuli tui *ill.*, terrenis exuta contagiis, in tuæ redemptionis parte numeretur. Per. »

Tunc lavatur corpus defuncti.

Oratio post lavationem corporis, antequam de domo efferatur.

« Suscipe, Domine, animam servi tui *ill.*, quam de ergastulo hujus sæculi vocare dignatus es, et libera eam de principibus tenebrarum et de locis pœnarum, ut, absoluta omnium vinculo peccatorum, quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur, et inter Sanctos et electos tuos in resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per. »

Tunc cum Responso *Subvenite, Sancti Dei*, et aliis Responsis defunctorum, deportatur, et cum adpropinquatum fuerit ecclesia, canitur

Digitized by Google

Psalmus *Miserere mei, Deus*, cum Antiphona *Requiem æternam*. In ecclesia autem requiesce corpus defuncti, quoadusque pro anima ejus Missa canatur et offeratur ab omnibus quibus fuerit visum.

Incipiunt Missales Orationes.

« Quæsumus, Domine, ut animæ famuli tui » *ill.*, cujus obitus sui diem primum (tertium, » septimum, tricesimum) commemoramus, » Sanctorum tuorum atque electorum largire » digneris consortium, et rorem misericordiæ » tuæ perennem infunde. Per. »

Secreta.

« Animam famuli tui *ill.*, Domine, ab omni» bus vitiis et peccatis conditionis humanæ hæc » absolvat oblatio, quæ totius mundi tulit im» molata peccatum. Per. »

Præfatio.

« Æterne Deus, qui, quamvis humano ge» neri mortis inlata conditio pectora nostra con» tristet, tamen clementiæ tuæ dono spe futuræ » immortalitatis erigimur, ac memores salutis » æternæ, non timemus lucis hujus sustinere » jacturam, quoniam beneficio gratiæ tuæ fide» libus vita non tollitur, sed mutatur, atque ani» ma corporeo ergastulo liberatur. Horrent » mortalia dum immortalia consequuntur : un» de, quæsumus, ut famulus tuus *ill.*, beatorum » tabernaculis constitutus, evasisse se carnales » glorietur angustias, diemque judicii cum fi» ducia voto glorificationis expectet. Per. »

Infra Actionem.

« Hanc igitur oblationem, quam tibi pro ani» ma famuli tui *ill.*, offerimus, quem hodie » carnali corruptione liberasti, quæsumus, Do» mine, placatus accipias, et quidquid humanæ » conditionis subreptione contraxit, expedias, et » tuis purificatus remediis, ad gaudium sempi» ternum perveniat, diesque nostros.

Ad complendum.

« Prosit, Domine, quæsumus, animæ famuli » tui *ill.* divini celebratio sacramenti, ut ejus » in quo speravit et credidit, æternum capiat, » te miserante, consortium. Per Dominum. »

Post celebrationem denique missæ stat sacerdos juxta feretrum, et dicit hanc Orationem :

« Non intres in judicium cum servo tuo, Do» mine, *ill.*, quoniam nullus apud te justifica» bitur homo, nisi per te omnium peccatorum » tribuatur remissio. Non ergo eum tua, quæ» sumus, judicialis sententia premat, quem tibi » vera supplicatio fidei Christianæ commen» dat; sed, gratia tua illi succurrente, mereatur » evadere judicium ultionis, qui, dum viveret, » insignitus est signaculo Trinitatis. »

Sequitur Responsum : *Subvenite, sancti Dei. ℣. Chorus Angelorum eam suscipiat, et in sinu Abrahæ eam collocet. Kyrie, eleison.*

Oratio.

« Deus, cui omnia vivunt, et cui non pereunt » moriendo corpora nostra, sed mutantur in » melius, te supplices deprecamur, ut quicquid » anima famuli tui *ill.* vitiorum, tuæque volun» tati contrarium, fallente diabolo, et propria » iniquitate atque fragilitate contraxit, tu pius » et misericors ablue (*a*) indulgendo : eamque » suscipi jubeas per manus sanctorum Angelo» rum tuorum, deducendam in sinum patriar» charum tuorum, Abraham scilicet amici tui, » et Isaac electi tui, atque Jacob dilecti tui : » quo aufugit dolor et tristitia atque suspirium, » fidelium quoque animæ felici jucunditate læ» tantur, et in novissimo magni judicii die in» ter Sanctos et electos tuos eam facias perpetuæ » gloriæ percipere portionem, quam oculus » non vidit, et auris non audivit, et in cor ho» minis non ascendit, quæ præparasti diligen» tibus te. Per. »

Sequitur Responsum : *Antequam nasceret. ℣. Commissa mea pavesco*, et ter *Kyrie.*

Oratio.

« Fac, quæsumus, Domine, hanc cum servo » tuo defuncto *ill.*, misericordiam; ut factorum » suorum in pœnis non recipiat vicem, qui » tuam in votis tenuit voluntatem ; et, quia sic » illum vera fides junxit fidelium turmis, illic » eum tua miseratio societ Angelicis choris. » Per Dominum. »

Tunc rogat pro eo orare Sacerdos :

Et ne nos inducas in temptationem. Requiem æternam. A porta inferi.

(*a*) Legendum forte *abluas*. (Edit.)

Digitized by Google

Oratio.

« Inclina, Domine, aurem tuam ad preces » nostras, quibus misericordiam tuam suppli- » ces deprecamur, ut animam famuli tui *ill.*, » quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis » ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuo- » rum jubeas esse consortem. Per. »

Et sic levatur de ecclesia cum Antiphona *Aperite mihi.* Psal. *Confitemini.*

« Piæ recordationis affectu, fratres carissimi, » commemorationem faciamus cari nostri *ill.*, » quem Dominus de temptationibus hujus sæ- » culi assumpsit : obsecrantes misericordiam » Dei nostri ut ipse ei tribuere dignetur placi- » dam et quietam mansionem, et remittat om- » nes lubricæ temeritatis offensas, ut, concessa » venia plenæ indulgentiæ, quidquid, in hoc » sæculo, proprio vel alieno reatu deliquit, to- » tum ineffabili pietate ac benignitate sua deleat » et abstergat. Quod ipse præstare dignetur. »

Ant. *Ingrediar in locum tabernaculi.* Psal. *Quemadmodum.*

Sequitur Oratio :

« Obsecramus misericordiam tuam, omnipo- » tens æterne Deus, qui hominem ad imaginem » tuam creare dignatus es ; ut animam famuli » tui *ill.*, quem hodierna die rebus humanis » eximi et ad te accersire jussisti, blande et mi- » sericorditer suscipias : non ejus dominentur » umbræ mortis, nec tegat eum chaos et caligo » tenebrarum, sed, exutus omnium criminum » labe, in sinu Abrahæ patriarchæ collocatus, » locum refrigerii et lucis se adeptum esse gau- » deat, et, cum dies judicii advenerit, cum » Sanctis et electis tuis eum resuscitari jubeas. » Per. »

Antiph. *Hæc requies mea.* Psal. *Memento, Domine, David.*

Sequitur Oratio :

« Deus, apud quem mortuorum spiritus vi- » vunt, et in quo electorum animæ, deposito » carnis onere, plena felicitate lætantur : præsta » supplicantibus nobis ut anima famuli tui *ill.*, » quæ temporali per corpus visionis hujus lu- » minis caruit visu, æternæ illius lucis solatio » potiatur. Non eum mortis tormentum attin- » gat, non dolor horrendæ visionis adficiat, non » pœnalis timor excruciet, non reorum proxi- » ma catena constringat; sed, concessa sibi venia » delictorum omnium, optatæ quietis consequa- » tur gaudia repromissa. Per. »

Item Antiph. *De terra plasmasti me.* Psalm. *Domine, probasti me.* Et ponitur in sepulchro.

Item Oratio.

« Oremus, fratres carissimi, pro spiritu cari » nostri *ill.*, quem Dominus de laqueo hujus » sæculi liberare dignatus est, cujus corpuscu- » lum hodie sepulturæ traditur, ut eum pietas » Domini in sinu Abrahæ, Isaac et Jacob collo- » care dignetur ; ut cum dies judicii advenerit, » inter Sanctos et electos suos eum in parte dex- » tera collocandum resuscitari faciat, præstante » Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo in » unitate Spiritus sancti vivit et regnat Deus. » Per omnia sæcula sæculorum. Amen. »

Item Oratio.

« Deus, qui justis supplicationibus semper » præsto es, qui pia vota dignaris intueri : da » famulo tuo *ill.*, cujus depositionis hodie offi- » cia humanitatis exhibemus, cum Sanctis et » fidelibus tuis beati muneris portionem. Per. »

Alia.

« Deus, vitæ dator, et humanorum corporum » reparator, qui te a peccatoribus exorari vo- » luisti : exaudi preces quas speciali devotione » pro anima famuli tui *ill.*, tibi lacrymabiliter » fundimus, ut liberare eam ab inferorum cru- » ciatibus, et collocare inter agmina Sanctorum » tuorum digneris, veste quoque cælesti et stola » immortalitatis indui, et paradisi amenitate » confoveri jubeas. Per. »

Item.

« Deus, qui humanarum animarum æternus » amator es, animam famuli tui *ill.*, quam » vera, dum in corpore maneret, tenuit fides, » ab omni cruciatu inferorum redde extorrem : » ut segregata ab infernalibus claustris, San- » ctorum mereatur adunari consortiis. Per. »

Alia.

« Deus, qui justis supplicationibus semper » præsto es, qui pia vota dignaris intueri, qui » universorum es conditor et redemptor, mise- » ricordia quoque peccatorum, et tuorum bea- » titudo Sanctorum : da famulo tuo *ill.*, cujus

Digitized by Google

» depositioni hodie officium humanitatis exhi-
» bemus, cum Sanctis et electis tuis beati mu-
» neris portionem, eumque, a corporeis nexi-
» bus absolutum, in resurrectione electorum
» tuorum facias præsentari. Per. »

Item.

« Temeritatis quidem est, Domine, ut homo
» hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem
» tibi Domino Deo nostro audeat commendare :
» sed quia terra suscipit terram, et pulvis con-
» vertitur in pulverem, donec omnis caro in
» suam redigatur originem, tuam, piissime
» Pater, lacrymabiliter quæsumus pietatem ut
» hujus famuli tui *ill.* animam, quam de hujus
» mundi voragine cœnulenta ducis ad patriam,
» Abrahæ amici tui sinu recipias, et refrigerii
» rore perfundas. Sit ab æstuantis gehennæ
» truci incendio segregata, et beatæ requiei, te
» donante, conjuncta : et quæ illi sunt, Domine,
» dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratiæ mitis-
» sima lenitate indulge, nec peccati recipiat
» vicem, sed indulgentiæ tuæ piam sentiat
» bonitatem; cumque, finito mundi termino,
» supernum cunctis inluxerit regnum, novus
» homo, Sanctorum omnium cœtibus aggrega-
» tus, cum electis tuis resurgat in parte dextera
» coronandus. Per Dominum. »

Alia.

« Debitum humani corporis sepeliendi offi-
» cium fidelium more complentes, Deum, cui om-
» nia vivunt, fideliter deprecamur ut hoc corpus
» kari nostri *ill.*, a nobis in infirmitate sepul-
» tum, in ordine Sanctorum tuorum resuscitet,
» et ejus spiritum Sanctis ac fidelibus aggregari
» jubeat, cum quibus inenarrabili gloria et pe-
» renni felicitate perfrui mereatur : præstante
» Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo et
» Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Per. »

Tunc rogat pro eo orare Sacerdos, et dicit Capitula sicut et supra, *Et partem beatæ resurrect.*, ut supra.

Psal. *Miserere mei, Deus. Requiem æternam.*

« Absolve, Domine, animam famuli tui *ill.*
» ab omni vinculo delictorum, ut in resurre-
» ctionis gloria inter Sanctos tuos resuscitatus
» respiret. Per.
» *Requiescat in pace. Amen.* »

ORDO II.

Ex manuscripto Pontificali Salisburgensis ecclesiæ, apud eumdem Edmundum Martene.

Antiphona post exitum animæ.

Chorus Angelorum te suscipiat, et in sinum Abrahæ ibi te collocet, ut cum Lazaro quondam paupere dones ei (a) *æternam requiem.* Psal. *Dilexi quoniam*, usque ad *Ad Dominum;* et ita per ordinem, si suppetit tempus, usque ad *Super flumina;* et, si amplius necesse est, usque ad finem Psalmorum.

Deinde Oratio.

« Diri vulneris novitate perculsi, et quodam-
» modo cordibus sauciati, misericordiam tuam,
» mundi Redemptor, flebilibus vocibus implo-
» ramus, ut animam cari nostri ad tuam cle-
» mentiam, qui fons pietatis es, revertentem
» blande leniterque suscipias; et, quas illa ex
» carnali commercio contraxit maculas, tu,
» Deus, inolita bonitate clementer deleas, pie
» indulgeas, oblivioni in perpetuum tradas, at-
» que hanc laudem tibi cum cæteris redditurum,
» et ad corpus quandoque reversuram Sancto-
» rum tuorum cœtibus aggregari præcipias. Qui
» cum Patre. »

Tunc roget Sacerdos omnes pro eo orare, et ipse, et omnes dicant *Kyrie, eleison* et *Pater noster. Et ne nos inducas. In memoria æterna erit justus. Anima ejus in bonis demorabitur. Ne intres in judicium cum servo tuo, Domine. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi. Requiem æternam dona eis, Domine. Partem primæ resurrectionis obtineant, vitamque mereantur habere.*

Oratio.

« Tibi, Domine, commendamus animam fa-
» muli tui *N.*, ut defunctus sæculo tibi vivat,
» et si qua pro fragilitate carnis peccata in
» mundi conversatione commisit, tu venia mi-
» sericordissimæ pietatis absterge. Per. »

Oratio.

« Deus, cui soli competit medicinam præ-
» stare post mortem : præsta, quæsumus, ut
» anima famuli tui, terrenis exuta contagiis, in
» tuæ redemptionis parte muneretur. Per. »

(a) Sic fert codex manuscriptus, amanuensium oscitantia : at necessario legendum, ut in aliis, *habeas*. (Edit.

Digitized by Google

Oratio.

« Deus, cui omnia vivunt, et cui non per» eunt moriendo corpora nostra, sed mutantur » in melius; te supplices deprecamur ut su» scipi jubeas animam famuli tui N., per ma» nus sanctorum Angelorum tuorum deducen» dam in sinum amici tui Abrahæ patriarchæ, » resuscitandam in novissimo magni judicii die, » et quicquid vitiorum, fallente diabolo, con» traxit, tu pius et misericors ablue indulgendo. » Per. »

Tunc imponat istam Antiphonam:

Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahæ Angeli deducant te. Psal. *In exitu*, et preces, ut supra. Et roget iterum Sacerdos omnes pro eo orare.

« Suscipe, Domine, animam famuli tui *N.*, » quam de ergastulo hujus sæculi vocare di» gnatus es, et libera eam de principibus tene» brarum, et de locis pœnarum, ut absolutus » omnium vinculo delictorum, quietis ac lucis » æternæ beatitudine perfruatur, et inter San» ctos et electos tuos in resurrectionis gloria » resuscitari mereatur. Per. »

Alia.

« Ne intres in judicium cum servo tuo, Do» mine, quoniam nullus apud te justificabitur » homo, nisi per te omnium peccatorum tri» buatur remissio. Non ergo eum tua, quæsu» mus, judicabilis sententia premat, quem tibi » vera supplicatio fidei Christianæ commen» dat; sed, gratia tua illi succurrente, mereatur » evadere judicium ultionis, qui, dum viveret, » insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis, cui » est honor et gloria in sæcula sæculorum. »

Postea elevetur corpus, et ponatur in feretrum, prosequente Sacerdote istas Orationes cum precibus:

Requiem æternam dona ei, Domine ℣. *Et lux.*

« Suscipe, Domine, animam famuli tui *N.* » ad te revertentem, et veste cælesti indue » eam, et lava eam sancto fonte vitæ æternæ, » ut inter gaudentes gaudeat, et inter sapientes » sapiat, et inter martyres Christi coronam » accipiat, et inter Patriarchas et Prophetas » proficiat, et inter Apostolos Christum sequi » studeat, et inter Angelos et Archangelos cla» ritatem Dei videat, et inter viginti quatuor » seniores cantica canticorum audiat, et inter » lavantes stolas suas in fonte luminis vestem » suam lavet, et inter pulsantes pulsans portas » apertas cælestis Jerusalem reperiat, et inter » videntes Deum facie ad faciem videat, et in» ter canentes canticum novum cantet, et » inter audientes cælestem sonum audiat. » Per. »

Alia.

« Suscipe, Domine, animam servi tui in bo» num habitaculum, et da ei requiem æternam, » et regnum, id est Jerusalem cælestem, et in » sinibus Patriarcharum tuorum Abrahæ, Isaac » et Jacob collocare digneris, et partem habeat » in prima resurrectione, et inter resurgentes » resurgat, et inter suscipientes corpora in die » resurrectionis corpus suum suscipiat, et cum » benedictis ad dexteram Dei venientibus ve» niat, et inter possidentes vitam æternam pos» sideat Per. »

Alia.

« Te, Domine sancte, Pater omnipotens, » æterne Deus, supplices deprecamur pro spi» ritu famuli tui *N.*, quem ab originibus hujus » sæculi ad te accersiri præcepisti, ut digneris, » Domine, dare ei locum lucidum, locum re» frigerii et quietis; liceat ei transire portas » infernorum et pœnas tenebrarum, maneat» que in mansionibus Sanctorum, et in luce » sancta quam olim Abrahæ promisisti et semini » ejus. Nullam læsionem sustineat spiritus ejus: » sed, cum magnus ille judicii dies, resurre» ctionis ac remunerationis advenerit, suscitare » eum digneris, Domine, una cum Sanctis et » electis tuis, deleasque ejus delicta atque pec» cata usque in novissimum quadrantem, te» cumque immortalitatis vitam consequi me» reatur. Per. »

Et antequam egrediatur domum, facto signo, collectisque fratribus, dicat Sacerdos hanc Orationem:

« Deus, vitæ dator, et humanorum corporum » reparator, qui te a peccatoribus exorari vo» luisti: exaudi preces quas speciali devotione » pro anima famuli tibi lacrymabiliter fundi» mus, ut liberare eam ab infernorum crucia» tibus, et collocare inter agmina Sanctorum

Digitized by Google

» tuorum digneris, veste quoque cælesti et » stola immortalitatis indui, et paradisi amœni- » tate confoveri jubeas. Per. »

Tunc ferent corpus in ecclesiam, unanimi voce cantantes Antiphonam :

In paradisum deducant te Angeli, in tuo adventu suscipiant te Martyres, et perducant te in civitatem sanctam Jerusalem. Psalm. *Ad te, Domine, levavi.*

Tu jussisti nasci me, Domine, tu promisisti ut resurgam; jussu tuo veniant Sancti; ne derelinquas me, quia pius es. Psalm. *Te decet.*

Et cum appropinquatum fuerit ad ecclesiam, cantetur Psalmus *Miserere mei, Deus, secundum*, cum Antiphona *Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.*

In ecclesia autem requiescat corpus defuncti quousque agantur Vigiliæ, sed ante celebrationem Vigiliarum stet Sacerdos juxta feretrum, et dicat hanc Orationem :

« Fac, quæsumus, Domine, hanc cum servo » tuo defuncto misericordiam, ut factorum » suorum in pœnis non recipiat vicem, qui » tuam in votis tenuit voluntatem; ut sicut hic » eum vera fides junxit fidelium turmis, ita » illic eum tua miseratio societ Angelicis cho- » ris. Per. »

Alia.

« Omnipotentis Dei misericordiam deprece- » mur, cujus judicio et nascimur et finimur, » ut spiritum fratris nostri, quem Domini pie- » tas de incolatu mundi hujus transire præcepit, » requies æterna suscipiat, et cum beata resur- » rectione repræsentet, et in sinibus Abrahæ, » Isaac et Jacob collocare dignetur. Per. »

Alia.

« Deus, qui humanarum animarum æternus » amator es, animam famuli tui, quam vera, » dum in corpore maneret, tenuit fides, ab » omni cruciatu inferorum redde extorrem; ut » segregata ab infernalibus claustris, Sanctorum » mereatur adunari consortiis. Per. »

ANTIPHONÆ ET LECTIONES AC RESPONSORIA AD VIGILIAS DEFUNCTI.

Antiph. *Dirige, Domine, etc.* Psalm. *Verba mea.* Antiph. *Convertere, etc.* Psalm. *Domine, ne in furore.* Antiph. *Ne quando, etc.* Psal. *Domine, Deus meus.* ℣. *Dirige, Domine, Deus meus.* ℟. *In cons. Pater noster.*

Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei, etc., usque *non subsistam. Beati mortui.* ℟. *Credo quod Redemptor, etc.* ℣. *Quem visurus, etc.*

Tædet animam vitæ meæ, etc., usque *de manu tua possit eruere. Beati.* ℟. *Qui Lazarum, etc.* ℣. *Qui venturus es.*

Manus tuæ fecerunt me, etc., usque *custodivit spiritum meum. Beati.* ℟. *Domine, quando veneris, etc.* ℣. *Commissa mea.*

Antiph. *In loco pascuæ, etc.* Psalm. *Dominus regit me.* Antiph. *Delicta juventutis, etc.* Psalm. *Ad te, Domine, levavi.* Antiph. *Credo videre, etc.* Psalm. *Dominus illuminatio.* ℟. *Delicta juventutis.*

Responde mihi quantas habeo iniquitates, etc., usque *comeditur a tinea. Beati.* ℟. *Heu mihi, Domine, etc.* ℣. *Anima mea turbata, etc.*

Quis mihi hoc tribuat, etc., usque *sed parcis* (sic) *peccatis meis. Beati.* ℟. *Ne recorderis, etc.* ℣. *Dirige.*

Spiritus meus attenuabitur, etc., usque *ubi est ergo nunc præstolatio mea, et patientia mea? Tu es, Domine Deus meus. Peccantem, etc.* ℣. *Deus in nomine, etc.*

Antiphona. *Ne derelinquas me, Domine. Deus meus, ne discesseris a me.* Psalm. *Domine, ne in furore.* Antiph. *Sana, Domine.* Psal. *Beatus qui intelligit.* Antiph. *Sitivit anima mea, etc.* Psalm. *Quemadmodum.* ℣. *Ego dixi, Domine, miserere mei.* ℟. *Sana animam meam.*

« Ergo, dilectissimi, cum sacrificium altaris sive quarumcumque eleemosynarum pro defunctis omnibus baptizatis offertur, quamvis pro valde malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum qualescumque vivorum consolationes sunt, quibus aut prosunt : quod utique credimus, quia omnibus aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat damnatio. Post resurrectionem vero, facto universo completoque judicio, suos fines habebunt civitates duæ ; una Christi, altera diaboli; una bonorum, altera malorum ; utraque tamen et angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi, vel ulla conditio moriendi : istis in æterna vita vere fideliterque viventibus, illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus, quo

Digitized by Google

utrique sine fine, sed in beatitudine isti alius alio præstabilius, in miseria vero alius alio tolerabilius permanebunt. » *Beati.*

℟. *Requiem æternam dona eis, Domine,* * *Et lux perpetua luceat eis.* ℣. *Qui Lazarum resuscitasti de monumento fœtidum, tu eis, Domine, dona requiem.* * *Et.*

« Consolemur ergo in his sermonibus nostris invicem. Non potest enim non dolere cor humanum defunctis carissimis, sed melius dolet, et sub spe resurrectionis sanetur cor humanum, ne non dolendo sit inhumanum. Maria Domino cohærebat, et mortuum fratrem dolebat. Sed quid mirum, quia Maria dolebat tunc, cum ipse Dominus flebat. Movere quemvis potest, quomodo fleret mortuum se continuo jubente victurum. Non mortuum flebat, quem ipse suscitavit, sed mortem, quam sibi homo peccando comparavit. Si enim peccatum non præcessisset, sine dubio mors secuta non fuisset. Secuta est mors corporis, quia præcessit mors animæ. Mors animæ præcessit deserendo Deum, et mors corporis secuta est, corpus deserente anima. Deseruit volens, et coacta est deserere nolens, tanquam illi diceretur : « Recessisti ab eo quem » diligere debuisti, recede ab eo quem dilexisti. » Sed quia voluntarie initiati sumus mortem, et carnali morte Domini nostri Jesu Christi redemti sumus quasi ingrati, consolemur nos, et firma spe teneamus quod qui dignatus est nobis commori, dignabitur et nos secum post mortem carnis ad æternæ vitæ gloriam suscitare. » *Beati.*

℟. *Quomodo confitebor tibi, Domine, Deus meus, quando veneris in judicio tuo : qui cor meum mundum non custodivi, animam meam in carne positam pollui, templum corporis mei de opere iniquitatis coinquinavi? Precor te, Domine, antequam discutias me, miserere mei.* ℣. *Tibi soli peccavi, Domine, miserere mei.*

« Egregius namque consolator et prædicator, Apostolus, inquit : *Nolo vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et gentes, quæ spem non habent.* Non tantum ait : Ne contristemini, sed, ut non sic contristemini, quemadmodum gentes quæ spem non habent. Necesse est ut contristemini ; sed ubi ? Ubi corpus quod vivit ex anima fit exanime, quo discedente anima, qui ambulabat jacet, oculi lucem non capiunt, aures nulla voce pavescunt, omnia membrorum officia conquieverunt. Sed ista causa tristitiæ, hujus vero tristitiæ quæ consolatio ? Quia ipse Dominus in jussu et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de cælo, et mortui qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. Pereat contristatio ubi tanta est consolatio : detergatur luctus ex animo, fides expellat dolorem : in tanta spe non debet esse triste templum Dei. Ibi habitat bonus consolator, ibi qui non fallit promissor. Sufficiant hæc caritati vestræ : consoletur vos abundantius, qui non migrat de corde vestro paraclitus Spiritus sanctus, cui cum Patre et Filio semper est honor et gloria in sæcula sæculorum. » *Beati.*

℟. *Libera me, Domine, de morte æterna in die illa tremenda,* *Quando cæli movendi sunt et terra, dum veneris judicare sæculum per ignem.* ℣. *Tremefactus sum ego, et timeo, cum discussio venerit, atque ventura ira.* * *Quando.*

Ad Matutinos.

Antiph. *Exultabunt, etc.* Psalm. *Miserere mei.* Antiph. *Exaudi, Domine, etc.* Psalm. *Te decet.* Antiph. *Me suscepit, etc.* Psalm. *Deus, Deus meus. Deus misereatur.* Antiph. *A porta inferi, etc.* Psalm. *Ego dixi.* Antiph. *Omnis spiritus.* Psalm. *Laudate Dominum de cælis.* ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua.* Antiph. *Ego sum, etc.* Psalm. *Benedictus Dominus Deus.*

Ad Vesperas.

Antiph. *Placebo, etc.* Psalm. *Dilexi.* Antiph. *Hei me, quia.* Psalm. *Ad Dominum.* Antiph. *Deus custodiat te.* Psalm. *Levavi oculos.* Antiph. *Si iniquitates,* Psalm. *De profundis.* Antiph. *Opera manuum, etc.* Psalm. *Confitebor.* Antiph. *Omne quod dat.* Psalm. *Magnificat.*

Quibus peractis, deputandi sunt qui ipsum corpus custodiant quousque pro ipsa anima Missæ celebrentur cum oblationibus, corpore interim in ecclesia jacente. Finita autem Missa, antequam ipsum corpus elevetur, incipiat Cantor Responsorium :

Subvenite, Sancti Dei, occurrite, Angeli Domini, suscipientes animam ejus, * *Afferentes eam in conspectu Altissimi.* ℣. *Suscipiat eam Chri-*

Digitized by Google

stus qui vocavit eam, et in sinum Abrahæ Angeli deducant eam. * *Afferentes.*

Hic dicant omnes simul *Kyrie eleison* et Orationem Dominicam. *Pater noster. Et ne nos inducas in tentationem.*

Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Oratio.

« Misericordiam tuam, Domine sancte, Pater » omnipotens, æterne Deus, pietatis affectu » rogare pro aliis cogimur, qui pro nostris sup- » plicare peccatis nequaquam sufficimus; tamen » de tua confisi gratuita pietate clementiam tuam » deposcimus ut animam servi tui ad te rever- » tentem cum pietate suscipias. Assit ei Angelus » Gabriel, ut per manus sanctorum Angelorum » tuorum inter Sanctos et electos tuos in sinibus » Abrahæ, Isaac et Jacob, patriarcharum tuo- » rum, eam collocare digneris, quatenus libe- » rata de principibus tenebrarum et de locis » pœnarum, nullis jam primæ nativitatis, vel » ignorantiæ, aut propriæ iniquitatis, seu fragi- » litatis confundatur erroribus; sed potius » agnoscatur a tuis, et sanctæ beatitudinis re- » quie perfruatur, atque, cum magni judicii » dies advenerit, inter Sanctos et electos tuos » resuscitatus, gloria manifestæ contempla- » tionis tuæ perpetuo societur. Per. » Deinde sequatur ℟. *Libera me, Domine, de viis inferni, qui portas æreas confregisti, et visitasti infernum, et dedisti eis lumen, ut viderent te qui erant in pœnis tenebrarum.* ℣. *Clamantes et dicentes : Advenisti, Redemtor noster. Qui.* »

Deinde roget Sacerdos pro eo omnes simul orare, ac postea dicat:

« Non intres in judicium cum servo tuo, » Domine, quoniam nullus apud te justificabi- » tur homo, nisi per te omnium peccatorum » tribuatur remissio. Non ergo eum tua, quæ- » sumus, judicialis sententia premat, quem tibi » vera supplicatio fidei christianæ commendat; » sed gratia tua illi succurrente, mereatur eva- » dere judicium ultionis, qui, dum viveret, insi- » gnitus est signaculo sanctæ Trinitatis. Per. »

Sequitur Responsorium: *Antequam nascerer, novisti me, et ad imaginem tuam, Domine, plasmasti me :* *Modo reddo tibi creatori animam meam.* ℣. *Commissa mea, Domine, pavesco, et ante te erubesco, dum veneris judicare sæculum per ignem.* * *Modo.*

Iterum roget sacerdos omnes pro eo orare.

« Deus, qui universorum es conditor et crea- » tor, quique es Sanctorum beatitudo : præsta » nobis petentibus ut spiritum fratris nostri a » corporeis nexibus absolutum, in Sanctorum » tuorum resurrectione facias præsentari. Per. »

Tunc levatur corpus de ecclesia cantando istam Antiphonam :

In paradisum deducant te Angeli, in tuo adventu suscipiant te Martyres, et perducant te in civitatem sanctam Jerusalem.

Psalm. *Ad te, Domine, levavi.*

Sequitur oratio :

« Inclina, Domine, aurem tuam ad preces » nostras, quibus misericordiam tuam suppli- » citer deprecamur, ut animam famuli tui, » quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis » ac lucis regione constituas, et Sanctorum ju- » beas esse consortem. Per. »

Deinde Antiphona : *Tu jussisti nasci me, Domine.* Psalm. *Te decet hymnus, Deus.*

Oratio ante sepulcrum priusquam corpus sepeliatur.

« Piæ recordationis affectu, fratres carissimi, » commemorationem facimus fratris nostri, » quem Dominus de tentationibus hujus sæculi » assumpsit : obsecrantes misericordiam Domini » nostri, ut ipse ei tribuere dignetur placidam » et quietam mansionem, et remittat ei omnes » lubricæ temeritatis offensas, ut concessa venia » plenæ indulgentiæ, quidquid in hoc sæculo » proprio reatu deliquit, totum ineffabili pie- » tate ac benignitate tua (*a*) deleat et abstergat. » Per. »

Alia.

« Obsecramus misericordiam tuam, omnipo- » tens æterne Deus, qui hominem ad imaginem » tuam creare dignatus es, ut spiritum et » animam famuli tui, quem hodierna die rebus » humanis eximi, et ad te accersiri, blande et » misericorditer suscipias. Non ei dominentur » umbræ mortis, nec tegat eum chaos et caligo » tenebrarum, sed, exutus omnium criminum » labe, in sinu Abrahæ collocatus patriarchæ,

(*a*) Legendum *sua*. (Edit.)

Digitized by Google

» locum lucis et refrigerii se adeptum esse gau-
» deat, et,cum dies judicii advenerit, cum San-
» ctis et electis eum resuscitari jubeas. Per. »

Tunc incipiat Cantor Antiphonam : *Aperite illi portas justitiæ; ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.*

Psalm. *Confitemini.*

Oratio.

« Deus, apud quem mortuorum spiritus
» vivunt, et in quo electorum animæ, deposito
» carnis onere, plena felicitate lætantur, præsta
» supplicationibus nostris ut anima famuli tui,
» quæ temporali per corpus luminis ejus viruit
» visu, æternæ illius lucis solatio potiatur. Non
» eam tormentum mortis attingat, non dolor
» horrendæ visionis afficiat, non pœnalis timor
» excruciet, non reorum proxima catena con-
» stringat, sed concessa sibi delictorum omnium
» venia, optata quietis consequatur gaudia re-
» promissa. Per. »

« Tu nobis, Domine, auxilium præstare
» digneris, tu opem misericordiæ tuæ largiaris,
» spiritum etiam famuli tui cari nostri vinculis
» corporalibus liberatum in pace Sanctorum tuo-
» rum suscipias, ut locum pœnalem et gehennæ
» ignem, flammasque tartari in regione viven-
» tium evadat. Per. »

Hic deponatur corpus in sepulcrum, et cantetur hæc Antiphona :

Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

Psalm. *Quemadmodum.*

Oratio.

« Oremus, fratres carissimi, pro spiritu fratris
» nostri, quem Dominus de laqueo hujus sæculi
» liberare dignatus est, cujus corpusculum ho-
» die sepulturæ traditur, ut eum pietas Domini
» in sinu Abrahæ, Isaac et Jacob collocare
» dignetur; ut, cum dies judicii advenerit, inter
» Sanctos et electos suos in parte dextera collo-
» candum resuscitari faciat. Per. »

Antequam claudatur sepulcrum.

De terra plasmasti me, et carnem induisti me, Redemtor meus, Domine, resuscita me in novissimo die.

Psalm. *Domine, probasti me.*

Oratio.

« Deus, qui justis supplicationibus semper
» præsto es, qui pia vota dignaris intueri : da
» famulo tuo, cujus depositionis hodie officia
» humanitatis exhibemus, cum sanctis fidelibus
» tuis beati muneris portionem. Per. »

Alia Oratio.

« Deus, pietatis et bonitatis invictæ et sempi-
» ternæ clementiæ, te suppliciter postulamus ut
» animam famuli tui *N.*, quam de hujus sæculi
» ærumnosa peregrinatione præcepisti vocari,
» universorum delictorum remissione percepta,
» in Abrahæ gremio jubeas collocari. Obsecra-
» mus, piissime Pater, ut quem superni fontis
» genitalis unda abluit, edax non audeat con-
» tingere flamma, et quem Unigeniti tui cruor
» redemit effusus, non sinatur vermibus noceri
» perpetuis; sed Angelici agminis deductione
» protectus, paradisi tui potiatur suavitate secu-
» rus, et inter victricium triumphales catervas
» coronatus incedat, a dextris Filii tui retribu-
» tionem recepturus assistat, et Sanctorum
» tuorum consortio deputatus regnum cæleste
» possideat. Per. »

Hic claudant sepulcrum, et cantent Antiphonam :

Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.

Psalm. *Memento, Domine, David,*

Oratio.

« Debitum humani corporis sepeliendi offi-
» cium fidelium more complentes, Deum cui
» omnia vivunt, fideliter deprecemur ut hoc
» corpus cari nostri a nobis in infirmitate se-
» pultum, in ordine Sanctorum suorum resu-
» scitet, et ejus spiritum Sanctis ac fidelibus
» aggregari jubeat, cum quibus inenarrabili
» gloria et perenni felicitate perfrui mereatur.
» Per. »

« Temeritatis quidem est, Domine, ut homo
» hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem
» tibi Domino Deo nostro audeat commendare;
» sed, quia terra suscipit terram, et pulvis con-
» vertitur in pulverem, donec omnis caro in
» suam redigatur originem, inde tuam, piissime
» Pater, lacrymabiliter quæsumus pietatem, ut
» hujus famuli tui animam, quam hujus mundi
» voragine cœnolenta ducis ad patriam, Abrahæ
» amici tui sinu recipias, et refrigerii rore per-
» fundas. Sit ab æstuantis gehennæ truci incen-

Digitized by Google

» dio segregatus, et beatæ requiei, te donante, » conjunctus. Et, si quæ illi sunt, Domine, » dignæ cruciatibus culpæ : tu eas gratia mi- » tissimæ lenitatis indulge, nec peccati recipiat » vicem, sed indulgentiæ tuæ piam sentiat » bonitatem; cumque, finito mundi termino, » supernum cunctis illuxerit regnum, novus » homo omnium Sanctorum cœtibus aggregatus » cum electis resurgat in parte dextra coro- » nandus. Per. »

Exequiis rite celebratis, membris in tumulo ex more compositis, post *Exitum Israel de Ægypto.*

« Deprecamur clementiam Dei Patris pro » spiritu cari nostri *N.*, quem de laqueo hu- » jus mundi liberavit. Cui posse ubique est » et potestas, innumerabilis habens divitias » spirituales, spiritui hujus subveniat sublimis » Dominus, ut ardore careat æterni ignis, ade- » pturus perpetui regni refugium coram suo rege, » gratificetur in gaudio genitali, sublimi solio » patrum præ electorum in medio justorum, in » splendoribus Sanctorum, in sede majestatis » magnæ, in lumine regionis vivorum. Per. »

Alia.

« Deus, qui redemtor es animarum, æterni- » tatem vitæ concede defuncto, neque evacuari » passionis triumphum mundi morte patiaris. » Per. »

Alia.

« Deus, qui omnium habes potestatem, et » nosti omnia antequam fiant, da restaurationem » huic sepulto, et resurgentibus in te largire » quietem, et tibi Domino Deo nostro qui sunt » renati, præsta ut secunda mors in eis non » habeat potestatem, Salvator. »

Alia.

« Migranti famulo tuo, Deus, in nomine tuo » de hac instabili vita et tam incerta, sempiter- » nam illi vitam ac cœlestem concedere digneris. » Per. »

« Commendamus tibi, Domine, animam fra- » tris nostri, precamurque ut, propter quam ad » terram tua pietate descenderas, Patriarcha- » rum tuorum sinibus eam insinuare non renuas, » sed misereris ei, vivens et regnas (*a*) in sæ- » cula sæculorum. »

Sequitur Antiphona :

Læto animo pergo ad te; suscipe me, Domine, quia de terra plasmasti me, spiritus de cœlo introivit in me jussu tuo; veni ut commendes terræ corpus meum : animam quam dedisti suscipe illam, Deus.

Oratio.

« Deus, vita viventium, spes morientium, » salus omnium in te sperantium : præsta pro- » pitius ut anima famuli tui, a nostræ mortali- » tatis tenebris absoluta, in perpetua cum Sanctis » tuis luce lætetur. Per. »

Alia.

« Annue nobis, Domine, ut anima famuli tui » *N.* remissionem, quam semper optavit, me- » reatur accipere peccatorum. Per. »

Deinde Sacerdos faciat crucem super sepulcrum dicendo :

« Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus » sancti, descendat super hoc corpus. ℟. Amen. »

Similiter et reliqui Presbyteri singuli facientes crucem super sepulcrum dicant : *Signum Christi sit super te.* Omnibus autem respondentibus *Amen*, regrediantur ad ecclesiam cum hoc ℟. *Si bona suscepimus.*

Deinde sequatur Oratio :

« Deus, origo pietatis, Pater misericordiarum, » solamen tristium, indultor criminum, de cu- » jus munere omne quod bonum dicitur pro- » cedit : respice propitius supplicum preces, et, » quamvis nos propria deputet indignos con- » scientia, te dignum nostris flecti petitionibus » pulsamus, quantulumcumque conceditur, » aures tuæ pietatis. Nam, si omittimus, in » utroque veremur esse rei, quoniam et te » præcipis a peccatoribus exorari, nostroque, » ac si non merito hoc agendum, te præstante, » tribuitur ministerio. Ergo, Domine sancte, » Pater omnipotens, æterne Deus, qui unicum » Filium tuum Dominum nostrum Jesum Chri- » stum incarnari de Virgine constituisti, quo » vetustum solveret proprio cruore peccatum, » quique, gratia cooperante Spiritus sancti, » dignatus est mortis legem pati, ut vitam red- » deret mundo, ipso opitulante, animam fratris

(*a*) Indubitanter legendum *regnans*. (Edit.)

Digitized by Google

» nostri ab ergastulo cænulentæ materiæ exem-
» ptam ab omnibus piaculis absolvas, non patia-
» tur insidias occursantium dæmonum, propter
» quam misisti ad terras unicum Filium tuum.
» Libera et absolve eam a tetra voragine inferni,
» quam redemisti pretio sanguinis Unigeniti tui.
» Libera et absolve eam ab æstuantis incendio
» gehennæ, collocans in paradisi amœnitate.
» Non sentiat, piissime Pater, quod calet in
» flammis, quod stridet in pœnis, sed miseri-
» cordia tuæ magnificentiæ præventa, mereatur
» evadere judicium ultionis, et beatæ requiei ac
» lucis æternæ felicitatibus perfrui : præstante
» eodem Unigenito tuo Domino nostro, qui
» venturus est judicare vivos et mortuos, et sæ-
» culum per ignem. Amen. »

Ac deinde :

« Anima ejus, et omnium fidelium defuncto-
» rum requiescant in pace. Amen. »

ORDO III.

Ex tomo II *Musæi Italici* apud Joannem Mabillon, continens ritus sepeliendi Clericos Romanæ fraternitatis.

In primis annuntiatio nocte fit a nuntiis per omnes ecclesias Romanæ urbis ex mandato rectorum. Mane autem facto, post pulsatas campanas, Clerici congregantur ex omnibus ecclesiis, secundum dispositionem prælatorum, in ecclesia ubi defunctus Clericus est sepeliendus, et quisquis Sacerdos cum suis Clericis cantet Vigiliam IX Lectionum. Interim Episcopus vel Cardinalis, seu quilibet alius magnus de Archipresbyteris, nisi dies Dominicus instet, jussu rectorum Missam celebrat pro defuncto. Finita vero Missa, Clerici omnes congregantur circa feretrum in modum rotæ, et de mandato rectorum cantant Clerici illius ecclesiæ cui a rectoribus injungitur, ℟. *Subvenite.* ℣. *Suscipiat.* Finito ℟., unus ex rectoribus dicat : *Orate, omnes*, et omnes sub silentio cantent *Pater noster.* Tunc prædictus rector præcipit alicui de majoribus ut absolvat : ille vero dicit : *Et ne nos.* ℣. *In memoria æterna.* ℟. *Ab auditu.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue.* ℣. *Domine, exaudi orationem.* ℟. *Et clamor.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu.*

Oratio.

« Absolve, quæsumus, Domine, animam fa-
» muli tui ab omni vinculo delictorum, ut in re-
» surrectionis gratia (*a*) inter Sanctos et electos
» tuos eum resuscitari præcipias. »

Finita vero Oratione, prædictus rector præcipit alicui ecclesiæ ut cantet Antiphonam *Requiem æternam.* Psalm. *Te decet.* Postea præcipit alicui ecclesiæ ut cantet Antiphonam *Sitivit.* ℟. *Sicut cervus.* Antiphona finita, cantent *Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison. Pater noster.* Istis cantantibus, interim quatuor Episcopi, vel Presbyteri Cardinales, vel Archipresbyteri, induti sacris vestibus cum pluvialibus et cum quatuor thuribulis, ascendunt ad altare, et incensant illud, similiter et cruces. Deinde revertuntur ad corpus, et incensant illud. Postea unus qui major est ex istis quatuor alta voce absolvat, et dicat : *Et ne nos.* ℟. *Sed libera.* Capitula ut supra. Capitula non dicit nisi primus. Orationes dicuntur in tono Orationum Missæ. Oratio. *Non intres in judicium, etc.* Finita Oratione, reincipiat eamdem ille qui est ei contradictorie positus, dicens : ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Oratio. *Non intres in judicium.* Post, ille qui oppositus est illi subalterne eodem modo repetat prædictam Orationem. Postea quartus. Finita vero Oratione, ad mandatum prædicti rectoris incipiat cantare collegium alicujus ecclesiæ: ℟. *Adesto dolori.* ℣. *Versa est in luctum.* Dum cantatur Responsorium, illi quatuor ascendunt ad altare, ut supra dictum est, et faciunt ut supra dictum est. Tamen ille qui primus est in dicendo Orationem sequentem, primus debet incensare; cum vero reversi ad feretrum fuerint, ille qui fuerit ultimus in prædicta Oratione incipiat *Dominus vobiscum*, sine capitulis. Oratio. *Deus, cui omnia vivunt.* Et faciant de ista Oratione sicut de prima. Finita Oratione, de mandato prædicti rectoris collegium alterius ecclesiæ incipiat ℟. *Ne recorderis.* ℣. *Ne intres.* Repet. *Requiem.* Et dum Responsorium cantatur, illi quatuor cum incenso ascendant ad altare, et faciant sicut primus : et ille qui fuit secundus in prima Oratione, debet primo incensare, et incipere *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum.* Oratio. *Fac, quæsumus, Domine, etc.*

(*a*) Lege *gloria*, ut in editis. (Edit.)

Digitized by Google

Et quater ista dicant, sicut prima et secunda.

Postea, de mandato prædicti rectoris, pater spiritualis veniat in medium, et reddat testimonium pro defuncto, si fuerit unctus, si confessus, et de vita sua. Audito testimonio sæpedictus rector quærit a toto Clero, dicens: *Placet vobis ut absolvatur frater iste defunctus?* Resp. *Placet.* Tunc rector rogat de voluntate omnium eum qui major est inter eos, vel qui fuit primus in Oratione, ut ipse absolvat. Ille vero cui injungitur, dicit : *Orate, omnes. Pater noster.* ℣. *Et ne nos.* ℟. *Sed libera.* ℣. *In memoria,* ut supra. Oratio. *Absolve.* Finita Oratione, jam dictus rector præcipit Subdiacono et Diacono ut accipiant feretrum. Illi accipientes deportant eum ad tumulum, cantantes Antiphonam : *In paradisum,* et aliam : *Chorus Angelorum;* et dicatur Oratio : *Deus, qui fundasti terram, etc.*

Hic actis, in persona defuncti dicatur Antiphona : *Aperite mihi portas;* et mox aperiatur sepultura. Psal. *Confitemini Domino.* Item in persona ejusdem dicatur Antiphona : *Ingrediar in locum,* et sepelitur. Psalm. *Sicut cervus.* Eo sepulto, item in persona ejusdem dicatur Antiphona : *Hæc requies mea in sæculum sæculi.* Psalm. *Memento, Domine, David.* Antiphona. *De terra plasmasti me, Domine, et carne induisti me, Redemtor meus, resuscita me in novissimo die.* Psal. *Domine, probasti me.* Antiph. *Non intres in judicium.* Psalm. *Domine, exaudi ij.* Antiph. *Omnis spiritus laudet Dominum.* Psalm. *Laudate Dominum de cœlis.* Antiph. *Ego sum.* Psalm. *Benedictus.* Oratio. *Oremus, fratres carissimi, pro spiritu fratris nostri, etc.* Oratio. *Deus, cui omnia vivunt, etc.* Oratio. *Temeritatis quidem est, Domine, etc.* Oratio. *Opus est misericordiæ, Domine sancte, etc.* Alia Oratio. *Debitum humani corporis, etc.* Oratio. *Omnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori, etc.*

Item ad absolvendum, postquam sepultus fuerit, cum aqua sancta aspergitur antequam populus recedat, et dicat Sacerdos: *Pater noster.* ℣. *Et ne nos.* ℣. *Non intres in judicium.* ℟. *Quia non.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine.* ℣. *Domine, exaudi.* ℟. *Et clamor.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum.* Oratio. *Tibi, Domine, commendamus, etc.* Pro cimiterio Psalmus : *Miserere mei, Deus. Pater noster.* ℣. *Et ne nos.* ℟. *Sed libera.* ℣. *Requiem æternam.* ℟. *Et lux perpetua.* ℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue, Domine.* ℣. *Domine, exaudi.* ℟. *Et clamor.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum.* Oratio. *Deus, cujus miseratione.* Postremo dicatur Oratio : *Absolve, Domine.* Et subjungatur: *Anima ejus, et omnium fidelium defunctorum requiescant in pace. Amen.* Deinde redeant in ecclesiam, cantando septem Psalmos pœnitentiales cum Oratione : *Absolve.*

NOTA.

Exstant apud laudatum Martene diversi alii ordines, sed placuit hosce describere, quo sacrorum rituum studiosus addiscat quæ olim Ecclesia defunctis obsequia præstiterit. Nostris temporibus sepeliebantur defuncti pigritia Parochorum sine Officio defunctorum, quod tamen recitandum ab ipsis una cum aliis Sacerdotibus præcipit quidem sanctæ memoriæ Benedictus XIII. Sane illud non omittendum, in manuscripto codice monasterii Sancti-Benedicti Floriacensis, quem superius descripsimus, varias exstare Missas pro defunctis celebrari solitas, quarum nonnullæ desumptæ sunt ex laudato *Sacramentorum* libro S. Gregorii Papæ, quasque nos superius descripsimus; ut vel inde intelligas quanta sit ejus ritus antiquitas. Vide Menardum in notis et observationibus ad ipsum librum *Sacramentorum* S. Gregorii, pag. 227 et sequentibus, in quibus duo inter alia describit exsequiarum Officia, unum ex codice manuscripto Remensi, alterum ex codice manuscripto Ratoldi abbatis. Vide Edmundum Martene, lib. III *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. XV, et lib. V *De antiquis Monachorum Ritibus*, cap. X, ubi alios affert ordines ad celebrandas defunctorum exsequias ex manuscriptis antiquis Ritualibus libris. Si quis autem ea in re Græcorum ritus scire desiderat, legere *Euchologium* potest, quod egregiis notis illustravit eruditissimus Jacobus Goar inclyti Ordinis Prædicatorum. Exstant in *Euchologio* hæc inter alia Officia : *Officium exsequiarum. Officium funeris Monachorum. Officium funereum in Sacerdotem vita functum. Officium funereum pro viris sæcularibus.* Exstant tandem et variæ prolixæ Orationes, sicut et ipsa Officia quæ recensuimus, quæque integra in laudato *Euchologio* a curioso lectore videri possunt.

Digitized by Google

TITULUS XXVIII.

DE SCRUTINIO SEROTINO QUO ANTIQUI UTEBANTUR ANTEQUAM ELECTUS IN EPISCOPUM CONSECRARETUR.

I. Quoniam, ut testantur antiqui codices Pontificales ante Clementem VIII editi, ad titulum *De Consecratione electi in Episcopum*, qui est nostri I tomi titulus decimus tertius, ecclesiarum cathedralium sive metropolitanarum ac patriarchalium provisiones, seu electionum ad illas confirmationes ad Sedem Apostolicam hodie pleno jure pertinent, et ab eadem ecclesiis pastore viduatis vel de novo providetur, vel electiones ab illis, quibus ex privilegio licet, canonice celebratæ confirmantur : ideo scrutinium quod *serotinum* appellatur, et pridianam illam examinationem, quæ in antiquis Pontificalibus habetur, in ipso *De Consecratione electi in Episcopum* titulo, Romani Pontificalis editores prætermittendam esse censuerunt. Inconveniens quippe, et omnino absurdum sibi visum asserunt, ut quæ a Summo Pontifice et a sacro Senatu statuta, approbata atque examinata sunt, a minoribus tribunalibus iterum examinarentur.

II. Exstat hoc monitum in antiquo Romano Pontificali a viro clarissimo Alberto Castellano Ordinis Prædicatorum edito, summoque Pontifici Leoni X dedicato, et quidem ad istius tituli initium, *De Consecratione electi in Episcopum*. In eo autem nonnihil peccasse auctor videtur, quod ritum ipsum serotini scrutinii omnino omiserit, quem tamen jure ac merito ad venerandæ antiquitatis notitiam exhibendam, sequioris ævi Romani Pontificalis editores ad tertiam hanc operis partem retulerunt, titulo inscripto *De scrutinio serotino, quo antiqui utebantur, antequam electus in Episcopum consecraretur*. Quem quidem legere est non modo in hoc nostro hodierno Romano Pontificali a summis Pontificibus Clemente VIII et Urbano VIII approbato, sed in aliis ante ipsos Pontifices prælo commissis, præsertim vero in Pontificali Romano Venetiis apud Juntas impresso, anno Christi 1572, ac Pio Quinto Pontifici Maximo nuncupato.

III. Porro hujus Pontificalis editor refert ad tertiam partem titulum *De scrutinio serotino, etc.*, ad ejusque initium hæc statim habet : « Et, quo- » niam in nostra ordinatione Episcopali diximus » scrutinium serotinum, quo antiquitus Ecclesiæ » utebantur, non esse amplius in usu, atque ideo » ne consecratoribus impedimento esset, illud » tanquam superfluum prætermisimus : tamen, » quia pleraque ibi sunt cognitu digna, et quæ » sanctam vetustatem redolent, noluimus omit- » tere, ut nostra culpa omnino periisse vide- » rentur. Proinde scrutinium ipsum, et instru- » ctionem, quam edictum vocabant, et quam » Metropolitanus consecrato in scriptis dabat, » huic nostro operi post consecrationem inter- » serenda putavimus, non tam ad necessitatem » quam ad voluptatem atque etiam utilitatem » lectoris. » Quid sit scrutinium serotinum, et quo ritu olim celebraretur, ex his quæ mox in nostris ad hunc titulum Commentariis dicemus, curiosus lector facile intelliget.

§ I.

Scrutinii serotini ordo hic erat. Sabbato ante Dominicam ad consecrandum electum statutam, hora vespertina Metropolitanus residebat super faldistorium in atrio ecclesiæ, vel in alio solito, vel quo maluerat, loco paratum. Et suffraganei Episcopi duo ad minus ad hoc specialiter convocati, a dextris et a sinistris ejus, super faldistoria similiter residebant, parati supra rochettum, vel, si essent Regu-

Digitized by Google

lares, supra superpelliceum, amictu, alba, cingulo, stola, pluviali, coloris tempori convenientis, mitra, baculum Pastoralem in sinistra, et libros Pontificales ante se tenentes. Tunc Archipresbyter, vel Archidiaconus Ecclesiæ ad quam in crastino consecrandus erat electus, vel alius juxta morem Ecclesiæ, paratus amictu, alba, cingulo et pluviali vel casula, si moris erat, deductus medius inter duos Canonicos ejusdem Ecclesiæ veniebat coram Metropolitano, et flexis a remoto genibus, a Metropolitano benedictionem petebat, dicens in tono Lectionis : *Jube, Domne, benedicere*. Respondebat Metropolitanus sedens, eodem tono voce minori : *Nos regat et salvet cœlestis Conditor aulæ*. Deinde idem Archipresbyter, vel Archidiaconus, surgens appropinquabat se paululum, et iterum genuflectens benedictionem simili modo petebat, dicens : *Jube, Domne, benedicere*. Et Metropolitanus respondebat : *Nos Dominus semper custodiat atque gubernet*. Tertio propinquius Metropolitano genuflexus coram illo tertiam benedictionem petebat, dicens : *Jube, Domne, benedicere*. Respondebat Metropolitanus : *Gaudia cœlorum det nobis Rector eorum*.

COMMENTARIUS.

I. Quomodo olim electio Episcoporum perageretur, jam tomo I explicuimus ad titulum XIII *De Consecratione electi in Episcopum*. Ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ, ab annis circiter septingentis exarato, illud cautum est ut « sepulto Episcopo conveniant in unum » majores ecclesiæ : primum Clerici, deinde » probabiles laici; et facto scrutinio, invocato » divino nomine, abjecta personarum acceptio- » ne, communi voto, parique consensu, quem » sanctiorem et utiliorem invenerint, eligant, » si fieri potest, ex eadem congregatione; quod » si non, de proxima Ecclesia secundum statuta » Canonum. »

II. Tum ritum exponens quo electus in Episcopum consecrandus præsentare se Metropolitano debeat, hæc statim subjicit : « Electus » autem deducatur ad Archiepiscopum in sede » sua. Notum sit quod in VI feria debeat con- » venire jejunus, et jejunus debeat Archiepi- » scopo præsentari. Veniens electus cum suis » ad urbem, Decanus, Archidiaconus et Clerici » civitatis illius cujus est ordinandus Episcopus, » loquantur cum Cardinali Archidiacono, et » Cancellario, et innotescant illis causam suam. » Mox illi domno denuntient Archiepiscopo. Et » ille sedeat pro tribunali cum Episcopis et majo- » ribus Clericis in loco atrii, qui ad hoc est » constitutus, jubeat ut introducantur, et illorum » petitio audiatur. Statimque Archidiaconus et » Cancellarius introducant eos, et prius doceant » illos quid petere vel respondere debeant. » Venientes autem ante præsentiam domni Ar- » chiepiscopi, cum reverentia inclinent, et dicat » qui major est inter illos : *Valeat Dominus no- » ster Archiepiscopus, et cum eo sanctus resi- » dens Clerus*. Et Archiepiscopus : *In suo ser- » vitio conservet nos Dominus*. »

III. Quæ deinde ab Archiepiscopo fierent interrogationes, dicemus in Commentario § sequentis, juxta ordinem in hodierno Romano Pontificali præscriptum. Quod autem nostrum hunc § spectat, sciendum illud est primum, electo Episcopo a Clero et populo, juxta pervetustum Ecclesiæ morem pluribus sæculis usitatum, vel a Canonicis secundum sequioris ævi disciplinam, electionis decretum afferri consuevisse ad Metropolitanum, sive potius electum ipsum una cum nonnullis Ecclesiæ Canonicis, qui decretum afferebant, venisse, ut ab eodem, post peractam de electione et vita electi examinationem, consecrationis munus acciperet. Id sane constat ex variis scriptoribus, et antiquis manuscriptis libris Pontificalibus, in quibus legitur : *Ordo ad vocandum et examinandum seu consecrandum electum in Episcopum juxta morem Romanæ Ecclesiæ*.

IV. Refert hunc quidem titulum manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria, et alia nonnulla, in quibus statim post

Digitized by Google

titulum hanc Rubricam legimus : « Sabbati die, » circa vesperam, sedente Domino Pontifice in » atrio juxta ecclesiam, veniat Archipresbyter » illius Ecclesiæ cujus electus consecrandus est, » indutus alba et casula sicut deberet Missam » cantare, quem junior Diaconus Cardinalis » deducere debet, et tenere per manum dexte- » ram, et Subdiaconus per manum sinistram, et » aliqui de Clericis ejusdem electi cum super- » pelliceis vel cappis ipsum Archipresbyterum » modeste et decenter prosequantur. Ut autem » venit ante conspectum Pontificis, flectens » genua ipse Archipresbyter ante Pontificem » benedictionem petit, sic dicendo : *Jube*, » *Domne, benedicere.* Respondet Pontifex : *Nos* » *regat, etc.* Archipresbyter surgens procedit » paululum, et iterum benedictionem petens » genua flectit, et dicit : *Jube, Domne, bene-* » *dicere.* Respondet : *Nos Dominus servet, etc.* » Tertia vero vice aliquantulum propius acce- » dens, simili modo benedictionem petit, et » dicit : *Jube, Domne, benedicere.* Respondet : » *Gaudia cœlorum, etc.* »

V. Exstant harum benedictionum formulæ una cum ritu nostri hodierni Romani Pontificalis in manuscripto Pontificali Vaticano codice Gulielmi Durandi, annorum circiter quingentorum; Pontificali Ecclesiæ Lugdunensis annorum circiter quadringentorum, et aliis plurimis, in quibus totidem fere verbis legere est Rubricam in hoc nostro § primo exaratam. In aliis tamen, quale est manuscriptum Romanum Pontificale quod exstat in celebri bibliotheca Colbertina, num. 4160, non modo Rubrica, sed et formulæ benedictionum variant. Sic enim inquit : « Sab- » bati die, circa vesperas, sedente domno Apo- » stolico in atrio juxta ecclesiam, venit Archi- » presbyter indutus casula cum Clericis illius » Ecclesiæ cui electus consecrandus est, et fle- » ctens genua ante Apostolicum, benedictionem » petit, dicens : *Jube, Domne, benedicere.* » ℟. Apostolicus : *Deus misereatur nostri, et* » *benedicat nos Deus.* Archipresbyter autem » surgens procedit paulum, et iterum petens » benedictionem genua flectit, et dicit : *Jube,* » *Domne, etc.* ℟. Apostolicus : *Illuminet Do-* » *minus vultum suum super nos, et misereatur* » *nostri.* Tertia vero vice modo simili benedi- » ctionem petit, dicens : *Jube, etc.* ℟. Aposto- » licus : *Benedicat nos Deus, Deus noster,* » *benedicat nos Deus.* » Porro titulus, quem recitatæ Rubricæ laudatum Pontificale Romanum præfigit, ita inscribitur : *Incipit ordo Romanus ad vocandum, seu examinandum, vel etiam consecrandum electum Episcopum.* Tum statim sequitur : « Quod si fuerit electus de » Curia Romana, non examinabitur, prærogativa Romanæ Ecclesiæ. » Vide in nostro I tomo, in Appendice ad titulum XIII, Ordinem manuscripti Vaticani Gulielmi Durandi Pontificalis, annorum circiter quingentorum, cui, ut alibi notatum est, hodiernum Pontificale Romanum omnino concinit.

§ II.

Benedictione itaque completa, interrogabat eum Metropolitanus coram se genuflexum : *Fili mi, quid postulas?* Respondebat Archidiaconus : *Ut Deus et Dominus noster concedat nobis Pastorem.* Interrogatio. *Est de vestra Ecclesia, vel de alia?* Respondebat : *De nostra.* Interrogatio. *Quid vobis complacuit in illo?* Respondebat : *Modestia, humilitas, patientia, et cæteræ virtutes.* Interrogatio. *Habetis decretum?* Respondebat : *Habemus.* Metropolitanus dicebat : *Legatur.* Tunc proferebatur et legebatur decretum hoc modo : *Reverendissimo in Christo Patri Domino N., Metropoliticæ Sedis dignitate conspicuo, Capitulum N. Ecclesiæ totius devotionis famulatum. Credimus non latere vestram celsitudinem quod nostra Ecclesia suo sit viduata pastore. Qua siquidem solatio proprii destituta rectoris, ne grex Dominicus perfidorum luporum morsibus pateret, et ne improbi fieret præda raptoris, communi voto atque consensu elegimus nobis in Pontificem N., presbyterum nostræ Ecclesiæ* (vel *N. Ecclesiæ*, si non sit de ipsa), *virum utique*

Digitized by Google

prudentem, hospitalem, moribus ornatum, castum, sobrium et mansuetum; Deo et hominibus per omnia placentem, quem ad celsitudinis vestræ dignitatem deducere curavimus, unanimiter postulantes et obsecrantes a vestra reverendissima paternitate nobis illum Pontificem ordinari; quatenus, auctore Domino, nobis velut idoneus pastor præesse valeat et prodesse; nosque sub ejus sacro regimine Domino semper militare condigne possimus. Ut autem omnium nostrum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic canonico decreto propriis manibus roborando nos subscripsimus. Et quilibet scribens dicebat : *Ego N. scripsi et subscripsi.* Et sic de aliis.

COMMENTARIUS.

I. Morem esse antiquum ut electionis decretum ad Metropolitanum, seu Consecratorem Episcopum deferendum scriberetur, docent passim antiqui auctores, atque Acta Conciliorum. Meminit ejus ritus Sozomenus, libro III *Historiæ Ecclesiasticæ*, capite XVI, ubi de S. Ephrem ita inquit : « Decretum, quo electus » fuerat Episcopus, quidam ad eum attulerunt, » ac simul apprehendere conabantur, tanquam » ad Ordinationem ducturi. » In Concilii Chalcedonensis actione XVI, Eusebius Ancyræ episcopus testatur ordinasse se Gangrensem Episcopum, universa civitate ad se *decreta* electionis deferente. Antequam ipsum decretum Metropolitano exhiberetur, pervetustum etiam morem fuisse ut ab ipso Metropolitano nonnullæ interrogationes Archidiacono decretum illud exhibenti fierent, testantur antiqui libri Pontificales.

II. Juxta præscriptum manuscripti codicis Pontificalis Ecclesiæ Bisuntinæ, annorum circiter septingentorum, postquam major Clericorum electi salutavit Archiepiscopum, isque eos sub hac formula benedixit, dicens : *In suo servitio conservet nos Dominus*, statim Archiepiscopus dicit ad illos : « Quid est, Fratres, quod vos fatigatis? » Et illi : « Ut nobis, Domine, concedas Patronum. » Et domnus Archiepiscopus : « Habetis vestrum? » Et illi : « Habemus. » Rursum interrogantur : « Quo ordine fungitur? » Respondent : « Presbyterii. » Et domnus Pontifex : « De ipsa Ecclesia est, an de alia? » Respondent : « De ipsa. » Et si dixerint, « De alia; » tunc Domnus : « Habet dimissoriam ab Episcopo suo? » Respondent : « Habet. » Et mox inferant eam, et tradant Cancellario, et ipse legat in præsentiarum. Et Domnus : « Quid vobis, Fratres, placuit de eo? Respondent : « Castitas, hospitalitas, benignitas, sobrietas, charitas, scientia litterarum, et cætera bona Deo acceptabilia. » Tunc Domnus : « Videte, charissimi, ne aliquam promissionem fecerit vobis. Scitis quia simoniacum et contra Canones est. » Respondent : « Absit a nobis! » Et Pontifex : « Vos videte quia nos inculpabiles, Deo donante, volumus esse. » Et addit : « Habetis decretum vestræ electionis? » Respondent : « Habemus. » Et offerant Cancellario, ut legat. »

III. Qua formula hujusmodi decretum olim concipi consueverit, inferius dicemus; nunc de interrogationibus ad Archidiaconum electi Episcopi fieri solitis sermo est, quæ quidem juxta temporis et Ecclesiarum diversitatem variæ erant. Ordo Romanus a Mabillonio editus, tomo II *Musei Italici*, ubi agit quomodo in Romana Ecclesia Episcopus ordinatur, interrogationum ac responsionum ritus eodem fere modo exponit quo laudatum Bisuntinæ Ecclesiæ Pontificale. Prima in antiquis Pontificalibus interrogatio hæc est : « Quid est, Fratres, quod vos fatiga- » stis? » Tum aliæ sequuntur, plures, vel pauciores juxta Pontificalium varietatem, quæ ab Edmundo Martene recensentur, lib. I *De antiquis Ecclesiæ Ritibus*, cap. VIII, articulo X. His adde Vaticanum manuscriptum Gulielmi Durandi Pontificale, allatum a nobis tomo I hujus operis, in Appendice ad titulum XIII, ordine II, ubi hasce interrogationes legimus : « Benedictione itaque completa, interroget eos Metropolitanus, et Suffraganei etiam eadem tacite dicant : « Filii mei, quid postulatis? » Respondet Archidiaconus : « Ut Deus et Dominus noster concedat nobis pastorem. » In-

Digitized by Google

terrogatio : « Habetis vestrum? » Responsio : « Habemus. » Interrogatio : « Est de ipsa Ecclesia, vel de alia? » Responsio : » De ipsa. » Interrogatio : « Quid vobis complacuit in illo? » Responsio : « Sanctitas, castitas, humilitas, benignitas, et omnia alia quæ Deo placita sunt. » Interrogatio : « Habetis decretum? » Responsio : « Habemus. » Et Metropolitanus dicat : « Legatur. » Tunc feratur et legatur decretum, etc. »

IV. Ergo non temere facienda est Episcopi electio, requiritur enim ut sit castus, humilis, benignus, cæterisque virtutibus ornatus, ac scientia litterarum præditus, juxta præscriptum Pontificalium, imo juxta Christi et Apostolorum, sive Christi in ipsis loquentis oraculum, ut scitissime inter alios ostendunt duo eximii Ecclesiæ Græcæ doctores, S. Gregorius Nazianzenus in Apologetico *De fuga sua*, et S. Joannes Chrysostomus in aureis libris *De Sacerdotio*. Virtutes in Episcopo requisitas describit Apostolus in Epistola I ad Timotheum, cap. III, dicens : *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum : non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum; filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum; ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli.* Idem Apostolus de eodem argumento agens in Epistola ad Titum ita scribit : *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem; non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.*

V. Secundum hæc Pauli monita, inter alia IV Carthaginensis Synodus anni 398, can. I, statuit ut « qui Episcopus ordinandus est, antea exa» minetur si natura sit prudens, si docibilis, si » moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, » si semper suis negotiis cavens, si humilis, si » affabilis, si misericors, si litteratus, si in lege » Domini instructus, si in Scripturarum sen» sibus cautus, si in dogmatibus Ecclesiasticis » exercitatus, et ante omnia si fidei documenta » verbis simplicibus asserat, etc. » Hæc passim sancti Patres docent, hæc Synodi quam frequenter inculcant. Verum dolebat suo tempore Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Basilii, quod indigniores ad Sacerdotia promoverentur; « Nunc autem periculum est ne ordo in toto » Christianismo sanctissimus, in toto Christia» nismo maxime sit ridiculus. Non enim virtute » magis quam malitia et fraude, Sacerdotii di» gnitas paratur : nec meliores ac digniores, sed » potentiores, » pecunia scilicet, vel favore, « thronis insident. » Quantus sit is abusus, egregia hac similitudine ostendit : « Cumque » nec medici nec pictoris nomen quisquam ob» tineat, nisi prius morborum naturas expen» derit, aut multos colores miscuerit, variasque » formas penicillo expresserit; Antistes contra » facile invenitur non elaboratus, sed recens » quantum ad dignitatem, simul satus ac pro» vectus, quemadmodum gigantes poetæ finxe» runt. Uno die sanctos fingimus, eosque sa» pientes et eruditos esse jubemus, qui nihil » didicerunt, nec ad Sacerdotium quidquam » ante contulerunt præterquam velle. » Quod ait de gigantibus ad illam poetarum fabulam alludit, qui ferunt Cadmum, Agenoris filium, apud Thebas, Bœotiæ urbem, draconis a se interfecti dentes sevisse, atque inde gigantes prodiisse.

VI. Sed age enarremus virtutes quas in eligendo Episcopo Apostolus, sancti Patres, sacræ Synodi, libri Pontificales requirunt. Prima est integritas vitæ, quam indicavit Apostolus ipse in laudata I ad Timotheum Epistola, cap. III, cum scripsit oportere eum esse irreprehensibilem, hoc est ab omni crimine immunem, et de quo jure nemo conqueri possit. Non enim requiritur ut ab omni peccato immunis sit, sic enim nullus Episcopatu dignus reperiretur, teste S. Augustino, tractatu XLI *In Joannem*. Causam ejus vel ex eo addiscimus, quia Christus Dominus Petro summum episcopatum commissurus, exegit ab eo virtutem charitatis, quæ, ut theologi docent, omnes virtutes complectitur, et vitia omnia lethalia excludit : *Petre*, inquit, *amas me?* Cui ille : *Tu scis, Domine, quia amo te.*

Digitized by Google

Quem locum egregie exponens S. Joannes Chrysostomus, lib. II *De Sacerdotio*, ait non esse idoneum satis ad Sacerdotium, qui non totus flagrat amore divino; colligitque ex verbis Christi ad Petrum, curam pascendarum ovium certissimum esse indicium amoris quem quis habeat erga Deum.

VII. Altera virtus est sanctitas morum, exemplo Christi, de quo ita scribit Apostolus in Epistola ad Hebræos, cap. VII : *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus.* Requiritur autem sanctitas, tum ut Deum pro populo deprecans exaudiatur, exemplo Aaron Pontificis, de quo cap. XVI *Numerorum* ita legimus : *Stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, et plaga cessavit;* tum etiam ut Ecclesia a laicis præsertim principibus honoraretur : legimus namque lib. II *Machabæorum*, cap. III, quod, *propter Oniæ Pontificis pietatem, fiebat ut et ipsi reges et principes locum summo honore dignum ducerent, et Templum maximis muneribus illustrarent; ita ut Seleucus, Asiæ rex, de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium Sacrificiorum pertinentes.* Scio nonnullos Christianos ac Catholicos principes, in hac nostrarum temporum fæce, Ecclesiarum bonis inhiare, eaque non semel diripere; quia scilicet nonnulli hodie Pastores pessimum eis exemplum præbent, non enim sancte vivunt, sed, ut ait Apostolus, quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.

VIII. Inter alias Episcopi virtutes recenset Apostolus continentiam, pudicitiam, castitatem : « Etenim Sacerdotis animum, » ut verbis S. Joannis Chrysostomi utar, lib. VI *De Sacerdotio*, « solaribus radiis puriorem esse oportet. » S. Hieronymus *Adversus Jovinianum* scribens, altissima ab usque origine causam repetit Sacerdotum Christi castimoniæ : « Christus virgo, virgo » Maria, utriusque sexus virginitatem dedica» vere. Apostoli, vel virgines, vel post nuptias » continentes : Episcopi, Presbyteri, Diaconi, » aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe » post Sacerdotium in æternum pudici. » Quod autem ait Apostolus, ut Episcopus sit unius uxoris vir, hoc ideo dicit ut eum excludat qui simul vel successive duas uxores habuerit; ut enim S. Leo docet, in Epistola LXXXVIII ad Afros, hoc semper servatum in Ecclesia fuit ut digami ad Sacerdotium non admittantur. Cur vero monogami admitterentur, causa est quia ipsi minus quam digami vel trigami suspecti sunt de incontinentia, ut habet Tertullianus, lib. I *Ad uxorem;* Epiphanius, *Hæresi* LIX; Chrysostomus, et alii complures antiqui Ecclesiæ Patres tum Latini tum Græci; atque ideo liberius possunt hortari homines ad continentiam, ut ait Ambrosius, libro I *De Officiis*. Cæterum vult quidem Paulus Episcopum esse continentem, nempe *ab uxoris amplexibus*, si ante episcopatum uxorem duxerat, ut exponit S. Hieronymus. Si enim omnes conjugati juxta doctrinam Apostoli in Epistola I ad Corinthios, cap. VII, ex consensu ad tempus ab illis abstinere debent, ut orationi instare possint; certe Episcopi et alii sacri homines, quibus perpetuo vacandum est orationi, perpetuo etiam ab iis se continere debent, quemadmodum omnis antiquitas docuit, juxta ea quæ nostro I tomo *Conciliorum* in Commentariis nostris explicuimus, et inter alios demonstrat cardinalis Bellarminus, lib. I *De Clericis*, cap. XIX.

IX. De hospitalitate in Episcopo requisita mentionem facit Apostolus in Epistola I ad Timotheum, cap. III, et in Epistola ad Titum. Ab ea quidem virtute S. Joannes, in Epistola III, Caium, quem Dorotheus in Synopsi existimat fuisse Episcopum Ephesinum, summopere commendat ac laudat, ita inquiens : *Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ, quos benefaciens deduces digne Deo.* Ex adverso de inhospitalitate hisce verbis Diotrephen carpit : *Is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes non recipit nos.* Recte itaque S. Hieronymus in Epistolam Pauli ad Titum ait : « Ante omnia » hospitalitas futuro Episcopo denuntiatur. Si » enim omnes illud de Evangelio audire deside» rant : *Hospes fui, et suscepistis me;* quanto » magis Episcopus, cujus domus omnium com» mune debet esse hospitium. Laicus enim » unum, aut duos, aut paucos recipiens imple» bit hospitalitatis officium. Episcopus, nisi om» nes receperit, inhumanus est. » Illa verba, « Ante omnia hospitalitas futuro Episcopo » denuntiatur, » forte ad eum ritum alludunt, quod electus in Episcopum consecrandus initio

Digitized by Google

suæ ordinationis de hospitalitate servanda admoneretur.

X. Oportet præterea futurum Episcopum *benignum* esse, *non iracundum*, ut ait Apostolus in Epistola ad Titum, sive, ut inquit in ipsa I ad Timotheum Epistola, cap. III, *non percussorem:* « Id est, » ut scite exponit S. Hieronymus lib. I adversus Jovinianum, « qui conscientias » non percutiat singulorum : neque enim pu- » gilem describit sermo Apostolicus, sed Pon- » tificem instituit quid facere non debeat. » S. Joannes Chrysostomus, lib. III *De Sacerdotio*, aperte ait hominem iracundum ab episcopatu esse arcendum : « Hujusmodi ingenio præditi, » qui ad contumeliam, vim, incommodum, » molestum aliquod verbum graviter excande- » scunt, ab episcopatus cancellis, a Sacerdotii » claustris procul arcendi sunt. Nam Episcopum » inedia minime cruciari extenuarique, tum » eumdem nudis pedibus non ingredi, id certe » nihil incommodabit Ecclesiæ universitati. At » vero agrestioris animi ferocitas furorque, » tum domino possessorique suo, tum etiam » proximo ingentium calamitatum auctor sæpe » fuit. Atque iis quidem qui virtutes illas non » præstant, nulla a Deo comminatio, at temere » excandescentibus flammas æternas Deus com- » minatus est. » Id quod ex variis sacræ Scripturæ locis constat.

XI. Rursus oportet sobrium esse, *non vinolentum*. Quod in Epistola sua ad Oceanum explicans S. Hieronymus, ita inquit : « Sacer- » dotes qui ministrant in templo, prohibentur » vinum et siceram bibere, ne in crapula et » ebrietate aggraventur corda eorum, et ut sen- » sus officium exigens Deo, vigeat semper et » tenuis sit. Vinolentia scurrarum est et comes- » satorum, venterque mero æstuans cito despu- » mat in libidines. In vino luxuria, in luxuria » voluptas, in voluptate impudicitia est. Qui » luxuriat, mortuus est ; ergo qui inebriatur, » et mortuus et sepultus est. » Idem S. Doctor, libro I *Adversus Jovinianum*, ideo *non vinolentum* ait debere esse Episcopum, quia qui semper in Sanctis Sanctorum est, vinum et siceram non bibit, quia in vino luxuria est ; statimque subjicit : « Sic bibat Episcopus, ut, an biberit, » ignoretur. » His similia alii sancti Patres docent : at vero complures sacros homines novi adeo vino deditos, ut vino propriarum regionum minime contenti, summa impensa vinum sibi a longinquis regionibus mitti curant, eaque in re dici nequit quanti in hujusmodi liquores, ut vocant, Ecclesiæ reditus absumantur.

XII. Agunt fuse de iis ac aliis virtutibus, quibus in Episcopos eligendi fulgere debent, memorati superius S. Joannes Chrysostomus et S. Gregorius Nazianzenus, omnesque interpretes utriusque loci superius recitati in Epistolas Pauli ad Titum et ad Timotheum missas: in quibus, cum illud etiam præscriptum sit, ut in Episcopum eligendus consecrandusque *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere*, jam constat scientia ipsum præditum esse oportere. Quia scilicet, ut ait S. Hieronymus in ipsum Pauli locum, « si » Episcopi tantum sit sancta vita, sibi potest » prodesse sic vivens. Porro si et doctrina et » sermone fuerit eruditus, potest se cæterosque » instruere; et non solum instruere et docere » suos, sed et adversarios repercutere, qui nisi » refutati fuerint atque convicti, facile queant » simplicium corda pervertere. » S. Joannes Chrysostomus, lib. IV *De Sacerdotio*, prolixe ostendit Ecclesiæ Antistites non modo omnigena doctrina, sed etiam eloquentia insigni debere esse instructos ac perpolitos. Concilium vero Tridentinum, sessione XXII, cap. II, a futuris Episcopis exigit quidem ut sint doctores vel licentiati in theologia aut jure canonico, vel saltem publicum testimonium alicujus Academiæ exhibeant quod idonei sint ad docendum vel theologiam vel jus canonicum ; illam nempe theologiam quæ veram divinarum rerum notitiam exhibeat, populoque Christiano utilitatem præstet, non vero illam quæ in quarumdam vocularum disceptationibus, ac inutilibus quæstionibus, ut fieri in plerisque scholis assolet, consistat ; jus autem canonicum illud profecto intelligimus, quod Ecclesiasticæ disciplinæ, ac regularum ad recte vivendum institutarum notitiam præbeat. Perperam enim canonici juris consulti rabulæ quidam dicuntur, qui juris canonici prorsus ignari, in perdiscenda fori praxi, ac forensium argutiis ad absumenda litigantium patrimonia suum omne studium impendunt.

XIII. Recte admodum notat eruditus Jacobus Billius in *Apologeticum S. Gregorii Nazianzeni*, non potuisse egregium S. Doctorem melius

Digitized by Google

nostri temporis calamitatem depingere, quam ubi sua facundia scripsit tam male affectos nos esse ut major pars nostrum, ne dicam omnes, prius fere quam lanuginem primam abjecerint, puerilique more balbutire desierint, priusquam divina atria ingressi sint, priusquam sacra volumina vel de nomine noverint, priusquam novi veterisque Testamenti signa notasque cognoverint; nondum enim dico, priusquam impuræ flagitiosæque vitæ cœnum absterserint, easque animæ fœditates quas nobis peccatum aspersit; si duas aut tres pias voces edidicerimus, ac ne id quidem ex lectione, sed ex auditione, aut Davidi nonnihil operæ dederimus, aut pallium scite contrahamus, aut zona tenus philosophemur, pietatisque specie quadam et fuco nosmetipsos oblinamus, quam egregia præfectura! quam excelsus animus! Protinus Samuelem ab ipsis incunabulis sacrosanctum in ore habemus: protinus sapientes sumus, et præceptores, et rerum divinarum cognitione sublimes, et scribarum et legislatorum primi, nosque ipsos calculo nostro cœlestes designamus, ac vocari ab hominibus *Rabbi* expetimus; nec usquam littera, sed omnia spirituali modo intelligenda sunt, meraque deliramenta insomnia nostra, indigneque et moleste tulerimus, nisi mirificis laudibus in cœlum efferamur.

XIV. Narrat hæc de suo ævo Nazianzenus et Billius: nostris temporibus haud desunt qui non modo vocari volunt *Rabbi*, cum parum didicerint, sed et Ecclesiæ reparatores se jactant, primariasque dignitates Ecclesiasticas jure ipsis deberi suomet et aliorum ore prædicant: non attendentes ad id quod ait S. Gregorius, lib. II, epistola LII, ad Joannem episcopum Ravennatem, dicens: « Nihil in Episcopali cervice » splendidius fulget, quam humilitas; » itemque ad illud quod ait *Ecclesiasticus*, cap. III: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* Requiri in futuro Episcopo humilitatem, de eaque, inter alias, commendare olim Episcopum electum consuevisse Archidiaconum, ubi is se primum Archiepiscopo consecratori pro ejus consecratione præsentabat, docent libri Pontificales ac prisci auctores, et in iis Humbertus de Romanis, lib. II *De modo prompte cudendi sermones*, tractatu II, capite XXIX, ubi de eo ritu sic scribit: « Hinc est quod in » ordinatione Episcoporum dicitur, quod Ordi- » natori quærenti ab illis, qui offerunt Ordinan- » dum: *Quid placuit vobis de eo?* Respondere » debent: *Sanctitas, humilitas, castitas, beni- » gnitas et omnia quæ Deo placibilia sunt.* »

XV. Certior de electi in Episcopum virtutibus factus Metropolitanus, interrogabat tandem Archidiaconum an haberet decretum electionis, eoque se illud habere respondente, jubebat statim ut legeretur. Forma hujus decreti tametsi in multis antiquis Pontificalibus eadem sit ac ipsa in hoc nostro § descripta; in vetere tamen Romano Ordine apud Melchiorem Hittorpium, et in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Noviomensis, annorum circiter nongentorum, quod usui fuit Radbodo episcopo, atque in aliis nonnullis, aliis verbis concepta erat, quam lubet hoc loco describere; multa enim in ea continentur quæ antiquam ac sanctissimam Ecclesiæ disciplinam redolent circa Episcoporum electionem, quæ non modo apud Græcos, sed et apud Latinos summa cum circumspectione fieri solebat. Sic ergo inquit:

XVI. « Dominis Patribus *ill. ill. ill.*, venerabilibus, scilicet Episcopis diœceseos Metropolis, Clerus, Ordo, et plebs huic sanctæ Ecclesiæ specialiter obsequentes. Vestræ paternitati est cognitum quantum temporis est ex quo accidentibus variis eventibus hæc sancta Ecclesia Metropolis nostro sit viduata pastore ac destituta rectore, quod non solum ad nostrum, verum et ad vestrum ac omnis hujus diœceseos detrimentum pertinere dignoscitur; cum totius provinciæ sollicitudinem Metropolitano constet esse commissam. Propterea elegimus hujus diœceseos *ill.* Ecclesiæ Presbyterum nomine *ill.* nobis sufficientissime cognitum, natalibus et moribus nobilem, Apostolica et Ecclesiastica disciplina imbutum, Fide catholicum, natura prudentem, docibilem, patientem, moribus temperatum, vita castum, sobrium, humilem, affabilem, misericordem, litteratum, in lege Dei instructum, in Scripturarum sensibus cautum, in dogmatibus Ecclesiasticis exercitatum, et secundum Scripturarum tramitem, traditionemque orthodoxorum et Canonum, ac decretorum Sedis Apostolicæ Præsulum constitutiones, sano sensu Ecclesiasticas regulas intelligentem, sanoque sermone docentem, atque servantem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, et cum modestia corripien-

Digitized by Google

tem eos qui resistunt, et si qui sanæ doctrinæ adversantur, eis resistere et arguere; sana doctrina prævalentem, hospitalem, modestum, suæ domui bene præpositum, non neophytum, habentem testimonium bonum, in gradibus singulis secundum traditionem Ecclesiasticam ministrantem ad omne opus bonum, et ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in illo est spe, paratum. Quem nobis quantocius petimus ordinari Pontificem, quatenus, auctore Domino, regulariter nobis præesse valeat, et prodesse, et nos sub ejus regimine salubriter Domino militare possimus, quia integritas præsidentium salus est subditorum, et ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sanæ est forma doctrinæ. Ut autem omnium nostrum vota in hanc electionem convenire noscatis, huic decreto canonico promptissima voluntate singuli manibus propriis roborantes subscripsimus. »

XVII. Hactenus decretum, quod absolute sine ullis prorsus interrogationibus Archidiacono fieri solitis juxta ritum superius descriptum, in antiquo Romano Ordine apud Hittorpium, et in vetusto Pontificali Noviomensi legitur. Debuisse decretum hujusmodi omnium electorum manibus subscribi ac roborari, non modo ex plurimis Pontificalibus libris, verum ex variis quoque S. Gregorii Papæ Epistolis liquet. Solitus enim erat, ubi alicui Episcopo visitationem Ecclesiæ viduatæ pastore committebat, ut ad electionem novi Episcopi incumberet, ita subjungere : « Qui » dum fuerit postulatus, cum solemnitate de» creti omnium subscriptionibus roborati, » dilectionis tuæ testimonio litterarum ad nos » sacrandus occurrat. » Vide libro II, Epistolam XIX, Benenato episcopo visitatori Cumanæ Ecclesiæ, quæ erat olim in nostro regno Neapolitano. Vide, libro VII, Epistolam XXV, indictione II, ad Fortunatum episcopum Neapolitanum, cui Messenatensis Ecclesiæ visitationem injunxit, in qua eadem verba occurrunt, sicut et in sequenti Epistola sua XXVI, ad Clerum, Ordinem et plebem consistentem Messenæ, ubi de electo ab ipsis novo Episcopo, ita inter alia inquit : « Qui dum fuerit postulatus, cum so» lemnitate decreti omnium subscriptionibus » roborati, et Visitatoris pagina prosequente, » ad nos veniat ordinandus. » Apud Gratianum, canon XI, qui incipit *Episcopus dum fuerit postulatus*, distinctione LXI, desumptus est ex recitato loco S. Gregorii in recitata Epistola XIX ad Benenatum episcopum, lib. II, indictione IX.

XVIII. Ex antiquo tandem Romano Ordine, apud Hittorpium, illum quoque ritum addiscimus, ut electi Episcopi ad Metropolitanum consecrandi minime accederent, nisi ab ipso Epistola sua vocarentur, quam idcirco *vocatoriam Epistolam* appellabant. Ejus formula hæc est : « Dilectissimis Fratribus et Filiis, » Presbyteris, Diaconibus, honoratis Clericis, » et possessoribus, vel cunctæ plebi *ill.* Eccle» siæ, simulque vocato Episcopo *ill.* N., auxi» liante Domino, Metropolitanus sanctæ Sedis » Apostolicæ *ill.*, dilectionem vestram salubri» ter alloquimur, quia prædictum talem salu» briter a vobis electum Episcopum virum » venerabilem tali Ecclesiæ ordinare compelli» mur : gaudemus, et honoramus Christum » Jesum, ut, qui vobis hanc electionis devotio» nem dedit, nobis quoque proficiendi tribuat » facultatem. Jam fatum virum religiosa vio» lentia tenete, et ad sanctam Sedem nostram » *ill.* perducere festinate, qui forte dignior erit, » si se occultare voluerit. Ob quam rem hanc » direximus admonitionem, quemadmodum » optime placuit sanctæ Synodo Episcopum sine » vocatoria suscipi non debere, ne obscuritas » dubiæ ordinationis incurrat. » Huc usque vocatoria Epistola, quæ eo nomine idcirco, ut nonnulli eruditi censent, appellabatur, quod is qui absens in Episcopum alicujus Ecclesiæ a Clero et plebe electus erat, ad hanc dignitatem capessendam evocaretur directis litteris a Metropolitano ad Episcopum et Presbyteros, ex quorum diœcesi et parochia erat electus.

§ III.

Lecto decreto, prosequebatur Metropolitanus, et dicebat : *Videte ne aliquam promissionem vobis fecerit, quia simoniacum et contra Canones est.* Respondebat : *Absit !* Et Metropolitanus dicebat : *Ducatur.*

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Lecto decreto, consuevisse Metropolitanum eam ad Archidiaconum admonitionem facere, *Videte ne aliquam promissionem vobis fecerit*, *etc.*, docent quidem antiqui libri Pontificales, inter quos vetus Ordo Romanus a Mabillonio in *Museo Italico*, tomo II, relatus; juxta cujus præscriptum, respondente ad ea verba Archidiacono, « Absit a nobis! » subjungit Pontifex : « Vos videritis. » Sive, ut habet Pontificale Ecclesiæ Bisuntinæ, annorum circiter septingentorum : « Vos videte quia nos » inculpabiles, Deo donante, volumus esse. » Esse simoniacum et contra Canones aliquid electoribus promittere pro adipiscendo beneficio Ecclesiastico, ex Pontificum constitutionibus et Synodorum decretis constat, quæ quidem legere est apud Gratianum, canone I et sequentibus, causa I, quæstione III; et libro V Decretalis, ad titulum *De Simonia*.

II. Est et illa quoque electio simoniaca et penitus reprobanda, si electoribus promissa non ab electo, sed ab aliquo, fuerit pecunia, quamvis id electus ignoret, nisi tamen hoc malitiose factum fuerit in fraudem electi. Aperte id statuit Cælestinus III Pontifex Maximus in cap. *Nobis fuit* XXVII, *De Simonia*. Porro cum malitiis hominum non sit indulgendum, juxta textum in cap. *Sedes* XV, *De Rescriptis;* nec debeat quis alterius odio prægravari, ex lege *Si quis suo*, Cod. *De inofficioso Testamento;* ideo in eo casu electio sustinetur; alias enim posset quilibet in præjudicium ejus qui eligendus est, malitiose alicui eligentium pecuniam promittere, ut ita electio simoniaca censeatur. Cessante hac malitia calumniaque perfidi hominis, si pecunia in electione interveniat, electo etiam inscio, electio ipsa nulla est; licet enim propter ignorantiam, in excommunicationem et suspensionem, quas alii simoniaci scientes incurrunt, electus ille non incidat, electio tamen ideo nulla censetur, quia in ea deficit substantiale, videlicet, ut gratis fiat. Quamobrem debet electus dimittere Ecclesiam hoc modo acquisitam, secundum plurima canonici juris decreta in cap. *Ex insinuatione* XXVI; cap. *Sicut tuis* XXXIII, *De Simonia;* cap. *Si alicujus* LIX, *De Electione, etc.;* can. *Præsentium* I, quæst. I; et aliis.

§ IV.

Tunc Archidiaconus vel Archipresbyter, exhibito ipso decreto ipsi Metropolitano, revertebatur cum Canonicis, sicut venerant ad vestiarium, et ibi deponebant vestes. Accensis autem cereis, electus, adhuc jejunus, pluviali albi coloris supra superpelliceum paratus, ducebatur processionaliter coram Metropolitano, præcedentibus eum Canonicis Ecclesiæ ad quam erat electus, Archidiacono et Archipresbytero Ecclesiæ Metropolitanæ hinc et inde eum deducentibus. Qui stans convenienter remotus a Metropolitano, flexis genibus, petebat intelligibili voce benedictionem, dicens : *Jube, Domne, benedicere*. Metropolitanus sedens, in eodem tono, voce minori dicebat : *Lux de luce Patris sacro vos lumine lustret*. Deinde surgens et procedens paululum, iterum genua flectebat, dicens : *Jube, Domne, benedicere*. Metropolitanus respondebat : *Protegat et salvet nos Christus conditor orbis*. Rursus surgens, adhuc paululum appropinquans et genuflectens, dicebat tertio : *Jube, Domne, benedicere*. Metropolitanus respondebat : *Sedibus a superis veniat benedictio nobis*. ℟. *Amen*.

COMMENTARIUS.

I. Vetus est Ecclesiæ disciplina ut exhibitum sibi electionis decretum una cum electo ante consecrationem Metropolitanus diligenter examinaret ; aliquando etiam id una cum suæ

Digitized by Google

provinciæ Episcopis ageret. Hinc in Epistola sua ad Clerum et plebem Bellovacensem Hincmarus, archiepiscopus Remensis, qui sæculo IX floruit, postquam de pluribus in electione servandis eos instruxit qualitatesque eligendi exposuit, ita subjungit : « Hujusmodi autem, » quantum Dominus dederit, ipso cooperante, » electum cum Visitatore vestro, præsente » scilicet confratre nostro, et cum decreto ca- » nonico, ad humilitatis nostræ sollicitudinem » examinandum adducite; quia, ut longe ante » nos dictum est : *Non est facile dimittendus,* » *cui est proximus committendus.* Prænoscere » vos denique volo quia, si personam a sacris » Canonibus deviam scienter nobis adduxeri- » tis, non solum ex ea Pontificem non habe- » bitis, verum etiam pro illicita electione, ut » contemptores Canonum judicium incurretis. » Sed et nostro et Coepiscoporum nostrorum ju- » dicio refutata rationabiliter electione vestra » incongrua, talem secundum Laodicenses ca- » nones studebimus eligere, qui vestris vitiosis » voluntatibus non valeat consentire. »

II. Plura in hac epistola adnotanda censeo. Primum quidem etiam IX sæculo, quo vivebat Hincmarus, durasse eam disciplinam, cujus passim in suis Epistolis mentionem facit S. Gregorius Magnus Pontifex Maximus, ut nimirum Metropolitanus, mox ut aliquam in sua provincia Ecclesiam suo viduatam pastore intellexerat, Episcopum Visitatorem ad ipsam Ecclesiam destinaret, qui populi Clerique animos ad concordem et canonicam digni Præsulis electionem faciendam disponeret. Alterum est electionem ipsam mitti debuisse ad Metropolitanum, qui una cum suæ provinciæ Episcopis electionem et personam electam examinabant : quam si judicabant indignam, non modo ipsam electionem rejiciebant, verum etiam, *secundum canones Laodicenes*, aliam dignam personam ipsi eligebant. Constat enim per canonem XII Laodicenæ Synodi, habitæ anno 319, electionem Episcoporum ad judicium Metropolitani et Coepiscoporum comprovincialium remissam fuisse. Tertium est IX ipso sæculo nondum fuisse laicos ab electione Episcoporum omnino exclusos, neque Hincmarum, tametsi Canonum scientia instructissimum, existimasse per canones Laodicenses ab electione Episcoporum laicos fuisse plane submotos. Cæterum nonnisi posterioribus sæculis, post evulgatas nempe et receptas Gregorii IX et sequentium Pontificum Decretales, jus confirmandi electum ad solum Metropolitanum fuisse translatum, eamque disciplinam ob difficultatem congregandi Episcopos provinciæ sensim inductam et receptam fuisse tradit Petrus de Marca, lib. VIII *De concordia Sacerdotii et Imperii*, cap. VIII.

III. His, occasione decreti electionis de quo in hoc nostro § fit mentio, enarratis, sciendum nunc illud est, doceri id passim ab antiquis libris Pontificalibus, ut, lecto decreto, vocaretur electus jussu Metropolitani, cui se præsentaret : « Dum relectum fuerit, jubet » Domnus Apostolicus introducere electum. » Verba sunt veteris Romani Ordinis a Mabillonio relati tomo II *Musei Italici*, in quo tamen nulla alia de ritibus in hoc § nostro descriptis mentio habetur. Verum ex manuscripto Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ cautum est quidem ut, lecto decreto, « jubeat Domnus, » id est Archiepiscopus, « Archidiacono et Cancellario » ut introducant electum, et deducatur cum » magna reverentia ante Domnum. » Statimque hæc addit : « Dicat astans a longe : *Jube,* » *Domne, benedicere.* Et Domnus : *Gratia* » *Spiritus sancti inluminare dignetur cæcita-* » *tem cordis nostri.* »

IV. Præter hanc benedictionem nulla alia in ipso Ecclesiæ Bisuntinæ Pontificali benedictio recensetur. In Pontificali autem insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria ita ritus describitur : « Tunc, » nempe post lectum decretum, et postquam dixit Metropolitanus ut ducatur electus, « veniat ipse electus eodem » modo, alba et planeta indutus, quem simi- » liter juxta morem Romanæ Ecclesiæ junior » Diaconus a dextris, et prior Subdiaconus a » sinistris deducere debent; cum autem ipse » electus venerit ante conspectum Pontificis, » flectens genua, benedictionem petit, dicens : » *Jube, Domne, benedicere.* Respondet Pontifex : » *Spiritus sancti gratia illuminare dignetur* » *corda nostra.* Et electus iterum flexo genu » dicit : *Jube, Domne, benedicere.* Respondet » Pontifex : *Ignem sui amoris accendat Do-* » *minus in cordibus nostris.* Tertia vice pro- » pius accedens, similiter genu flexo, dicit : » *Jube, Domne, benedicere.* Respondet Ponti-

Digitized by Google

» fex : *Dominus custodiat introitum tuum et* » *exitum tuum.* »

V. Exstant hæ benedictiones non modo in manuscripto Vaticano Pontificali Gulielmi Durandi, annorum circiter quingentorum, a nobis edito in Appendice ad titulum XIII *De Consecratione electi in Episcopum*, tomo I hujus operis, in quo etiam ad finem singularum benedictionum legitur *Amen;* verum etiam in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Lugdunensis, annorum circiter quadringentorum, et, quod mirum est, in editis quoque ante Clementem VIII Pontificalibus, præsertim in illo Venetiis impresso apud Juntas, anno 1572. Quamobrem ejus sum opinionis, in novis deinde Pontificalibus loco ipsarum benedictionum, quæ in memoratis exstant Pontificalibus, appositas alias benedictiones quæ in hoc nostro § recensentur. Porro quod ipsius § Rubricam spectat, totidem verbis legitur non modo in editis Pontificalibus ante Clementem VIII, verum etiam in laudatis Lugdunensi et Vaticano Durandi Pontificalibus Vox *Amen* tametsi, ut dictum est, ad singulas benedictiones dicatur in ipso Durandi Pontificali; in Lugdunensi tamen, ad ultimam duntaxat dicitur, sine illo additamento : *et exitum tuum.* Ubi enim Metropolitanus ad tertiam benedictionis petitionem, quæ fit ab electo, dicit : *Dominus custodiat introitum tuum*, statim ille respondet : *Amen.* Ex antiquo Romano Ordine a Mabillonio edito, lecto decreto et introducto electo, Subdiaconus a longe tertia vice se prosternebat in terra; Domnoque Apostolico dicente *Protegat nos Dominus*, omnes respondebant *Amen.*

§ V.

Tunc interrogabat eum coram se genuflexum Metropolitanus : *Fili mi, quid postulas?* Respondebat electus : *Reverendissime Pater, confratres mei elegerunt me, licet indignum, sibi esse pastorem.* Interrogatio : *Quo honore fungeris?* Respondebat : *Presbyteratus,* vel talis. Interrogatio : *Quot annos habes in Presbyteratu?* Respondebat : *Decem,* vel tot. Si vero forsan ipsa die, vel infra breve tempus fuerat ab eo in Presbyterum ordinatus, respondebat : *Tu scis, Domine.* Interrogatio : *Habuisti conjugium?* Respondebat : *Minime.* Si forte habuerat, et per ipsum Consecratorem ejus electio examinata et confirmata fuerat, tunc respondebat : *Tu scis, Domine.* Interrogatio : *Disposuisti domui tuæ?* Respondebat : *Disposui.* Interrogatio : *Qui libri leguntur in Ecclesia tua?* Respondebat : *Pentateuchus, Prophetæ, Evangelium, Epistolæ Pauli, Apocalypsis, et reliqui.* Interrogatio : *Nosti Canones?* Respondebat : *Doce me, Domine.*

Vide, cum Ordinationes feceris, certis temporibus facias, jejunio primi, quarti, septimi et decimi mensis. Digamos, sive spurios, aut curiales, aut de servili conditione ad sacros Ordines non promoveas. A simoniaca vero hæresi te omnino custodias. Dabitur tamen tibi edictum de scrinio nostro, qualiter debeas conversari. Vide autem ne aliquam promissionem propterea feceris, quia simoniacum et contra Canones est. Respondebat : *Absit!* Metropolitanus dicebat : *Tu videris. Quia ergo omnium in te vota conveniunt, hodie abstinebis, et cras, Deo annuente, consecraberis.* Respondebat : *Præcepisti, Domine.*

COMMENTARIUS.

I. Prima in Ordine antiquo Romano a Mabillonio edito ad electum interrogatio Metropolitani hæc erat : « Quid te fatigasti, Frater? » Ad quam ille sic respondebat : « Ad quod non » sum dignus, isti confamuli mei me adduxe- » runt. » Juxta Pontificale Ecclesiæ Bisuntinæ,

Digitized by Google

annorum circiter septingentorum, interroganti Metropolitano : « Ad quid venisti, Frater? » Respondet electus : « Ad quod dignus non » sum, isti fratres me cogunt. » Pontificale Vaticanum Durandi tam in interrogatione Metropolitani quam in electi responsione cum Pontificali nostro hodierno Romano consentit. At vero Pontificale Ecclesiæ Lugdunensis, annorum circiter quadringentorum, ad eam Metropolitani interrogationem : « Fili mi, quid » postulas? » Respondebat electus : « Sanctis- » sime Pater, confratres mei elegerunt me » licet indignum sibi præesse pastorem. »

II. Antequam alias interrogationes explicem juxta diversorum Pontificalium ritum, lubet hic totam cæremoniam describere, quæ, post primam superius recitatam interrogationem, in manuscripto Pontificali Ecclesiæ Bisuntinæ legitur. « *Ergo interrogat Domnus :* Est tuæ voluntatis ut bene et honeste converseris cum illis? *Respondet :* Quantum Deus dederit, et vos docueritis, profiteor me bene esse cum illis. *Et Domnus :* Charissime fili, in Deo et per Deum te admoneo ut caveas a peste ista simoniaca, quæ Deo est ita per omnia contraria; quia si hoc crimine fueris implicitus, non poteris fieri Episcopus; et ipsa, quam petis, benedictio vertetur in maledictionem. *Respondet :* Absit, Pater, absit! *Et Domnus :* Si usque modo, ut fratres tui asserunt, honeste vixisti, deinceps oportet te honestius conversari, ne nomen Dei per te blasphemetur. Canones assidue relege; divinam Scripturam dilige; quæ legeris, menti commenda; quæ retinueris, per teipsum operare; sicque subditis facilius poteris erogare. Ordinationes si feceris, aptis temporibus fac; id est, primi, quarti, septimi, decimi mensis. Bigamos, aut curiales, et criminosos ad sacros Ordines ne promoveas. Apostolico sermone te alloquor : *Manus nemini cito imposueris; et probate spiritus si ex Deo sunt. Respondebat electus :* Hæc quæ dicis, Pater, libenter faciam, si Dei et tuam habuero gratiam. »

III. Mandat præterea laudatum Pontificale Bisuntinum, ut « *tunc vertat se Domnus*, id est Metropolitanus, *ad Episcopos, et dicat :* Fratres et Coepiscopi, petitionem horum fratrum audistis : si placet, dicite quid inde censetis. *Et Episcopi* : Si ita est ut asserunt, in Fratrem et Coepiscopum et coadjutorem nostri Ordinis eligimus, et ut per vos consecrationis donum percipiat, exoramus. *Tunc vertat se Domnus ad Clerum :* Quia, Fratres, legitur in Canonibus : « Sententia Episcopi erit irrita, » nisi consilio suorum Clericorum fuerit robo- » rata, quid vobis inde videatur verbis veris » asserite. » *Et Clerus :* Secundum hoc quod audivimus, et Patres nostri, scilicet Episcopi, censuerunt, salva auctoritate Ecclesiæ nostræ, laudamus et eligimus. *Tunc Domnus ad electum :* Quia, Frater, omnium vota in te conveniunt, hodie jejunabis, cras abstinebis. Dominica die, Deo dante, hora tertia consecraberis. *Et electus :* Jussisti, Domine. *Et tunc dat domnus Archiepiscopus et cæteri Episcopi, et qui majores sunt in Clero ipsi electo osculum, et sic accepta licentia, vadit ad hospitium.* »

IV. Multa sunt observatu digna in recitato loco Bisuntini Pontificalis. Secundum cujus præscriptum enarrati hactenus ritus, feria sexta, ut supra notatum est, peragebantur. Cautum enim est ex ipso Pontificali ut « in » sabbato mane ipse electus abluat se balneis, » totam perdurans diem in divinis, aut per se » celebret Missam, aut de manu Archiepiscopi » accipiat Eucharistiam. » Tum addit ut « dom- » nus Archiepiscopus singulare cum eo habeat » colloquium, divinum sæpius inculcans præ- » ceptum, instruens ut de Dominico thesauro » sciat proferre nova et vetera. » Porro in aliis Pontificalibus nihil de ipsa in balneis ablutione legi, quæ cæteroqui, ut paulo inferius dicemus, sabbato ante diem consecrationis alicubi saltem fieri solebat; nihil de aliis nonnullis in hoc Pontificali præscriptis ritibus invenio. Omnes quippe Pontificales libri illud passim mandant ut scrutinium serotinum celebretur sabbato ante Dominicam, qua fieri debet electi in Episcopum consecratio. De osculo præbendo electo ab Archiepiscopo consecratore, mentionem facit vetus Ordo Romanus a Mabillonio editus, ubi etiam ad ea Metropolitani verba « Quo- » modo vota omnium in te conveniunt, etc., » respondebat Archidiaconus : « Jussisti, Domine. » Factum examen feria sexta ante Ordinationem; quæ die Dominica celebrari solebat, præter præscriptum Bisuntini Pontificalis, habemus exemplum Williberti, Catalaunensis episcopi, qui ipsa feria sexta fuit examinatus.

Digitized by Google

V. Sed videamus modo quid alii libri Pontificales aiunt de ipsis interrogationibus ab Archiepiscopo ad electum fieri solitis. Certe Apamiensis in Syria, Vaticanus Durandi, Lugdunensis, qui etiam usui fuit Ecclesiæ Tarentasiensi, et alii complures, cum nostro hodierno Romano Pontificali consentiunt. Quod sabbatum, in quo fiebat scrutinium, et examen electionis, in divinis electus transigeret, et quidem jejunus permanens in aliquo monasterio, ubi et pernoctabat, precibus et orationi vacans, ex eo colligimus quod ait Guillelmus Major Andegavensis episcopus, ordinationis suæ seriem referens, tomo x *Spicilegii* Dacheriani : « Die sabbati, inquit, post Ascensionem Domini, videlicet in vigilia consecrationis nostræ..... ad monasterium Sancti-Sergii prædicti, more prædecessorum nostrorum, accessimus... Dictis autem per nos Vesperis et Completorio dicta die, recipimus nos in camera nostra, quæ in monasterio prædicto dicitur camera Abbatis, ibidemque rasa barba et corona, ablutoque capite, ibidem dicta die fuimus balneati. Quo facto, nocte sequente circa ignitegium intravimus majorem ecclesiam ipsius monasterii, et ibidem ante altare beatæ Mariæ totum Psalterium perlegimus singulariter et submisse. Quo perlecto, Matutinas incœpimus et complevimus, sociis et Capellanis nostris nos juvantibus. Quibus actis, circa mediam noctem ad nostram cameram redeuntes, lectum intravimus, et ibidem requievimus usque mane. » Hunc memorati Guillelmi locum attulimus nos nostro I tomo hujus operis in Commentariis ad titulum XIII, ubi etiam *ignitegii* vocem explicuimus. Notandum autem ex recitato loco illud hic esse videtur, ipsa die sabbati quæ Ordinationem præcedebat, non modo balneo ablui, sed et barbam radere ordinandum Episcopum consuevisse.

VI. Interrogationes tandem, quæ sabbato ipso ex Pontificalium præscripto a Metropolitano ad electum fiebant, spectabant quidem electionis et electi Episcopi examen; nam interrogationes de fide die ipsa Ordinationis ante Missam faciendas esse, in cunctis Pontificalibus libris præscribitur; de eisque fuse nos egimus in Commentariis ad prædictum titulum XIII qui est *De Consecratione electi in Episcopum*, ubi etiam varia, quæ ad hunc § V attinent, fuse enarravimus. Constat itaque semper Ecclesiam fuisse valde sollicitam ut, ante Ordinationem Episcoporum, serium atque exactum de moribus, scientia et fide ordinandorum potissimum in Episcopos examen institueretur; adeoque ritus hic, in quantum prævium illud examen repræsentat, ex Patrum traditione descendere recte dicitur, ut scite observat Van-Espen, parte I *Juris Ecclesiastici universi*, tit. XV, cap. III, num. VI, ubi etiam subjungit, illud dolendum, quod quæ a Patribus serio fiebant ut exactam notitiam ipsius ordinandi consequerentur, hodie tanquam meram ac nudam cæremoniam juxta formulam præscriptis verbis expressam adhiberi et proponi; neque ad aliud in Pontificali conservari videantur, quam ut omnibus, quibus Episcopos promovendi officium incumbit, in memoriam revocetur quam enixe semper voluerit Ecclesia ut de persona promovenda exactum atque serium examen institueretur; ne alios manus cito imponentes, alienis peccatis communicent.

§ VI.

Sed si expediebat, Metropolitanus dispensabat cum illo ut comederet, et deputabat ei aliquem discretum de sua Ecclesia confessorem, cui consecrandus peccata sua confitebatur : et mox, consecrando ad terram prostrato, Metropolitanus sedens cum mitra, incipiebat, Schola prosequente, Antiphonam toni VIII : *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem*. Psalmus LXVII, *Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, etc.*, totus dicebatur cum *Gloria Patri, etc.* Deinde repetebatur Antiphona. Qua dicta, Metropolitanus, deposita mitra, surgebat, et stans versus ad consecrandum prostratum dicebat : ℣. *Salvum fac servum tuum, Domine.* ℟. *Deus meus, sperantem in te.*

Digitized by Google

℣. Esto ei, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere huic famulo tuo N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

§ VII.

Deinde Metropolitanus, detecto capite, crucem ante se habens, benedicebat populo, dicens : *Sit nomen Domini benedictum, etc.* Qua data, singuli ad propria revertebantur.

COMMENTARIUS.

Nihil de ritibus in duobus hisce §§ descriptis legi in antiquis Pontificalibus libris, exceptis Vaticano Durandi, annorum circiter quingentorum, et Lugdunensi, annorum circiter quadringentorum, quibuscum hodiernus noster Romanus codex Pontificalis consentit. Sciendum illud est nihilominus, nullam in ipsis fieri mentionem de cruce, quam habere ante se debet Metropolitanus cum populo benedicit. In Lugdunensi quoque non modo Psalmus ipse LXVII *Exsurgat Deus, etc.*, verum et Oratio *Omnipotens sempiterne Deus, miserere, etc.*, desiderantur. Cæterum tum Vaticanus codex Durandi, tum Lugdunensis de illo nos admonent, quod « quædam Ecclesiæ non faciunt » præmissum serotinum scrutinium, sed ma- » ne die Dominico proceditur, prout sequi- » tur, etc. »

§ VIII.

Die Dominica, qua consecratio fieri debebat, parabantur ecclesia et capellæ, credentia, paramenta, et alia supra in principio consecrationis electi posita. Deinde veniebant Metropolitanus, electus, et Episcopi assistentes ad ecclesiam, et in capellis suis se induebant, ut supra, tomo I, pagina 298. Quibus paratis, et Metropolitano in faldistorio ante altare sedente, adducebatur electus medius inter assistentes Episcopos, et, facta reverentia Metropolitano, senior assistentium Episcoporum stans, deposita mitra, dicebat : *Reverendissime Pater, postulat sancta mater Ecclesia Catholica ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.* Metropolitanus dicebat : *Scitis illum esse dignum?* Respondebat Episcopus : *Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scimus et credimus illum dignum esse.* Metropolitanus respondebat : *Deo gratias.* Tunc, omnibus sedentibus, ut supra dictum est, Metropolitanus intelligibili voce, et assistentes Episcopi submissa voce faciebant examinationem suprascriptam, videlicet : *Antiqua Sanctorum, etc.*, et omnia alia suo ordine, prout supra sunt ordinata, usque ad finem examinis.

Digitized by Google

§ IX.

Quo completo, et manu Metropolitani per electum osculata, idem electus ante Metropolitanum genuflexus, ante se habens schedulam scriptam, jurabat, et præstabat fidelitatis debitæ solitum juramentum Metropolitano in hunc modum : *Ego N., Ecclesiæ N. vocatus Episcopus, promitto in conspectu omnipotentis Dei, atque totius Ecclesiæ, quod ab hac hora in antea fidelis et obediens ero, perpetuo more prædecessorum meorum, beato N. sanctæque Ecclesiæ N.* (nominando Ecclesiam Metropolitanam), *et vobis Domino meo N., Dei gratia ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo, vestrisque successoribus canonice intrantibus, prout est a sanctis Patribus institutum, et Ecclesiastica ac Romanorum Pontificum commendat auctoritas. Non ero in consilio, aut consensu, vel in facto, ut vitam perdatis aut membrum, aut capiamini mala captione. Consilium, quod mihi per vos, aut per litteras vel per nuntium credituri estis, ad damnum vestrum, me sciente, nulli pandam. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Vos quoque, et nuntios vestros ac Ecclesiæ* (nominando Ecclesiam Metropolitanam), *quos certos esse cognovero, in eundo, stando et redeundo, honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adjuvabo. Possessiones vero ad mensam mei episcopatus pervenientes non vendam, neque donabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo contra jus vel consuetudinem Ecclesiæ meæ alienabo, vobis vel vestris successoribus inconsultis.* Deinde librum Evangeliorum, quem Metropolitanus coram eo apertum super genibus tenebat. electus ambabus manibus supra scripturam tangebat, dicens : *Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* Quo facto, sigillum suum litteræ juramenti hujusmodi, pro majori illius robore, appendebat seu appendi faciebat, et eam Metropolitano tradebat.

COMMENTARIUS.

I. In nostris ad tomi I titulum XIII, qui est *De Consecratione electi in Episcopum*, Commentariis, omnia pene quæ in duobus hisce §§ descripta sunt, enarravimus. In § IX præsentis tituli illud occurrit, variare nonnihil juramentum fidelitatis in ipso relatum ab illa juramenti formula quæ in laudato titulo XIII exstat. Sane postquam omnium episcopatuum provisio ad Sedem Apostolicam exclusis Metropolitanis translata fuit, atque solius Sedis Apostolicæ auctoritate confirmari et consecrari cœperunt, etiam ab omnibus, tanquam ordinationi Apostolicæ Sedis immediate subjectis, juramentum hoc Romano Pontifici præstandum exigitur, non quidem juxta formulam in nostro hoc § expressam, sed juxta illam a Clemente VIII reformatam et extensam, ac hodierno Romano Pontificali insertam, quam legere est nostro I tomo hujus operis in Commentario ad § VIII tituli XIII.

II. Sæculo XIV, nondum omnes Episcopos præstitisse hoc juramentum fidelitatis Romano Pontifici, sed illos tantum qui ipsi immediate erant subjecti, reliquos vero illud idem præstitisse suis Metropolitanis, a quibus confirmationem et consecrationem accipiebant, docet nos Glossographus canonici juris, qui ipso sæculo ita scripsit in cap. *Ut super* VIII, *De rebus Ecclesiæ non alienandis*, ubi juramenti ab Episcopo præstandi de non alienandis rebus ad suam mensam spectantibus fit mentio : « Quilibet » Episcopus, qui immediate Domino Papæ sub» est, jurat ei fidelitatem, quod non alienabit » bona Ecclesiæ, nec infeudabit, et idem jura» mentum præstant alii Episcopi suis Metropo-

Digitized by Google

» litanis. » Cæterum, quamvis ante novam fidelitatis formulam, quæ non modo in Pontificali Clementis VIII, sed et in Pontificalibus ante ipsum editis legitur, illa in usu esset formula, quæ in hoc nostro § IX describitur, ubi nulla fit mentio Romanæ Ecclesiæ ejusque Pontificis; utriusque tamen mentionem facit Vaticanum Pontificale Durandi, cujus formulæ initium, uti legitur nostro I tomo, pag. 382, hæc est : « Ego Stephanus *talis* Ecclesiæ vocatus Episco- » pus, promitto in conspectu omnipotentis Dei, » atque totius Ecclesiæ, quod ab hac hora in » antea fidelis atque obediens ero beato Petro » sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et ipso summo » Pontifici, ac vobis Domino meo Domino S., » Dei gratia Ecclesiæ ejusdem Archiepiscopo, » vestrisque successoribus canonice intranti- » bus, etc. »

III. Finis hujus professionis, sive juramenti fidelitatis hic est : « Sic me Deus adjuvet, et » hæc sancta Dei Evangelia. Cum sigillo meo » præsentibus appenso corroborans supradicta. » Actum, etc. » Cujus ritus meminit quidem Rubrica nostri hujus § IX in fine, ubi post illa verba, « Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta » Dei Evangelia, » ab Episcopo fidelitatem jurante prolata, hæc statim addit : « Quo facto, » sigillum suum litteræ juramenti hujusmodi » pro majori illius robore appendebat, seu ap- » pendi faciebat, et eam Metropolitæ tradebat. »

§ X.

Tunc deposita mitra surgebat Metropolitanus, et faciebat confessionem, et procedebatur in omnibus et per omnia prout supra ordinatum est usque *Ad multos annos*. Quo per consecratum dicto, Metropolitanus tradebat consecrato edictum scriptum hujusmodi tenoris :

Dilecto nobis Fratri et Coepiscopo N. salutem in Domino sempiternam. Quoniam, ut credimus, divino te nutu vocante, Capitulum N. Ecclesiæ unanimiter elegerunt rectorem, et ad nos usque perducentes, petierunt Episcopum consecrari. Et ideo, auxiliante Domino, testimonium illis reddentibus, et conscientia tua, ob utilitatem ipsius Ecclesiæ, per manus nostræ impositionem te Episcopum consecravimus. Amodo, Frater charissime, scias te maximum pondus suscepisse laboris, quod est sarcina regiminis animarum, et commodis servire multorum, omniumque fieri minimum atque ministrum, et pro credito tibi talento in die examinis et judicii rationem redditurum. Nam, si Salvator noster dicit : Non veni ministrari, sed ministrare, *et animam suam posuit pro ovibus suis : quanto magis nos inutiles servi summi Patris-familias, debemus maximo cum sudore incumbere, oves Dominicas, a summo nobis Pastore consignatas, ad ovile Dominicum, suffragante divina gratia, absque morbo vel macula perducere? Exhortamur ergo dilectionem tuam, ut Fidem, quam in exordio tuæ consecrationis breviter lucideque digessimus, illibatam et inviolabiliter custodias; quia Fides omnium virtutum fundamentum est. Scimus quod ab infantia sacris es litteris eruditus et canonicis institutis edoctus; attamen breviter ad te nobis dirigendus est sermo. Ordinationes ergo cum feceris, secundum Canones atque Apostolicam Ecclesiam aptis temporibus fac, id est, mensis primi, quarti, septimi et decimi. Vide ut manus cito nemini imponas, neque communices peccatis alienis. Bigamos, vel curiales, aut servum cujuslibet ad sacrum Ordinem nequaquam promoveas; nec neophytum, ne, secundum Apostoli sententiam, in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli : sed eos in sacrosancta Ecclesia ordinare stude qui ætatem habeant maturitatis, et apud Deum et homines*

Digitized by Google

fideliter vixerint, et deinceps vivere studeant. Et hoc cavendum est tibi et quasi venenum pestiferum rejiciendum, ne avaritia surripiat cor tuum; ut per quodlibet munus acceptum manus impositionem alicui tribuas, et in simoniacam hæresim, quam Salvator noster omnimode detestatur, in præceps ruas. Memento quia gratis accepisti, gratis et da : secundum enim Vatis eloquium, qui projicit avaritiam, et excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt, Regem in decore videbunt oculi ejus. Temetipsum mitem castumque custodias. In habitaculum tuum aut raro aut nunquam mulieri sit ingressus. Omnes puellas et virgines Christi aut æquanimiter ignora, aut æquanimiter dilige: nec de præterita castitate confidas, quia neque Samsone fortior, nec David sanctior, nec Salomone poteris esse sapientior. Quando autem, ob animarum lucrum visitationis causa, in collegium vel infra septa ingressus fueris ancillarum Dei, non solus introeas, sed tales tecum adhibe socios de quorum contubernio non diffameris : quia oportet Episcopum irreprehensibilem esse, et testimonium habere bonum ad omnes; ut ne quis ex eo scandalum sumat : scandalizanti enim unum de pusillis, scimus quanta animadversio a Domino comparetur. Prædicationi insta; verbum Dei plebi tibi commissæ affluenter et melliflue ac distincte, in quantum rore cœlesti perfusus fueris, prædicare non desinas. Scripturas divinas sæpius lege ; imo (si potest fieri) lectio sancta in manibus tuis, maximeque in pectore tuo semper inhæreat, ipsam vero lectionem oratio interrumpat; ad instar namque speculi anima tua in ipsam sedulo respiciat; ut vel quæ incorrecta sunt, corrigat, vel quæ pulchra sunt, amplius exornet. Disce quod sapienter doceas, amplectens eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Permane in his quæ didicisti, et credita sunt tibi eloquia divinæ dispensationis. Paratus semper esto ad satisfactionem. Nec confundant opera tua sermonem tuum, ne, cum in Ecclesia tua loqueris, tacitus quilibet respondeat : Cur ergo ipse non facis quod jubes? Recognosce, magister, qui turgidum ventrem ferre videris, quomodo mihi de jejuniis prædicas? Furta atque perjuria possunt etiam detestari latrones, et avaritiam cupidi. Vita igitur tua irreprehensibilis fiat, in ipsa filii tui regulam sumant; ex ipsa quidquid in eis minus correptum fuerit, corrigant : ex ipsa videant quod diligant; cernant quod imitari festinent, ut ad exemplum tuum omnes fideli studio vivere compellantur. Sit erga subjectos tuos sollicitudo laudabilis. Exhibeatur cum mansuetudine disciplina, cum discretione correctio. Iram benignitas mitiget, benignitatem zelus exacuat; ita et alterum ex altero condiatur, ut nec immoderata ultio ultra quam oportet, affligat, neque iterum frangat Rectorem remissio disciplinæ. Itaque boni te dulcem, pravi asperum sentiant correptorem; in qua videlicet correptione hunc esse ordinem noveris observandum, ut personas diligas et vitia persequaris, ne, si aliter agere fortasse volueris, transeat in crudelitatem correctio, et perdas per irremissam iram quos emendare per discretionem debueras. Sic enim vulnera convenit te abscindere, ut non facias ulcerari quod sanum esse videtur; neque, si

Digitized by Google

plus quam res exegerit, ferrum incisionis impresseris, noceas cui prodesse festinas. Nec dicimus ut in te delinquentibus non te ostendas ultorem, et vitia nutriri permittas; sed hortamur ut in judicio semper misericordia misceatur, ut possis cum Propheta fiducialiter dicere : Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. *Sit in te pastoris pietas, amabilisque dulcedo, et secundum canonicas regulas severa districtio, videlicet ut innocenter viventes leniter foveas, et inquietos perfidosque feriendo a pravitate compescas. Nullius faciem in judicio aspicias, ut nec divitem potentia sua apud te extollere possit, nec pauperem, propter paupertatem humilitatemque ipsius, exasperatio tua de re quam suggerat, humiliorem reddat. Substantiam Ecclesiæ, quam ad dispensandum suscipis, fideliter ac discrete erogare ne dissimules. Scias te alienum esse dispensatorem, ut in te Dominicum impleatur eloquium, dicens :* Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis escam in tempore. *Hospitalitatem sectare. Misericordem, prout vires suppetunt, pauperibus te exhibe; quia qui obturat aurem ad clamorem eorum ut non exaudiat, ipse clamabit et non exaudietur. Viduæ, orphani pupillique te benignissimum pastorem ac tutorem se habere gaudeant. Oppressis defensio tua subveniat. Illis autem qui opprimunt, vigor tuus efficaciter contradicat. Et ita cuncta, Deo adjuvante, præmunias, ut lupus sæviens, sequacesve illius adhuc in carne vitam agentes, huc illucque debacchantes, et animas innocentium laniare cupientes, in ovile Dominicum ingrediendi ad perdendas animas locum non habeant. Nullus te favor extollat, nulla adversitas atterat, id est ut nec in prosperis cor tuum elevetur, neque in adversis in aliquo dejiciatur, sed omnia et in omnibus caute et cum discretione agere te volumus, ut absque reprehensione ab omnibus vivere comproberis. Sancta Trinitas fraternitatem tuam sua protectione incolumem custodiat, ut, dum tali moderamine in Deo nostro onus quod suscepisti peregeris, in die æternæ retributionis, eo dicente, audire merearis :* Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. *Quod ipse tibi præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum.* ℟. *Amen.* Quo tradito, ibunt omnes, quilibet ad locum suum ad se exuendum.

COMMENTARIUS.

I. Cautum est ex plurimis priscis æque ac recentioribus libris Pontificalibus, quin et ex ipso antiquo Romano Ordine apud Hittorpium, ut consecrato Episcopo a Metropolitano edictum daretur continens regulas ex sacris Canonibus sumptas ad vitam Episcopalem recte instituendam. Vetus Ordo Romanus a Mabillonio, tomo II *Musei Italici* editus, post nonnullas interrogationes Archiepiscopi consecratoris, ad quas respondere singulatim solebat Episcopus consecrandus, ita ait dicere consuevisse Metropolitanum : « Dabitur tibi edictum de scrinio quomodo debeas conversari. » Ex præscripto manuscripti Pontificalis insignis Ecclesiæ Bisuntinæ, annorum circiter septingentorum, legebatur quidem a Cancellario istud edictum ad mensam ad quam ipso ordinationis die invitatus erat novus Episcopus, recumbentibus una cum Archiepiscopo aliis Coepiscopis ordinatoribus. Sic enim inquit : « Postquam novus Episcopus Missam » finierit, invitet eum Cancellarius ex parte » Archiepiscopi ad mensam; similiter et alios » Episcopos qui interfuerint consecrationi. Post» quam sederint, et versum super mensam

Digitized by Google

» dixerint, Cancellarius dicit : *Jube, Domne,* » *benedicere.* Data benedictione, incipiat legere » hoc modo. » Sequitur edictum, de quo mox infra, idemque est quod in ipso antiquo Romano Ordine apud Hittorpium legitur, excepto initio edicto præfixo, quod, juxta Bisuntinum Pontificale, Cancellarius ita legere incipiebat : « Ad te hodie, consecrate Episcope, ex parte » domni Archiepiscopi mihi est sermo. » Ex antiquo autem Ordine Romano ita est initium edicti : *Dilecto nobis Fratri* ill. *Episcopo* ill., *Pontifex.*

II. Conflatum est edictum ex variis sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum et Conciliorum sententiis. Eratque ritus antiquus ut ordinandis Episcopis vel Clericis, prius ab ordinatoribus suis decreta Conciliorum auribus eorum inculcarentur, uti constat ex canone III Concilii III Carthaginensis, quod habitum est anno 397. Inter alia vero, ut ait S. Gregorius Magnus ad Augustinum Anglorum apostolum scribens, apud Venerabilem Bedam, lib. I *Historiæ Anglicanæ*, cap. XXVII : « Mos Sedis Apostolicæ est, » ordinatis Episcopis præcepta tradere, ut in » omni stipendio quod accedit, quatuor debeant » fieri portiones, una videlicet Episcopo et famiiliæ ejus propter hospitalitatem atque suscep» tionem ; alia Clero : tertia pauperibus ; quarta » Ecclesiis reparandis. » Ex Concilio Duziacensi I, quod celebratum fuit anno 871, parte III, cap. V, « In litteris quas Canones ordinatos ab » ordinatoribus suis jubent accipere, traditione » Sedis Apostolicæ scriptum habetur : *Mini» sterium, ornatum, vel patrimonium atque re» ditus, vel facultates Ecclesiæ, prout leges di» vinæ promulgatæ præfigunt, stude conservare,* » *ampliare, augere, vel dispensare.* »

III. Scribit præterea Mabillonius in opere *De Studiis monasticis*, ordinato olim Episcopo una cum Evangelii codice traditum fuisse *Librum Pastoralem* S. Gregorii, quia scilicet, quæ in ipso scripta sunt libro, omnia pene continentur quæ ad Episcopalem vitam recte instituendam attinent. Polliceri sane jubebantur Episcopi in ordinatione sua consecratori Archiepiscopo observationem sacrorum Canonum, et prædicti *Libri Pastoralis* S. Gregorii. Id enim testatur Hincmarus archiepiscopus Remensis, in litteris ad nepotem suum episcopum Laudunensem, sic inquiens : « Quando tibi » librum sacrorum Canonum, et *Regulam Pa» storalem* beati Gregorii coram altare in præ» sentia omnium qui adfuerunt, in manum » misi, obtestans ut ita, quantum tibi Deus scire » et posse daret, servares in vivendo et docendo » et judicando, et ipsos libros sub testimonio » divino et prædictæ fidelium Ecclesiæ suscep» tos, te ita observaturum consensione tua » confirmasti.

IV. Quanto in pretio fuerit olim apud Gallos is Gregorii liber, docet Concilium Cabillonense II, cap. I, ubi ita inquit : « Decrevimus juxta san» ctorum Canonum constitutionem, et cætera» rum sanctarum Scripturarum doctrinam, ut » Episcopi assidui sint in lectione, et scruten» tur mysteria verborum Dei, quibus in Ecclesia » doctrinæ fulgore splendeant, et verborum Dei » alimentis animas sibi subditas satiare non » cessent, et cum David quotidie Domino di» cant : *Revela oculos meos, et considerabo* » *mirabilia de lege tua :* ita videlicet ut illas » Scripturas notissimas habeant quæ canonicæ » appellantur, et earum sensum per Patrum » tractatus inquirant : Canones quoque, et li» brum beati Gregorii Papæ *De cura Pastorali,* » et secundum formam ibidem constitutam et » vivant et prædicent. » Observat Filesacus in libro *De sacra Episcoporum auctoritate,* cap. I, § IV, antiquos Gallos magni semper fecisse beatum Gregorium, ut non modo voluerint Episcopos ediscere *Librum* illius *Pastoralem,* uti habetur in Concilio Turonensi sub Carolo Magno, capite III ; verum etiam, ut in ipsis Conciliis Gallicanis, ubi de restauranda collapsa disciplina Ecclesiastica agebatur, liber idem prælegeretur, quemadmodum liquet ex Concilio Moguntino sub eodem Carolo, in præfatione, et ex Concilio Remensi, cap. X. Atque hinc factum est ut Concilii Aquisgranensis sub Ludovico Pio, plura capita sententiis sancti Gregorii referta sint. Hæc autem idcirco paulo fusius quam nostri instituti ratio exigebat, enarranda censuimus, ut Episcopi nostri hodierni, relictis poetarum fabulis, quibus cæteroqui nonnulli summopere delectantur, ad ejus libri lectionem excitentur.

V. Præter litteras edictum continentes, regulam nempe ex sacris Canonibus ad Episcopalem vitam recte instituendam, aliæ dari recens ordinato Episcopo a suo Consecratore

Digitized by Google

solebant, de quibus mentionem faciunt Concilium Milevitanum II, anni 416, can. XIV, et codex Canonum Ecclesiæ Africanæ, can. LXXXIX : « Quicumque, inquiunt, deinceps ab Episcopis » ordinantur per provincias Africanas, litteras » accipiant ab ordinatoribus suis continentes » consulem, et diem. » Servatam hanc disciplinam in aliis Occidentis Ecclesiis, addiscere licet ex Concilio Suessionensi II, anno 853 celebrato, in cujus actione I, ita Hincmarus archiepiscopus Remensis loquitur : « Qui ad » summum Sacerdotium provehitur, decreto » manibus omnium roborato eligitur. Ordina- » tus autem a suis ordinatoribus litteras accipere » jubetur. » Et in actione III, ubi ejus ordinatio et Ebbonis depositio examinantur, ita legitur : « Surgens idem Hincmarus in conspectu prin- » cipis gloriosi et Synodi, porrexit et litteras » canonicas, quas Canones sacri ordinatum a » suis ordinatoribus accipere jubent, diem præ- « ferentes, et consulem. » Quam ob causam hujusmodi litteræ darentur, edicit laudatum Concilium Milevitanum II : « Ut nulla altercatio » de posterioribus vel anterioribus oriatur. » Ritus enim pervetustus fuit ut, salvo Metropolitani jure, Episcopi secundum tempus ordinationis suæ in Conciliis sederent, subscriberentque ; uti fuse diximus nostro I tomo *Conciliorum* in Prolegomenis, cap. XXIII.

VI. Erant quoque olim in usu *litteræ communicatoriæ*, quæ paulo post ordinationem a recens ordinatis Episcopis, vel ab eorum Consecratoribus ad alios Episcopos mittebantur, ut scirent ad quos scribere, et a quibus pacificas litteras accipere deberent. Hinc S. Leo Papa, in Epistola CXVIII, ad Basilium Antiochenum, quæ exstat in nova editione Quesnelli, ita scribit : « Ordinationem quidem dilectionis tuæ, » secundum Ecclesiasticum morem, tuo vel » Fratrum nostrorum provincialium Episcopo- » rum debueramus sermone cognoscere. » Viguisse hanc disciplinam in Ecclesia Græca, constat ex *Apologetico* S. Cyrilli ad Theodosium, ubi ita ait : « Cum de ordinatione ip- » sius (Nestorii) litteras a piissimis Episcopis, » qui eum promoverant, accepissem, non » cunctatus, gaudens et laudans, illique tan » quam Fratri et comministro optima quæque » per divinam sententiam obtingere perceptam » rescripsi. » Sane et illud liquet, quod alias notavimus, scripturas non modo fuisse olim litteras ordinationem novi Episcopi continentes ad alios Episcopos, ac præsertim ad Romanum Pontificem, qui eam suo scripto confirmabat, sed ab ipso etiam recens ordinato Episcopo litteras continentes Fidei suæ professionem scribi litteras consuevisse.

VII. Ad edictum quod attinet, de quo nos in præsenti agimus, exstat profecto illud eisdem pene verbis in manuscripto Vaticano Gulielmi Durandi Pontificali exaratum, quibus in hoc § describitur. Sed lubet ad majorem lectoris eruditionem illud hic veluti in Appendice referre, quod in antiquo Ordine Romano apud Hittorpium legitur, cui, ut superius notatum est, alii complures libri Pontificales ea in re concinunt. Sic autem inquit :

APPENDIX.

Dilecto nobis Fratri *ill.*, Episcopo *ill.*, Pontifex. Dum, ut credimus, te, divino nutu vocante, Clerus, vel populus civitatis *illius* una cum subjectis parochis unanimes unoque ore sibi elegerunt rectorem, et ad nos usque perducentes, petierunt consecrari Episcopum, quoniamque, auxiliante Domino, testimonium illis reddentibus de conscientia tua, vel castitate, seu de reliquis bonis quæ Deo acceptabilia sunt, ob utilitatem ipsius Ecclesiæ per manus nostræ impositionem te Episcopum consecravimus : amodo, Frater charissime, scias te maximum pondus suscepisse laboris, quod est sarcina regiminis animarum, et commodis servire multorum, omniumque fieri minimum atque ministrum, et pro credito tibi talento, in die examinis et judicii, rationem redditurum. Nam, si Salvator noster dixit : *Non veni ministrari, sed ministrare;* et animam suam posuit pro ovibus suis : quanto magis nos, desidiosi servi summi Patris-familias, debemus maximo sudore incumbere, oves Dominicas nobis a summo Pastore consignatas, ad ovile Dominicum, suffragante divina gratia, absque morbo vel macula perducere? Denique exhortari volumus dilectionem tuam, ut fidem, quam breviter lucideque digessimus, illibatam et inviolabiliter custodias, quæ est ita in his verbis deprompta.

Sermo de Fide.

Credimus in unum Deum omnipotentem,

Digitized by Google

visibilium omnium et invisibilium factorem : et in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei vivi, et Spiritum sanctum Domini. Non tres Deos, sed Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, unum Deum colimus, confitemur, et adoramus. Patrem credimus ingenitum, Filium genitum, Spiritum vero sanctum non genitum, non creatum, neque factum, sed de Patre et Filio procedentem, Patri et Filio coæternum, et coæqualem, et cooperatorem. Et in hac Trinitate nihil est prius aut posterius, nihil est minus aut majus, sed coæterni sibi sunt et coæquales. Itaque Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, hi tres unum sunt. Tres non confusi nec divisi, sed distinctim conjuncti, et conjunctim distincti : æqui divinitate, consimiles majestate, qui ita uniti sunt ut tres quoque non dubitemus : ita tres sunt ut separari a se non posse fateamur. Dividitur, ut ita dicam, hæc sancta Trinitas indivisibiliter, et conjungitur divisibiliter, quemadmodum ipse Dei filius Jesus Christus effatus est, dicens : *Ego et Pater unum sumus. Unum*, quod dixit, pluralitatem exclusit. *Sumus*, quod addidit, personas manifeste ostendit. Credimus et in novissimis temporibus propter nos homines, et propter nostram salutem Dei Filium descendisse de cœlis, et adsumpsisse humanam carnem ex Maria semper virgine. In qua vero carne, quam veraciter adsumpsit, passus est et flagellatus, colaphis, sputis illitus, spineam coronam in capite gestans, cruci cum impiis latronibus adfixus, ut et illud impleretur : *Quia cum iniquis deputatus est ;* felle et aceto potatus, sicut prædictum fuerat : *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Mortuus est, descendit ad inferos : et animas quas voluit, quæ ex Adam vinculo ibi adstrictæ tenebantur, ad superos revocavit. Tertia die resurrexit a mortuis, et per quadraginta dies post resurrectionem suam in terris conversatus, et cum discipulis suis loquens atque convescens, locutus est, dicens : *Videte manus meas, et pedes meos, quia ego ipse sum, etc.* Post hæc in montem Oliveti conscendens, vocatis discipulis suis, ait illis : *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque præcepi vobis : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Tunc videntibus illis, ascendit in cœlos, et sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturum exspectamus eum ad judicium, judicaturum vivos et mortuos, et reddere unicuique, aut vitam æternam, præmium boni meriti, aut sententiam pro peccatis æterni supplicii.

Credimus unum baptisma, credimus carnis resurrectionem, et in triginta annorum ætate ad judicium venturos. Credimus sanctam Ecclesiam Catholicam, toto orbe diffusam. Credimus remissionem omnium peccatorum, communionemque sanctorum, et vitam æternam. Amen.

Scimus namque quod ab infantia sacris es litteris eruditus, et Canonum institutis ad liquidum edoctus : attamen non prolixe, sed breviter quidem strictimque ad te nobis dirigendus est sermo.

Ordinationes si quas feceris, secundum Canones atque Apostolicam Ecclesiam aptis temporibus fac, id est, mensis primi, quarti, septimi, atque decimi.

Vide ut cito nemini manum imponas, ne communices peccatis alienis.

Bigamos, vel curiales, aut servum cujuslibet ad sacrum Ordinem nequaquam promoveas; nec neophytum, ne, secundum Apostoli sententiam, elatus, in laqueum vel voraginem incidat diaboli; sed eos in sacrosancta Ecclesia ordinare stude qui ætatem habeant maturitatis, et apud Deum et homines fideliter vixerint, et deinceps vivere studeant.

Et hoc cavendum est tibi, quasique venenum pestiferum rejiciendum, ne avaritia subripiat cor tuum, ut per quodlibet munus acceptum, manus alicui tribuas, et in simoniacam hæresim, quam Salvator noster omnimodis detestatur, in præceps ruas. Memento quia gratis accepisti, gratis et da. Secundum enim Vatis eloquium, qui ejicit avaritiam, et excutit manus suas ab omni munere, hic in excelsis habitabit, et munimenta saxorum, sublimitas ejus. Panis ei datus est, aquæ ipsius fideles sunt, Regem in decore videbunt oculi ejus.

Temetipsum mitem castumque custodi. In habitaculum tuum aut raro aut nunquam mulieri sit ingressus. Omnes puellas aut virgines Christi, aut æquanimiter ignora, aut æquanimiter dilige. Nec de præterita castitate confidas, quia nec Samsone fortior, neque Salomone poteris esse sapientior. Quando autem ob anima-

Digitized by Google

rum lucrum visitationis causa in collegium vel infra septa ingressus fueris ancillarum Dei, non solus introeas, sed tales tecum adhibe socios, de quorum contubernio non diffameris, quia oportet Episcopum irreprehensibilem esse, et testimonium habere bonum ad omnes, ut ne quis ex eo scandalum sumat. Scandalizanti videlicet unum ex pusillis, scimus quanta animadversio a Domino comparetur.

Prædicationi insta : verbum Dei plebi tibi commissæ affluenter melliflueque atque distin- in quantum rore cœlesti perfusus fueris, prædicare non desinas. Scripturas divinas sæpius lege; imo, si potest fieri, lectio sancta in manibus tuis, maximeque in pectore semper inhæreat. Ipsam vero lectionem oratio interrumpat. Ad vicem namque speculi, anima tua in ipsam sedule respiciat, ut vel quæ incorrecta sunt, corrigat, vel quæ pulchra, amplius exornet. Disce, quod sapienter doceas, eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sana, et contradicentes revincere. Permane in his qui didicisti, et credita sunt tibi eloquia Dominicæ dispensationis. Paratus semper esto ad satisfactionem : nec confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in Ecclesia loqueris, tacitus quislibet respondeat : Cur ergo ipse non facis quod jubes? Recognosce, magister, qui turgidum ventrem ferre videris, ne de jejuniis prædices. Furta atque perjuria possunt etiam detestari latrones, et avaritiam cupidi. Vita scilicet tua irreprehensibilis fiat : in ipsa filii tui regulam sumant : in ipsa, quidquid in ipsis minus correctum fuerit, corrigant : ex ipsa videant quod diligant : cernant quod imitari festinent : ut ad exemplum tuum omnes fideli studio vivere compellantur. Sit erga subjectos tuos sollicitudo laudabilis. Exhibeatur cum mansuetudine disciplina, cum discretione correptio. Iram benignitas mitiget, benignitatem zelus exacuat : et ita alterum ex altero condiatur, ut nec immoderata ultio ultra quam oportet, affligat : nec iterum frangat rectorem disciplinæ remissio. Itaque boni te dulcem, pravi asperum sentiant correptorem. In qua videlicet correptione hunc esse ordinem noveris observandum ut personam diligas et vitia persequaris : ne, si aliter agere fortasse volueris, transeat in crudelitatem correptio, et perdas per remissam iram quos emendare per discretionem debueras. Sic enim vulnera te convenit abscindere, ut non possis ulcerare quod sanum esse videtur, ne, si plusquam res exigit, ferrum incisionis impresseris, noceas cui prodesse festinas. Nec dicimus ut in te delinquentibus non te ostendas ultorem, et vitia nutrire permittas : sed hortamur ut in judicio semper misericordia misceatur, ut possis cum Propheta fiducialiter dicere : *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine.* Sit in te pastoris pietas, amabilisque dulcedo, et secundum Canonum regulas severa districtio, videlicet ut innocenter viventes leniter foveas, et inquietos perfidosque feriendo a pravitate compescas. Nullius faciem in judicio aspicias, ut nec divitem potentia sua apud te extollere possit, nec pauperem, propter paupertatem humilitatemque ipsius, exasperatio tua de re quam suggerit, humiliorem reddat. Substantiam Ecclesiæ, quam ad dispensandum suscipis, fideliter atque discrete erogare ne dissimules. Scias te alienum esse dispensatorem, ut in te Dominicum impleatur eloquium, dicens : *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis escam in tempore.*

Hospitalitatem sectare : misericordem, prout vires suppetunt, pauperibus te exhibe : quia *qui obturat aurem a clamore eorum ut non exaudiat, ipse clamabit et non exaudietur.*

Viduæ, orphani pupillique te benignissimum pastorem atque tutorem se habere gaudeant.

Oppressis defensio tua subveniat. Illis autem qui opprimunt, vigor tuus efficaciter contradicat. Et ita cuncta, Deo adjuvante, præmunias, ut lupus sæviens, sequacesve illius adhuc in carne vitam agentes, huc illucque debacchantes, et animas innocentium laniare cupientes, in ovile Dominicum ingrediendi, ad perdendas animas, locum non habeant.

Nullus te favor extollat, nulla adversitas atterat, id est ut nec in prosperis cor tuum elevetur, nec in adversis in aliquo dejiciatur : sed omnia et in omnibus caute et cum discretione agere te volumus, ut absque reprehensione ab omnibus vivere comproberis.

Exhortatio.

Eia, dilectissime Frater, satage atque elaborare non desinas ad perficiendum opus quod

Digitized by Google

actu uses, ut oves tibi traditas tandem aliquando ad ovile Dominicum salubri refectionis pabulo educatas, repræsentare una tecum merearis. Perpendamus communiter, Frater charissime, nos qui Pastores ovium Dominicarum indigne dicimur. Pastores sunt ovium brutorumque animalium, qui diu noctuque pervigiles existunt, et greges a dominis suis sibi commissos cum maxima instantia fideliter custodiunt. Fugit somnus ab oculis eorum, pervigiles in noctibus plurimis existunt : æstu uruntur et siti, conscendunt cacumina montium, colles vallesque perscrutari non desinunt, perquirentes pascua ovium alendarum apta. Quæ dum invenerint, in eis collocare gregem festinant. Quem cum in agmine suo omnia virentia, ac quæque delectabilia carpere conspiciunt, assumptis musicorum fistulis, dulci modulamine juxta ingenium sui sensus, aures gregum suorum demulcent : et semper undique oculis intentis inspiciunt, ne quælibet bestia ex ipsis aliquam de manibus eorum rapiat, ut ad caulas dominorum suorum numerum sibi traditum perducant. Et si qua ex illis erraverit aut in densitate veprium inhæserit, perquirendo ad ovile proprium reducunt : aut, si fessa ex ipsis in via defecerit, in humeris propriis imponunt et gestant : et quod morbidum fuerit, vel redintegrare non dedignantur : et maximum laborem, plurimumque adhibent sudorem, ut ne una quidem ex ovibus eorum pereat.

Si enim pastores ovium atque animalium, pro commodo temporali, tanto semetipsos labore afficiunt, ut oves dominorum suorum absque damno custodiant, et lucrum acquirere possint; quid nos e contra in die districti judicii dicturi sumus, quando apparuerit Pastor pastorum, Judex vivorum, et cœperit cum servis de talentis quæ tradidit, rationem ponere, qui curam alendarum ovium Dominicarum suscepimus, sed animabus ad imaginem Dei conditis, pro quibus Christus semetipsum tradidit, pascua virentia non perquirimus, id est, eas prædicatione sancta atque verbis delectabilibus non instruimus? neque montium juga æternalium conscendimus, hoc est, exempla sublimium Patrum non ostendimus, nec dulcibus eloquiis blandimur, et errantes in peccatis veprium spinarumque non perquirimus, nec laboramus ut ad ovile proprium eas reducamus, nec lassis manum porrigimus, atque in peccatis veprium lassescentes et inclinantes sublevare non conamur? quod fractum est non alligamus, neque malagma imponimus, sed calamum quassatum et in linum fumigans, quod redintegrare et illuminare debueramus, exstinguimus? Bestiis, lupisque spiritualibus atque carnalibus murum non objicimus, ut infra septa ovium ingredi non valeant : sed, quod pejus est, nosmetipsos magis quam oves pascimus : quod crassum, jugulamus : lanas quoque ac mollia quæque induimus, aquam limpidissimam bibimus, et oves, quæ pedibus nostris conculcata est, turbulentam sitientes bibunt? Comessationibus et potationibus die noctuque insistimus : et, cum venter noster replebitur, eructantes dicimus : *Benedictus Dominus, quia usque ad satietatem ditati sumus*. Et quid aliud est nisi quod nos, qui pastores dici debuimus, mercenarii sumus?

Imploranda est itaque, Frater charissime, cum gemitibus, crebrisque suspiriis Domini misericordia exoranda, ut opem ferat nobis miseris, quatenus oves quas nobis ad regendum tradidit, juxta illius voluntatem in procella hujus sæculi regere, atque ad ovile ipsius per viam rectam incedentes, quæ via Christus est, una nobiscum perducere valeamus.

Hæc, amabilis Frater, inter multa alia quæ sacra continet lectio, Sacerdotii dignitati congrua nobis videntur, quid agendum, quidve respuendum sit. Quod si implere non desiveris, credimus quod, adjuvante Domino, navim quam in hujus pelagi fluctibus gubernare inchoas, ad littus tutissimi portus extrahere poteris, et hac fiducialiter in directum, spretis ventorum et aquarum ictibus, navigaveris, si duobus gubernaculis utraque manu sustenteris, id est, humilitate, quæ fundamentum duntaxat est virtutum, atque charitate, quæ vinculum est perfectionis.

Sancta Trinitas fraternitatem tuam sua protectione incolumem custodiat, ut, dum tali moderamine in Deo nostro onus quod suscepisti peregeris, in die æternæ retributionis, eo dicente, audire merearis : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam : intra in gaudium Domini tui*. Huc usque Ordinis antiqui Romani edictum.

Digitized by Google

TITULUS XXIX.

DE BARBA TONDENDA.

I. Inter calumnias Photii in Romanam ac omnem Latinam Ecclesiam, est illa profecto, num. VIII, quod nos Latini barbas radamus : eamdem resumpsit deinde calumniam Michael Cerularius, et Nicetas Pectoratus, adversus quem in rerum a se Constantinopoli gestarum indiculo scribit Humbertus episcopus Silvæcandidæ S. R. E. cardinalis, S. Leonis IX Pontificis Maximi ad Constantinum Monomachum imperatorem Græcorum, anno Christi 1054 Legatus, ut pacem inter Latinos et Græcos conciliaret : « Græci, » inquit memoratus Humbertus, « capillos capitis ac barbas nutrientes, eos qui » comas tondent, et secundum institutionem » Romanæ Ecclesiæ barbas radunt, in commu- » nione non recipiunt. » Erant ii Episcopi et Clerici Græci, qui etiam nobis objiciebant, quod « præter Apostolicam institutionem » barbas raderemus; eamque ob rem Latinum victæ Constantinopoli a Flandris impositum Patriarcham, quod barba esset rasus, tanquam desolationis abominationem a Daniele Propheta prædictam, detestatus est in *Historia* sua Nicetas Choniates; Theodorumque Andronici Augusti filium laicum, quod barbam more nostro rasisset, ut germanum Latinum, et veluti suæ gentis proditorem risit ac carpsit, lib. IX *Historiæ Ecclesiasticæ*, cap. II, Nicephorus Gregoras.

II. At vero allucinari Photium ac Nicetam Pectoratum, ubi aiunt barbæ Clericalis abrasionem seu detonsionem esse Apostolicæ institutioni adversam, pluribus ostendit Lupus in dissertatione *De Octava Synodo generali*, capite V, adversus VIII Photii calumniam, ubi inter alia docet datum nobis de barbæ abrasione Canonem a S. Petro Apostolo, de quo auctor antiquus, tametsi incognitus, in *Chronologica* sua *compilatione*, ad annum 56, ita scribit : « Petrus a paganis captus, et ad ludibrium » Christianorum barba rasus, et capite decal- » vatus, et in gyrum attonsus, hoc deinceps » ipse in mysterio in Ecclesia fieri instituit. » Ipsum S. Petrum Apostolum in *Barbirasio*, id est barba tonsa apparuisse tradit sanctus Petrus Damiani, lib. I, epistola XX, ad Cadaloum episcopum Parmensem.

III. Ante S. Petrum Damiani Venerabilis Beda, lib. IV *Historiæ*, cap. XIV, eumdem S. Petrum visum refert detonsum : « Cui pue- » rulo beatissimi Apostolorum principes dignati » sunt apparere, Petrus detonsus, ut Cleri- » cus, etc. » Cui adstipulatur Nicephorus, lib. II *Historiæ*, cap. XXXVII, tradens, Petrum gessisse comam barbamque non admodum promissam : « Capilli, » inquit, « et capitis et barbæ crispi » et densi, sed non admodum prominentes » fuere. » Eo etiam spectat quod legimus in duobus manuscriptis Pontificalibus monasterii Beccensis, annorum circiter sexcentorum, ad Rubricam quæ ita inscribitur : *Benedictio ad barbam benedicendam*. Sic enim ibi orat Episcopus : « Oremus, dilectissimi, Deum Patrem » omnipotentem, ut huic famulo suo *N.*, quem » ad juvenilem perducere dignatus est ætatem, » benedictionis suæ dona concedat; ut, sicut » exemplo beati Petri principis Apostolorum, » ei exteriora pro Christi amore sunt attondenda » juventutis auspicia, ita præcordiorum divellan- » tur interiorum superflua, ac felicitatis æternæ » percipiat incrementa, per eum qui unus in » Trinitate perfecta vivit et gloriatur Deus, per » immortalia sæcula sæculorum. Amen.

IV. Ab ipsis Fidei Christianæ primordiis, adeoque ab ipsis Apostolis acceptum tenuisse Clericos Occidentalis Ecclesiæ morem radendi barbam, docet vir apprime doctus ac sanctus, Gregorius VII Pontifex Maximus, lib. VIII, epistola X, ad Orzocum Sardiniæ rectorem, ubi de Jacobo Calaritano suis manibus consecrato Archiepiscopo ita scribit : « Nolumus prudentiam » tuam moleste accipere quod Archiepiscopum » vestrum Jacobum consuetudini sanctæ Ro-

Digitized by Google

» manæ Ecclesiæ matris omnium Ecclesiarum, » vestræque specialiter, obedire coegimus, scilicet ut, quemadmodum totius Occidentalis » Ecclesiæ Clerus ab ipsis Fidei Christianæ primordiis barbam radendi morem tenuit, ita et » ipse frater noster, vester Archiepiscopus raderet. Unde eminentiæ quoque tuæ præcipimus ut ipsum ceu Pastorem et Patrem spiritualem suscipiens et auscultans, cum concilio » ejus omnem tuæ potestatis Clerum barbas » radere facias atque compellas. » Ubi nota, quod docet Lupus loco citato, Græcis imperatoribus subjectam Latinam Sardiniæ insulam in Græcum morem pedetentim degeneratam, ad avitam disciplinam coactam fuisse a S. Gregorio Papa VII, qui floruit labente sæculo XI, quia scilicet Romana Ecclesia specialis ejus sit mater, id est, quod ipsa ad Romanum ac Latinum Patriarchatum, non ad Græcum Constantinopolitanum pertineat.

V. Meminit hujus S. Gregorii VII Epistolæ sanctus Carolus, in sua diœcesana V Synodo, anni 1578, decreto IV, ubi hæc habet : « Barbæ » radendæ institutum a Patribus in Concilio » Carthaginensi sancitum, quodque ex summi » Pontificis Gregorii VII litteris longe antiquissimum esse perspeximus, jam olim in omni » fere Ecclesia, et in nostra hac Ambrosiana » ad hæc usque tempora, ut nos vidimus, a » plerisque Sacerdotibus antiquæ sanctioris disciplinæ studiosis conservatum, ac deinceps » nostris litteris per nos ad usum consuetudinemque revocatum, ita in perpetuum retineri » præcepimus, ac mandamus ut unusquisque » Sacerdos et Clericus, quocumque gradu dignitateve præditus, barbam radat. » Litteræ quarum hic meminit Carolus, Italico idiomate exaratæ, datæ ab ipso fuerant Mediolani die 30 decembris anni 1576, exstantque integræ in *Actis Ecclesiæ Mediolanensis*, parte VII, cap. inscripto *Litteræ de barba radenda*. Adlaborasse plurimum Carolum in restituenda hac disciplina radendi barbam, non modo ejus repetita decreta, sed et auctores illius Vitæ testantur, inter quos videri potest Joannes-Petrus Giussanus, lib. IV, cap. X, et Carolus a basilica Petri.

VI. Quod Carthaginensis Concilii sanctionem spectat, quam in laudata Synodo V diœcesana Carolus citat, relata est quidem in canone XLIV, super cujus germana lectione certarunt jam olim, atque etiamnum certant antiquarum rerum periti; nam alii aiunt ita legendum canonem : « Clericus nec comam » nutriat, nec barbam ; » alii vero hunc in modum : « Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat, » hancque esse germanam canonis lectionem, ex manuscriptis codicibus Vaticanis, Victorianis, et Gandensibus, aliisque auctoribus, testatur Joannes Savarus diligentissimus Sidonii Apollinaris scholiastes in notis ad Epistolam ipsius Sidonii vigesimam quartam, lib. IV, ubi inter alia inquit, verbum illud *radat* erasum fuisse in plerisque sacrorum Canonum codicibus a quodam male feriato homine, qui una litura maximas altercationes excitavit. Ut ut sit canonis lectio, illud plane constat ex ipso canone, prohiberi Clericis nutrire comam et barbam, id est ipsas promittere : tondere enim saltem debent juxta interpretationem viri clarissimi atque eruditissimi Antonii Caraccioli Clerici Regularis in *Notis ad* sui Ordinis *constitutiones*, parte II, capite II, pag. 119.

VII. Porro nobis in præsenti illam non est in animo controversiam discutere, an ex prisco Ecclesiæ ritu radenda vel attondenda sit sacrorum hominum barba; sat enim fuerit, illud adversus Græcos ostendere, abstinuisse Clericos, quinimo etiam et Monachos, præsertim Benedictinos, in Ecclesia saltem Latina, gestare barbas promissas, ut fuse docet eruditus Martene, libro V *De antiquis Monachorum Ritibus*, cap. VII, ubi etiam monet, Fratres laicos et illiteratos, quos vocant Conversos, in eo a Monachis Clericis fuisse distinctos, quod ipsi oblongam promissamque barbam nutrirent, ut patet ex Anonymo in Vita S. Hermenoldi, lib. II, cap. II, apud Bollandianos, die 6 januarii, ubi refert punitionem cujusdam Fratris « ex his » quos barbatos dicimus, » ut ipse inquit, de quo in Vita a Canisio edita hic præfertur titulus: *De quodam Fratre Converso graviter punito*. De Cisterciensibus definita sententia est ex Chrysostomo Henriquez in Vita S. Alberici, num. XVIII, apud Bollandianos, die 26 januarii, ubi hæc habet : « Tunc definierunt, conversos » laicos, et barbatos se suscepturos, et homines » etiam mercenarios, quia sine adminiculo » istorum non intelligebant se plenarie die sive » nocte præcepta Regulæ posse servare. » Gran-

Digitized by Google

dimontensis Ordinis Fratres Conversos prolixis, Clericos rasis fuisse barbis, testatur in Epistola sua CLII Stephanus episcopus Tornacensis, qui ipsos etiam ita exagitat : « Luctuosum in Ecclesia Dei spectaculum fideli ac flebili compassione prosequimur : Grantimontenses Conversos miserabilem cœtum Clericorum exsulantium barbis prolixis tanquam cornibus ventilantes, etc. »

VIII. Ergo Fratres barbati vocati sunt utplurimum Fratres Conversi in monasteriis, quod barbam nutrirent, uti etiamnum observare est apud Carthusienses. De hujusmodi barbatis sic inter alios scribit Cæsarius Heisterbacensis, lib. IV, cap. LXII : « Tales sunt multi ex his barbatis, qui in habitu et tonsura Religionis terras circumeunt, et plurimos decipiunt. » De iisdem hæc habet *Chronicon Laurishamense :*

Nunc quoque barbati, qui sint, attentius audi.
Sunt ergo laici Milliensibus associati,
Quos risus populi dedit hoc agnomine fungi.
Sunt quia prolixis barbis ad pectora pexis
Deformes, hirti, re vera moribus hirci,
Barbis hircorum similes, larvis tragicorum.
Quos quia vulgaris circumfert aura favoris,
Austera facie sunt, et tonsi caput alte,
Cautius incisis, certoque tenore capillis.
Et sunt immensis induti calceamentis,
Amphibalis longis utentes, et spatiosis.
Quos quid habere putant, submissa fronte salutant :
Gratia, pax vobis, benedicite, credite nobis.
Mille Pater noster, demandat grex tibi noster.
Per veniae centum verrunt barbis pavimentum.
Ut Domini servos plebs mobilis æstimet ipsos,
Verum fallaces fore se produnt, et inanes.

Addit et alia *Chronicon* in spretum hujusmodi barbatorum, quæ lubet hic omittere. Milienses, quorum in secundo versu laudatum *Chronicon* meminit, Monachi erant. Fuisse autem sæculo Christi XII alios Monachos Ordinis cujusdam monastici dictos *Barbatos*, tradit ad annum 1113, Albericus, ita inquiens : « Scripsit quædam de Ordine Fratrum Templi, et Barbatorum. » Idem Albericus, et ex eo auctor *Magni Chronici Belgici* ait, Ordinem ipsum Barbatorum anno 1240, habuisse domos 160.

IX. Si priscos consulamus Patres, profecto illud manifeste constat, irrisos ab ipsis fuisse frequenter Monachos qui barbam hircorum more promitterent. S. Hieronymus lib. II *Adversus Jovinianum*, cap. XIII, ipsum e barbato nuper Monacho rasum Clericum ita suggillat : « Quamquam barbam raseris, inter *barbatos* hircos *damnatorum figuram* numeraberis. » Idem, in Epistola ad Rusticum, Monachos quosdam sui ævi describens, sic inquit : « Videas nonnullos accinctis renibus pulla tunica, barba prolixa, a mulieribus non posse discedere. » Excandescit alibi adversus Monachos quosdam insanos, qui, feminea pene mollitie, comam, contra Apostoli præceptum, alerent, barbam item promitterent, nudisque pedibus incederent : « Viros fuge, quibus feminei, contra Apostolum, crines, hircorum barba, nudi in patientia frigoris pedes. » Invehitur, ut alios omittam, et Augustinus in libro *De opere Monachorum*, cap. XXXI, adversus nonnullos sui temporis Monachos, qui insolentissimo hoc ornatu sperabant se hominum magnam æstimationem et reverentiam propensiorem sibi conciliaturos : « Nam et hoc quo pertinet, quæso, tam aperte contra Apostoli præcepta comari ? an ita vacandum est, ut nec tonsores operentur ? an quia Evangelicas volucres imitari se dicunt, quasi depilari timent, ne volare non possint ? Vereor in hoc vitio plura dicere, propter quosdam crinitos Fratres, quorum præter hoc multa et pene omnia veneramur. Illi enim venalem circumferentes hypocrisim, timent ne vilior habeatur tonsa sanctitas quam comata, ut videlicet qui eos videt, antiquos illos, quos legimus, cogitet Samuelem et cæteros qui non tondebantur. »

X. At vero non inficias iverim, quin non modo apud Græcos, verum etiam apud Latinos variata aliquando fuerit ea disciplina, ut fuse ostendit Lupus, tomo III operum editionis Venetæ, in dissertatione *De octava Synodo*, cap. V, contra octavam Photii calumniam, et tomo IV, in dissertatione *De S. Leonis Noni Actis*, capite XV, contra calumniam secundam Michaelis Cerularii adversus Latinos. Ubi inter alia observat, antiquos crinitos et barbatos Monachos primum de tonsura et barba litem movisse in Ecclesia, ipsam in variis gentibus acriter turbasse, atque ita Photio schismatico, et ejus successori Michaeli Cerulario variæ in nos Latinos calumniæ ansam atque fomentum præbuisse. Sane de Photio Clericalis barbæ abrasionem seu detonsionem damnante recte scribit in opere suo adversum ejus calumnias Ratramnus

Digitized by Google

monachus Corbeiensis : « Quis non videat » quanto sit tenendum ridiculo, de barbæ ton- » sione quod culpat ? » Et infra : « Tam levis » hæc calumnia agnoscitur, ut ei non respon- » deri merito decernatur, ne forsitan talium » levitati pares, vel certe leviores æstimentur, » qui nullam habenti rationem objecto respon- » dere potius quam contemnere delegerunt. » Quid enim refert ad justitiæ non tantum per- » fectionem, verum etiam inchoationem barbæ » detonsio aut conservatio ? » Vide plura apud Thomassinum, parte I *Veteris et novæ Ecclesiæ disciplinæ*, lib. II, cap. XXXVII, et aliis sequentibus.

XI. Quidquid autem de antiquis sæculis fuerit, constat in Ecclesia Latina post annum Christi millesimum, variis ex Conciliis et Pontificum decretis, cautum fuisse ut sacri homines barbam raderent tonderentve. Concilium Bituricense, anni 1031, can. VII, præcipit ut omnes Clerici majores minoresve, barba essent semper rasa, et tonsa coma : « Tonsuram Ecclesia- » sticam habeant, hoc est barbam rasam, et » coronam in capite. » Concilium Coyacense, habitum in Hispania, anno 1050, can. III, eodem præcepto ligavit Presbyteros Diaconosque : « Semper coronas apertas habeant, et barbas » radant. » Quale fuerit ea in re judicium S. Gregorii VII et decretum, diximus supra n. IV. Concilium Tolosanum, an. 1119, can. X, eadem excommunicatione innodavit Monachos apostatas, Clericosque barbam comamque promittentes : « Si quis Ecclesiasticæ militiæ titulo » insignitus, Monachus, vel Canonicus, aut » quilibet Clericus primam fidem irritam fa- » ciens, retrorsum abierit, aut tanquam laicus » comam barbamque nutrierit, Ecclesiæ com- » munione privetur, donec prævaricationem » suam digna satisfactione correxerit. » Alexander III, qui electus fuit Pontifex Maximus anno 1159, litteris suis ad Archiepiscopum Cantuariensem, quæ exstant in cap. *Clericis* VII, *De vita et honestate Clericorum*, mandat ut « Clerici qui comam nutriunt et barbam, etiam » inviti a suis Archidiaconis tondeantur. » Leo X, in Concilio suo Lateranensi, anni 1514, sessione IX, illud a minoribus Clericis exigit ut « non barbam, non coronam nutriant. » Id quod in aliis Conciliis frequenter ac passim legitur.

XII. Qualis fuerit S. Caroli zelus in restituenda antiqua disciplina radendi barbam, ex ejusdem Conciliis et celebri Pastorali ipsius Epistola liquet; qua nimirum, uti superius notatum est, Presbyteros Clericosque omnes adducere conatus est ut barbam raderent, juxta statutum Concilii IV Carthaginensis, et S. Gregorii VII, ac juxta usum Ecclesiæ Occidentalis antiquissimum, suo adhuc tempore observatum, præsertim in ipsa Mediolanensi Ecclesia, cujus rei fidem luculentissimam faciebant tabellæ pictæ antiquissimæ, sicuti et Presbyteri quidam ætate provecti, et antiquæ Ecclesiæ disciplinæ tenaciores : « Illud etiam perfecit, » inquit auctor ejus Vitæ Carolus a basilica Petri, lib. IV, cap. X, « quod difficile omnibus vide- » batur, ut Clerici omnes barbam sibi præcide- » rent. Jam dudum id se cupere ostenderat ; » tum ut corruptelam sacrorum hominum tol- » leret, qui profanas militaresque barbarum » formas, et earum frequentes, levesque mu- » tationes indecore admodum imitantur ; tum » ut vetus Cleri præsertim Mediolanensis insti- » tutum renovaret : plurimi enim superstites » illud viderant in Ecclesia Mediolanensi ser- » vari, nonnulli adhuc servabant, etc. »

XIII. Caroli exemplo, cœpere et alii zelantissimi Episcopi eam diœcesibus suis disciplinam restituere. Concilium Turonense, anni 1583, barbam honeste decurtari mandat ; quod vero Monachos spectat, ita præcipit : « Monachi omnes coronam magnam in capite » habeant, et barbam rasam. » Concilium Aquense, anni 1585, secutum est statuta Concilii I Mediolanensis, quod habitum est anno 1565, ubi id unum præscriptum Clericis legitur : « Comam et barbam ne studiose nu- » triant. » Et paulo post : « Barba ab superiore » labro ita recidatur, ut pili in sacrificio Missæ, » Christi Domini Corpus et Sanguinem sumen- » tem non impediant. » Concilium Mexicanum, lib. III, tit. V, § II, can. IV, ita inquit : « Comam » non nutriant, barbam novacula radant ; vel » ita recidant, ut nihil sæculare remaneat quod » populo ludibrio esse possit. » Idipsum statuunt aliæ Synodi, quas longum esset hic recensere. Radices abusus ubique fere locorum adeo egerat, ut Joannes Gersonius, qui obiit anno 1429, varia perstringens capita laxatæ disciplinæ, hoc quoque commemorat, quod scili-

Digitized by Google

cet Clerici nec capillos tonderent nec barbam raderent.

XIV. Ex Romanis Pontificibus, contra prædecessorum consuetudinem, uti in antiquis Pontificum imaginibus apparet qui barba rasa depicti conspiciuntur, Julius II primus omnium barbam promisit, idque extremis tantum vitæ annis; nam, uti observat Spondanus ad annum 1503, num. VIII, metallicæ icones priorum ejus Pontificatus annorum, illum exhibent mento rasum, nihil prorsus ab anterioribus Pontificibus discrepantem. Aiunt barbam promissam alere cœpisse Julium ad majorem intuentibus reverentiam incutiendam; idque successores passim imitatos, præter Leonem X, qui juvenis electus juvenili more, et Hadrianum VI, qui Belga more Belgico, se tonderi jusserunt; uti ex ipsorum imaginibus constat. Nostris temporibus primus qui barbam penitus rasit, fuit Clemens XI, eumque secuti morem sunt ejus successores, Innocentius XIII, Benedictus XIII, et Clemens XII, qui die 6 februarii, anno quo hæc scribo 1740, diem clausit extremum, summa Christianæ ac litterariæ reipublicæ jactura. Ante hos Pontifices, si non omnes post Hadrianum VI Pontifices barbam promissam gestarunt, certe pilos aliqui ad mentum et ad superius labrum retinuere, prout hodieque facere solent nonnulli nostræ Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis Presbyteri, et alii complures Sacerdotes tum Regulares tum Sæculares.

XV. Quod ante Julium II consueverint Romani Pontifices barbam radere, jam non modo ipsorum antiquæ imagines, et testimonium superius relatum S. Gregorii VII, sed et illud etiam nos docet quod de Alano cardinali Avenionensi legimus, qui, vacante Romana Sede ob mortem Nicolai V, inclinantia in Bessarionem cardinalem suffragia avertit, eo quod ipse neophytus esset, nequedum barbam rasisset : « Latinæ Ecclesiæ Papam Græcum dabimus ? Et » in capite libri neophytum collocabimus ? » Nondum barbam rasit Bessarion, et nostrum » caput erit ? Quæ indigentia Ecclesiæ Latinæ, » quæ virum non reperit dignum nisi ad Græ- » cos recurrat, assumatque eum qui heri et » nudius tertius Fidem Romanam impugnavit ? » Et, quoniam hodie conversus est, magister » noster erit, et Christiani ductor exercitus? En » paupertas Ecclesiæ Latinæ, quæ virum non » reperit summo Apostolatu dignum, nisi ad » Græcos recurrat. Sed agite, Patres, quod libet. » Ego, et qui mihi credent, in Græcum Præsu- » lem nunquam consentiemus. » Moverunt ea verba adeo plerosque ex Cardinalibus, ut duæ partes Collegii nulla amplius ratione ad Bessarionem accedere vellent, sicque electus fuit Callistus III, annorum 70.

XVI. Dicet quispiam non posse negari quin ex Romanis Pontificibus Vigilius saltem barbam aluerit, quia scilicet de ipso apud Constantinopolim quasi captivo, ac in Sancti-Petri basilica quasi asylum quærente adversus Justiniani Augusti violentias, ita scribunt Italiæ Clerici ad Francorum legatos in regiam civitatem profectos : « Ipsum sanctum Pontificem milites alii a » pedibus, alias capillis et barba tentum crude- » liter abstrahebant. » Sed dicam cum erudito Lupo in laudata dissertatione *De octava Synodo*, forte ipsam, ne barbam raderet, aliis Vigilii Pontificis vexationibus adjecisse iratum imperatorem adversus memoratum Vigilium. Nisi dicamus, in ea captivitate non habuisse Pontificem opportunitatem radendi barbam, quæ, rasa aliquando, longo deinde itinere excreverat. Certe, quidquid sit de hoc exemplo, ut alia omittam veteris ac medii ævi exempla quæ adversus disciplinam abrasionis, sive detonsionis barbæ objici possunt, illud profecto certum est, pervetustum esse Latinæ Ecclesiæ morem inter Clerici faciendi ritus, barbam etiam illius radere, solemnibus precibus ad eum finem ab Ecclesia præscriptis, uti mox in Commentario ad sequentem § ostendemus, ubi etiam Orationes referemus, quas Græca Ecclesia in barbæ vel capitis detonsionem abrasionemve dicere consuevit.

§ I.

Quando primo Clericis barbæ tondentur, dici debet, Pontifice sedente cum mitra, Antiphona : *Sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion, sic descendat super te Dei benedictio.* Psalmus CXXXII : *Ecce quam bonum*, cum *Gloria Patri*, et

Digitized by Google

Sicut erat in principio, etc. Quo expleto, repetitur tota Antiphona : *Sicut ros, etc.* Qua finita, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus ad illum, dicit :

OREMUS.

Deus, cujus providentia omnis creatura incrementis adulta congaudet, preces nostras super hunc famulum tuum, juvenalis ætatis decore lætantem, et primis auspiciis attondendum, exaudi, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, ævoque largiore provectus, cœlestem bene✠dictionem accipiat, et præsentis vitæ præsidiis gaudeat, et futuræ. Per Dominum nostrum, etc.

COMMENTARIUS.

I. Quoniam mos erat antiquus ut adolescentes primum barba radendi sive tondendi, a parentibus et amicis in ecclesiam adducerentur, ut per Sacerdotis vel Episcopi ministerium prima eorum lanugo deponeretur, et tanquam *primitiæ juventutis* Deo offerretur, exstat idcirco in libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ titulus qui inscribitur, *Oratio ad barbas tondendas*, in quo præter ipsam Orationem in hoc § nostro descriptam, nihil aliud legitur; nulla enim fit mentio Antiphonæ *Sicut ros Hermon, etc.*, et Psalmi *Ecce quam bonum, etc.* Notat Menardus in nota ad ipsam Orationem, dici jam olim illam consuevisse in prima juvenilis barbæ attonsione In Ordine antiquo Romano apud Hittorpium *Benedictio ad barbam tondendam*, incipit quidem ab ipsa Oratione, *Deus, cujus providentia, etc.*, quæ nonnihil a nostra variat, nam post illa verba, *juvenilis ætatis decore lætantem*, ita statim sequitur : « Et flore primi temporis » attendendo clemens adesto, ut in omnibus » tuæ protectionis munitus auxilio, et ævo lon- » giore provectus, cœlestem benedictionem » accipiat, et præsentis vitæ præsidiis gaudeat, » et æternæ. Per. » Oratio, quam habet liber *Sacramentorum* S. Gregorii, tametsi in omnibus cum nostra consentiat, in fine tamen loco *futuræ*, etiam utitur verbo *æternæ*.

II. Rursus, juxta præscriptum laudati Romani Ordinis, post ipsam Orationem *Deus, cujus providentia, etc.*, sequitur ritus tondendi barbam, cum Antiphona *Sicut ros Hermon, etc.*, et Psalmo *Ecce quam bonum, etc.* Sic enim inquit : Dum tondes eum, dices Antiphonam istam : *Sicut ros Hermon, qui descendit in Sion, sic descendat super te Dei benedictio.* Psalmus : *Ecce quam bonum, et quam jucundum!* His dictis, hæc alia Oratio sequitur : « Omnipotens » sempiterne Deus, benedic hunc famulum » tuum *N.*, qui tibi primitias suæ offert juven- » tutis. Effunde, Domine, super eum benedi- » ctionem, et in caput barbamque ejus transeat, » sicut unguentum quod descendit in barbam, » barbam Aaron, ut in eadem benedictione, in » via mandatorum tuorum ambulet, et cum ea- » dem ad summam senectutem perveniat. Per. » Ordini antiquo Romano inhæret inter alios manuscriptus codex Pontificalis Salisburgensis, annorum circiter septingentorum. Vaticanus vero Gulielmi Durandi liber Pontificalis eumdem ritum præscribit, qui in nostro hodierno legitur. Vide nostrum I tomum hujus operis, pag. 274, col. I.

III. In duobus manuscriptis Pontificalibus monasterii Beccensis, annorum circiter sexcentorum, post Orationem, *Deus, cujus spiritu creatura omnis incrementis, etc.*, quæ dicebatur *ad barbam tondendam*, sequitur statim *Oratio post rasam barbam*, hunc in modum concepta : « Deus qui Ecclesiam tuam novo semper fœtu » multiplicas, concede famulo tuo *N.*, qui di- » vini timoris et amoris instinctu exteriora » pubertatis abscidit, ut tuorum omnium inter- » venientibus Sanctorum meritis, carnis petu- » lantiam non solum verbo tenus, sed intima » cordis conscientia, in sancta perseverans con- » versatione, te eum ubique præcedente et » subsequente, calcare et contemnere valeat, » vitam percipiens mereatur æternam. » Consuevisse novitiis, qui ad habitum religiosum recipiebantur, benedici barbas, patet tum ex Consuetudinibus monasterii Sancti-Benigni, tum ex Rituali Anianensis monasterii, tum denique ex variis exemplis, quæ de ipso ritu a

Digitized by Google

Monachis religiose servato fidem luculentissimam faciunt. Vide Vitam S. Godheardi, num. XII, apud Bollandianos die 4 maii.

IV. Teste erudito Jacobo Goar, in notis ad *Euchologium*, nempe in observatione ad Orationem pro barbæ detonsione, Græcorum juvenibus, mystatibus servatis, mentum eradere consuetum est, et ab anno trigesimo barbam omnem enutrire. Affert ea in re laudatus auctor binas Orationes, alteram ex Cryptoferratensi manuscripto codice cardinalis Bessarionis, ex Barberino Sancti-Marci alteram. Prima ita inscribitur : *In barbæ detonsionem Oratio.* Tum sequitur : « Domine Deus virtutum, Pater » Domini nostri Jesu Christi, qui tua dispen- » satione ad sanctum Sacerdotii opus, nos ab- » jectos et peccatores elegisti, ut populus fidelis » perseverans, per nos nomen sanctum tuum » colat : te rogamus et precamur, Domine, » Deus noster omnipotens, opera manuum no- » strarum benedic, et ad instar benedictionis in » caput Aaron et in barbam ejus descendentis, » et velut ros Hermon qui descendit in montem » Sion, ita super servi tui *N.*, caput et super » barbam ejus benedictio tua descendat. Quia » tibi convenit omnis gloria, honor, etc. » Ubi nota alludere hanc Orationem ad ritum Ecclesiæ Latinæ in Ordine antiquo Romano, et in priscis Sacramentorum libris, atque Pontificalibus descriptum, ex quibus ipsa Oratio ac cæremonia tondendi barbam adolescentibus desumpta esse videtur.

V. Idipsum observare est in altera Oratione, quam ex manuscripto codice Barberino laudatus Goar describit, cujusque titulus est : *Oratio in barbæ vel capitis abrasionem.* Verba Orationis hæc sunt : « Domine, Deus noster, qui ex nihilo » cunctas creaturas, magnitudinis tuæ argu- » menta, ad esse adducis, et hominem non solum » tua intellectuali et rationali imagine præcel- » lentem exornasti, sed et variis ipsum crinibus » decorum reddidisti : ipse quoque servum » tuum *N.*, ad vultus sui venustatem, barbam » vel comam detonsum, divinis omnibus gratiis » exorna ; et super barbam et caput ejus bene- » dictio tua descendat, sicut in caput et barbam » Aaron defluxit ; ad tuam enim gloriam, qui » nos omnia facere præcepisti, barbæ vel comæ » detonsioni principium dat servus tuus. Quia » convenit tibi omnis gloria. » Etiam et hæc Oratio ad nostrum ritum alludit, ut ipsam cum nostra Oratione conferenti perspicuum fit. Sed neque illud prætereundum censeo, in ipsa Barberini codicis Oratione non modo detonsionis barbæ, sed et abrasionis fieri mentionem, uti ex ejusdem titulo constat, qui inscriptus est : *Oratio in barbæ vel capitis abrasionem.*

VI. Illud quoque in usu fuisse videtur apud Latinos, ut novo Episcopo barba benediceretur ac tonderetur. Sic enim Ademarus Cabanensis apud Beslium, pag. 328, de Jordano episcopo Lemovicensi ait : « Inde ad tumulum S. Mar- » tialis Missam audivit, et juxta monasterium » eo die regulariter hospitatus est. Crastino bar- » bam benedici jubet et detondi ; et sic ad se- » dem sancti Martialis in aula Sancti-Stephani » Jordanum duxerunt, et cum baculo Pastorali » ibi eum gratis honore Pontificatus vestivit. » Editio Labbei paulo differt, ita inquiens : « Die » crastino barbam electo benedici jubet ac de- » tondi, etc. » Quia scilicet Sacerdotibus et Clericis Latinis solemne erat barbam radere vel tondere, juxta ea quæ superius enarravimus ; ubi etiam innuimus, alere barbam Latino Episcopo fuisse pœnam ac notam. Id quod satis eruitur ex S. Gregorio Turonensi, lib. VIII *Historiæ*, capite XX, ubi de Ursicino Cadurcensi episcopo hæc habet : « Ursicinus Cadurcensis » episcopus excommunicatur, accepto hujusmodi » placito ut, pœnitentiam tribus annis agens, » neque capillum neque barbam tonderet, vino » et carnibus abstineret ; Missas celebrare, Cle- » ricos ordinare, ecclesiasque et chrisma bene- » dicere, eulogias dare penitus non auderet. »

VII. Prætereundus denique mos ille non est cujus S. Gregorius in libro *Sacramentorum*, vetus Ordo Romanus, et prisci libri Pontificales meminere, barbam nempe non modo adolescentibus, sed et capillos rite ab Episcopo sive ab alio Sacerdote fuisse attonsos. In ipso S. Gregorii libro *Sacramentorum* legitur quidem titulus inscriptus, *Oratio ad capillaturam*, subaudi, *incidendam*, uti in antiquo Romano Ordine et in Pontificalibus libris legitur. Hæc tonsura, ut scite notat Menardus, non est illa Clericalis tonsura, de qua nos tomo I, in Commentariis ad titulum II, egimus, sed puerorum, cum primum eorum capilli tondebantur. Aliæ enim exstant in antiquis Pontificalibus ad tonsuram Clericalem Orationes, diversæ ab ista,

Digitized by Google

quam ad iucidendam capillaturam affert S. Gregorius : « Omnipotens sempiterne Deus, re-
» spice propitius super hunc famulum tuum *ill.*,
» quem ad novam tondendi gratiam evocare
» dignatus es, tribuens ei remissionem omnium
» peccatorum, atque cœlestium donorum con-
» sortium esse præceptorum. Per. » Forte legendum : « atque ad cœlestium donorum con-
» cede pervenire consortium, » ut habetur in tertia Oratione Ordinis antiqui Romani, et in aliis plurimis libris Pontificalibus.

VIII Juxta præscriptum laudati Romani Ordinis tres ad capillaturam incidendam dicebantur Orationes, quarum prima hæc est : « Manda,
» Deus, benedictionem tuam, et vitam in Ec-
» clesia tua, et unguentum quod descendit in
» capite Aaron, descendat super hunc famu-
» lum tuum *N.* Maneat, quæsumus, in corpore
» Ecclesiæ tuæ pascendus, cujus caput unguenti
» tui suavitate dignatus es adimplere. » Secundæ Orationis hæc erat formula, aliquantum prolixior prima et tertia, quam superius memoravimus : « Omnipotens Christe Salvator,
» innocens, et innocentiæ amator; humilis, et
» humilitatis assumptor; mansuetus, et man-
» suetudinis inhabitator, qui venientibus ad te
» parvulis manus tuæ benedictionem imponens,
» talium dixisti esse regnum cœlorum : benedic
» hunc famulum tuum *N.*, cujus in tuo nomine
» superflua incidimus capillorum : da ei intelle-
» ctum cum ætatis augmento, ut te timeat et
» intelligat, et tua mandata custodiat; et, te
» auxiliante, usque ad canos senectutis cum
» summa sanitate perveniat. Per te, Salvator
» mundi, qui cum Deo Patre. »

IX. Duplicem etiam hodie apud Græcos, sicut quondam apud Latinos, capillorum fieri præcisionem : Clericalem unam, et præcipuam ante Ecclesiasticos Ordines suscipiendos Ecclesiastica lege præmittendam : minorem aliam, quæ detonsum supra sæcularium ordinem minime evehit, ex *Euchologio* constat, in quo exstat titulus qui inscribitur : *Oratio in prima capillorum detonsione.* Verba Orationis hæc sunt : « Dominus Deus noster, qui hominem
» tua imagine ornatum, ex anima rationali et
» corpore decoro, ut corpus animæ rationali
» deserviret, composuisti : et capite quidem in
» parte magis elata posito, plures sensuum
» nullo sibi invicem impedimento præstito, in
» illo collocasti ; capitis autem fastigio suis ca-
» pillis tecto, ne aeris intemperie vel mutatione
» læderetur, cuncta ejus membra, ut deinde
» per cuncta gratias referret, utilissime adin-
» vicem coordinasti : ipse, Domine, qui per
» Apostolum tuum Paulum, tuæ vas electionis,
» omnia in laudem tui fieri præcepisti : præ-
» senti famulo tuo *N.* capitis sui detondere,
» et ejus velut primitias offerre incipienti una
» cum ejus susceptore benedic, et jugiter in
» lege tua meditari, et quæ tibi placita sunt,
» perficere concede. Quia misericors et homi-
» num amator, Deus, existis, et tibi gloriam re-
» pendimus, Patri, et Filio, et sancto Spiritui,
» nunc, et semper, et in sæcula sæculorum.
» Amen. »

X. Dicta hac Oratione, ait Sacerdos : *Pax omnibus.* Et, admonente Diacono : *Capita vestra Domino inclinate*, aliam hanc Sacerdos profert Orationem : « Domine Deus noster, qui creden-
» tes in te, tua bonitate per piscinæ comple-
» mentum sanctificas : præsenti puero benedic;
» et super caput ejus benedictio tua descendat;
» et, sicut David regi per Samuelem prophetam
» benedixisti, ita et per peccatricem manum
» meam pueri hujus *N.* Spiritu sancto tuo in
» eum adventans, capiti benedictionem imper-
» tiaris; ut, proficiens in ætate, senectutis ca-
» nitiem attingens, gloriam tibi rependat, et
» videat bona Hierusalem omnibus diebus vitæ
» suæ. Quia convenit tibi omnis gloria, honor,
» et adoratio : Patri, et Filio, et sancto Spiri-
» tui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum.
» Amen. » Finita Oratione, hanc a Sacerdote cæremoniam, et verborum formulam in capillorum detonsione servandam, ac recitandam *Euchologium* præscribit : « Et in quatuor par-
» tibus in crucis modum eum detondet, di-
» cens : *Tondetur servus Dei N. in nomine*
» *Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nunc, et*
» *semper, et in sæcula sæculorum. Amen.* Et
» memoriam susceptoris agit, etc. » Vide sis apud Jacobum Goar alium Ordinem apud Græcos servari solitum ad tondendum puerum, ex codice Cryptoferratensi, ubi post peractam detonsionem, ita precatur Sacerdos : « Sancta
» Trinitas, Deus noster, benedic puerum istum
» omni benedictione spirituali, et propriis servis
» tuis rectam, incorruptam, et tentationibus li-
» beram mentem, et tua pietate conservatam,

Digitized by Google

» in augmentum et intellectum, et in omne » bonum opus deductam præbe; intercessioni- » bus sanctæ Deiparæ, et semper Virginis Ma- » riæ, et omnium Sanctorum. Quia benedi- » ctum, etc. »

XI. Græcos æque ac Romanos olim barbam et comam consuevisse falsis numinibus dedicare, fuse ostendit eruditus Jacobus Philippus Thomassinus, in libro *De Donariis*, cap. XI, ex eoque, aliisque antiquis scriptoribus, vir clarissimus Camillus Silvestri, in suis ad satyram IV Juvenalis Adnotationibus, num. CIII, ubi etiam ex Plinio lib. VII, cap. LIX, refert usum barbitonsorum introductum fuisse in Urbe anno ab ejus fundatione 454 : « Sequens gentium con- » sensus, » ait Plinius, « in tonsoribus fuit, sed » Romanis tardior. In Italiam ex Sicilia venere, » adducente P. Ticinio Mena, ut auctor est » Varro : ante intonsi fuere. » Non fuisse olim Romæ tonsores, ex eo eruditi etiam probant, tum quod pleræque antiquorum virorum statuæ capillos et barbam magnam præ se ferant, tum etiam quod inter alios Ovidius, libro II *Fastorum*, *Avos intonsos vocet*, sic inquiens.

Denique quodcumque est, quo corpora nostra plantur,
Hoc habet intonsos nomen habebat avos.

XII. Plura de ea re scitu digna videri possunt apud omnium eruditissimum Alexandrum ab Alexandro, libro V *Dierum genialium*, capite XVIII, ubi de usu antiquo dedicandi diis capillos hæc habet : « Athenienses, cum ex ephe- » bis excessissent, primitias crinium Delphos » deferebant; et cum antiquiores comam circa » tempora, aut posteriorem crinem Apollini et » fluminibus tonderent, ævo succedente The- » seus anteriorem capillum Delphis dedicavit, » unde Theseis tonsura prodita est, cujus exem- » plo juvenes, cum primum ex ephebis exces- » sissent, anteriorem comam Phœbo et Æscu- » lapio, aut Libero obtulere primitias. » Non secus ac crines, barbam etiam diis sacratam tradit Suetonius in *Nerone*, cap. XII, ita de ipso scribens : « Gymnico, quod in septis edebat, » inter buthysiæ apparatum, barbam primam » posuit, conditam in auream pyxidem, et pre- » tiosissimis margaritis adornatam Capitolio » consecravit. » Pro *Capitolio*, legunt alii *Jovi Capitolino*. Consuevisse enim Romanos diis suis barbam offerre, tradit laudatus operis *Dierum genialium* auctor, loco citato, his verbis : « Romani adolescentes magnæ indolis primæ » lanuginis barbam diis consecrare usurpa- » runt. » Hinc Martialis, libro I, epigrammate VIII, de Encolpo Auli Pudentis Centurionis puero Phœbo comam dedicante ita cecinit :

Hos tibi, Phœbe, vovet totos e vertice crines
Encolpus, domini Centurionis amor.
Grata Pudens meriti tulerit cum præmia pili,
Quamprimum longas, Phœbe, recide comas.

Apollini barbam, et Iaccho crines oblatos indicat Statius, *Thebaidos* lib. VIII :

Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho.

XIII. Quamvis autem Græci olim, ut Athanasius, Theodoretus, et alii complures auctores passim testantur, solerent « puerorum vertices » abradere, et cincinnos relinquere, illosque » sequenti tempore consecrare dæmonibus, » cultum tamen a majoribus suis dæmoni aliquando exhibitum, nunc in verum Deum transferentes, et a Nazareis, uti habetur cap. VI *Numerorum*, imo et ab Apostolo Paulo, uti legitur cap. XXI *Actorum*, legitime præstitum æmulati, sive potius in novum, eumque perfectiorem, commutantes, puerorum comas præscindunt; non ut eas utcumque consecrent, sed potius ut, iis præcisis et oblatis, videantur ipsos pueros Dei obsequio mancipare : servitutis enim etiam nunc apud Christianos et barbaros signum est capillorum abrasio. Observat hæc quidem Goar, iisque addi etiam potest hunc ritum tondendi barbam et crines, eosque Deo offerendi, accepisse Christianos a veteri Testamento, non vero a superstitione Gentilium. Quod enim ad cæremonias attinet, multa diabolus ex Judaicis ritibus, et legibus Sacrorum mutuatus est, et tantisper suo more adornata et efficta suis paganis proposuit, auctore Tertulliano, in libro *De Præscriptionibus*, et in libro *De Baptismo*. Theodoretus, *In Epistolam II ad Corinthios*, ait : « Mos est diaboli divina » imitari. » Errantque itaque, qui plerasque Ecclesiæ cæremonias a Gentilibus desumptas autumant : sunt enim illis antiquiores, et in veteri Testamento præscriptæ.

XIV. Ita etiam, tametsi Gentiles, ac præsertim Romani, ut narrat Thomassinus, lib. *De Donariis*, c. XI, anno secundo et vigesimo amicis in convivio acceptis, in honorem numinis cujusdam, comam tonderent, ac festum etiam ejus cæremoniæ celebrarent jam olim is ritus

Digitized by Google

obtinuit apud Hebræos, uti legitur cap. VI *Numerorum*, et cap. XVI *Judicum*. Teste Goar, apud Græcos, anno revoluto, sicut et natalitiorum, ita et comæ sibi detonsæ diem festum κουρόσυνα vocatum quilibet agit, de quo, sicut et de aliis quibusdam festis, scribit Nicetas in S. Gregorii Nazianzeni Orationem, *De sancto Baptismo*, sic inquiens : « Hesterno die festum » luminum celebravimus, conveniebat enim ob » salutem nostram gaudio efferri : idque æquius » erat, quam quod mortales carnis amore cor» repti facere solent, qui et γενέθλια celebrant, » id est, diem quo in lucem editi sunt : et » γαμήλια, id est diem quo matrimonium con» traxerunt : et ενμαστήρια, quando eis nomen » impositum est : et κουρόσυνα quando, decursa » atque exacta adolescentia, in juvenum ordi» nem adscripti sunt : et ταταικέσια, vel habitatio» nis encænia, quando primum terram quam» dam aut domum incoluerunt. » Atque hæc satis sint ad tituli nostri explicationem *De Barba tondenda*. Quam cæremoniam antiqui Latini religiose quidem servarunt, Orationes ac Benedictiones antiquæ consuetudini addentes, ne sine felici omine, et Dei Optimi Maximi invocatione cæremonia ipsa perficeretur a Christianis hominibus, præsertim vero a Clericis.

TITULUS XXX.

DE OFFICIO PSALMISTATUS.

I. Psalmistæ idem sunt ac Cantores, eorumque in Epistola sua ad Antiochenos meminit quidem S. Ignatius Martyr, qui primo Christi sæculo floruit : « Saluto, inquit, Hypodiaconos, » Lectores, Cantores, etc., » itemque canon Apostolorum quadragesimus tertius, qui suspensione mulctat Subdiaconum, Lectorem et Cantorem aleæ atque ebrietati deservientem : « Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia » faciens, » id est aleæ atque ebrietati deserviens, « aut desinat, aut communione prive» tur. » Verba, *similia faciens*, explanantur canone Apostolorum quadragesimo secundo, quo gradu suo moventur Episcopus, Presbyter et Diaconus aleator et ebriosus. Ex Concilio Laodiceno aperte colligitur, Cantorum seu Psaltarum proprium ac specialem ordinem fuisse. Canone siquidem XV, juxta interpretationem Dionysii Exigui, vetitum est, « præter eos qui » regulariter Cantores existunt, qui et de codice » canunt, alios in pulpitum conscendere, et in » ecclesia psallere. » Canone etiam XXIII expresse prohibetur ne Lectores, Cantoresve stolam induant, dum in ecclesia vel legunt illi vel isti canunt : « Quod non oportet Lectores » vel Cantores ferre orarium, et sic legere vel » canere. » Erant itaque jam olim Cantores Ordinis Ecclesiastici, et canoni, seu laterculo ecclesiæ adscripti, muniaque Ecclesiastica exercebant.

II. Habuisse etiam Ecclesiam Latinam Cantores suos, eosdemque de Cleri corpore seu sodalitio fuisse, manifeste constat ex Concilio Carthaginensi III, quod habitum fuit anno Christi 397, can. XXI : « Clericorum autem no» men etiam Lectores, et Psalmistæ, et Ostiarii » retinent. » Sed notanda præsertim sunt integri canonis verba, qui ita inquit : « Ut Clericum » alienum, nisi concedente ejus Episcopo, » nemo audeat vel retinere, vel promovere in » ecclesia sibi credita. » Ex quo satis liquet Cantorum seu Psaltarum ordinationem ad Episcopum proprium pertinere. Quod enim ait Concilium IV Carthaginense, Psaltas, seu Cantores absque licentia Episcopi sola jussione Presbyteri officium canendi posse suscipere, non tollit Episcopo ordinationem Cantorum, sed potius tribuit etiam Presbyteris jus ordinandi Cantores, sicut in canone XIV Concilii Nicæni II, œcumenici VII, Abbati præter Episcopum tribuitur jus ordinandi Lectorem in proprio monasterio.

III. Rursus VI Christi sæculo, quo floruit S. Isidorus episcopus Hispalensis, Psaltas seu

Digitized by Google

Cantores inter Ecclesiasticos plane Ordines recenset, lib. VII *Originum*, cap. XII, ubi Cantores Lectoresque non aliter habet quam ut verbi divini præcones, qui et doctrinam saluberrimam mentibus legendo instillant, et cœlesti quadam suavitate eas canendo ad cœlestia illectant : « Lectores, inquit, a legendo, et Psal» mistæ a Psalmis canendis vocantur : illi enim » prædicant populis quid sequantur : isti ca» nunt, ut excitent ad compunctionem animos » audientium. » His addit pauca de Præcentore, et Succentore, et Concentore, cujusmodi hodieque in majoribus Ecclesiis supersunt : « Præcentor, qui vocem præmittit in cantu. » Succentor autem, qui subsequenter canendo » respondet. Concentor autem dicitur, qui con» sonat; qui autem non consonat nec conci» nit, nec Cantor nec Succentor erit. » Facit et de Psalmistis mentionem Isidorus ipse in Epistola ad Laudefridum, ubi eorum officium ita enarrat : « Ad Psalmistam pertinet » officium canendi, scilicet dicere Benedictio» nes, Laudes, Sacrificium, Responsoria, et » quidquid pertinet ad canendi peritiam. »

IV. Fuse de Psalmistis agit idem præstantissimus scriptor Isidorus, lib. II *De Officiis Ecclesiasticis*, cap. XII, ubi primum docet Psalmistarum, id est Cantorum, principes vel auctores exstitisse David, sive Asaph. Ipsi enim post Moysen primi Psalmos composuerunt et cantaverunt, juxta ea quæ narrantur lib. I *Paralipomenon*, cap. VI. Mortuo autem Asaph, filii ejus in hunc ordinem subrogati sunt a David; erantque Psalmistæ per successionem generis, sicut et ordo Sacerdotalis, ipsique soli continuis diebus in Templo canebant candidis induti stolis, ad vocem unius respondente Choro. Ex hoc veteri more, ait deinde Isidorus sumpsisse Ecclesiam exemplum nutriendi Psalmistas, quorum cantibus ad affectum Dei mentes audientium excitantur. Tum addit corde magis quam ore canere Psalmistam decere, ut per aures in mentes trajiciatur veræ pietatis et compunctionis sensus : « Psalmistam autem » et voce et arte præclarum illustremque esse » oportet, ita ut ad oblectamenta dulcedinis » incitet mentes auditorum. Vox autem ejus » non aspera, non rauca vel dissonans, sed » canora erit, suavis, liquida atque acuta, ha» bens sonum et melodiam sanctæ Religioni » congruentem, non quæ traducem exclamat » artem, sed quæ Christianam simplicitatem » in ipsa modulatione demonstret; nec quæ » musica vel theatrali arte redoleat, sed quæ » compunctionem magis audientibus faciat. » Hinc illa olim Cantorum abstinentia, jejunia, et solus plerumque esus leguminum, quorum usu vocem ipsam convalescere veteres existimabant : « Antiqui enim, pridie quam can» tandum erat, cibis abstinebant : psallentes » tamen legumine in causa vocis assidue ute» bantur. Unde et Cantores apud Gentiles Fa» barii dicti sunt. »

V. Constat itaque ex Isidoro, apud Latinos inter Ecclesiasticos Ordines fuisse Cantores seu Psalmistas enumeratos; id quod etiam in usu apud Græcos tunc temporis fuisse liquet; damnat enim Trullana Synodus, cap. XXXIII, quod in Armenorum regione, qui ab Episcopo Clericatu minime insigniti fuerant per capillorum detonsionem, Cantorum, Lectorumque vices implerent. Tradit in explicatione hujus canonis Balsamon, eam fuisse non paucorum sententiam, quamquam ab ea non parum ipse abhorreret, monastica tonsura suppleri Clericalem, acquirique facultatem legendi in ecclesia Scripturas : « Sed et Monachos, qui non ha» bent Episcopales coronas, sed monasticam » tonsuram, dicunt quidam posse in suggestu » legere Apostolum et reliqua, quemadmodum » et Clerici, tanquam monachalis tonsura uti» que sufficiat pro tonsura Clericali. » Porro suo tempore testatur Balsamon, qui floruit sæculo XII, Cantores laicos fuisse, Eunuchos scilicet, quos Clericatu insigniri Græca præsertim Ecclesia in sacris Conciliis frequenter prohibuit. Sic autem scribit in canonem IV Concilii Trullani : « Nota quod olim Canto» rum ordo non ex Eunuchis solum, ut hodie » fit, constituebatur, sed ex illis qui non erant » ejusmodi. » Cæterum, ut mox dicemus, non modo apud Græcos, ut liquet ex *Euchologio*, verum et apud Latinos, ut ex Concilio Carthaginensi IV et libris Pontificalibus constat, consueverunt Cantores rite ordinari.

Digitized by Google

§ I.

Psalmista, id est Cantor, potest sola jussione Presbyteri officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero : *Vide ut quod ore cantas, corde credas; et quod ore credis, operibus comprobes.* Et si Episcopus Clericum ordinans hæc faciat, bene facit.

§ II.

Si officium Psalmistatus collatum olim fuerit, degradando post degradationem a prima tonsura, si velit Pontifex, dicit : *Quia quod ore cantasti, corde non credidisti, nec opere implevisti, ideo cantandi officium in Ecclesia Dei a te amovemus.*

COMMENTARIUS.

I. Pervetustum Concilium, Carthaginense IV anno Christi 398 habitum, ubi singulorum Clericorum, tum minorum, tum majorum Ordinationes recensentur, can. X, ita Psalmistam ordinandum præscripsit : « Psalmista, id est » Cantor, potest absque scientia Episcopi, sola » jussione Presbyteri officium suscipere can- » tandi, dicente sibi Presbytero : *Vide ut quod » ore cantas, corde credas; et quod corde cre- » dis, operibus comprobes.* » Ubi nota, nostram integram fere Rubricam § I, et formam ordinandi Psalmistam seu Cantorem, desumptam esse ab ipsa IV Carthaginensi Synodo; cui quidem non modo antiqui, verum et recentiores libri Pontificales consentiunt, inter quos Pontificalis manuscriptus codex Ecclesiæ Bisuntinæ, annorum circiter septingentorum, ritum, formam atque etiam materiam præscribit in ipsa Psalmistæ ordinatione : « Psalmista, » inquit, id est Cantor, potest absque ulla » scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri » officium cantandi suscipere, dicente sibi Pre- » sbytero, vel potius Episcopo, et dante ei An- » tiphonarium in manus : *Videte ut quod ore » cantatis, corde credatis; et quod corde cre- » ditis, operibus probetis.* »

II. Idipsum tradit manuscriptum Pontificale insignis Ecclesiæ Cameracensis, annorum circiter sexcentorum, ubi etiam Antiphonarii fit mentio a Presbytero vel Episcopo tradendi ordinando in Psalmistam. Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Apamiensis in Syria, annorum circiter quingentorum, ait instruendum prius Psalmistam ab Archidiacono : « Psal- » mista, id est Cantor, postquam ab Archi- » diacono instructus fuerit, potest absque con- » scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri » officium suscipere cantandi, dicente sibi Pre- » sbytero, etc. » Pontificale manuscriptum Ecclesiæ Noviomensis, ejusdem fere ætatis, Psalmistæ ordinationem Episcopo tribuit, ab eoque mandat tradendum in manus illius Antiphonarium sub recitata verborum formula : « Psal- » mistæ, id est Cantores, cum ordinantur, » accipiunt ab Episcopo Antiphonarium in » manus, dicente Episcopo, etc. » Nulla hic Presbyteri mentio. Pontificale Ecclesiæ Moguntinæ, quingentis abhinc annis exaratum, nulla facta Psalmistarum mentione, ait Ordinandis tradendum Antiphonarium ab Episcopo dicente : « Videte, ut quod ore cantatis, etc. » Pontificale tandem manuscripsum Vaticanum Gulielmi Durandi instruendum tradit ab Archidiacono Psalmistam priusquam ordinetur, sola scilicet jussione Presbyteri, *absque Episcopi conscientia*, uti videre est nostro I tomo, pagina 274, columna I (*a*).

III. Ex tot Pontificalium testimoniis videtur plane, recensendos Psalmistas inter Ecclesiasticos Ordines, tametsi Gillebertus Lunicensis episcopus, in libro *De Usu Ecclesiastico*, id prorsus neget : « Quia vero, inquit, quilibet

(*a*) In Pontificali G. Durandi, seu Vaticano, n. 4744, tom. I, p. 279 sqq. exarato, nihil simile legitur; bene vero in Pontificali Biblioth. Angel. reperiuntur hæc verba, uti videre est tom. I, p. 274. (Edit.)

Digitized by Google

» de choro sola jussione Presbyteri potest of- » ficio Psalmistæ fungi, psallere scilicet sive » cantare, in numero graduum Ecclesiæ Psal- » mistas non ponimus. » Cui tamen obstant Concilium Carthaginense III et IV, quorum primum, ut superius dictum est, canone XXI, ait Clericorum nomen etiam Lectores, et Psalmistas, et Ostiarios retinere. Alterum vero ritum præscribit quo inter cæteros gradus Ecclesiasticos Psalmistæ ordinari debeant. Porro collatum aliquando Psalmistatum cum Clericali tonsura, ex Roderico Toletano addiscimus, qui, lib. IX *Historiæ Hispanicæ*, cap. XII, inter alios Ferdinandi regis filios memorat « San- » cium, qui oblatus Roderico Toletano Ponti- » fici, a quo cum Clericali tonsura Psalmistæ » officium est adeptus, præbendam et bene- » ficium in Toletana Ecclesia est consequutus. » Hunc Franciscus Tarapha archiepiscopum Toletanum deinde fuisse, et in prælio contra Mauros occubuisse refert. Rodericus autem Toletanus sæculo XIII floruit.

IV. Quale sit fueritque olim Psalmistæ officium, jam abunde ex Concilio Carthaginensi IV, can. XII; ex libris Pontificalibus, et S. Isidoro Hispalensi episcopo, explicuimus, cujus locum exscripsit lib. I *De Institutione Clericorum*, cap. XI, Rabanus Maurus. Fusissime de iisdem agit Amalarius, lib. III *De Ecclesiasticis Officiis*, cap. XI et cap. XII, ubi inter alia ait : « Statutum est eis ut penitus non sint extorres » a Sacrificio, custodire aquam, et hanc unam » offerre pro cæteris. Populus offert vinum, » Cantores aquam. Sicut vinum et aqua unum » fiunt in calice, sic populus et Cantores in » corpore Christi. Cantores, more Levitarum » antiquorum, qui omnia necessaria Taberna- » culi providebant, quærant aquam ad fontem, » et servent eam coopertam usque ad tempus » Sacrificii, et tunc mundam eam offerant. » De ipsis videri possunt Honorius Augustodunensis, in libro *De antiquo Ritu Missarum;* et Gulielmus Durandus in suo *Divinorum Officiorum Rationali*. Mentionem quoque facit de iis S. Eulogius, in *Documento Martyrii*, sic inquiens : « Non promit Cantor divinum » carmen in publico, non vox Psalmistæ tinnit » in choro, non Lector concionatur in pulpito, » non Levita evangelizat in populo, non Sa- » cerdos thus infert altaribus. » Sane exstat in editis Pontificalibus ante Clementem VIII titulus *De officio Psalmistatus*, statim post titulum *De Chrismandis in fronte;* eaque solum describit, quæ in primo § hujus tituli continentur. Quæ autem in § II notantur, recentioris sunt ævi.

V. Quoniam insuper nostrum fuit institutum, non modo ea explicare quæ ad Latinam Ecclesiam spectant, sed etiam ritus Græcos semel atque iterum exponere, ad ostendendam nimirum utriusque Ecclesiæ in sacris ritibus consensionem, operæ pretium ducimus ex Rituali Græcorum ordinem referre qui fieri solet in ordinatione Lectoris et Cantoris : « Offertur, » inquit, ordinandus Pontifici, si sæcularis » quidem est, in solita veste, et capite nudato; » si vero Monachus, mandya indutus. Et a Pon- » tifice ter in capite signatur, et in crucis forma » tondetur ab eo, dicente : *In nomine Patris,* » *et Filii, et Spiritus sancti.* Ad uniuscujusque » personæ invocationem adstantibus succlaman- » tibus *Amen.* Mox ex integro in Clerici for- » mam ab aliquo tondetur; atque ita rursus » Pontifici offertur, qui tunica accepta eum » induit; et usque tertio caput ejus signans, » manu illi imposita, sic precatur : *Domine,* » *Deus omnipotens, elige servum tuum hunc,* » *et eum sanctifica, et cum omni sapientia et* » *intellectu, divinorum verborum tuorum me-* » *ditationem et lectionem obire concede, incul-* » *pata conversatione custodiens illum. Mise-* » *ricordia et miserationibus et humanitate uni-* » *geniti Filii tui, cum quo benedictus es cum* » *sanctissimo et bono et vivifico tuo Spiritu,* » *nunc, et semper, et in sæcula sæculorum.* » *Amen.* Et post exclamationem codex Aposto- » licus lectori traditur. Qui modicum quid per- « legens, pacem a Pontifice accipit. » Tum circa ordinationem Cantoris monet, tradendum esse illi Psalterium, ex quo aliquid legat : « Si vero » Cantor ordinetur, propositum e Psalterio » dicit. » Juxta manuscriptum codicem Barberinum Sancti-Marci, « Cantori Psalterium tra- » ditur, et recitat propositum; » id est versiculos duos e Psalmis Davidicis excerptos.

VI. Refert hunc Ordinem eruditissimus Goar in suo *Euchologio* editionis Venetæ, pag. 194 et sequenti, ubi etiam hunc alium Ordinem in promotione Cantoris ex manuscripto codice Allatiano describit : « Ingreditur Diaconus dia-

Digitized by Google

» conicum : « In pace Dominum precemur. Pro » servo Dei N. promovendo, et pro sanitate et » salute ejus a Deo impetranda : Dominum pre- » cemur. Ut pro capitis crinibus ratio justitiæ » virtutisque studium ei donetur : Dominum » precemur. Pro Episcopo N. et opere manuum » ejus : Dominum precemur. Ut liberemur. Sus- » cipe Sanctissimæ, etc. » Deinde dicit Pontifex » Orationem hanc : « Dominator Domine om- » nipotens, Pater Domini, et Dei, et Salvatoris » nostri Jesu Christi, te rogamus et precamur be- » nigne; servus tuus N. ad tuam sanctam Eccle- » siam confugit. Illumina illum, ut suaviter canat, » spiritualia Cantica exordiatur, spirituali et san- » cto tuo obsequio dignum fac illum. Timore » tuo sanctifica, gratia tua serva illum ; ut juxta » beneplacitum tuum vivens, ad sancti tui Spiri- » tus dona majora vocetur. Gratia et miserationi- » bus et humanitate unigeniti Filii tui, cum quo » benedictus es, cum sanctissimo et bono et vivi- » fico tuo Spiritu, nunc, et semper, et in sæcula » sæculorum. Amen. »

VII. Juxta laudatum Allatiani codicis Ordinem, « deinde tondetur comam, et dicit Pontifex : » Tondetur servus Dei N. in nomine Patris, et » Filii, et Spiritus sancti ; nunc et semper. » Deinde dicit Cantor. « Psalmus David. » Et Pontifex imposita illi manu, dicit : « Pax om- » nibus. » Diaconus : « Dominum precemur. » Tum Pontifex : « Dominator Domine Jesu » Christe, te rogamus et te precamur : respice » in nos et in præsentem servum tuum ; et be- » nedictione tua spirituali, qua Melchisedech » Sacerdotem crines suos juxta præceptum » tuum per Abraham servum tuum detonsum » benedixisti, ipsum benedic : et in reverentia » et tremore, in sanctitate et justitia tibi ob- » sequentem, mandata tua custodire concede : » omni Ecclesiastico ordine ministerium ejus » adimple, ut tibi beneplacens omnibus dic- » bus vitæ suæ perseveret. Gratia et misera- » tionibus, etc. « Deinde sic ipsi benedicit, et » dimittit. » Atque hic.

FINIS TERTIÆ ET ULTIMÆ PARTIS PONTIFICALIS ROMANI.

Digitized by Google

Ad majorem Dei gloriam, atque honorem Deiparæ Virginis, ac civis mei S. Francisci de Paula, inclyti Ordinis Minimorum institutoris, præsertim vero et sancti Philippi Nerii, nostræ Congregationis Oratorii Sancti - Hieronymi Charitatis anno 1558 fundatoris, in cujus memoriam decimo post obitum anno, illustris ac pientissima Charitatis archiconfraternitas sancti nostri Parentis imaginem Sacerdotalibus induit vestibus, antiquorum nostrorum Patrum corona circumdati, eosque veluti suos dilectos alumnos, ac filios Deiparæ Virgini commendatis, in xysto domus pingendam curavit, hac, ut hodieque cernitur, marmorea inscriptione ornatam :

BEATO. PHILIPPO. NERIO. FLORENTINO
UT. UBI. TRIGINTA. TRES. ANNOS. EXIMIA. SANCTITATIS
ET. MIRACVLORVM. LAVDE. CLARVERAT
INNVMERISQ. AD. CHRISTI. OBSEQVIVM. TRADVCTIS
PRIMA CONGREGATIONIS. ORATORII
FVNDAMENTA. IECERAT
IBIDEM. ALIQVOD. EIVS. REI.MONVMENTVM. EXTARET
TEMPLI. HVIVS. DOMVS. AC. SACERDOTVM. DEPVTATVS
ANNVENTE. PIISSIMA. CONGREGATIONE. CHARITATIS
PARENTI. IN. SPIRITV. OPTIMO. BENEMERENTI
POSVIT
KALEND. SEPTEMB. M. D. C. V.

Affert hanc inscriptionem Petrus Jacobus Baccius Sacerdos Sanctæ-Mariæ in Vallicella Congregationis de Oratorio in Vita S. Philippi, tum italico tum latino idiomate edita, lib. IV, cap. IX, num. XIV, sed suppressa voce *Oratorii*. Integram legere est non modo in marmoreo lapide qui hodieque exstat, verum apud eruditum Floravantem Martinellum, in libro cui titulus *Roma ricercata, etc.*, editionis III Romanæ, typis Mascardi, anni 1658. Sane tradit loco citato Baccius quod, cum nostra Sancti-Hieronymi domus suo tempore fortuito « incendio » conflagravit, ut ideo opus fuerit alteram a fun» damentis construi, porticus, ubi prædicta con» spicitur imago, illæsa omnino permansit. » Quibus verbis non obscure insinuat servatam Philippi miraculo imaginem : quod nos ultro fatemur. Verum, quoniam incendii meminit quo domus conflagravit, mirum est cur aliud majus Philippi miraculum siluerit, servati nimirum ab incendio ejus cubiculi, quod plane proximum ædibus erat quæ pabulum ignis fuere. Exstat etiamnum cubiculum ipsum Philippi, quod religiosissimus eques Ascanius Panthera, de civitate Collensi in Hetruria, in sacellum erexit, uti ex hac alia inscriptione constat quam refert laudatus Floravantes Martinellus, in alio suo opusculo Romæ edito typis Fabii de Falco, anno 1668, cui titulus *Roma ex ethnica sacra*, ubi agit de nostra ecclesia Sancti-Hieronymi Charitatis, pag. 112.

Digitized by Google

D. O. M.
CVBICVLVM. HOC. SANCTI. PHILIPPI. NERII
VBI. PER. TRIGINTA. TRIVM. ANNORVM
CVRRICVLA
VITAE. SANCTIMONIA. ET. ANIMARVM. ZELO
INCOMPARABILITER. ENITVIT
PRIMAQUE. CONGREGATIONIS. ORATORII
OMNI. LAVDE. DIGNUS
IECIT. FVNDAMENTA
EQVES. ASCANIVS. PANTHERA
DE. CIVITATE. COLLENSI. IN. HETRVRIA
PROPRIIS. SVMPTIBUS. INSTAVRAVIT
AC. DECENTIVS. ORNAVIT
ANNO. DOMINI. MDCXXXVII.

Anno Christi 1558 fundatam primum fuisse a S. Philippo in hac Sancti-Hieronymi Charitatis domo Congregationem Oratorii, testantur aliæ nostræ domus memoriæ antiquæ, ac varii scriptores, quorum testimonia in opere nostro *De origine, progressu ac statu Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis* referemus. Institutas pias Oratorii exercitationes fuisse primum a Paulo IV Pontifice Maximo, anno 1559, ac deinde a S. Pio V anno 1570 approbatas, tradunt Gallonius, Baccius, Marcianus, et alii : easdem vero diu continuatas in ipso Oratorio, quod, annuente piissima archiconfraternitate Charitatis, super fornicem dextri lateris ecclesiæ, utilitati Urbis ac Orbis aperuit Philippus, et deinde in Oratorium novum prope anticam domus portam munificentia S. R. E. cardinalis Francisci Barberini protectoris exstructum translatas, præter alios auctores, quos in memorato opere nostro longo agmine recensebimus, docet hæc alia antiqua marmorea inscriptio, quæ hodieque exstat in nostro templo Sancti-Hieronymi supra sacrarii portam :

SVSPICE AC VENERARE
LOCVM SVPRAPOSITVM IN QVO
S. PHILIPPVS NERIVS
SAC. ORATORII CONGREGATIONEM INCHOAVIT
PER PIAS EXERCITATIONES QVAE DIV HIC
HABITAE A PATRIBVS OB NOVAM ÆDIFICATIONEM
ALIO TRANSLATAE SVNT. NON DEBET IGNORARI
ANGVLVS EX QVO MANAVIT IN ORBEM
FONS PIETATIS
XXXIII. ANNIS.

Tibi itaque, sanctissime parens Philippe, gratias ago, quod te duce in hanc tuam habitationem et Congregationem admissus, in eadem laboriosum plane opus hoc, te solo adjutore, tandem perfeci, quod tuum dici potius potest quam meum ; nihil enim in eo vel in me est, quod te non cognoscat auctorem aut dominum. An non decidit jam lex, si quis in alieno solo ex

Digitized by Google

sua materia ædificaverit, illius fieri ædificium, cujus et solum est ? An non litteræ quoque, licet aureæ sint, perinde chartis membranisque cedunt, ac solo cedere solent ea quæ ædificantur ? Jure itaque ac merito etiam tibi, sanctissime Parens, dicam, cum tuis aris hoc qualecumque opus appendo, quod aliquando regius Vates pretiosa munera Deo offerens dixit, lib. I *Paralipomenon*, cap. XXIX, versiculo XIV : *Tua sunt omnia; et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Quæ autem scripsi non modo irrefragabili sanctæ Apostolicæ Sedis judicio, cui semper fuisti obsequentissimus, subjicio, sed indictum penitus volo, si quid in hoc opere, ac in aliis meis libris, Catholicæ doctrinæ, pietati vel bonis moribus adversetur.

Digitized by Google

ADDITAMENTA

AD

PONTIFICALE ROMANUM

A JOSEPHO CATALANO

COMMENTARIIS ILLUSTRATUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

MONITUM.

I. Ne quid desit integritati Pontificalis Romani, simulque ut compleatur opus Catalani, opportunum duximus hic ad calcem, partim addere Supplementum ad Pontificale, quale, pluribus jam abhinc annis, Apostolicæ Sedis auctoritate munitum, in potioribus editionibus pervulgatum est. Quoties res expetebat, quibusdam adnotatiunculis textum Pontificalis adornavimus. Attamen, siquidem omnes fere partes dicti Supplementi ad hoc solum sunt in unum volumen collectæ, ut inde facilius Episcopi ritus sacros depromant, et ad manum habeant, in Sacramentorum aliquot vel administratione aut celebratione a Sacerdotibus usitatos, sicuti supervacaneum nobis visum est textum Ritualis Romani ex integro hic inserere, ita etiam nullis commentariis explanavimus Orationes et Rubricas ad illa Sacramenta spectantes; quippe quas ipse Catalanus, in doctissimo suo *Commentario perpetuo in Rituale*, dilucidavit, pro suo more, abundantiori exquisitissimaque eruditione. (Vid. *Rituale Romanum perpetuis Commentariis exornatum*, *etc.*, auctore Josepho Catalano, etc. — *Patavii*, 1760, 2 *vol. in-fol.*).

II. In gratiam eorum qui vetera tantum Romani Pontificalis exemplaria norunt vel possident, hic subjiciemus titulos in recens editis positos, ut, his inspectis, illico possint recurrere ad horum explanationes sive a Catalano sive ab aliis scriptoribus elucubratas.

I. De parvulorum Baptismo.
II. De adultorum Baptismo.
III. De Confirmationis sacramento.
IV. De Confirmatione unius.
V. De Clerico faciendo.
VI. De minoribus Ordinibus uni tantum conferendis.
VII. De ordinatione Ostiarii.
VIII. De ordinatione Lectoris.
IX. De ordinatione Exorcistæ.
X. De ordinatione Acolythi.

Digitized by Google

XI. De ordinatione Subdiaconi.
XII. De ordinatione Diaconi.
XIII. De ordinatione Presbyteri.
XIV. De consecratione plurium electorum in Episcopos.
XV. De sacramento Matrimonii.
XVI. De benedictione nuptiarum.
XVII. De patenæ et calicis consecratione.
XVIII. De benedictione tabernaculi, sive vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda.
XIX. Ritus et formula benedictionis Apostolicæ, pro commoditate Episcoporum.
XX. Ritus pro benedictione aquæ lustralis.

III. De Extrema-Unctione ab Episcopo administranda silet penitus Pontificale, sicut et Rituale Romanum; sed neque in libro *Cæremoniarum sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, ab ipso etiam Catalano commentatarum (2 vol. in-fol.), traduntur ritus pro Prælatis speciales in hoc casu, licet cæteros in extenso ibi reperias ab ipsis adhibendos in administratione aliorum Sacramentorum.

Unde provenerit talis omissio, non facile est dictu. Equidem non defuere aliquando qui vocem *Presbyteros* forsan non satis intelligentes, quæ in Epistola beati Jacobi cap. v legitur, dubitarunt an Episcopi hoc Sacramentum conferre possent, uti addiscere licet ex celeberrima Epistola S. Innocentii I ad Decentium Eugubinensem episcopum, ubi eam controversiam solvit, sic plane inquiens : « Cæterum superfluo videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur quod Presbytero licere non dubium est. Nam idcirco *Presbyteros* dictum est, quia Episcopi, aliis occupationibus impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum, si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum et benedicere et ungere chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum chrisma conficere. » Ad hoc referri potest quod ait Durandus in *Rationali*, lib. I, cap. VIII, num. XXV, « quod ab Episcopo semel inunctus, non debet, propter ejus reverentiam, ulterius per Presbyterum inungi. » Concilium tandem Tridentinum, sess. XIV, cap. III, declarat nomine *Presbyteros* in Epistola S. Jacobi intelligi debere, « aut Episcopos aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinatos. »

IV. Ritus autem ab Episcopo ungente servandi, non possunt esse dissimiles ab iis quos sequuntur simplices Sacerdotes, si excipias usum mitræ, quam forte Prælatus in capite gestat dum adspergit cu-

Digitized by Google

biculum, vel infirmum inungit, etc.; eam autem semper deponit ad Orationes, etc., sicut practitari adsolet in similibus functionibus Pontificum. Baculum forte Pastoralem in manu tenet Episcopus dum *Confiteor* recitat infirmus (aut alius pro eo), et quando ipse Prælatus dicit *Misereatur* et *Indulgentiam,* vel adstantes monet ut pro inungendo Deum deprecentur, etc. Cæterum, has Rubricas illic exscribentes, nullo modo intendimus illas pro veris regulis tradere, nedum imponere : absit a nobis talis præsumptio! Hoc unum in animo habemus, commoditati aliorum providere, et eximium illustris auctoris opus utcumque complere.

V. Ex viginti titulis superius relatis, quatuor tantum aut quinque seligimus, ut in hoc Supplemento inserantur, nempe ritus Pontificales pro Baptismo sive parvulorum sive adultorum, pro celebratione matrimonii, pro benedictione Apostolica, etc. Nam in ritibus ac formulis primæ Tonsuræ vel Ordinum, tam minorum quam sacrorum, uni tantum conferendorum, nulla intervenit mutatio, nisi numeri pluralis in singularem. Rituale quidem Romanum ritus tradit ab Episcopo servandos cum Baptismum administrat : at cuique legenti patebit cæremonias in novis Pontificalis editionibus adcersitas, etsi a ritibus Ritualis non admodum diversas, amplitudine tamen atque dignitate longe istos superare. Inde hæc querela, hoc votum Catalani, in suo *Commentario in Rituale :* « Cum ritus ipse servandus cum Episcopus » aut Cardinalis baptizat, nimis compendiose a nostro Rituali præ» scriptus sit, optandum plane esset ut ordo amplior, et quidem pe» culiaris pro Episcopo sanctæque R. E. Cardinale Baptismum solem» niter administrante, suprema auctoritate concinnaretur, et in lucem » prodiret, ut inde cæremoniarum magistri addiscerent uti hujusmodi » functiones rite et cum majestate gradui Episcopali atque Cardina» litio conveniente, sint dirigendæ. » Et mox subdit : « Legi nihilo» minus posset atque servari ritus ille qui hac in re per extensum » conscriptus fuit in peculiare volumen redactus, nec non typis com» missus Cesenæ anno 1683..... jussu Eminentissimi S. R. E. cardi» nalis Fratris Vincentii Mariæ Ursini, tunc illius ecclesiæ episcopi, » qui demum fuit Romanus Pontifex Maximus, Benedictus XIII. Qui » liber valde utilis est, ut ait... Baruffaldus, et manualis est cunctis » Episcopis, qui talem ritum non nisi compendiose scriptum in hoc » nostro Rituali Romano habebant. » Quod autem tam enixe meritoque peroptabat doctissimus scriptor, post ejus obitum, et, ut videtur, ineunte nostro nono decimo sæculo, feliciter est adimpletum,

Digitized by Google

nimirum in recens excusis cunctis exemplaribus Pontificalis Romani, ut antea vidimus. De matrimonio vero a Pontifice celebrando silentium tenet Rituale, etiam recentius editum, sive in Italia, sive in Galliis aut in Belgio.

VI. Et, quia ritus isti omnes ad Prælatos spectantes in Pontificali sunt inducti ex quo Catalanus e vivis sublatus est, a nemine, quod sciamus, notis aut commentariis sunt illustrati, sicut nec ritus ac formulæ benedictionis Apostolicæ. Quæ enim in Rituali a Benedicto XIV Pontifice Maximo inserta est, et ab eodem auctore ibidem commentata, non sane eadem est ac illa quæ in Pontificali Romano legitur. Aqua vero lustralis, vulgo dicta Gregoriana, cum vino et cinere admixta, in Pontificali inserta, usui inservit cum reconcilianda est ecclesia polluta. Cum autem nihil omnino differat hujus aquæ benedictio ab ea quam adhibent Præsules in consecratione seu dedicatione ecclesiæ vel solius altaris, de illa silebimus, lectorem remittentes ad secundum tomum seu partem hujus operis, titulo II, § XXIV sqq., *De Ecclesiæ Dedicatione*, ubi ritus et formulæ ejusmodi benedictionis fusius exponuntur. Notandum tamen est quod preces seu formulæ concluduntur per Orationem *Omnipotens sempiterne Deus, creator, etc.*, et non adjicitur Oratio *Sanctificare. etc.* Pontifex in hac functione assumit tantum « stolam super rochettum, vel superpelli» ceum, si sit Regularis, et mitram simplicem (*a*). »

VII. Tandem, pro coronide, lectori gratum, et forsan utile, præstare existimantes, dabimus, in nostris Gallicis regionibus fere ignotam, Romanam *Instructionem pro simplici Sacerdote sacramentum Confirmationis, Sedis Apostolicæ delegatione, administrante.* Jamjam ergo ad supra memoratas adcessiones seu Supplementum Pontificalis Romani, manum admoveamus, paucis animadversionibus, ubi opus erit, Rubricas seu ritus explanaturi, juxta methodum auctoris, sed non cum scientia et elocutione tanta.

(*a*) Cujus vero coloris debeat esse stola, Pontificale non loquitur. At in Rituali invenimus responsionem opportunam. Præscribit namque ut Presbyter aquam benedictam facturus, sit « stola violacea indu» tus : » modo tamen, subintellige, non benedicat aquam in Dominica proxime antequam fiat ejus adspersio; tunc enim colorem qui Missæ competit debet adhibere, ut unanimes tradunt rerum liturgicarum interpretes. Eadem ratione, Pontifex, qui aquam benedicit cum paramentis albis in ipso actu dedicationis ecclesiæ, extra hanc functionem, pro benedictione aquæ lustralis uti debet violaceo colore.

Digitized by Google

TITULUS I.

PONTIFICALIS RITUS PRO BAPTISMO PARVULORUM.

§ I.

Pontifex, infantem vel infantes, sive pueros, sacri Baptismatis unda immergere seu perfundere volens, solitis indumentis in secretario, vel alibi ad ejus libitum, pluvialique violacei coloris et mitra simplici paratus, et baculo Pastorali accepto, Capellanis, vel aliis Presbyteris, et Clericis, superpelliceis indutis, qui ei adsistant ac ministrent, præcedentibus, ad ecclesiæ portam, extra quam exspectant qui infantem vel infantes baptizandos detulerunt, procedit : ibique, deposito baculo, sedet cum mitra in faldistorio, ad ejusdem portæ limen cum strato et violacea veste præparato.

COMMENTARIUS.

Nonnulla sunt hic notanda, quibus innotescat cuilibet modus adaptandi sacræ liturgiæ generales ritus functionibus singularibus seu propriis quæ possunt occurrere. Sic mitra simplex adhibetur in ritibus sacrum Baptismum præcedentibus, cujusvis gradus aut dignitatis sit baptizandus, ut fit in collatione sacrorum Ordinum (vid. tom. I hujus operis, tit. II sqq.) : at mitra auriphrygiata utitur Pontifex in ipsa Baptismi administratione, dum scilicet, depositis violaceis, paramenta sumit albi coloris. Animadvertendum insuper quod Prælatus, antequam sedeat, baculum Pastoralem deponit. Unde inferri legitime potest, in hodierna liturgica disciplina, Episcopum nunquam baculum in manu habere posse, nisi sit stans in pedibus; licet adsint exempla diversæ ab illa agendi rationis in veteribus liturgicis libris, et etiamnum in Pontificali Romano, nimirum in titulo antepenultimo hujus tertiæ partis, ubi legitur ritus antiquatus *De Scrutinio serotino quo antiqui utebantur antequam electus in Episcopum consecraretur.*

§ II.

Sicque sedens cum mitra, interrogat infantem, positum super brachium dexterum illius qui eum defert, illum proprio nomine, eidem imposito, appellando, et dicens (si plures fuerint baptizandi, dicat singulariter singulis) : *N., quid petis ab Ecclesia Dei?*

Cætera require in Rituali Romano, sicut et in sequentibus.

Deinde surgat cum mitra, et ter exsufflet leniter (Rit. Rom.).

§ III.

Postea sedeat cum mitra, et cum pollice facit signum crucis in fronte et in pectore infantis, dicens (etiam singulariter singulis) : *Accipe signum* (Rit. Rom.).

Digitized by Google

Surgat inde, deposita mitra, et stans dicat Orationem manibus junctis : quod etiam in reliquis Orationibus observet (in plurali pro omnibus) : OREMUS. *Preces nostras* (Rit. Rom.).

§ IV.

Deinde imponat manum super caput infantis, et adhuc sine mitra dicat (in plurali pro omnibus) : OREMUS. *Omnipotens sempiterne Deus* (Rit. Rom.).

COMMENTARIUS.

Sedenti Episcopo offertur infans, sicut requirere videtur Pontificalis dignitas : sed stans Antistes insufflat in illum, forte ad majus suum commodum. Mitram habet in capite hunc ritum exercens, qui exprimit auctoritatem. Sedens autem signat baptizandum in fronte et in pectore, quia nihil vetat, et insuper facile ad ipsum admoveri potest infans. Cæteri ritus Pontificalis ab illis discrepantes qui jacent in Rituali, ad usum mitræ reduci possunt, quæ modo in capite retinetur, modo aufertur ; atque ad corporis situm Prælati, qui sedet vel adsurgit, prout verba quæ profert, potestatem aut ad Deum deprecationem denotant, ad instar rituum similium qui passim reperiuntur in Pontificali, et ex legibus analogiæ. Vide sis Commentarium ad § XVII tituli sequentis, pag. 458.

§ V.

Deinde benedicturus salem (qui semel benedictus, alias ad eumdem usum deservire potest), accepta mitra, stans dicat (sine mutatione pro omnibus) : — BENEDICTIO SALIS. *Exorcizo te, creatura salis, in nomine,* etc.

Require in Rituali usque ad hæc verba, *ad effugandum inimicum.*

Hic deponat mitram, et adhuc stans prosequatur : *Proinde rogamus te* (Rit. Rom.).

§ VI.

Deinde sedeat cum mitra, et accipiens modicum salis benedicti, immittat in os infantis, dicens (singulariter singulis) : *N., accipe salem* (Rit. Rom.). Surgat inde, deposita mitra, et dicat (in plurali pro omnibus) : OREMUS. *Deus patrum nostrorum* (Rit. Rom.).

§ VII.

Accepta mitra, adhuc stans dicit exorcismum : *Exorcizo te, immunde spiritus* (Rit. Rom.). Retenta mitra, adhuc stans, et pollice in fronte signans infantem, dicit (singulariter singulis) : *Et hoc signum* (Rit. Rom.). Mox, deposita mitra, et adhuc stans, impositaque manu super caput infantis, dicit (in plurali pro omnibus) : OREMUS. *Æternam ac justissimam* (Rit. Rom.).

§ VIII.

Accipit mitram, et, imposita extrema parte stolæ super infantem, introducit eum in ecclesiam, præcedentibus omnibus qui cum eo venerant, dicens (in plurali pro omnibus) : *N., ingredere* (Rit. Rom.).

Digitized by Google

Cum fuerint ecclesiam ingressi, Pontifex deponit mitram, et procedens ad fontem, usque ad cancellos exclusive, cum susceptoribus, dicit clara voce simul cum illis : *Credo in Deum, etc. Pater noster, etc.*

§ IX.

Deinde accipit mitram, et priusquam accedat ad baptisterium, terga vertens ad ipsum, extra cancellos, dicat versus infantem : Exorcismus. *Exorcizo te* (Rit. Rom.).

COMMENTARIUS.

Secunda hæc statio, extra cancellos fontis baptismatis facienda, ad quos terga vertit Pontifex, non adeo perspicue indicatur in Rituali, in quo tantum legitur : « Antequam accedat (Sacerdos) » ad baptisterium, dicat : *Exorcizo te, etc.* » At nemo non videt positionem quam hic Pontificale Prælato decernit, omnino competere. Nempe catechizationem prosequitur, et infantem exorcizare non congrueret prope ipsum fontem baptismalem, quemadmodum haud deceret illum oleo sacro perfundere ad ostium ecclesiæ. Non mirandum tamen quod hæc statio extra cancellos in Rituali iisdem verbis quæ in Pontificali, non aperte præscribatur : ratio est quia in plurimis ecclesiis, in rusticanis præsertim, fontes baptismales raro in baptisterio proprie dicto positi sint, sed sæpe sæpius seorsim et segregatim in aliquo obscuro ecclesiæ angulo collocati : in cathedralibus vero, cancellis sunt muniti, et insuper altari aut capella, vel saltem imaginibus, sculptis aut pictis, decorati ; quæ omnia vere baptisterium constituunt. Non diffitemur tamen, imo summa perfusi lætitia agnoscimus quod, a pluribus jam retro annis, dum in templorum ædificationem vel reparationem, Pastores, sacræ antiquitatis amatores, navant operam, baptisteria condunt vel ornant studio et impensis nunquam satis laudandis. Ubicumque autem positus sit fons baptismalis, sive intra cancellos inclusus, sive his destitutus, Sacerdos quispiam optimam rem aget si exemplum imitetur Episcoporum baptizantium, nempe si parumper a fonte distans et terga illi vertens, sic ritus compleat Baptismum præcedentes, usque dum stolam immutet.

§ X.

Mox cum mitra et adhuc stans, digito accipiat salivam oris sui, et tangat aures et nares infantis. Tangendo vero aurem dexteram et sinistram dicat (singulariter singulis) : *Ephphetha, quod est, adaperire.*

Deinde tangat nares, dicens : *In odorem* (Rit. Rom.).

§ XI.

Postea sedens ibidem cum mitra, interrogat baptizandum nominatim, dicens : *N., abrenuntias* (Rit. Rom.)?

Deinde Pontifex, adhuc sedens cum mitra, intingit pollicem in oleo catechumenorum, et infantem ungit in pectore et inter scapulas, in modum crucis, dicens semel : *Ego te linio* (Rit. Rom.).

Deinde pollicem et inuncta loca abstergit bombacio vel re simili.

§ XII.

Mox, depositis mitra simplici, pluviali et stola violaceis, accipit stolam et plu-

Digitized by Google

viale albi coloris, et mitram auriphrygiatam; et tunc ingreditur capellam baptisterii, ubi sedens ante ostium fontis, interrogat, expresso nomine, baptizandum, patrino respondente : *N., credis in Deum?* (Rit. Rom.) Subinde, expresso nomine baptizandi, Pontifex adhuc sedens cum mitra, dicit : *N., vis baptizari?* Patrinus respondet : *Volo.*

COMMENTARIUS.

Pontifex igitur, stans, salivam apponit auribus naribusque parvuli, sicut erecto corpore inhalavit in ipsum. At sedet cum salem immittit in os, et cum baptizandum ungit oleo catechumenorum. Quin etiam, mox videbimus Episcopum sedentem dum aquam infundit in caput infantis, quando scilicet per infusionem confert Baptismum. Causa istius discriminis inter ritus illos haud facile discernitur, et libenter peritioribus illam remitteremus discutiendam ; eo magis quod neque Hieronymus Baruffaldus, neque ipsemet Catalanusinsuis Commentariis ullam rationem adinvenire potuerunt, utroque dicente ipsissimis verbis, hos ritus « nulla explicatione indigere, Parochis saltem simplicibusque » Sacerdotibus Baptismum administrantibus, » necessaria. » (Cs. *ad Rituale Rom. Comment.* auctore Hieron. Barufaldo, Gerrariensi, S. Inquisit. consult. et insig. Eccles. Centensis archipresb. Venetiis, 1763, ex typogr. Remondiniana). Mysticum equidem sensum aliqualem hic perspici non posse patet evidenter. Verumtamen, physice loquendo, dici posset in his diversis ritibus præcipue vel unice intendisse qui Romanum Pontificale et Rituales redegerunt seu confecerunt, ampliorem et commodiorem motuum facilitatem Prælati. Nemo enim non animadverterit quod Episcopus stans expeditius commodiusque salivam apponat in aures et in nares, vel in infantem inhalet, quia facilius in illum potest se proclinare si stet, quam si sederet : dum e contra, ad salis immissionem, ad unctiones et aquæ infusionem, nihil obstat quominus præparetur infans et convenienter ad Pontificem admoveatur, quin a sede surgat ipse.

§ XIII.

Si baptizet per immersionem, Pontifex, mitram retinens, surgit et accipit infantem; et advertens ne lædatur, caute caput ejus immergit in aquam, et trina mersione baptizans, semel tantum dicit : *N., ego te baptizo in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti.* Mox patrinus vel matrina, vel uterque simul, infantem de sacro fonte levant, suscipientes illum de manu Pontificis.

§ XIV.

Si vero Pontifex per infusionem baptizet, patrino vel matrina, vel utroque simul, si ambo admittantur, infantem tenente, Pontifex adhuc sedens cum mitra, vasculum vel urceolum accipit cum aqua baptismali; et aliquo capellano lancem supponente ad recipiendam aquam, ter de ea fundit super caput infantis in modum crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte et attente dicit : *N., ego te baptizo in nomine Pa✠tris,* fundat primo; *et Fi✠lii,* fundat secundo; *et Spiritus✠sancti,* fundat tertio.

COMMENTARIUS.

I. Qui plus minusve sacræ liturgiæ libros terere assueverunt, profecto animadvertent ritus Baptismi per immersionem in Romano Pontificali describi ante Baptismum per infu-

Digitized by Google

sionem; dum, e contra, in Rituali primum locum habet administratio illius ultimi Baptismi. Hujus discrepantiæ causa primo reponi potest in maxima vetustate ritus Baptismi per immersionem, qui fere solus olim in Ecclesia vigebat : valde enim credibile est quod Episcopus ad Baptismum conferendum se accingens, modum illum potius eliget qui plus habet antiquitatis, ac proinde etiam solemnitatis ac dignitatis. Deinde, itidem dici potest zelantissimum Papam Benedictum XIII, cui debemus hanc additionem ritus Pontificalis, de Baptismi scilicet administratione, et cujus studium erga sacram venerabilemque antiquitatem latet neminem, intendisse normam illam baptizandi commendare, primum dando ei locum, ut pote digniori et potiori. Namque dictus Pontifex, dum Beneventanam regebat Ecclesiam, Baptismum per immersionem constanter tuitus est, ipseque non semel contulit : quod et fecit ex quo in Petri cathedram fuit evectus.

II. Notandum insuper illud Rubricæ Pontificalis, in hoc complens Rituale et explicans, nempe quod in Baptismate per immersionem, caput infantis, et non corpus integrum, debeat immergi. Fieri enim posset ut baptizans, propter suam imbecillitatem, impotens esset ad infantem sustinendum : aut posset accidere ut ob imperitiam, vel subitam nervorum trepidationem, aut mentis aberrationem ministrantis Sacramentum, infans, ex ejus manibus dilabens, in aquis præfocaretur. Quæ mala vel incommoda occurrere nequeunt cum adulti baptizantur per immersionem; et in titulo sequenti videbimus Episcopo relinqui facultatem mergendi sive totum corpus, sive caput solum in Baptismo adultorum. In Rituali Romano similia legimus de simplicibus Sacerdotibus qui Baptismum adultis conferunt per immersionem. Ecclesia Mediolanensis, quæ plurimos ritus veteres Ecclesiasticos ad usque hæc nostra tempora retinuit, qui in aliis locis oblitterati sunt vel abierunt in desuetudinem, et inter alios ritum Baptismi per solam immersionem, mandat in suo Rituali ut caput tantum in aqua demergatur. Et S. Carolus in suis *Instructionibus*, de Baptismi administratione loquens, et modum immersionis evolvens, ait : « Deinde Parochus » infantem supinum, a patrino sublatum, utra- » que manu excipit, ita ut dextera capiti ejus » propior sit. Tum ter occiput mergit in aqua » in crucis formam, et mergendo, etc. » Ubi maxime advertere debent qui per immersionem baptizare voluerint, quod occiput, et non tempora, multo minus facies, sit demergendum, propter periculum suffocationis, ut jam diximus.

III. Ut superius animadvertimus, in commentariis nempe ad §§ x, xi, xii, stat erectus Pontifex dum immergit infantem, sedet vero si eum baptizat per infusionem, eo quod ita videtur requirere major facilitas ad functiones peragendas. Similiter, Capellanus aquam in lance recipit de capite baptizati decurrentem, quando scilicet Pontifex sedens per infusionem confert Sacramentum. Etenim aqua baptismalis, jam sanctificata, non sine culpabili irreverentia in terram diffluere sineretur; et aliunde Prælatus in sede sua positus, ut debet, adtingere nequit ad vasculum aquam recepturum quod est intra fontem ipsum collocatum, ideoque non minori distantia sublatum a terra.

§ XV.

Si vero dubitatur an infans sit baptizatus, utatur hac forma : *N., si non es baptizatus* (Rit. Rom.).

§ XVI.

Deinde Pontifex sedens et retinens mitram, intingit pollicem in sacro chrismate, et ungit infantem in summitate capitis in modum crucis, dicens : *Deus omnipotens* (Rit. Rom.). Pontifex : *Pax tibi.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Tum bombacio aut re simili abstergit pollicem suum et locum inunctum.

Digitized by Google

§ XVII.

Deinde etiam sedens cum mitra, imponit capiti infantis linteolum candidum, loco vestis albæ, dicens : *Accipe vestem.* (Rit. Rom.) Postea, pariter sedendo cum mitra, dat infanti vel patrino candelam accensam, dicens : *Accipe lampadem* (Rit. Rom.). Postremo dicit, etiam sedendo cum mitra : *N., vade in pace, et Dominus sit tecum.* ℟. *Amen.*

COMMENTARIUS.

Pontificale Ritualeque Romanum eisdem ritibus et eisdem verbis concludunt administrationem hujus præcipui Sacramenti. Nihil igitur hic adnotandum, cum nihil dicendum superest post eximios Catalani ac Baruffaldi Commentarios, ad quos lectorem iterum libentiori animo remittimus, quia nullibi reperiet tam variatam atque planam eruditionem cum pietate conjunctam. Nihilominus, ultra progredi nolumus antequam alium ritum, in hoc loco Pontificalis omissum, exhibeamus. Exstat enim regula seu rubrica, passim in omnibus libris liturgicis descripta, qua indicitur osculum manus Pontificis quoties rem aliquam tradit cuique personæ, quæ rem oblatam a Prælato debet insuper deosculari. Cum igitur Episcopus baptizans dat candelam in manu patrini, teneri videtur dictus patrinus ad osculum manus Episcopi ac deinde cerei traditi.

§ XVIII.

Ac demum, sedens adhuc cum mitra, moneat susceptores de spirituali cognatione quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre et matre; et de obligatione quam habent, ubi opus fuerit, opportune docendi baptizatum, tanquam filium spiritualem, fidei rudimenta. Unde ad hujus munus, qui ea ignorant, non admittantur.

§ XIX.

Si vero fuerint plures baptizandi, masculi seu feminæ, in catechismo masculi statuantur ad dexteram, feminæ vero ad sinistram : et omnia pariter dicantur ut supra, in proprio genere et in numero plurali. Quod si fuerint masculi et feminæ simul baptizandi, omnia dicantur in numero plurali, sed in genere masculino, etiamsi sint plures feminæ quam masculi.

Quædam vero, non in numero plurali pro omnibus, sed in numero singulari pro singulis dici oportet; in genere tamen masculino pro masculis, et in genere femineo pro feminis, ut notatur in Romano Pontificali, in Rubrica post Baptismum parvulorum. Sed nos, pro majori commoditate, adnotavimus in propriis locis, in Rubricis marginalibus (quæ in hac editione Parisiensi intra parentheses includuntur); ita ut, quando dicitur in Rubrica marginali « singulariter singulis, » intellige quod illa verba vel actiones, usque ad aliam Rubricam marginalem, dici vel fieri debent singulariter singulis, et primum masculis, deinde feminis, mutato solum genere, ut dictum est supra. Quando vero in Rubrica marginali dicitur « in plurali pro omnibus, » intellige quod illa verba usque ad aliam Rubricam dici debent semel, sed pro omnibus in plurali, mutato solum genere, si omnes sint feminæ.

Digitized by Google

§ XX.

Pontifex demum, completo Baptismate, sedens adhuc cum mitra, lavat manus more solito : et inde eodem comitatu, eodemque modo quo baptizaturus accessit, eo unde venerat revertitur.

COMMENTARIUS.

In his quæ præcedunt nihil dignum videtur adnotatione; ritus enim hic expressi, vel Rituali concordant, ubi copiose et abundanter explanantur, aut si paululum ab eo recedunt, nullis indigent commentariis, ut pote satis per se patentes. Non amplius igitur in Baptismate parvulorum immorantes, ad ritus ejusdem Sacramenti solemniter adultis ab Episcopo conferendi confestim transimus.

TITULUS II.

PONTIFICALIS RITUS PRO ADULTORUM BAPTISMO.

§ I.

Pontifex, adultos sacri Baptismatis unda mergere seu perfundere volens, prius diligenter inquirat an adulti baptizandi in christiana fide ac sanctis moribus sint instructi, et an scientes et volentes ad Baptismum accedant : ne quis jam baptizatus, imperitia vel errore, aut ad quæstum vel ob aliam causam, fraude dolove, iterum baptizari velit.

In sabbato sancto Paschatis vel Pentecostes, hujusmodi Baptismum solemniter curet; ni catechumeni, rite instructi, baptismum suum in longum tempus differri ægre ferant.

COMMENTARIUS.

Fuisse olim solos Episcopos ordinarios sacri Baptismatis ministros nemo nescit, maxime cum adultis esset conferendus, qui fere soli illud Sacramentum tunc accipiebant. Unde legimus in Rituali Romano : « Adultorum Baptismus, ubi commode fieri potest, ad Episcopum deferatur; ut, si illi placuerit, ab eo solemniter conferatur. » Ritus enim quos hic describendos suscepimus, multo plures, potiores dignioresque sunt pro Baptismo adultorum quam pro Lavacro infantium. Sed non mirum videri debet si in adulti Baptismate variis erroribus peccatisve implicati, ac diu in dæmonis potestate redacti, exorcismi, orationes ritusque complures quam in Baptismo infantis solo originali peccato obstricti, adhibeantur.

§ II.

Cum igitur hujusmodi Baptismus ministrandus erit, disponantur suis locis sequentia :

Digitized by Google

In secretario, altare cum cruce, et candelabris cum cereis : baculus Pastoralis a latere epistolæ.

Super altare autem mitra simplex, pectorale, pluviale et stola coloris violacei, crux pectoralis, cingulus albi coloris, alba, amictus, et, si Pontifex erit Regularis, superpelliceum : omnia velo serico violaceo cooperta.

Item faldistorium cum veste et pulvinis violaceis super tapeto, ante idem altare.

Insuper sedes Pontificalis, cum pulvino violaceo et tapeto, si Pontifex erit in propria ecclesia.

In abaco ejusdem secretarii, bacile et boccale cum aqua; mappæ pro gremio et manibus; candelabra duo cum cereis; clava cardinalitia, si Pontifex erit S. R. E. Cardinalis; liber hic et bugia.

In presbyterio et choro, altare cum pallio violaceo, cruce et candelabris cum cereis : faldistorium cum veste, et pulvinis violaceis super tapeto; sedes Pontificalis tecta violaceis, si Pontifex, ut supra, erit in propria ecclesia.

Ad valvas ecclesiæ et ad ostium cancellorum baptisterii, faldistorium cooperatum veste violacea super strato.

In baptisterio, fons late patens pro immersione catechumeni : faldistorium cum veste alba, et tria scabella circa illud super tapeto, intra cancellos ante ostium fontis.

In abaco ejusdem baptisterii, pelvicula cum sale; vascula duo cum bombacio madido sanctis oleis, alterum chrismatis, alterum catechumenorum; bombacium siccum pro abstersione locorum inunctorum : paramenta albi coloris, videlicet mitra auriphrygiata, pluviale et stola, cooperta velo serico albo : chrismalia, seu candidi linteoli, et vestes candidæ pro numero neophytorum; item et cerei eisdem tradendi : vasa cum mica panis, ad lavandas manus; mappæ ad eas tergendas et pro gremio.

COMMENTARIUS.

I. Omnes isti apparatus, tam minutatim enarrati quasi in secretario componendi, usui tradendi sunt quando videlicet Pontifex functionem incipit in hoc loco, non autem in presbyterio ecclesiæ : verum, ex Rubrica quam infra videbimus, facultatem habet Episcopus seligendi unum vel alterum locum. Quod si in presbyterio functionem vult exordiri, sacra paramenta reponi debent per ordinem super majus altare ecclesiæ, et nihil tunc in secretario paratur : in his consideranda sunt locorum adjuncta et distributiones. Apud majores ecclesias olim erant contigua vastissima secretaria, sicuti nunc videntur adhuc in pluribus veteribus basilicis, signanter in venerabili basilica Sancti-Salvatoris, seu Sancti-Joannis in Laterano, matre et magistra omnium ecclesiarum. Persæpe divina Officia ibi agebantur, et hodiernis etiam temporibus Tertia cantatur vel saltem est cantanda, ex præscripto *Cæremonialis Episcoporum*, lib. I, cap. XV; lib. II, cap. VIII, quoties præcedit Missam solemnem Pontificalem. Qui plura voluerit discere de secretariis antiquis sive apud ethnicos, vel maxime apud Christianos, recurrat ad eximium et eruditissimum opus Francisci Cancellieri *De Secretariis, etc.*, 3 vol. in-4°; Romæ, 1786. Pontificale Romanum amplissimos hic requirit apparatus, ut major dignitas et pompa functioni sacræ accedat, quæ baptizandi atque omnium adstantium animis altiores diuturnioresque sensus infigat erga tantum Sacramentum.

II. Inter ornamenta sacra paranda ad usum

Digitized by Google

Præsulis, advertendum est unum ex eis necdum indicatum in tribus partibus Pontificalis, nempe pectorale, seu formale, licet cætera omnia Pontificalia paramenta sæpe sæpius plurimis in locis per ordinem sint enumerata. Inde factum est ut nec Catalanus ipse, qui tam luculenter cuncta Pontificum et Sacerdotum ornamenta singillatim enucleavit, de illo nihil dixerit. Nec mirum : namque in suo *Commentario ad Cæremoniale Episcoporum*, lib. I, cap. VII, § I, num. III, hæc jam scripserat : « Ergo Episcopo officium in Vesperis facturo » Presbyter ipse adsistens... capiet paramenta, » videlicet... pluviale, sine tamen formalio ad » pectus. » Quæ verba ex ipso Cæremoniali sunt excerpta. « ... Porro *formalium*, gemma » seu aurea lamina gemmata est, posita in fi- » bula pluvialis Episcopi, appellaturque etiam » pectorale, quod in Pontificali celebratione » posita, ante pectus Episcopi pendeat, ita ut » fibulam pluvialis cooperiat. Vide Macrum » in suo *Hierolexico*, ubi illas voces explicat. » Est ritus plane antiquus ut pluviale, quod » etiam cappam vocabant, gemma illa fulge- » ret. Etenim Boldricus abbas Burguliensis, » qui floruit sæculo XII, carmine ludens apud » Duchesnium, tom. IV, in Adelam comitis- » sam quæ, pro sacro apparatu in Ecclesiasticis » Officiis, cappam seu pluviale illi promiserat, » eamdem monet ut cappam ei mittat, quæ » bene undique ornata sit auro, præsertim » vero gemmis ad pectus.

Et refer, o domina, scribenti præmia cappam,
Cappam quæ phrygium rutilans circumferat aurum,
Cappam quæ gemmis amictum pectus honestet.

» Meminit et ejus S. Carolus in *Actis Ecclesiæ* » suæ *Mediolanensis*, ubi agit de ipso pectorali » ad pluvialis connectendi usum, quod ita de- » scribit : « Pectorale, scilicet illud quo ante » pectus pluviale connectitur, duobus uncinis » subjectis, ex argento inaurato conflatum esse » debet, cui lapis pretiosus inseratur, aut sacra » imago. » Huc usque Catalanus, cujus indicationem superiorem complebimus, hic exscribendo ex Macri *Hierolexico* pectoralis definitionem et expositionem.

III. « Pectorale. Sic appellatur gemma illa » quæ in Pontificali celebratione ponitur pen- » dens ante pectus Episcopi, ita ut fibulam » pluvialis cooperiat, vel in fine aperturæ col- » laris casulæ. Significat antiquum summi Sa- » cerdotis rationale; ideo etiam *rationale* in » quodam antiquo manuscripto Cæremoniali » appellatur. Et in *Cæremoniali Episcoporum*, » *formalium* denominatur. » Solis ergo Prælatis competit pectorale; imo ita ipsis est proprium seu privativum, ut nec Dignitates nec Canonici solemniter celebrantes possint illud gestare, quantumvis antiqua sit contraria consuetudo, uti decrevit S. Rituum Congregatio die 15 septembris 1753.

IV. Faldistoria quæ hic indicantur collocanda sive in secretario seu sacristia, sive presbyterio ante altare, non alio usui sunt destinata quam Prælati genuflexionibus, siquidem in sede sua Pontificali debeat sedere, si adsit in ecclesia propria : nam in alienis ecclesiis, id est extra suam diœcesim, vel etiam intra eamdem quando abest sedes Pontificalis, post Orationem genibus flexis faciendam, statim auferri deberet faldistorium et in plano infra gradus altaris, ex parte epistolæ, deponendum, ut in eo sedeat Pontifex statutis temporibus ut infra dicetur. Quare autem tria scabella in baptisterio paranda sint, nihil indicat in ordine subsequenti rituum Baptismatis. Forsan in eis sedere debebunt baptizatus ac ejus patrinus et matrina, quando, collato Sacramento, Pontifex ipse sedens ad illos verbum facit de spirituali cognatione quam ad invicem contraxerunt. Dici etiam posset hæc scabella ad ipsorum genuflexionem esse posita. Nihil in sequentibus §§ notandum videtur, quoniam Pontificale cum Rituali omnino concordat, exceptis ritibus propriis Episcoporum, qui notationibus non indigent.

§ III.

Pontifex igitur, paratis omnibus de mane, in secretario lavat prius manus; deinde super rochettum, sive superpelliceum si sit Regularis, accipit amictum, albam, cingulum, crucem pectoralem, stolam ac pluviale violacei coloris, pectorale et mitram.

Digitized by Google

§ IV.

Postmodum, cum toto Clero suæ ecclesiæ, ordine processionali accedit ante altare majus vel ejusdem secretarii, ubi genuflexus super faldistorio, deposita mitra, genuflectentibus pariter omnibus, pias mente ad Deum preces effundit, ut insigne Sacramentum digne valeat ministrare.

§ V.

Deinde, ad implorandum divinum auxilium, surgens, se signat et dicit : ***Deus, in adjutorium, etc. Gloria Patri.*** Postea stans ibidem, incipiat, prosequentibus Clericis, Antiphonam : ***Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, dicit Dominus.*** Ps. VIII : ***Domine Dominus noster*** (Rit. Rom.).

§ VI.

Incœpto Psalmo, Pontifex, accepta mitra, sedebit vel in sede, si fuerit in propria ecclesia, vel in faldistorio in plano epistolæ. Ps. XXVIII : ***Afferte Domino.*** Ps. XLI : *Quemadmodum.* Et repetitur Antiphona *Effundam.*

§ VII.

Completa Antiphona, Pontifex, deposita mitra, surgit, et stans versus altare dicit : *Kyrie, eleison, etc.* OREMUS. *Omnipotens sempiterne Deus, etc. Adesto supplicationibus nostris, etc.* (Rit. Rom.). (In plurali pro pluribus, et in genere masculino, nisi omnes sint feminæ) : ***Da, quæsumus*** (Rit. Rom.).

§ VIII.

Deinde Pontifex, accepta mitra et baculo Pastorali, procedit cum toto suo Clero, ut supra, ad fores ecclesiæ : ibique in limine, deposito baculo et retenta mitra, sedet in faldistorio. Catechizandus vero extra limen genuflectit e regione Pontificis. Et si plures mares et feminæ, illi ad dexteram Pontificis, hæ vero ad sinistram statuantur.

§ IX.

Tum Pontifex, sedens cum mitra, interrogat catechumenum (singulariter singulis, si plures, usque ad Orationem) : *Quo nomine vocaris?* Catechumenus respondet : *N.* Pontifex : *N., quid petis ab Ecclesia Dei?* Respondet catechumenus : *Fidem.* Pontifex : *Fides quid tibi præstat?* Respondet catechumenus : *Vitam æternam.* Pontifex : *Si vis habere vitam* (Rit. Rom.).

§ X.

Et rursus interrogat : *N., abrenuntias Sathanæ?* Respondet catechumenus : *Abrenuntio.* Interrogatio : *Et omnibus operibus ejus?* Responsum : *Abrenuntio.*

Digitized by Google

Interrogatio : *Et omnibus pompis ejus?* Responsum : *Abrenuntio.* Deinde Pontifex interrogat de Symbolo fidei, dicens : *Credis in Deum* (Rit. Rom.)?

§ XI.

Tunc Pontifex surgit cum mitra et exsufflat ter in faciem ejus, semel dicens : *Exi ab eo* (Rit. Rom.). Hic in modum crucis halet in faciem ipsius et dicat : *N., accipe Spiritum bonum* (Rit. Rom.).

Deinde Pontifex sedet cum mitra, et facit crucem cum pollice in fronte et in pectore catechumeni, dicens : *N., accipe signum* (Rit. Rom.).

§ XII.

Et si catechumenus venit de gentilitatis errore, sive de ethnicis et idololatris, dicat : *Horresce idola, respue simulacra.* Si ex Hebræis, dicat : *Horresce judaicam perfidiam, respue hebraicam superstitionem.* Si ex Mahumetanis, dicat : *Horresce mahumeticam perfidiam, respue pravam sectam infidelitatis.* Si ex hæreticis, et in ejus Baptismo debita forma servata non sit, dicat : *Horresce hæreticam pravitatem, respue nefarias sectas impiorum N.,* exprimens proprio nomine sectam de qua venit. Inde prosequatur : *Cole Deum* (Rit. Rom.).

§ XIII.

Si catechumeni fuerint plures, Pontifex singulariter singulos interrogabit, repetendo : *Quo nomine vocaris?* et ut supra cætera perficiendo.

§ XIV.

Deinde surgit, et, deposita mitra, dicit (in plurali pro pluribus) : Oremus. *Te deprecor, Domine* (Rit. Rom.).

§ XV.

Mox sedens cum mitra, signat signo crucis cum pollice in fronte, dicens (singulariter singulis) : *Signo tibi frontem, etc.* In auribus : *Signo tibi aures, etc.* In oculis : *Signo tibi oculos, etc.* In naribus : *Signo tibi nares, etc.* In ore : *Signo tibi os, etc.* In pectore : *Signo tibi pectus, etc.* In scapulis : *Signo tibi scapulas, etc.* In toto corpore, illud non tangens, manu producit signum crucis et dicit : *Signo te totum* (Rit. Rom.).

§ XVI.

Deinde, deposita mitra, surgit et dicit (in plurali pro pluribus) : Oremus. *Preces nostras* (Rit. Rom.). Oremus. *Deus, qui humani* (Rit. Rom.). Tunc imponit (singulis) manum super caput electi, et stans sine mitra, dicit (in plurali pro pluribus) : Oremus. *Omnipotens, sempiterne Deus* (Rit. Rom.).

Digitized by Google

§ XVII.

Deinde, stans cum mitra, benedicit salem. Benedictio salis (sine mutatione). *Exorcizo te* (Rit. Rom.). Hic deponit mitram, et adhuc stans, prosequitur dicens : *Proinde rogamus te* (Rit. Rom.).

COMMENTARIUS.

Hic obiter advertendum, quod et in Baptismate parvulorum notari debuisset ad similem Rubricam, nempe quia et in hoc loco Pontificale compleat et explicet Rituale. Etenim regula est passim consignata in liturgicis libris, Sacerdotem, exorcismum facturum, caput obtegere debere, illud vero detegere quoties Orationem recitat : quod sedulo præscribit Romanum Pontificale in utroque exorcismo salis pro Baptismo parvulorum et adultorum. Cuique etenim attente legenti patebit exorcismum compleri ad verba *ad effugandum inimicum*, et voces sequentes Orationem exhibere, quæ semper dicitur aperto capite, ut diximus.

§ XVIII.

Quod si catechumenus fuerit gentilis, seu ex idololatria venerit ad fidem, benedicto sale, antequam ejus medicinam gustet, Pontifex, adhuc stans sine mitra, addat sequentem Orationem; quæ tamen pro venientibus ex Hebræis vel aliis, ut supra, non dicitur. (In plurali pro pluribus) Oremus. *Domine sancte* (Rit. Rom.).

§ XIX.

Tunc Pontifex sedet cum mitra, et pollice ac indice accipit de ipso sale benedicto, et immittit in os catechumeni, dicens (singulariter pro singulis) : *N.*, *accipe salem* (Rit. Rom.). Deinde sine mitra surgit, et stans dicit (in plurali pro pluribus) : Oremus. *Deus patrum* (Rit. Rom.).

Si inter catechumenos adsint feminæ, recedant ipsæ in partem, quousque tertio dicatur masculis: *Ora, electe, etc.*, et hi signati fuerint in fronte.

§ XX.

Deinde Pontifex sedet cum mitra, et dicat catechumeno stanti (in plurali pro pluribus masculis tantum) : *Ora, electe, flecte genua et dic* Pater noster. Et electus genu flexo orat et dicit : *Pater noster, etc.* Et cum dixerit usque ad *Sed libera nos a malo* inclusive, Pontifex dicit : *Leva, comple orationem tuam et dic : Amen.* Electus surgens respondet : *Amen.*

§ XXI.

Pontifex dicit patrino : *Signa eum.* Deinde electo : *Accede.* Et patrinus pollice signat electum in fronte, dicens : *In nomine Patris, etc.* Et Pontifex pariter faciet signum crucis in fronte ejus, dicens : *In nomine Patris, etc.*

§ XXII.

Postea Pontifex sine mitra surgit, et stans imponit manum super electum

Digitized by Google

(singulis), et dicit (in plurali pro pluribus masculis) : Oremus. *Deus Abraham* (Rit. Rom.).

§ XXIII.

Deinde accipit mitram, et adhuc stans dicit (in plurali pro pluribus) : Exorcismus. *Ergo, maledicte diabole* (Rit. Rom.). Signat singulos, *quod nos in fronte, etc.*

§ XXIV.

Pontifex sedet, retenta mitra, et dicit secundo electo (in plurali pro pluribus masculis) : *Ora, electe* (Rit. Rom.).

Reliqua ut supra in §§ xx et xxi.

§ XXV.

Pontifex sine mitra surgit, et stans imponit manum super electum et dicit (in plurali pro pluribus) : Oremus. *Deus, immortale præsidium* (Rit. Rom.). Inde accipit mitram, et adhuc stans dicit (in plurali pro pluribus) : Exorcismus. *Audi, maledicte* (Rit. Rom.).

§ XXVI.

Pontifex sedet, retenta mitra, et tertio dicit electo : *Ora, electe* (Rit. Rom.).

Reliqua ut in §§ xx et xxi.

§ XXVII.

Deinde surgens, retenta mitra, imponit manum super electum, dicens (in plurali pro pluribus) : Exorcismus. *Exorcizo te* (Rit. Rom.). Exorcismus. *Ergo, maledicte* (Rit. Rom.). Signat singulos, *quod nos fronti ejus* (Rit. Rom.).

§ XXVIII.

Si, ut supra, adsint feminæ, retrahunt se masculi in partem, et accedunt feminæ ante Pontificem, et stant. Pontifex igitur, sedens cum mitra, dicit catechumenæ (in plurali pro pluribus) : *Ora, electa* (Rit. Rom.).

Reliqua ut supra ad §§ xx et xxi.

§ XXIX.

Deinde Pontifex, surgens sine mitra, imponit manum super electam (singulis si plures), et dicit (in plurali pro pluribus) : Oremus. *Deus cœli* (Rit. Rom.). Deinde cum mitra et adhuc stans dicit (in plurali pro pluribus) : *Ergo, maledicte* (Rit. Rom.). Signat singulas si plures, *quod nos fronti ejus* (Rit. Rom.).

§ XXX.

Deinde sedens Pontifex cum mitra dicit iterum electæ : *Ora, electa* (Rit. Rom.).

Reliqua ut in jam dictis §§ xx et xxi.

Digitized by Google

§ XXXI.

Postea Pontifex surgit, et stans sine mitra imponit manum super caput electæ (singulis si plures), et dicit : Oremus. *Deus Abraham* (Rit. Rom.).

§ XXXII.

Postea sedet, accepta mitra, et dicit tertio electæ : *Ora, electa* (Rit. Rom.).

Reliqua ut in memoratis §§ xx et xxi.

§ XXXIII.

Postea surgit, et, stans cum mitra, imponit manum super caput electæ (singulis si plures), et dicit (in plurali pro pluribus) : Exorcismus. *Exorcizo te, immunde* (Rit. Rom.). Exorcismus. *Ergo, maledicte* (Rit. Rom.). Signat singulas si plures, *quod nos fronti ejus* (Rit. Rom.).

§ XXXIV.

Postmodum accedunt iterum masculi, qui se retraxerant : et ipsi ad dexteram, feminæ vero ad sinistram Pontificis, ut in principio disponuntur.

§ XXXV.

Pontifex igitur, deposita mitra, surgit, et imposita manu super electum, vel, si sint plures, super singulos tam masculos quam feminas, stans dicit (in plurali pro pluribus tam masculis quam feminis) : Oremus. *Æternam ac justissimam* (Rit. Rom.).

§ XXXVI.

Pontifex sedet et mitram accipit. Interim Clerus, qui ante Pontificem stabat, ingreditur ecclesiam, et dirigit se ad baptisterium, et extra cancellos ejusdem se disponit. Deinde Pontifex surgens cum mitra, sinistra manu sua apprehendit dexteram electi prope brachium, vel ei porrigens extremam partem stolæ ex humero sinistro pendentis, introducit eum in ecclesiam.

§ XXXVII.

Si autem baptizandi erint plures, Pontifex vel porrigit singulis extremam partem stolæ, vel trahit illum quem manu tenet, et ille secundum, et secundus tertium, etc., pariformiter ducat.

COMMENTARIUS.

Sicut jam supra notavimus, si ritus excipias Pontificibus peculiares, omnes quos exscripsimus ex Pontificali Romano, Rituali optime consonant. Attamen circa ingressum catechumenorum in ecclesiam, quædam minuscula sunt forte notanda. Sic, cum Pontifex catechumenum in ecclesiam inducit, si extremitatem stolæ offert illi, Pontificale, Rituale complens seu explicans, stolæ partem quæ ab humero sinistro pendet exhibendam esse docet. Ita etiam, si quando plures adsunt baptizandi, quia fieri non potest ut Episcopus sive manum,

Digitized by Google

sive stolam omnibus præbeat simul, hic definitur specialius quam in Rituali, Prælatum manum porrigere debere primo tantum catechumenorum, qui secundum seu subsequentem manu tenet, et ille tertium, atque eodem modo omnes sequentes usque ad ultimum. Similem vidimus ritum in reconciliatione pœnitentium quæ fiebat Feria v in Cœna Domini.

§ XXXVIII.

Dum autem Pontifex illum vel illos introducit, dicat (in plurali pro pluribus) : *N., ingredere* (Rit. Rom.). Ingressus in ecclesiam, electus procumbit (si plures, omnes simul) seu prosternit se in pavimento, et adorat : deinde surgit. Tunc Pontifex, deposita mitra, adhuc stans, imponit manum super caput electi (singulis si plures), et simul cum eo recitat (si plures, simul recitant) Symbolum Apostolorum et Orationem Dominicam, *Credo in Deum, etc.; Pater noster, etc.*

§ XXXIX.

Interim Pontifex accedit ad faldistorium extra baptisterium; et versis renibus ostio cancellorum, accepta mitra et adhuc stans, imponat rursus manum super caput electi (singulis si plures), et dicat (in plurali pro pluribus) : Exorcismus. *Nec te latet, Sathana* (Rit. Rom.).

§ XL.

Pontifex adhuc stans ibidem cum mitra, pollice accipit de saliva oris sui, et tangit aures et nares electi. Tangendo vero aurem dexteram et sinistram, dicat : *Ephpheta, quod est, adaperire.* Deinde tangens nares, dicat : *In odorem suavitatis.* Et subdit : *Tu autem* (Rit. Rom.).

§ XLI.

Postea Pontifex sedens cum mitra interrogat electum (singulos si plures), dicens : *Quid vocaris?* Electus respondet : *N.* Pontifex interrogat : *N., Abrenuntias Sathanæ?* Electus respondet : *Abrenuntio.* Pontifex interrogat : *Et omnibus operibus ejus?* Electus respondet : *Abrenuntio.* Pontifex interrogat : *Et omnibus pompis ejus?* Electus respondet : *Abrenuntio.*

§ XLII.

Tunc Pontifex, adhuc sedens cum mitra, intingit pollicem dexteræ manus in oleo sancto catechumenorum, et inungit electum in modum crucis, primum in pectore, deinde inter scapulas, dicens (singulis si plures) : *Ego te linio* (Rit. Rom.). Mox bombacio vel re simili Pontifex tergit pollicem, et abstersis similiter locis inunctis, subjungit dicens : *Exi, immunde spiritus* (Rit. Rom.).

§ XLIII.

Pontifex, depositis mitra, pectorali ac pluviali et stola coloris violacei, accipit stolam et pluviale coloris albi, resumit pectorale, et accipit mitram auriphrygiatam : et tunc ingreditur, cum suis ministris, baptisterium, secum ducens electum vel electos.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Priusquam ultra procedamus, operæ pretium duximus hic duo inserere ex Rituali Romano excerpta, quæ ad rem admodum faciunt. I. « Si ob aliquam causam non habeatur » (baptisterium), sive præparata non fuerit » aqua baptismalis, fiat benedictio fontis. » Et paulo post datur in Rituali *Benedictio fontis Baptismi extra sabbatum Paschæ et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur* : quam ibidem legere est, si opus sit. Cur autem sit omissa hujusmodi benedictio in Pontificali, ratio est quia pro tam solemni circumstantia semper eligetur ecclesia baptisterium habens; aut certe si in alia confertur Baptismus (quod enim simplici Presbytero licitum est, non esset procul dubio vetitum Episcopo), antequam incipiat sacra Pontificalis functio, aquam baptismalem consecrari curaret vel Pontifex ipse, aut certe Sacerdos vel Capellanus aliquis ex adsistentibus Prælato.

II. Perpauca in Rituali leguntur de Baptismo ab Episcopo conferendo, quæ sane non sufficient illi qui omnia rite et sedulo vult peragere. Nihilominus hanc sequentem adnotationem seu potius Rubricam, quam exhibet dictum Rituale, non possumus quin eo loco subnectamus Pontificali, ubi fortasse, ob animi oscitantiam typographi vel etiam editoris, fuerit omissa. « Si autem Pontifex quempiam a Pre» sbytero jam catechizatum, tantum baptizare » voluerit, sic paratus vestibus albis incipiat, » postquam ad baptisterium deventum fuerit, » dicens : *Quo nomine vocaris?* » Ubi nota aliqualem discrepantiam in ista interrogatione. In Pontificali enim, sive ante, sive post ingressum in baptisterium, ad utramque primam interrogationem Pontifex dicit : *Quid vocaris?* In Rituali autem Sacerdos debet dicere : *Quis vocaris?* et ibidem Episcopo baptizanti præscribitur ut sic interroget : *Quo nomine vocaris?* Nemo non videt vocibus istis non diversum sensum exprimi : nihilominus nulli unquam liceret illas permutare, nequidem in aliqua litterula : qui Pontificali utuntur, *Quid vocaris* recitare debent, qui vero Rituale sequuntur. *Quis* (pro femina autem, *quæ*) *vocaris* oportet eos legere. Alioquin, si vel in minimis sive vocibus, sive ritibus qualiscumque obreperet variatio, exinde gravioribus immutationibus majorisque momenti panderetur via.

§ XLIV.

Ibidem inde ante ostium fontis sedens cum mitra, interrogat electum (singulos si plures). Pontifex : *Quid vocaris?* Electus respondet : *N.* Pontifex interrogat : *Credis in Deum* (Rit. Rom.)? Electus respondet : *Credo.* Pontifex interrogat : *Credis et in Jesum Christum* (Rit. Rom.)? Electus respondet : *Credo.* Pontifex interrogat : *Credis et in Spiritum sanctum* (Rit. Rom.)? Electus respondet : *Credo.* Pontifex iterum interrogat : *Quid petis?* Electus respondet : *Baptismum.* Pontifex interrogat : *Vis baptizari?* Electus respondet : *Volo.*

§ XLV.

Tunc, si Baptismus fieri debeat per immersionem (prout in sancta metropolitana ecclesia Beneventana, ac ferme in omnibus 142 parochialibus ejusdem, ex decreto I Concilii provincialis Beneventani de anno 1693, sub archiepiscopo cardinali Ursino, cum in earumdem baptisteriis unicum vas cum aqua baptismali consurgat), Pontifex, stans cum mitra, accipit electum per brachia prope humeros; et superiori parte corporis nudatum, reliqua honeste contectum, ter illum, vel caput ejus, mergendo et toties elevando, baptizet sub trina immersione, sanctam Trinitatem semel tantum invocando, distincte et attente dicens : *N., ego te*

Digitized by Google

baptizo in nomine Pa✠tris, mergat semel; *et Fi✠lii,* mergat iterum; *et Spiritus ✠ sancti,* mergat tertio; patrino vel matrina, vel utroque, eum tenente vel tangente. Et cum electus surrexit de fonte, patrinus vel matrina cum linteo in manibus suscipit eum de manu Pontificis ac tergit.

§ XLVI.

Cum plures sunt electi, singillatim, ut supra, singuli interrogantur et baptizantur. Si sunt mares et feminæ, primum mares, deinde feminæ.

§ XLVII.

Si vero Baptismus fiat per infusionem (ut in ecclesiis in quibus, ultra vas cum aqua baptismali, habetur aliud in quod aqua ex baptizati capite defluit), tunc patrinus vel matrina, vel uterque, si admittantur, admota manu tenent seu tangunt electum vel electam ante Pontificem, laxatis a collo vestibus, apertum caput flexis genibus inclinantem.

§ XLVIII.

Pontifex autem sedens cum mitra, hausta aliquo vasculo vel urceolo aqua baptismali de fonte, cum ea, sub trina supra caput in modum crucis infusione, baptizet electum seu electam in nomine sanctæ Trinitatis, dicens : *N., ego te baptizo in nomine Pa✠tris,* et fundat primo; *et Fi✠lii,* et fundat secundo; *et Spiritus✠sancti,* et fundat tertio.

§ XLIX.

Si aqua quæ ex capite baptizati defluit, minime in sacrarium baptisterii dilabatur, tunc ipsa recipiatur in subjecta aliqua pelvi, per unum ex Capellanis Pontificis sustentata; ac postmodum in sacrarium prædictum projiciatur.

§ L.

Verum si probabiliter dubitetur an electus fuerit baptizatus, Pontifex dicat et baptizet ut supra : *N., si non es baptizatus* (Rit. Rom.).

COMMENTARIUS.

I. Quam magni fecerit ritum Baptismi per immersionem cardinalis Ursinus, postea dictus Benedictus XIII, nimirum ex quo in Petri cathedram fuit evectus, nemo non mirabitur. Advertere etiam lubet quanta cum cura et vigilantia tuitus sit ejusdem ritus observationem, quantaque animi delectatione in hocce Pontificali describat adamussim amplissimeque consuetudinem in sua Beneventana ecclesia constanter servatam. Ut jam animadvertimus in ritu Pontificali Baptismi parvulorum, primas concedit dictus Pontifex Baptismo per immersionem, dum, e contra, in Rituali Romano primum locum habet Baptisma per infusionem.

II. Eisdem ferme verbis duo illi modi conferendi Sacramentum enuntiantur sive in Rituali sive in Pontificali, cum hoc tamen discrimine, quod ex hodierno Pontificali, electus genua flectit dum infunditur aqua baptismalis in caput ejus, quia scilicet, cum sedeat Episcopus fundens aquam, non posset ritum hunc præcipuum commode perficere, etiamsi electus profundius caput inclinaret. Vel hoc humili situ corporis electus Episcopali digni-

Digitized by Google

tati majus præstat indicium reverentiæ atque gratitudinis. Quare autem in pelvi subjecta recipiatur aqua de capite decurrens, jam indicavimus, ubi de Baptismo parvulorum, præcedenti titulo.

§ LI.

Pontifex deinde, sedens cum mitra, intingat pollicem dexterum in sacrum chrisma, et perungat verticem electi in modum crucis, dicens (singulis si plures) : *Deus omnipotens* (Rit. Rom.). Tunc bombacio vel re simili Pontifex pollicem tergit, et imponit capiti electi chrismale seu candidum linteolum, et dat illi vestem candidam, dicens (singulis si plures) : *Accipe vestem candidam* (Rit. Rom.).

§ LII.

Electus prædicto linteolo abstergitur, et in loco remoto deponit priores vestes, et induitur novis albi coloris, vel saltem exteriore candida quam a Pontifice accepit, et redit ante Pontificem.

§ LIII.

Pontifex autem, sedens, ut supra, cum mitra, dat illi cereum seu candelam accensam in manu dextera, dicens : *Accipe lampadem* (Rit. Rom.). Ipse vero neophytus cereum accensum in manibus teneat usque in finem, præterquam dum confirmatur.

§ LIV.

Postremo Pontifex, adhuc sedens cum mitra, dicit : *N., vade in pace, et Dominus sit tecum.* ℟. *Amen.*

§ LV.

Tandem Pontifex, sedens ut supra, hortatur neophytum ad baptismalem gratiam custodiendam; atque admonet susceptores de spirituali cognatione quam contraxerunt cum baptizato, baptizatique patre et matre : quæ cognatio impedit matrimonium contrahendum, ac dirimit contractum.

§ LVI.

Completo Baptismate, Pontifex, adhuc sedens cum mitra, lavat manus more solito; et inde ordine processionali revertitur in secretarium, vel accedit ad altare.

§ LVII.

Ibidem a Pontifice neophyti Confirmationis sacramento initiantur, ut in Pontificali : et successive in Missa, vel per ipsum Pontificem vel per alium celebrata, cui ipsi intersint, sanctissimam communionem devote suscipiant.

§ LVIII.

Pontifex demum deponit sacras vestes, et, gratiis Deo peractis, recedit in pace.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

Silet Rituale de allocutione quam hic indicit Pontificale ad neophytos dirigendam, atque etiam de spiritualis cognationis denuntiatione. Hujus duplicis omissionis causa non alia sane est quam brevitatis ratio; quippe quæ utraque, scilicet et allocutio et denuntiatio, in dicto Rituali habetur expressis verbis post ritum conferendi parvulis Baptismatis sacramentum, licet in hoc ultimo casu ad patrinum solum vel matrinam aut etiam parentes spectet allocutio, ut per se manifeste apparet. Neutra igitur omittenda est a Sacerdote qui sacramentum absolvit sacri Baptismatis. Notandum remanet quod sacramentum Confirmationis possit administrari atque Missa celebrari, sive ad majus altare ecclesiæ sive in secretario, prout magis placuerit Pontifici. In his etiam consideranda est locorum dispositio, vel forte conditio personarum. Et sic concludimus nostras adnotatiunculas in ritus administrationis Baptismi : cætera enim expositione vel explanatione haud indigent, si Baruffaldi vel maxime Catalani adeantur Commentaria.

TITULUS III.

DE SACRAMENTO MATRIMONII CONTRAHENDO CORAM ALIQUO S. R. E. CARDINALI, ANTISTITE, SIVE PRÆLATO USUM PONTIFICALIUM HABENTE.

RITUS DE PRÆPARANDIS PRO HAC SACRA FUNCTIONE.

§ I.

Altare decentiori pallio coloris albi tobaleisque mundis ornatum; tapete super gradus extentum, et pulvinar ad genuflectendum; faldistorium; quatuor saltem candelabra cum cereis albis, et crux in medio illorum, super ipsum altare.

§ II.

Paretur etiam abacus sive credentia, super qua erunt vas aquæ benedictæ cum adspersorio; pelvicula pro deponendo annulo fidei conjugalis dum benedicitur; palmatoria, vulgo bugia, cum candela; liber cum hoc ritu, sive alter Rituali Romani.

§ III.

Et si benedicuntur nuptiæ, parentur quoque omnia ad Missam necessaria, cum hostiis pro communione sponsi et sponsæ; velum ante ipsos communionis tempore extendendum; vas cum vino et mappula pro illorum purificatione; instrumentum ad osculum pacis, cum velo coloris cæteris paramentis Missalibus uniformis, ad ipsius manubrium appenso.

Digitized by Google

§ IV.

Super altare in medio : pluviale cum stola coloris albi, crux pectoralis, cingulum, alba, amictus, et, si fuerit Regularis, etiam superpelliceum; et omnia oblongo ejusdem coloris velo cooperiuntur : mitra auriphrygiata, et velum pro ministro de ea inserviente; et baculus Pastoralis, si eo utatur. Paretur etiam, si Antistes fuerit in ecclesia propria, vel Episcopus Cardinalis, super pelvim formalium, quod et pectorale vocatur.

§ V.

Adsint ad minus quatuor Capellani superpelliceis induti; et duo testes, quorum nomina excipientur in scriptis. Scribentur etiam in pagella nomina cum sponsi tum sponsæ; quam accedentem ad contrahendum matrimonium cohonestari decet præsentia parentum vel propinquorum.

COMMENTARIUS.

I. Qui Rituale Romanum cum Pontificali conferet, ubi de Matrimonii sacramenti celebratione, non unum advertet discrimen inter ritus in utroque libro descriptos, vel potius ampliores in Pontificali notabit apparatus. Decet enim ut, quando Pontifex aliquis Matrimonium vult celebrare, dignior pompa solemnitasque accedat huic sacræ functioni; licet revera nihil obstet quominus simplex Presbyter, secundum personarum conditionem, ornatiorem cultum adhibeat cum illas Matrimonio conjungit. In his autem Pontificalibus apparatibus quædam sunt adtentius observanda, quia scilicet plures usus liturgici, in cæteris partibus nostri Pontificalis omissi, in illis Additamentis sunt signati ac mandati, atque pro supplemento fere haberi possunt ad diversas Rubricas minus perspicuas aut absolutas, tam Missalis quam Ritualis. Et primo quidem, ut propositas præparationes per ordinem prosequamur, mentionem hic videmus palmatoriæ, seu bugiæ in manuali pretiosoque candelabro appositæ, huc usque nusquam in decursu Pontificalis indictæ, nisi in imaginibus in eo excusis; licet, ex *Cæremoniali Episcoporum*, Prælatus quisque sacras cæremonias peragens, nihil legere debet in libro, nisi admoto lumine palmatoriæ. De qua videsis Catalanum in suis Prolegomenis ad hunc librum Pontificalem, initio tomi primi, cap. XXII, num. III, pag. 39.

II. Deinde animadvertenda est sacra communio a sponso et sponsa suscipienda in ipsa Missa nuptiarum. Quod et in Missali commendatur. Etenim, in *Missa pro sponso et sponsa* legimus : « Postquam sumpserit (Sacerdos) » sanguinem, communicet sponsos. » Nihilominus, nulla tam salutaris consilii habita ratione, usus contrarius ubique propemodum invaluit, saltem apud nos Gallos; et non rari reperiuntur homines, alias doctrina et pietate sat conspicui, qui fidenter asseverant solemnitatem nuptiarum cum Eucharistiæ sacramenti perceptione nullo modo convenire posse, propter excessus gulæ videlicet et alios qui diem hanc assolent in domibus contaminare. Quinimo, si zelo ipsorum credatur, qui certe non est secundum scientiam, illa conjugum communio nihil aliud esset quam *participatio justitiæ cum iniquitate, societas lucis ad tenebras*, vel etiam *conventio Christi ad Belial*. Et nolunt intelligere quia, dum talia secum aut, quod pejus est, cum aliis revolvunt, sanctam Christi sponsam damnant atque contemnunt; quæ tamen semper et in omnibus Spiritu Dei regitur et illuminatur, et quæ, sacram communionem Matrimonii celebrationi adjungens, præcise intendit intemperantiam, choreas et similia Satanæ opera tollere et eradicare. Si rem ut par est æstimemus, praxis in Missali et Pontificali præscripta, validum et insuperabile frenum injicit lasciviis et effrenatis licentiis quæ in hodiernis nuptiis in

Digitized by Google

consuetudinem devenerunt : dum, ex adverso, si sententiæ præfatorum hominum mos geratur, et sacrosanctæ Eucharistiæ participatio nuptis in Missa desponsationis suæ interludatur, non deerunt qui tam incautam prohibitionem in facultatem et licentiam traducent omni libidini per nuptiales dies immoderate intemperanterque sese addicendi. His quasi per transennam dictis, ad cæteros §§ redeamus.

III. Mandat insuper Pontificale ut hostiæ in ipsa Missa nuptiarum consecrentur pro communione sponsorum, quia nempe ad altare majus ecclesiæ, ut magis decet, persæpe celebratur matrimonium, præsertim a Prælato, et in eo non reconditur sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, sed ad aliud altare, in majoribus saltem ecclesiis (*a*), sicuti in recens edito Cæremoniali ad usum diœcesis Rupellensis, ab illustrissimo Episcopo DD. Clemente Villecourt maxime commendatur. Notanda quoque purificatio sponsorum, post communionem, per vini et aquæ sorbitionem; quæ ablutio, in Rubricis Missalis præscripta quoties fidelibus ministratur Eucharistia, diebus nostris nimio est neglectui tradita. Hæc autem vini et aquæ degustatio in vase simplici sumitur, ut et in Missali est indicatum; non autem in calice proprie dicto, ut fit in sacris Ordinationibus, ne forte in mentem simplicioribus veniat a sponsis suscipi Eucharistiam sub vini speciebus.

IV. Instrumentum pacis describitur ornatum ad manubrium velo coloris ejusdem ac paramenta Missæ. Nullibi legimus indictum hujusmodi velum, neque in Missali, neque in *Cæremoniali Episcoporum* aut in hoc Pontificali Romano. Tantumdem Gavantus, in suo *Thesauro sacrorum Rituum*, part. II, tit. X, num. III, litt. *f*, hæc ait : « Minister daturus » pacem... porrigit instrumentum osculandum » eidem Celebranti... Velum quoque adhibebit » colori Missæ conveniens, quo qualibet vice » terget illud, antequam alter osculetur, si » plures sint Prælati; alias, non tergat, nisi » Prælatis. Neque vero danda est pax hoc loco » (in Missis privatis) cuicumque, sed personis » valde insignibus. » In parte tamen IV, tit. XVII, num. XXIII, tradit posse dari sponsis suo tempore pacis osculum cum instrumento, quisquis sit Celebrans. Eadem leguntur apud Michaelem Bauldry in suo *Manuali sacrarum Cæremoniarum*, part. I, cap. XVII, num. VII; apud Andream Piscara Cler. Regul. in sua *Praxi Cæremoniarum*, lib. II, sect. II, cap. III, num. VI; et apud alios qui de Rubricis aut cæremoniis disseruerunt. Hujusmodi autem veli originem nemo ex illis asserit. Quæcumque sit, nihilominus præscriptio Pontificalis hodierni Missale complet hac in re, et forte jam non liceret pacis instrumentum adhibere absque velo isto dependente. Hic obiter animadvertere debemus nunquam licere, neque in celebratione nuptiarum, neque in obsequiis defunctorum, pacem dare cum patena, quia id prohibuit S. Pius V in Epistola ad Archiepiscopum Tarraconensem.

V. Festivalem mitram in hac functione adsumit Pontifex, quæ maxime condecet in solemni celebratione Sacramenti secum ferentis gaudium et exsultationem : nec tamen pretiosam mitram in capite gestat, quia in præcipuis tantum solemnitatibus adhibetur. Quod de formali seu pectorali hic dicitur, indicium est quod jam jam evaserit jurisdictionis Episcopalis nota atque insigne, siquidem, sicut in § IV vidimus, ut Antistes eo utatur, oportet ut sit S. R. E. Cardinalis, vel adstans intra propriam ecclesiam. De nominibus vero sponsi et sponsæ in pagella describendis, manifestum est ad nullum alium finem requiri scriptionem hanc, nisi ut memoria Pontificis adjuvetur. In Rituali non indicatur, ut pote non necessaria; Pastor enim debet agnoscere vultum pecoris sui (Prov. XXVII, 23).

(*a*) Sub nomine « majorum ecclesiarum » hic solas cathedrales oportet intelligi, uti constat ex decreto S. Congreg. Episcop. ac Regul., Romæ, die 28 mensis novembris, anno 1594, edito, ubi legimus : « Tabernaculum (ex » usu recepto, *ciborium* vocatum) SS. Sacramenti in cathedralibus non debet esse in altari majori, propter functiones Pontificales, quæ fiunt versis renibus ad altare. In Parochialibus vero et Regularibus ecclesiis, debet esse » in altari majori regulariter, tanquam digniori. » Quod decretum Romano Rituali consonat, tit. *de SS. Eucharistiæ sacramento*.

Digitized by Google

§ VI.

His omnibus ordinatis, venit Cardinalis vel Prælatus ad capellam. In liminari portæ, accepto aspersorio aquæ benedictæ se signat, sponsum et sponsam circumstantesque omnes in gyrum adspergit.

§ VII.

Mox accedit ad altare, aliquantulum orat genuflexus. Et si erit Missam celebraturus, legit quoque Psalmos *Quam dilecta, etc.*, ad præparationem : vel si magis placet, accedit vel ad sedem, si fuerit in ecclesia propria, vel ad faldistorium in cornu Epistolæ, ubi sedens ipsos Psalmos recitat cum suis Capellanis. Post Orationes induitur amictu supra rochettum, vel supra cottam si fuerit Regularis; alba, cingulo, cruce pectorali, stola et pluviali coloris albi; deinde accipit formale, si eo utatur, mitram et baculum Pastoralem : ascendit ad altare, quod in medio, mitra minime deposita, osculatur. Tunc, relicto baculo, sedet super faldistorio, ante medium altaris allato, renibus ipsi altari conversis.

§ VIII.

Vocantur sponsus et sponsa, qui, debito venerationis actu accedentes, coram Cardinali vel Prælato genuflectunt, muliere ad sinistram viri stante.

COMMENTARIUS.

Insolitus penitus est ritus hic enuntiatus, nimirum ut Episcopus mitram habens in capite et baculum manu gestans ad altare adscendat, illudque sic osculetur operto capite. Talis ritus difficiles habet explicatus, et nullum auctorem novimus qui ea de re disseruerit. Nec mirum; namque similem alium non est dispicere in qualicumque functione, sive *Cæremoniale Episcoporum*, aut etiam Pontificale Romanum reseretur : sed nec Supremus Pontifex in maximis solemnitatibus altare adscendit nisi mitra deposita. Duo adhuc in præcedentibus §§ notanda supersunt. In matrimonio coram Parocho vel alio Sacerdote celebrato, sponsi stant in pedibus coram eo; hic autem, propter reverentiam sane prælatitiæ dignitati exhibendam, nostrum Pontificale genuflexionem præcipit sponso et sponsæ. Deinde locus inferior sponsæ adsignatur, nempe sinistrum latus sui sponsi, ut ejus subjectionis et humilitatis conditio comprobetur.

§ IX.

Pontifex, adhuc cum mitra sedens, eos sigillatim interrogat, coram tribus vel duobus testibus, de consensu in matrimonium, proprio quemque nomine vocans, et patrio sermone alloquens primo virum, mox mulierem, in hunc modum :

« *N.*, volete ricevere N. quì presente per vostra legittima moglie secondo il rito » della santa madre Chiesa? » Id est : *N.*, *vis accipere* N. (Rit. Rom.). Respondeat sponsus : *Volo*.

Recepto viri consensu per verbum *volo* vel aliud sensibile signum, mulierem interrogat : « *N.*, volete ricevere *N.* quì presente per vostro legittimo marito secon- » do il rito della santa madre Chiesa? » Hoc est : *N.*, *vis accipere* N. (Rit. Rom.).

Recepto mulieris consensu, quæ similiter respondere debet : *Volo;* nec sufficit

Digitized by Google

consensus unius, sed debet esse amborum, et expressus aliquo signo sensibili, sive fiat per se, sive per procuratorem.

§ X.

Mutuo igitur contrahentium consensu intellecto, Antistes jubet eos invicem jungere dexteras; et legens ex libro, subdit : *Ego conjungo vos in matrimonium. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti.* Contrahentes respondent : *Amen.* Vel, juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum, poterit uti aliis verbis. Postea Antistes surgit cum mitra, et adhuc stans spargit supra conjuges aquam benedictam in modum crucis, nihil dicens.

COMMENTARIUS.

Interrogationes a Pontifice ad sponsum et sponsam exquirendas, in italiano idiomate transcripsimus, rati nos officii munus explere si purum putum textum Romani Pontificalis dederimus. At nemo nescit, et res satis per se loquitur, sponsum utrumque in sua vulgari lingua esse interrogandum : secus ignorantiæ causam possent prætendere de iis quæ respondissent Antistiti. Aliud occurrit animadvertendum, videlicet aquæ benedictæ adspersio in modum crucis supra sponsos a Pontifice facienda. Mox eumdem ritum videbimus descriptum, ubi de benedictione annuli. Rituale Romanum istam adspersionis formam bis tantum indicat, nempe in benedictione annuli nuptialis et mulieris primum ecclesiam adeuntis post partum. Nullibi, quod sciamus, hujusmodi adspersio in formam crucis reperitur : namque libri omnes liturgici, Rituale, Missale, etc., tantum adspersionem enuntiant in res benedictas, et de modo adspergendi tacent. Adspersio tamen in modum crucis, consuetudinis ex traditione deductæ præcipuum potest sibi vindicare, cum ubique constat, et a diuturno tempore, ipsam ab omnibus fere Sacerdotibus observari. Quamobrem sacra Rituum Congregatio, cui quæsitum fuerat quonam modo facienda sit sive adspersio sive thurificatio in res oblatas aut benedicendas, an in modum crucis; die 12 novembris 1831 respondit : « Serventur Rubricæ et praxis communis. »

§ XI.

Mox, deposita mitra et ad altare conversus, annulum, super pelvicula sibi oblatum, benedicit. Benedictio annuli. ℣. *Adjutorium nostrum, etc.* Oremus. *Bene✠dic, Domine* (Rit. Rom.). Deinde Pontifex aspergat annulum in modum crucis. Postea iterum sedeat, accepta mitra, et tradat annulum benedictum sponso, qui statim illum ponit in digito annulari sinistræ manus sponsæ, Antistite dicente : *In nomine Pa✠tris, etc.*

§ XII.

Tum cantatur vel legitur sequens Antiphona, Antistite adhuc sedente. Ant. toni viii. *Confirma hoc, Deus* (Rit. Rom.). Qua repetita, Antistes, deposita mitra, surgit, et stans versus sponsum et sponsam, dicit super eos manibus junctis : *Kyrie, eleison, etc. Pater noster, etc.*, secreto. Postea Pontifex dicit adhuc manibus junctis : ℣. *Et ne nos inducas* (Rit. Rom.). Oremus. *Respice, quæsumus* (Rit. Rom.).

§ XIII.

His expletis, si benedicendæ sint nuptiæ, aliquantulum recedentibus in partem

Digitized by Google

conjugibus, Antistes descendit et parat se ad Missam, ut infra dicetur. Sin minus, absoluta supradicta Oratione, iterum sedet, accipit mitram, et sermonibus gravibus alloquitur sponsum et sponsam, adhuc coram se genuflexos, admonendo eos ut sibi invicem fidem servent; orationis tempore, et præsertim jejuniorum ac solemnitatum, casti permaneant; et vir uxorem, atque uxor virum diligat, et in timore Dei maneant. Postea accepto adspersorio, surgit, et super eos iterum fundit aquam benedictam.

COMMENTARIUS.

Et sic terminatur functio Pontificalis celebrationis Matrimonii. Nam in Rituali Romano nec adlocutio nec adspersio aquæ benedictæ memorantur, sed tantum in Missali. Non tamen videtur illas posse omitti a simplici Sacerdote quando nuptiæ non benedicuntur, siquidem illas præscribit Pontificale, quamvis Missa Matrimonii celebrationem non subsequatur. Cæterum, utramque rursus exhibet nostrum Pontificale, post benedictionem nuptiarum, ut in sequenti titulo videre est.

TITULUS IV.

DE BENEDICTIONE NUPTIARUM.

§ I.

Si, contracto jam matrimonio, Antistes celebraturus sit Missam ut nuptias benedicat, quæ nunquam benedicuntur si mulier sit vidua; post Orationem supradictam, si celebrationi matrimonii ipse adstitit, descendit in plano capellæ, et, si magis placet, accedit ad faldistorium ex latere Epistolæ; ubi, depositis mitra, pluviali et stola, lavat manus et sumit paramenta Missalia coloris tempori congruentis.

§ II.

Si fuerit dies Dominica vel festum de præcepto, aut occurrat Officium primæ vel secundæ classis, Missa erit de Dominica vel festo, cum commemoratione pro sponso et sponsa : in aliis vero diebus, etiamsi ritus duplicis majoris vel minoris, Missa erit *Pro sponso et sponsa,* ex votivis in fine Missalis.

§ III.

Pontifex, postquam fuerit indutus, redit ad altare, et, deposita mitra, facit Confessionem, et successive legit totam Missam usque ad *Pater noster* inclusive. Quo absoluto, antequam dicat *Libera nos, quæsumus, Domine,* facta sanctissimo Sacramento genuflexione, convertit se versus sponsum et sponsam, ante altare genuflexos; et, stans in cornu Epistolæ, dicit super eos sequentes Orationes ma-

Digitized by Google

nibus junctis : OREMUS. *Propitiare, Domine, etc.* OREMUS. *Deus, qui potestate* (Vid. Missale in Missa *pro sponso et sponsa*). Tunc reversus ad medium altaris, sanctissimo Sacramento iterum genuflectit, et surgens prosequitur ubi dimiserat, videlicet *Libera nos, quæsumus, Domine, etc.*

§ IV.

Procedit in Missa usque ad Orationem *Domine Jesu Christe, qui dixisti, etc.* Qua dicta, osculatur altare et instrumentum pacis, quod ad ipsum altare deferet unus ex Ministris, qui subinde pacem dabit sponso et sponsæ cum eodem instrumento, dicens cuique ex more : *Pax tecum;* ipsique respondent : *Et cum spiritu tuo.*

§ V.

Postquam Antistes se communicaverit de Corpore et Sanguine, priusquam se purificet palla tegitur calix : et Antistes, facta genuflexione, si non fuerint Hostiæ antea in pixide præparatæ, sed tantum super corporale positæ, supponit patenam sacris Hostiis quibus communicandi sunt sponsus et sponsa; qui vel per se tunc vel per Ministrum faciunt Confessionem dicendo : *Confiteor Deo, etc.* Tunc Antistes iterum genuflectit, et manibus junctis, vertens se ad eos in cornu Evangelii, dicit : *Misereatur vestri, etc.* Respondent *Amen.* Et Antistes, faciens manu dextera signum crucis super eos, prosequitur : *Indulgentiam, etc.* ℟. *Amen.*

§ VI.

Tum regressus ad medium altaris, genuflectit Sacramento, et surgens, sinistra manu patenam, dextera vero unam ex Hostiis reverenter accipit. Interim Ministri extendunt ante communicandos tobaleam seu velum album. Antistes autem conversus ad eos dicit de more : *Ecce Agnus Dei, etc.;* et tertio repetito *Domine, non sum dignus, etc.*, primo virum, mox mulierem communicat, dicens singulis : *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.* Et quilibet respondet : *Amen;* deosculans manum dexteram Antistitis antequam communionem accipiat. Ipsaque Communione sumpta, per manus Ministri purificationem, si velint, ambo capiunt ex aliquo vase.

§ VII.

Antistes vero ablutionem sumit; et, accepta mitra, si ea usus fuerit intra Missam ad *Lavabo,* lavat manus et perficit Missam. Et dicto *Benedicamus Domino,* vel si Missæ illius diei conveniat, *Ite, Missa est;* antequam populo benedicat, conversus ad sponsum et sponsam, coram altari genuflexos, dicit sine mitra et manibus junctis, sequentem Orationem : *Deus Abraham* (Missale). Qua finita, versus ad altare, dicit : *Placeat tibi, sancta Trinitas, etc.* : et, accepta mitra, ex more benedicit subdens : *Sit nomen Domini benedictum, etc.;* et dat benedictionem more solito.

Digitized by Google

§ VIII.

Quo facto, et allato faldistorio ante medium altaris, super illud sedet, accepto etiam, si placuerit, gremiale, colori cæterorum paramentorum conformi; eos gravi allocutione admonet de fide sibi invicem servanda, de continentia orationis tempore, et præsertim jejuniorum et solemnitatum, ut supra dictum est. Tandem surgens, aqua benedicta illos adspergit; et deposita mitra, ultimum Evangelium legit, sacras vestes exuit, et gratias de more agit.

§ IX.

Cæterum, si quæ provinciæ aliis ultra prædictas laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis in celebrando Matrimonii sacramento utuntur, eas sancta Tridentina Synodus optat retineri.

COMMENTARIUS.

I. Ritus omnes in Pontificali Romano jacentes, in extenso et sine intermissu hic exscribere mavimus, ut uno quasi conspectu facilius perspiciantur, vel etiam facilius adhibeantur, si necessitas supervenerit. Nunc autem ad singulos accedamus; et si qui sint animadversione indigentes, pro posse nostro illos enucleabimus. Cæterum, pauci sunt admodum in Pontificali superadditi, qui non reperiantur in Missali; et tota pene inter utrumque dissonantia in una vel altera explanatione aut adjectione constat. Et primo quidem obvius occurrit usus instrumenti pacis, in Missa pro sponso et sponsa prætermissus, de quo locuti sumus pag. 467. At quæri posset an adhibitio ejus instrumenti ita sit celebrationi Pontificali nuptiarum peculiaris, ut nequeat hujusmodi functioni a simplici Sacerdote peractæ, unquam accommodari. Haud certe sic existimamus: nihil enim per se habet Pontificalibus ritibus adfixum; siquidem Rubrica Missalis, tit. x, num. III, hoc instrumentum præscribit etiam in Missis privatis, saltem pro Prælatis et magnatibus adstantibus, ut in præcedenti titulo jam diximus. Igitur, si Pontificale nostrum hunc ritum illic memorat, non ob aliam sane causam quam ut solemnitas nuptiarum majus inde accipiat incrementum, vel ut sponsis major præstetur honos.

II. Quanti faciat sancta Ecclesia Communionem sponsorum in ipsa die nuptiarum suscipiendam, ut supra aiebamus, demonstrant tum pacis osculum cum instrumento, tum ritus solemnes et peculiares ipsorum Communioni adjuncti, quos ex antiquis temporibus ex parte renovare videtur. De usu faciendi confessionem generalem, seu recitandi *Confiteor* ante sacrosanctæ Eucharistiæ susceptionem, consulendus auctor noster, tom. I hujus operis, pag. 251 sq., et maxime Petrus Le Brun, in sua *Explanatione litterali, historica et dogmatica precum et cæremoniarum Missæ*, gallico idiomate conscripta, tom. I, part. v, art. 10, § 2, pag. 627 edit. Parisinæ, 1726. Verum scriptorem nullum novimus, nec etiam aliquem librum liturgicum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in quo legamus morem hic expressum recitationis confessionis seu *Confiteor* ab ipsis communicantibus faciendæ in Missa. Nam in Ordinatione, Diaconi tantum et Subdiaconi confessionem recitant, sed submissa voce, ut ait Pontificale nostrum Romanum, tom. I hujus operis, pagina 251. Sed et in Rituali præscribitur ut ægrotans sacrum Viaticum suscepturus, recitet, si potest, confessionem, aut alius pro eo: at hujus sacramenti Viatici ministratio fit extra ecclesiam, et nulla adjuncta solemnitate. Quidam tantum reperiuntur libri Cæremoniales aliquot Monialium, v. g., Ordinis S. Benedicti, S. Francisci, ex quibus constat *Confiteor* esse recitandum alta voce ante sacram Communionem, non a Ministro quocumque, sed ab una ex sororibus ad cratem chori, ut etiamnum factitant. Ut ut hæc sint, difficile adsignari posset origo talis ritus introductionis in hodiernum Pontificale Romanum, et

Digitized by Google

ingenue fatemur nostram ignorantiam. Non est necessario subjungendum quod sponsi respondeant *Amen* post *Misereatur* et *Indulgentiam* quæ confessionem subsequuntur, eo ipso quia illam pronuntiarunt. Deosculatio manus Pontificis Corpus Christi porrigentis, ritus est generalis ubique vigens. Videsis tom. I, pag. 255. Annulum ejus fere omnes osculantur.

III. At locus alter hujus Pontificalis functionis potius ac præsertim est notandus, ex quo rursus *Amen* respondere debeat uterque sponsus, nempe post verba Pontificis, *Corpus Domini, etc.*, quando sacrosanctam Eucharistiam illis offert sumendam. Eo magis stupendum hujusmodi responsionem hic insertam esse, quod nec Missale nec Rituale illam exhibent. Haud equidem ignoramus ab omnibus Corpus Christi suscipientibus olim recitatam esse hanc vocem *Amen*, uti probe notant cardinalis Joannes Bona, *Rerum liturgicarum* lib. II, cap. 17, § 3; Petrus Le Brun, jam citatus, § 3; Joannes Grancolas, in suo *Veteri sacramentario Ecclesiæ*, tom. I, pag. 331 edit. Paris. 1699; ac ipse Catalanus, tom. I horum *Commentariorum*, pag. 254. Et etiamnum in diœcesi Mediolanensi hæc praxis religiose colitur, quam S. Carolus valde commendat in synodo V Mediolanensi, et in *Actis Ecclesiæ Mediolanensis*, tom. I, part. IV, p. 626. In archidiœcesi quoque Parisiensi adhuc servatur, saltem a quibusdam senibus utriusque sexus, ut observat Robertus Sala in suis *Notis et Observationibus* ad librum *Rerum liturgicarum* cardinalis Bona, loco mox citato. Eumdem morem Aureliani vigere affirmat Lebrun Desmarettes (mentito nomine dictus Moleon) in suo *Itinere liturgico* pag. 216. Ecclesia vero Romana in sola Missa Ordinationis illum retinuit pro Diaconis et Subdiaconis tantum, licet Petrus Le Brun, tom. I, ubi supra, pag. 628, contendat hunc ritum a S. Pio V in Missali Romano præscriptum esse: sed errat doctissimus vir; nihil enim simile reperimus in ipsa editione a S. Pontifice promulgata. Attamen libenter fatemur ritus præmemorati intromissionem in nuptiarum Missam Pontificalem, jussu auctoritatis competentis præstitam, ansam præbere conjiciendi futuram illius restitutionem in sacra liturgia. Namque manifestum est in hoc loco de sponsis non esse sermonem, in quantum sunt sponsi, sed quatenus Christiani sacrosanctum Corporis Domini suscipientes.

IV. De formula vero qua dicit Prælatus *Corpus Domini nostri J. C. custodiat te*, non *custodiat animam tuam*, ut in Communione fidelium, jam vidimus eam usurpari in Communione Ordinatorum, tom. I, pag. 254; et, ut ait ibidem auctor noster, Fratres Prædicatores eamdem retinuerunt. Cur autem nostrum modernum Pontificale formulam Communionis in Ordinatione usitatam in Missam Pontificalem nuptiarum invexerit, penitus ignoramus. Jam supra de purificatione locuti sumus. Allocutio ad sponsos, quæ ex Missali ante Orationem *Placeat tibi, sancta Trinitas*, fieri debet, in Missa Pontificali post benedictionem et ante ultimum Evangelium enuntiatur, sicut et adspersio aquæ lustralis. Præterea advertendum quod Pontifex, sermonem ad conjuges prolaturus, accipiat gremiale super genua, si ita ipsi videbitur. Et ille ritus hic novissime adcersitus, pro complemento haberi potest *Cæremoniali Episcoporum*, quando scilicet in Missa Pontificali Prælatus ad populum vult verba facere post Evangelium.

V. Et hæc sufficiant. Sed sacrorum rituum cupidus exquisitor non semel animadverterit quod hoc Supplementum ad Pontificale, dum peculiares ritus tradiderit juxta quos Sacramenta quædam a Prælatis sint administranda vel celebranda, multifarie rituum ipsorum summam ditarit, illos singillatim et quasi minutatim evolvendo: quæ sane accessiones, in aliquibus, pro regula licite servanda æstimari possunt, etsi Minister seu Celebrans Prælatitia dignitate non sit insignitus, siquidem e typographia Romana prodierunt excusæ, adprobante sacri Palatii Apostolici magistro, et summa cum auctoritate sacræ Rituum Congregationis.

Digitized by Google

APPENDIX.

Ut omnibus suis partibus absolvamus quæ ad Sacramenta pertinent in hac nostra elucubratione, quemadmodum ritus expressimus quos servare debent Præsules in administratione Sacramentorum, alioquin potestatem ordinariam Sacerdotum non excedente; ita etiam nunc peculiare quoddam Rituale propalaturi sumus, juxta quod Confirmationis sacramentum, cujus collatio ordinaria ad Episcopos spectat exclusive, saltem in Ecclesia Latina, administrari potest a simplici Sacerdote latino, modo ei facultas hæc a Sede Apostolica concedatur. Verum intelligere quisquam potest quod, si in prædictis additamentis ad Pontificale, quæ modo lustrabamus, sacramenta Baptismatis ac Matrimonii pluribus ritibus, gravitate atque magnificentia conspicuis, præcellunt, propter honorem dignitati et characteri Episcopi debitum; ita itidem imminuitur ritualis pompa sacramenti Confirmationis cum a simplici Presbytero confertur. Nihil autem in sequenti Instructione obvium venit quod adnotationibus egeat.

TITULUS V.

INSTRUCTIO SACRÆ CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE,

A CLEMENTE XIV ADPROBATA,

PRO SIMPLICI SACERDOTE SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS EX SEDIS APOSTOLICÆ DELEGATIONE ADMINISTRANTE.

Etsi, juxta sacrosancti Tridentini Concilii definitionem, solus Episcopus sit ordinarius hujus Sacramenti (Confirmationis) minister (sess. VII, *De Confirm.*, can. III); solet tamen quandoque, justis de caussis, Sedes Apostolica simplici Sacerdoti, tanquam extraordinario ministro, facultatem tribuere illud conferendi (Eugen. IV, in *Decret. pro Armen.*).

Sacerdos igitur cui facultas hæc fuerit concessa, in primis curet apud se habere chrisma, per Catholicum Antistitem cum eadem sancta Sede communionem habentem confectum; ac sciat sibi nunquam licere (S. Thom., III part., q. LXXII, art. III, in corp.) sine eo Confirmationem administrare, vel illud ab Episcopis hæreticis aut schismaticis recipere. Animadvertat insuper num in facultate sibi ab Apostolica Sede impertita, alia etiam facultas expressa legatur, utendi scilicet chrismate ante annum benedicto: alias eo non utatur, nisi forte in casibus necessitatis (Bened. XIV, Constit. *Anno vertente;* Bullar., tom. III, pag. 288), cum a sacris Canonibus id prohibitum sit (Can. *Litteris, De Consecr.*, dist. III, et can. *Si quis de alio, De Consecr.*, dist. IV).

Licet omni tempore administrari valeat Confirmatio, congruum tamen est ut præcipue in hebdomada Pentecostes, et circa horam tertiam, in qua Spiritus sanctus illapsus est Apostolis, conferatur (Catech. Rom., *De sacram. Confirm.*, n. XVIII. — S. Carolus, in V Synodo Mediolan., cap. *De Confirm.*).

Quod ad ætatem confirmandorum adtinet, præ oculis habendum est Catechismi Romani monitum (loc. cit.) in hæc verba: « Illud ob» servandum est, omnibus quidem post Ba» ptismum, Confirmationis sacramentum posse » administrari, sed minus tamen expedire hoc » fieri antequam pueri usum rationis habue» rint. Quare, si duodecimus annus non ex-

Digitized by Google

» spectandus videatur, usque ad septimum » certe hoc Sacramentum differre maxime con» venit. » Quod sane monitum in pueris bene valentibus locum habet. Nam, si agatur de eo qui gravi morbo laboret, ex quo decessus provideatur, non solum prohibitum non est illi ante septennium sacrum chrisma administrare, sed expedit ut id fiat, unde ex hac vita demigrans majorem gloriam, juxta S. Thomæ doctrinam (III part., q. LXXIII, art. VIII, ad IV), in cœlis consequatur. Aliæ insuper, juxta probatam plurium theologorum sententiam (Bened. XIV, *De Synodo diœces.*, lib. VII, cap. X, num. V-VII), esse possunt legitimæ caussæ antevertendi septennium in collatione hujus Sacramenti, et præsertim cum prævidetur futura diutina absentia Episcopi, vel Presbyteri cui ut supra facta sit facultas illud administrandi, vel alia urget necessitas.

Ut confirmandi qui usum rationis habent, digne hoc Sacramentum recipiant, debent esse in gratia : et ideo conveniens valde est ut illius susceptioni præmittant sacramentalem confessionem (*Instr.* Em. Card. SS. D. N. Papæ Vicario, *De Confirm.*, anno 1773). Si enim conscii alicujus peccati lethalis, quod absit, ad Confirmationem accederent, non solum hujus Sacramenti gratiam non reciperent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent.

Juxta veterem Ecclesiæ usum, Confirmandi deberent esse jejuni (*Catech. Rom.*, ubi sup.); optandumque propterea esset ut id ipsum in præsenti etiam servaretur.

Sacro chrismate liniendi ante diligenter erudiendi sunt, juxta doctrinam Catechismi Romani, de natura, dignitate, effectibus et dispositionibus ad digne Sacramentum hujusmodi recipiendum prærequisitis. Item oportet ut instruantur circa fidei rudimenta, Decalogi et Ecclesiæ præcepta, actus virtutum theologalium, ac Orationem Dominicam et Apostolorum Symbolum memoria teneant.

Cæterum, Missionarii non omittant populos sibi creditos etiam hortari ut Confirmationem debito tempore recipiant, nec non ut parentes filios suos confirmari curent. Etsi enim hoc Sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest ac negligi (Bened. XIV, Constit. *Etsi Pastoralis*, § 3, num. IV; in Bullar., tom. I), cum illud suscipiendi opportuna adest occasio; Porro hæc doctrina, si pro omnibus qui sunt undique Christi fidelibus vera est, multo magis locum habet in illis qui in terris degunt hæreticorum vel paganorum, in quibus quandoque adversus Catholicos persecutiones ingruunt: unde opus est ut septiformis Spiritus virtute roborentur, qua non solum corde credant ad justitiam, sed etiam ore confessionem faciant ad salutem, seque paratos exhibeant pro Christo etiam sanguinem fundere.

Cum hoc Sacramentum indelebilem in anima characterem imprimat, reiterari non debet : et propterea qui est confirmatus, ad illud recipiendum non audeat accedere; sicuti nec excommunicatus, interdictus, in divinis communicans cum hæreticis aut schismaticis, vel qui ritus idololatricos usurpat, sive alio modo publice peccat; item qui præceptum paschale non adimpleverit.

Caveant confirmandi ne sordida fronte (Concil. Aquen., anni 1575, in *Instr.* Cardin. Vic.) capillisque impexis ad hoc Sacramentum accedant : vestibus tamen sint induti, quemadmodum et patrini, simplicibus et ad modestiam compositis. Mulieres vero illud suscepturæ, et quæ matrinarum officium exercebunt, non se in ecclesia cum vanis ornamentis aut fucata facie, sed cum omni modestia et reverentia, præsentent.

Si quis ex confirmandis turpe nomen, vel christiano homini non conveniens, haberet, aliud in Confirmatione adsumat (Conc. Aquen., ubi sup. — Tolos., anni 1590. — S. Carol., in V Synod. Mediol.).

Quanquam de necessitate hujus Sacramenti non sit ut in eo recipiendo patrinus vel matrina adhibeatur, id tamen laudabilis Ecclesiæ consuetudo suadet, sacrique Canones præscribunt (*Sacrament.* S. Greg. Papæ. — *Ordo Rom*, apud Hittorpium).

Ab hoc vero munere excluduntur tum minores annis quatuordecim (*Instr.* Card. Vicar.), tum qui sacramentum Confirmationis nondum receperunt (Can. *In Baptismate*, CII, *De Consecr.*, dist. IV). Verum, quia contingere potest ut in locis missionum nullus adsit qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini cæterorum esse poterunt.

Digitized by Google

Ad patrinos hujusmodi quod adtinet, hæ insuper regulæ erunt observandæ. I. Ut non plures (Can. *Non plures* 101, dist. IV), sed unus tantum, sive vir, sive mulier, in patrinum aut matrinam adhibeatur. II. Ut nec feminis mares (*Pontific. Rom.*) nec maribus feminæ patrini officium præstent, sed suo quisque sexu patrinus adhibeatur. III. Ut, nisi necessitas cogat (Can. *In Catech.* c, *De Consecr.*, dist. IV), idem non sit, sed diversus Confirmationis patrinus a patrino Baptismi. IV. Ut a patrini munere arceantur excommunicati (*Pontific. Rom.*), interdicti, publici peccatores, aut qui præceptum paschale omiserint.

Circa cognationem spiritualem quæ in hoc Sacramento contrahitur, hæc statuit Tridentina Synodus (sess. XXIV, *De Reformat. Matrim.*, cap. II) : « Ea quoque cognatio quæ ex Con» firmatione contrahitur, confirmantem et » confirmatum, illiusque patrem et matrem » ac tenentem non egrediatur, omnibus inter » alias personas hujus spiritualis cognationis » impedimentis omnino sublatis. » Quod quidem Concilii decretum locum habet in iis qui ad Tridentini statuta servanda adstringuntur. Cæteri vero disciplinæ in suis regionibus vigenti hac in parte se conforment. (Vid. tom. I, pag. 53).

Cum tempus advenerit quo Sacerdos, utens facultate sibi ab Apostolica Sede, ut supra, tributa, administrare Confirmationem intendit, vestibus Sacerdotalibus, vel saltem alba et stola indutus, stans ante altare versus ad populum hinc inde dispositum, masculis a dextris, feminis vero a sinistris, circumstantes summarie de præmissis admoneat, eisque præsertim denuntiet quod nullus alius nisi solus Episcopus Confirmationis ordinarius minister est, se vero paratum esse illam conferre jure per sanctam Sedem delegato.

Mox delegationis decreto, sive Brevi Apostolico, lingua vernacula, alta et intelligibili voce lecto, iterum moneat adstantes quod nullus confirmatus discedat nisi benedictione accepta, quam ipse post omnium Confirmationem daturus est. Item, quod infantes, si quos in prima ætate, justa de caussa, confirmandos existimaverit, per patrinos teneantur in brachiis dexteris; et quod adulti ponant pedem secum super pedem dexterum patrini sui.

Hac altera monitione completa, pariter stans et versa facie ad confirmandos, junctis ante pectus manibus, confirmandis vero genua flectentibus, et manus ante pectus junctas tenentibus, dicit :

℣. *Spiritus sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis.* ℟. *Amen.*

Deinde, signans se manu dextera a fronte ad pectus signo crucis, dicit :

℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit cœlum et terram.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Tunc extensis versus confirmandos manibus, dicit :

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex

Digitized by Google

aqua et Spiritu sancto; quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum Paraclitum de cœlis. ℟. *Amen.*

Spiritum sapientiæ et intellectus. ℟. *Amen.*

Spiritum consilii et fortitudinis. ℟. *Amen.*

Spiritum scientiæ et pietatis. ℟. *Amen.*

Adimple eos spiritu timoris tui, et consigna eos signo cru✠cis Christi in vitam propitiatus æternam. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Post hæc Sacerdos confirmat per ordinem genuflexos, primo mares, secundo feminas. Uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genua flectunt et confirmantur; et sic usque in finem. Inquirit autem singillatim de nomine cujuslibet confirmandi sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus præsentandi; et summitate pollicis dexteræ manus chrismate intincta, dicit :

N., signo te signo cru✠cis : quod dum dicit, producit pollice signum crucis in frontem illius; deinde prosequitur : *et confirmo te chrismate salutis, in nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti.* ℟. *Amen.*

Deinde leviter in maxilla cædit, dicens :

Pax tecum.

Ligandæ essent vitta linea recens confirmatorum frontes, juxta Pontificalis Romani præscriptum (*de Confirmandis*). Verum, quoniam publica vittarum delatio apud infideles ludibrio exponere posset Sacramentum, ideo, si prævideatur hoc scandalum eventurum, consultius erit vittas hujusmodi non adhibere. Sed in hoc casu opus erit ut Sacerdos, postquam frontes Confirmandorum linierit sacro chrismate, eas gossypio, mox comburendo, diligenter abstergat, ac deinde lavet (S. Carol. in dict. v Synod. Mediolan).

Omnibus confirmatis, tergit cum mica panis et lavat pollicem et manus super pelvim. Deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii, in qua reponi debent etiam supradictorum gossypiorum cineres.

Dum lavat manus, si adsint ministri, cantatur vel legitur sequens Antiphona : alias, post lotionem ab ipso Sacerdote dicatur.

Ant. *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.*

Gloria Patri, etc.

Et repetitur Antiphona tono octavo, *Confirma hoc, Deus.* Qua repetita, conversus ad altare, junctis ante pectus manibus, dicit :

℣. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.*

℟. *Et salutare tuum da nobis.*

℣. *Domine, exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Digitized by Google

Junctis vero adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genuflectentibus, dicit :

OREMUS.

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, et per eos eorumque successores cæteris fidelibus tradendum esse voluisti : respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, et præsta ut eorum corda, quorum frontes sacro chrismate delinivimus, et signo sanctæ crucis signavimus, idem Spiritus sanctus, in eis superveniens, templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat. Qui cum Patre et eodem Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

Deinde dicit : *Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.*

Et vertens se ad Confirmatos, ac faciens super eos signum crucis, pariter dicit : *Bene✠dicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ, et habeatis vitam æternam.* ℟. *Amen.*

Expedita hoc pacto Confirmatione, Sacerdos sedens, juxta memoratum Pontificale Romanum (loc. cit.), patrinos et matrinas monet quod instruant filios suos bonis moribus, unde fugiant mala et faciant bona; et si forte in infantili ætate essent confirmati, ut suo tempore doceant eos *Credo in Deum,* et *Pater noster,* et *Ave Maria;* quoniam ad hoc sunt obligati.

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter, et præsertim tunc cum in privatis domibus, vel extra ecclesiam seu oratorium, pueris ægrotantibus de quibus supra, conferendum est; vel etiam adultis qui ad ecclesiam, quacumque ex caussa, legitima tamen, accedere nequeunt. In iis casibus, Sacerdos non omittat uti saltem stola, si superpelliceum habere non possit. Cavere etiam debet ne coram hæreticis aut schismaticis, et multo minus eis ministrantibus, confirmet.

Quod si tandem per Sedem Apostolicam alicui fieri potestatem contingat Confirmationem administrandi in regionibus in quibus, præter Latinos, degunt Orientales Catholici, uti Sedes Apostolica illam largiri solet P. Guardiano Terræ-Sanctæ; non modo opus erit ut supra diligenter observet, sed curabit etiam, priusquam Orientalibus ipsis hoc Sacramentum conferat, ab Apostolica Sede instructionem petere, quo pacto se gerere debeat erga Orientales uniuscujusque ritus (Videsis Constit. Benedicti XIV, quæ incipit *Demandatum cœlitus*, in qua monetur Guardianus Terræ-Sanctæ quomodo se gerere debeat in confirmandis Græcis degentibus in loco ubi Episcopus Græcus Catholicus jure suo et in propria diœcesi non resideat, qui a simplici Græco Sacerdote confirmati sint, et ab eodem Guardiano sponte confirmari petant).

Ut autem congruum quantocius responsum accipiat, de nonnullis S. C. de Propaganda Fide singillatim certiorem reddat oportet. Et primo quidem, cujus ritus sint Orientales hujusmodi; an fuerint a quoquam confirmati, et a quibus, videlicet an a suis Episcopis, vel a Presbyteris propriæ nationis; an sponte petant confirmari; an Confirmationem commode a suis Episcopis recipere valeant; ac tandem an Confirmatio administranda sit in diœcesi in qua actu resideat Episcopus Orientalis, qui sit confirmandi ordinarius.

Quam sacræ Congregationis Instructionem, SS. D. N. Clementi XIV, per me infra scriptum secretarium ejusdem sacræ Congregationis, relatam in audientia habita die prima maii anni currentis, Sanctitas Sua benigne illam in omnibus adprobavit, et omnino servari mandavit.

Datum Romæ, ex ædibus S. Congreg., die 4 maii 1774.

Stephanus Borgia, Secretarius.

Digitized by Google

TITULUS VI.

RITUS ET FORMULA BENEDICTIONIS APOSTOLICÆ, PRO COMMODITATE EPISCOPORUM.

I. Jam pridem antiquitatis jus et prærogativam merito sibi vindicat ritus ille quo Summus Pontifex, certis diebus festivitatum, post Missam solemnem, e loco præcipuo, ad frontem nempe alicujus basilicæ Urbis evectus, benedictionem populo hic coadunato maxima cum pompa benigne impertit. Ritus hujus originem adsignare difficilis res esset, cum deficiant monumenta, ad illud saltem tempus pertinentia quod præcedit Summorum Pontificum commorationem in civitate Avenionensi. Namque statim post ipsorum regressum in Urbem, id est tempore Gregorii XI, vel certe Urbani VI, istam Papalem functionem peragi consuevisse addiscimus ex *Ordine Romano* XV, confecto a Petro Amelii, episcopo Senegalliensi et postea patriarcha Gradensi et Alexandrino, qui et sacrista, pœnitentiarius et bibliothecarius S. R. E. dicitur, et qui vitam adhuc agebat labente sæculo XIV; quæ omnia docte, suo more, demonstrat Mabillonius in suo *Museo Italico*, tom. II, pag. 443. In isto igitur *Ordine* hæc legimus, ubi de festivitate Paschali, § LXXXV, pag. 507: « Diaconus dicit *Ite, Missa est* cum duplici » *alleluia*. Deinde, data benedictione per Pa- » pam more solito, Episcopus Cardinalis qui » servivit Papæ de libro in Missa, pronuntiat » indulgentiam, de mandato et auctoritate Pa- » pæ, VII annorum et VII quadragenorum. Qua » indulgentia pronuntiata, Papa totus paratus » ut in Missa fuit, præcedentibus ejus Capel- » lanis portantibus cereos accensos, deinde » cruce, et omnibus Cardinalibus paratis ut in » Missa fuerunt, et cum Ministris secundum » ordinem suum coram eo binis et binis ince- » dentibus... et duobus Diaconis Cardinalibus » qui ei in Missa astiterunt, tunc cum eo as- » sistentibus, vadit ad fenestram ad dandam » populo indulgentiam de VII annis et VII qua- » dragenis. Deinde modo prædicto vadit ad » cameram suam, etc. »

II. Quod solemnem benedictionem spectat dari solitam a Pontifice Romano hac die *quam fecit Dominus*, post Missarum solemnia, e loco eminenti, loquuntur passim in suis *Diariis* Apostolicarum cæremoniarum Magistri; inter quos Paris de Crassis ad annum 1519, loquens de Pontificali Missa die Paschatis a Leone X celebrata, sic habet: « In fine data est bene » dictio supra plateam, ubi tantus fuit popu- » lus, quantus nec in anno jubilæi, ut omnes » cum Papa mirarentur. » Mucantius item in suo *Diario*, ad annos 1574, 1576, eadem tradit de Gregorio XIII, addita tamen veneratione sacrarum Reliquiarum, quas et hodie Summus Pontifex rite colit, priusquam benedicat populum in platea congregatum. Vide Catalani *Commentarium in sacras Cæremonias S. R. E.*, lib. II, tit. II, cap. I, § VI. A veritate forte non aberrabit qui ex modo dictis inferet hanc Papalem benedictionem e fronte basilicæ datam, ante Clementem V fuisse usu receptam. Dici quoque posset stationes ecclesiarum Urbis cum indulgentiis, a S. Gregorio Magno institutas vel ordinatas, ut scribit Joannes Diaconus in Vita ejus, lib. II, cap. II et VI, occasionem aperuisse huic benedictioni, siquidem eam elargiuntur Pontifices Maximi in basilicis ubi tali die fit statio; saltem olim sic res agebatur. Etenim quater in anno solet Sanctissimus populo benedicere *e fenestra*, ut loquitur Ordo Romanus XV, scilicet feria V in Cœna Domini, die sancto Paschæ, in festis Ascensionis Domini et Assumptionis B. M. V., sicuti videre est apud Gaetanum Moronum, in opere historico-liturgico, cui titulus: *Le Cappelle Pontificie, Cardinalitizie e Prælatizie;* in Venezia, 1841. Porro in feria V Cœnæ Domini statio celebratur in

Digitized by Google

basilica Sancti-Joannis-in-Laterano; in Paschate, ad Sanctam-Mariam-Majorem; et in Ascensione ad Sanctum-Petrum-in-Vaticano. At Sixtus V ad basilicam Lateranensem transtulerat Officium Papale in festivitate Paschali; hodie tamen peragitur in basilica Vaticana, ut observat dictus Moronus, § x, num. xvii, pagin. 245. Ordo quidem Romanus xv non aliam indicit benedictionem Papalem *e fenestra*, nisi in solemnitate Paschali, tametsi alibi loquatur, sicut et Ordines xiii et xiv, de benedictione solemni a Pontifice Romano collata in feria v Cœnæ Domini atque in ejus Ascensione; verum de loco tacent. Sed et liber *Sacrarum Cæremoniarum S. R. E.*, ab Augustino Patricio concinnatus et a Christophoro Marcello, episcopo Corcyrensi, primum publici juris factus sub Leone X, anno 1516, et Venetiis denuo typis mandatus anno 1582, regnante Gregorio XIII, solam tradit Papalem benedictionem jam memoratam pro festo Paschæ. Postea, quo tempore vel a quibus nescimus, plures mutationes vel adjectiones in prædicto libro *Cæremoniarum S. R. E.* interjectæ sunt, testante Catalano in *Præloquio* suorum *Commentariorum* in hunc librum, capite vii. In editione quam sic illustravit eruditissimus auctor anno 1751, nec etiam reperitur benedictio Papalis pro festo beatæ Virginis Adsumptæ, licet jam ab anno 1743 Benedictus XIV hunc ritum solemnem inchoasset e fronte basilicæ Liberianæ Sanctæ-Mariæ-Majoris, ubi vastam *logiam* exstrui jusserat, ut ait Moronus in opere citato, § x, num. xxxii, pag. 320.

III. Ut autem ritus sæpe memoratus cum majore pompa et majestate adimpleri posset, architecti qui faciem anteriorem basilicarum Romæ ædificarant, supra portam mediam seu majorem ædificii, spatium amplum, quasi xysti formam habens, disposuere; quod Ordo Romanus xv simpliciter et reverius *fenestram*, Itali vero *la loggia* vocant, sicuti modo vidimus de logia basilicæ Liberianæ elapso sæculo constructa. Diebus autem præsignatis Summus Pontifex, stola et pluviali cum pretiosissimo formali seu pectorali indutus super albam, et triregnum seu tiaram habens in capite, ascendit in *Sedia gestatoria*, ubi sedet sub baldachino, duobus Ministris hinc inde flabella majora manu tenentibus; et sic advehitur ad logiam ab agasonibus, præcedentibus Cardinalibus, Episcopis et Abbatibus, mitram in capite gestantibus; deinde incedunt Acolythus cum thuribulo, et duo alii cum cereis accensis, tandem alter minister crucem Papalem ferens. Ad logiam Papa cum advenerit, adhuc sedens in *Sedia* legit cantando : « Sancti Apostoli Petrus » et Paulus, de quorum potestate et auctoritate » confidimus, ipsi intercedant pro nobis ad Do» minum. » Cantores respondent : *Amen*. Moxque subjungit : « Precibus et meritis, etc. Mi» sereatur vestri, etc. Indulgentiam, etc., » sicut infra videbimus. Post hæc surgit Pontifex, et elevatis oculis simul et manibus ad cœlum, benedicit populum dicens : « Et benedictio Dei » omnipotentis, Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spi» ritus ✠ sancti descendat super vos et maneat » semper. » Omnes ter respondent : *Amen*. Et Papa iterum sedente, Diaconus Cardinalis qui stat a dextris ejus latine pronuntiat formulam indulgentiæ plenariæ concessæ a Pontifice, ac deinde Diaconus Cardinalis qui est a sinistris, eamdem repetit italico idiomate : et uterque projicit in plateam pagellas formularum, quas magna contentione unusquisque ex adstantibus sibi præripere connititur. Statimque, post publicationem indulgentiarum factam, campanæ omnes festivo sono pulsantur, exploduntur bellica tormenta, et omnis generis musici symphoniis suis aures demulcent et oblectant animos. Supremus autem Pontifex, silenter data rursus benedictione simplici, revertitur processionaliter, sicut venerat, ad cameram suam.

IV. In hoc ritu Papali duo sunt notanda : 1° Pontifex, dicto « et Spiritus ✠ sancti, » iterum brachia sustollit, quasi ampliorem e cœlo gratiarum copiam adcersens, et statim ea demittit in populum, dicens : « Descendat super » vos, etc. » Qui gestus, peculiaris Summo Pontifici benedicenti, multum præ se fert majestatis, et viva suavissimaque videntium mentes adficit devotione. 2° Dum autem sic dextera manu infundit benedictionem, sinistram ad pectus habet admotam, et non tenet baculum Pastoralem, sicut cæteri Episcopi; nunquam enim eo utitur. Et forte non abs re erit paucis disquirere cur Romanus Pontifex baculum in sacris functionibus non deferat. Res ad historiam pertinet, inquit Dominicus Giorgius, in opere *De Liturgia Romani Pontificis in solemni ce-*

Digitized by Google

lebratione Missarum, lib. I, cap. XXIX, tom. I, pag. 253; Romæ, 1731. « Ferunt enim, in» quit ille, a S. Euchario Trevirensium primo » antistite, baculo quem a beato Petro Apo» stolorum principe acceperat, ad vitam revo» catum S. Maternum ejus socium, ad Tribo» corum fines ex hac luce sublatum. Testantur » hoc miraculum Honorius Augustodunensis » (Serm. de SS. Petro et Paulo) et Petrus Clu» niacensis (lib. I, epist. II)... « Hujus rei hi» storia, inquit Browerus (*Annal. Trevir.*, » lib. II, § II, ad annum 50, pag. 143, 144), nus» quam verius, quam ex vetustissima thecæ » inscriptione eruas, qua baculus inclusus, ho» dieque præcipua religione Treviris asserva» tur...» Hinc ergo Innocentius III, in libris *De* » *Mysteriis Missæ*, tradit Romanum Pontificem » Pastorali virga non uti ob hanc ipsam histo» riam... Eadem perhibet in Epistola ad archie» piscopum Trinovitanum, Bulgariæ primatem, » quæ in Juris canonici corpus relata est : ubi » enim Pontificalia ornamenta enumeravit..., » addit : « Et licet Romanus Pontifex non » utatur baculo Pastorali, tum propter hi» storiam, tum etiam propter mysticam ratio» nem, etc. » Innocentio consentit S. Thomas » (in IV *Sentent.*, dist. XXIV, quæst. III, art. III, » ad VIII) : Romanus Pontifex, ait, non utitur » baculo, quia Petrus misit ipsum ad susci» tandum quemdam discipulum suum, qui » postea factus est episcopus Trevirensis : et » ideo in diœcesi Trevirensi Papa baculum por» tat, et non in aliis; vel etiam in signum quod » non habet coarctatam potestatem, quod cur» vatio baculi significat. » In hanc eamdem » sententiam loquitur Durandus (*Rational.*, » lib. III, cap. XV). » Cf. Catalanum, tom. I hujus operis, in Prolegomenis, pag. 34, et Rainaldum, ad annum 1204, § XLII. Ab illa autem sententia recedit, aristarchorum more quos vocant *Gallicanos*, J. Grancolas. At ipse aut ipsi viderint : nihil ad nos, neque ad rem; non ægre enim carebimus talium testificatione.

V. Verum haud ita intactum prætermittemus alium scriptorem Gallicum, qui, in recenti libro liturgico ad formam lexiconicam redacto, ad verbum BATON loquens de baculo Pastorali, hæc inter alia profatus est : « Selon les règles » établies, l'Abbé porte le bâton pastoral tourné » en dedans (*lege* vers soi-même) comme signe » de sa juridiction restreinte à son monastère. » Pergratum nobis egisset auctor ille si fontem indigitasset unde *regulas* illas *constitutas* deprompserit : namque, licet multa volumina evolverimus ad eam rem spectantia, in nullo, ingenue fatemur, huc usque istas invenire potuimus. Quam enim de hujus auctoris eruditione atque sagacitate concepimus opinio nos non sineret conjicere illum in his intendisse artis heraldicæ *regulas constitutas*, quas non novit sacra liturgia, sed nec Ecclesia. Sed dato, non concesso, quod ad praxim essent reducendæ, inde multa sequerentur incongrua, ne dicam absurda : etenim Archiepiscopus, cujus scutum supereminet crux cum duplici brachio hinc et inde, crucem paris formæ ante se gestandam curare deberet : Summus quoque Pontifex non posset incedere, nisi prælata cruce itidem triplici : quod nemo unquam vidit, ne in Gallia quidem, his nimirum infaustis temporibus ubi Jansenii fautores ipsorumque asseclæ ritus sacros susquedeque disturbavere. Insuper, si regulæ illæ heraldicæ, quibus nihil mutabilius, veræ essent et adamussim servandæ, baculum Pastoralem Abbatissarum quo situ, quæso, super scutum gentilitium collocari oporteret? siquidem in medio summi scuti solum adest. Sed et absurda exhibeamus, ut, Catalanico more, genio indulgeamus tantisper. Magnates, reges, nobiles, civitates, nationesque sæpe sæpius in scutis depictas habent bestias, feras, volucres omnis generis, quæ etiam in hoc terrarum orbe nunquam exstitere : numquid, ut prædictæ regulæ ementitæ non sint, hujusmodi animalia sive volatilia apud se debebunt retinere aut alere ?

VI. At melioris notæ majorisque momenti rationes possumus opponere dictis præmemorati auctoris. Et primo quidem, si Abbas baculum portans Pastoralem, partem recurvam debeat ad se convertere, quia jurisdictionem non exercet extra monasterium sibi commissum, procul dubio ita etiam deberent facere Reverendissimi Episcopi, quia videlicet non habent nisi limitatam jurisdictionem, in sua nempe diœcesi, cum de ampliore tantum vel restrictiore spatio verba facit præfatus auctor. Et a fortiori sic actitare illos oporteret quando extra suæ propriæ diœcesis limites sacra peragunt cum baculo Pastorali. Attamen simile nihil legimus in *Cæremoniali Episcoporum*, ne in pecu-

Digitized by Google

liari quidem capite ubi agitur de sacris functionibus ab Episcopo adimpletis in aliena diœcesi. Hæc enim habet lib. I, cap. XVII, num. V : « Utitur ergo Episcopus baculo Pastorali in sua » tantum civitate vel diœcesi, et etiam alibi ex » permissione Ordinarii, etc. » Eodem igitur modo gestare debet illud, sive in sua adsit diœcesi, sive ab illa absit ; hic enim erat locus varium ritum tradendi, si existeret. Porro, lib. II, cap. VII, num. XXV, hæc præscribit dictum *Cæremoniale :* « Episcopus cum baculo Pastorali in manu si» nistra, parte curva baculi ad populum ver» sa, etc. » Nullum ubicumque in cæremoniarum libris alium modum reperire est. Atqui nemo nescit Abbatibus, cum Pontificaliter sacra faciunt, obligationem incumbere Cæremoniali Episcoporum omnino et in omnibus sese conformandi. Et hæc quidem bene intelligenti sufficerent ; verumtamen ex abundanti alias adducemus rationes haud sane contemnendas. In benedictione Abbatis non semel agitur de baculo Pastorali ipsi tradendo vel jam tradito (Cs. *Pontificale Romanum* de eodem argumento, part. I). Illo enim utitur, in ipso actu sacræ hujus benedictionis, sive cum populo benedicit solemniter ad altare, vel per ecclesiam ambulans, sive cum optativum et gratum sermonem ad Episcopum benedicentem adloquitur sub finem Missæ. Ast nulla penitus vox de parte curva ad Abbatem conversa deprehendi potest in hisce singulis circumstantiis. Sed nec Catalanus ipse, alioqui Regularium privilegiis pene infensus, et e scriptoribus liturgicis quibusque argumenta et alia loca non pauca eruditissime decerpens, nullum unquam in cunctis suis operibus protulit, ex quo vel indirecte concludi possit ab Abbate sive Abbatissa gestandum Pastoralem baculum, parte ejus curva aliter conversa quam ab Episcopis factitatur. Ergo Prælatus inferior quisque potest ac debet baculum Pastoralem gestare eodem prorsus modo ac Episcopus. Abbatissæ nihilominus dextera manu illum semper tenent, quia non habent, ne suis quidem monialibus, benedicendi potestatem. Ex modo expositis, legitime, ut videtur, inferri potest quod gestatio baculi Prælatorum hoc vel illo modo, nullum jurisdictionis signum in se complectatur. Idem esto de ministro dicti baculi.

VII. Indulgentiam Papalis benedictionis comitem, a qua plusculum digressi sumus, hi soli possunt lucrari qui, revera præsentes huic splendidæ et sacræ functioni, contriti sunt corde, atque sacra Communione refecti, quemadmodum est præceptum ad alias indulgentias plenarias lucrandas. Verum in manifesto errore versantur qui existimant, quod etiam in plurimis libris legitur, videlicet Papalem benedictionem, in his circumstantiis, dari *Urbi et Orbi :* quidam et affirmare non sunt veriti, sive verbis, aut scriptis etiam excusis, quod utramque hanc vocem proferret Summus Pontifex. Unde emergerit hæc vana opinio, difficile esset comperire ; nam tale quid nemo audivit aut vidit unquam. Igitur constat quæstionem hic solummodo moveri de indulgentia plenaria, quam percipiunt, mediante benedictione Papali, illi physice adstantes ante vel circa Pontificem, qui hunc animi statum adepti sunt a jure requisitum ad talem gratiam consequendam. Non negandum tamen ipsammet benedictionem Christi Vicarii copiosam gratiam per se conferre, seclusa indulgentia, omnibus adstantibus, etiam (quod absit !) peccati lethalis noxa obstrictis : Sacramentale est enim præcipuum, et, ut aiebat Pius VII, per Gallias iter faciens, « benedictio » senis nunquam officit ; » quinimo multum fructum adfert atque felicitatem. Sicut supra dicebamus ex *Ordinibus Romanis*, Pontifices Maximi in diebus stationum præcipuis indulgentiam elargiebantur. Et non dubitandum quin in cœtu fidelium ante aliquot dies prænuntiata fuerit, sive post homiliam, sive Missa peracta. Quia vero nonnunquam tam numerosi essent qui eam cuperent percipere, ut eos templum continere non valeret, Summi Pontifices locum aptiorem, id est eminentiorem, elegerunt, ut inde conspici possent ab universis in platea manentibus et in eos omnes sacram benedictionem effundere. Postea, labente tempore, amplior pompa et solemnitas paulatim adcessit ; ut major exinde nasceretur et adcresceret populi fides et devotio.

VIII. Norunt omnes, ex *Cæremoniali Episcoporum*, lib. I, cap. VIII, quod Episcopus, in sua diœcesi consistens, et Missam Pontificalem celebrans, post Evangelium vel *Ite, Missa est*, publicari mandat et concedit indulgentias : at, quia amplæ non sunt, sed e contra satis arctatæ, Apostolicæ charitati placuit ut ad omnes Episcopos extenderetur facultas solemniter con-

Digitized by Google

ferendi fidelibus plenariam indulgentiam, Romani Pontificis nomine, mediante benedictione, quæ ideo *Apostolica* vocatur et cujus formulam modo exhibebimus. Alia causa potest adsignari tam eximiæ et paterno amore refertæ concessioni ; nimirum Summi Pontifices considerantes paucis admodum fidelibus Romam petendi potestatem tribui, ne isti propter absentiam fraudarentur tanto bono, thesaurum Ecclesiæ cunctis reserare decreverunt, et omnes ubique terrarum Christi fideles eisdem gratiis muneribusque compotes et participes fecerunt quibus gaudent Urbis incolæ benedictionem Apostolicam suscipientes. Quo vero tempore hæc incœperit Summorum Pontificum elargitio, non facile est detegere. Si Christiano Lupo credamus, tom. VI operum editionis Venetæ, *in septimum S. Gregorii VII Romanum Concilium*, capite inscripto : *Sacerdotalis benedictionis antiquitas, forma, fructus exponuntur*, quæst. V, pag. 250, mos quo Romanus Pontifex absentibus mittit Apostolicam benedictionem, est antiquissimus, imo Apostolicum institutum. Cui suffragatur Catalanus, *Comment. in Rituale Romanum*, tom. I, tit. V, cap. VI, pag. 363 sq., et tom. II, tit. VIII cap. XXXIV, § XV, pag. 139 sqq. Benedictus XIV, in Epistola encyclica, Romæ data die 19 martii, anno 1748, ordinans et constituens hujusmodi benedictionem, « exemplis prædecessorum suorum » innititur, et Clemens XIII, in Constitutione quæ incipit *Inexhaustum indulgentiarum thesaurum*, data Romæ anno 1762, III nonas septembris, de illa loquitur quasi jam longinquis retro temporibus et ubique esset frequentata.

XI. In ista Constitutione idem Pontifex Episcopis concedit facultatem bis in anno benedictionem Apostolicam fidelibus impertiendi, sic inquiens : « Ad augendam erga Pastores » eminenti Episcopatus dignitate pollentes populorum devotionem, simulque Christi fidelium utilitati, de immenso et inæstimabili » thesauro Ecclesiæ tradito, consulere volentes, » ipsarum tenore præsentium statuimus quod » deinceps venerabilibus.... Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, duabus » anni solemnitatibus, nimirum Paschate Resurrectionis Domini, alioque die festo solemni » eorum respective arbitrio designando,.... populo in ecclesia congregato, Apostolica summi » Romani Pontificis pro tempore existentis » auctoritate illiusque nomine, facultas solemniter benedicendi cum elargitione plenariæ » indulgentiæ, juxta ritum et formam inferius » tradendam, concedi possit; et ipsorum unicuique.... per litteras Apostolicas in forma » Brevis, gratis, ut in similibus mos est, concedatur. Ad quorum effectum, ipsos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos... » in Domino hortamur ut, pro dignitatum eorum splendoris augmento, et fidelium populorum ipsis creditorum congrua erga divinam » justitiam satisfactione, a nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore » existentibus, facultatem hujusmodi, ultro » ipsis oblatam, postulent et impetrare non » prætermittant. » Paulo superius aiebat præfatus Pontifex hanc Apostolicam benedictionem cum indulgentia « inter cætera spiritualium » gratiarum dona quibus Summorum Pontificum liberalitate Christi fideles cumulantur, » potissimum locum habere. » Quare stupendum valde est quod universi Episcopi in toto terrarum orbe diffusi, ab hoc tempore, ipsorum supremo capiti supplices litteras non direxerint, ad impetrandam prærogativam ipsis tam honorificam et suis subditis tantopere proficuam et pretiosam. Porro ritus ac formula de quibus agitur, cum peculiaribus Rubricis, ut sequitur, positi sunt in hoc nostro Supplemento ad Pontificale Romanum.

§ I.

Ritus et forma, a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, pro impertienda benedictione, una cum plenaria indulgentia, post Missarum solemnia, triplici signo crucis emisso, et in Episcopali throno, cum mitra cæterisque sacris paramentis indutis, circumstantibus Ministris, adhibendus, quod congrue de Præatis inferioribus intelligatur, talis esse debet.

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Animadvertere hic debemus quia locus hujus Apostolicæ benedictionis simplici Episcopo vel alio Prælato concessæ, post Missam illius Pontificalem decernitur, non autem post concionem, vel *Ite, Missa est,* ubi videlicet Episcopus quisque, jure communi, potest sua propria auctoritate benedictionem conferre cum indulgentiis. Et haud difficile est causas invenire hujus agendi rationis; quia nempe sic Romani Pontificis exemplum propius imitatur Episcopus, quod omnino congruum est in tam solemni functione. Insuper, ita etiam admonetur populus ut non illam insuetam et Apostolicam benedictionem existimet non differre ab ea quam a suo Pastore aliis diebus accipit cum gratiæ incremento longe inferiore.

II. Et hæc nostra assertio confirmatur recenti solutione S. Rituum Congregationis, quæ a Capitulo cathedralis Alexandriæ interrogata an ritus et formula dandi benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria post Missam solemnem, juxta formulam præscriptam Episcopis, substitui posset ritui et formulæ dandi benedictionem solemnem juxta *Cæremoniale Episcoporum,* adeo ut, dicto *Placeat,* omissa benedictione solemni, impertiri possit benedictio Apostolica, die 23 maii 1835 respondit : « Negative, et ser- » vetur ritus et forma in Romano Pontificali » præscripta. » Per quod responsum manifeste datur intelligi quod additamenta in hodierno Pontificali intromissa obligationem pariant et nemini liceat illa recusare vel immutare, etsi moderni Pontifices Romani non duxerint opportunum vel necessarium tales accessiones litteris Apostolicis confirmare. In commentario ad § sequentem aliæ occurrent responsiones ejusdem sacræ Congregationis, quibus iterum mandatur moderni Pontificalis Romani observatio.

§ II.

Expleta in utraque solemnitate, Missæ solemnis celebratione, in primis alta voce per ministrum superpelliceo indutum legantur litteræ Apostolicæ quibus indulgentia plenaria conceditur, una cum potestate benedictionem Apostolicam super populum effundere, ut de delegatione adstantibus constet, et concessio ex Latino sermone in vulgarem, ad populi intelligentiam, translata recitetur.

COMMENTARIUS.

I. E diversis diœcesibus, præsertim Galliarum, exortæ sunt quæstiones de præcepto hic inserto legendi coram populo litteras Apostolicas quibus confertur Episcopo tam insigne privilegium. At plura habemus sacræ Rituum Congregationis responsa seu decreta quæ huic juris articulo lucem adferunt. Episcopus Constantiensis compererat, ut inquit, sibi commissos Christi fideles non paucos abscedere ab ecclesia, expleta Missa Pontificali, etiam in duabus solemnitatibus queis dictus Episcopus ipse, nomine Romani Pontificis, populo dat benedictionem cum plenaria omnium peccatorum indulgentia; ac proinde a sacra Rituum Congregatione expetiit ut in ista benedictione cum ipso dispensetur ab onere legendi duplici vice Breve delegationis Apostolicæ, ac sibi liceret simpliciter adnuntiare plenariam indulgentiam, ne, addit, populus abscedat. Sacra autem Congregatio, die 7 decembris 1844, rescribendum censuit his solis verbis : « Juxta Pontificale » Romanum. » A cujus præscriptis ergo non fas est recedere. Attamen mitius actum est erga Episcopum Rhedonensem, qui, cum advertisset latinam Apostolicarum litterarum lectionem adhucdum esse gravem fidelibus, ut pote illam non intelligentibus, Rituum Congregationem adiens, efflagitavit Apostolicum ea de lectione dispensationis indultum. Quod « ex gratia spe- » ciali » Eminentissimi Patres concesserunt, die 27 februarii 1847, dummodo, aiunt, bene visum fuerit Summo Pontifici, qui benigne annuit. Ubi hoc notandum est, sacrum ipsum Senatum Ecclesiasticis ritibus præfectum noluisse in hac re dispensare, si non accederet Pontificis Maximi auctoritas.

Digitized by Google

II. Et ut eo magis scirent Ecclesiæ Præsules Romano Pontificali sic adaucto esse se adstrictos, sacra Congregatio de industria addidit hanc concessionem « ex gratia speciali » provenire; per hæc verba haud perplexe significans puram ac litteralem Pontificali integre obtemperationem longe præstare, et nonnisi ægre disciplinam hanc amplectentem se videre. Et revera, si res adtentius consideretur, non multo labore opus est ut manifeste appareat hujusmodi dispensationem non adeo esse necessariam. Etenim lectio latina, quæ tam gravis quibusdam videtur, in minimo temporis spatio, id est per unam vel duas minutas, potest recitari : et populi, qui sæpe sæpius conciones audiunt una hora, plus minus, durante, aut etiam totam sacram liturgiam sive Missalem sive Vespertinam, latina sane lingua prolatam; cum reverentia certe et sine tædio litteras Pontificis Summi, Christi vices agentis, auscultarent, si probe docerentur de tanti beneficii utilitate atque præstantia. Tandem Corisopitensis Antistes eamdem specialem gratiam impetravit pro responsione ad sua quæsita de illa solemni benedictione. Namque tria hæc dubia enodanda proposuerat : 1° an lectio litterarum Apostolicarum fieri posset post decantatum Evangelium, non vero in fine Missæ; 2° utrum hujusmodi litteræ legi deberent latino et vernaculo seu patrio sermone; et 3° an lectio versionis litterarum deberet esse integra, aut an sufficeret exprimere Pontificem concedentem, Episcopum cui facultas impertitur, et naturam gratiæ concessæ. Et, ut diximus, solam accepit licentiam omittendi latinam lectionem. Denique observare oportet quod lectio litterarum Apostolicarum non ad Canonicos Prælato adsistentes spectet, sed ad alium Ministrum quemcumque inter Clericos designatum et simplici indutum superpelliceo.

§ III.

Postea Episcopus surgens, juxta ritum in Cæremoniali Episcoporum expressum, dicet : *Precibus et meritis beatæ Mariæ semper virginis, beati Michaelis Archangeli, beati Joannis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris, perducat vos Jesus Christus ad vitam æternam. Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium veræ et fructuosæ pœnitentiæ, cor semper pœnitens, et emendationem vitæ, perseverantiam in bonis operibus, tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus.* ℟. *Amen. Et benedictio Dei omnipotentis, Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠sancti descendat super vos et maneat semper.* ℟. *Amen.*

§ IV.

Demum, post impertitam benedictionem, publicabitur latino et vernaculo idiomate concessio plenariæ indulgentiæ, sequenti formula : « Adtentis facultatibus a » Sanctissimo in Christo Patre et Domino nostro Domino N., divina providentia » Papa N., in enuntiatis Apostolicis litteris, datis Reverendissimo Domino Domino » N., Dei et Apostolicæ gratia hujus sanctæ N. Ecclesiæ Antistiti; eadem Dominatio » sua Reverendissima, Summi Pontificis nomine, dat et concedit omnibus hic » præsentibus et confessis ac sacra Communione refectis, indulgentiam plenariam » in forma Ecclesiæ consueta. Rogate igitur Deum pro felici statu Sanctissimi » Domini nostri Papæ, Dominationis suæ Reverendissimæ et sanctæ matris » Ecclesiæ. »

Digitized by Google

COMMENTARIUS.

I. Et sic finitur hæc sacra functio. De qua adhuc notandum est neminem respondere debere *Amen* post *Misereatur;* quæ vox nec in Constitutione prædicta Clementis XIII reperitur; ubi etiam non leguntur hæc verba, *confessis ac sacra Communione refectis.* At hæc omissio nihil detrahit ex consuetis conditionibus pro indulgentia lucranda, siquidem mox addit Pontifex, ut in nostro Pontificali, *in forma Ecclesiæ consueta*, quæ sane implicite continet persolutionem saltem confessionis et communionis. Notanda quoque veniunt discrimina quæ exstant inter formulam hujus Apostolicæ benedictionis et illam qua Prælatus populo benedicit in Missa Pontificali, sive post Evangelium, sive in fine Missæ; quam videre est in *Cæremoniali Episcoporum*, lib. I, cap. XXV. Preces seu absolutio benedictionem ipsam Apostolicam antecedentes, amplioribus exoptatioribusque verbis sunt plenæ quam in simplici benedictione Episcopali; adeo ut etiam voces *Indulgentiam, etc.*, omittuntur in hac ultima benedictione. In ista quoque, indulgentiarum publicatio locum habet inter confessionem generalem seu *Confiteor* et orationem *Misereatur;* in illa vero non publicantur nisi post datam benedictionem. Hujus differentiæ ratio non alia menti fit obvia, quam disparitatem aliquam statuendi gratia inter ritum utrumque. Quod ad ipsam publicationem spectat, facile intelligitur ita esse necessariam, ut ejus immunis ullus esse nequeat, ideo quod fideles oportet sibi persuasissimum habere quia plenariam illam quam tunc lucrantur indulgentiam, non ab alio quovis possint percipere quam ab ipso Papa, mediante Antistite, qui idcirco illam confert *nomine Pontificis Romani*, cujus in hoc casu vicariam operam impendit.

II. De eadem benedictione Apostolica a Prælatis aliis ab Episcopis impertienda, nihil dicemus; quippe quæ eodem omnino ritu ab illis confertur qui pro Antistibus præscriptus est, excepto solum quod una tantum vice per annum illa facultate uti possint : et optime congruit ut aliqualis appareat distinctio inter ambas illas Prælatitias dignitates. Pariter silebimus etiam de eadem facultate benedictionis Apostolicæ a sancta Sede simplicibus Sacerdotibus ex Regularibus collata : in Romano enim Rituali jam dudum est inserta. Illud tamen tandemque non omittendum quod legimus in Constitutione Clementis XIII, ubi sic ait : « Ad » submovendam quamcumque dubii causam, » declaramus etiam, per benedictionem Apo- » stolica auctoritate, sive per ipsos Patriarchas, » Primates, Archiepiscopos et Episcopos, sive » per Regulares quoslibet, ut præfertur, im- » pendendam, nullam prorsus a censuris et » pœnis Ecclesiasticis, scienter vel ignoranter » incursis, absolutionem concedi, neque ab illis » absolutio prætextu benedictionis hujusmodi » susceptæ prætendi possit. »

Digitized by Google

INDEX TITULORUM

TERTIÆ ET ULTIMÆ PARTIS ROMANI PONTIFICALIS.

		Pag.
TITULUS I.	De publicatione festorum in Epiphania.	1
II.	De expulsione pœnitentium ab ecclesia feria quarta Cinerum.	8
III.	De reconciliatione pœnitentium in Cœna Domini.	51
IV.	De benedictione sacri olei et chrismatis in Cœna Domini.	81
V.	Ordo ad Synodum.	136
VI.	Ordo suspensionis, reconciliationis, depositionis, dispensationis, degradationis et restitutionis sacrorum Ordinum.	175
VII.	Degradationis forma.	199
VIII.	Degradatio ab Ordine Pontificali.	214
IX.	Degradatio ab Ordine Presbyteratus.	220
X.	Degradatio ab Ordine Diaconatus.	223
XI.	Degradatio ab Ordine Subdiaconatus.	224
XII.	Degradatio ab Ordine Acolythatus.	225
XIII.	Degradatio ab Ordine Exorcistatus.	227
XIV.	Degradatio ab Ordine Lectoratus.	228
XV.	Degradatio ab Ordine Ostiariatus.	*ibid.*
XVI.	Degradatio a prima Tonsura.	229
XVII.	Ordo excommunicandi et absolvendi.	241
XVIII.	Ordo ad reconciliandum apostatam, schismaticum vel hæreticum.	268
XIX.	De itineratione Prælatorum.	291
XX.	Ordo ad recipiendum processionaliter Prælatum.	298
XXI.	Ordo ad visitandas Parochias.	309
XXII.	Ordo ad recipiendum processionaliter Imperatorem.	335
XXIII.	Ordo ad recipiendum processionaliter Regem.	342
XXIV.	Ordo ad recipiendum processionaliter Principem magnæ potentiæ.	347
XXV.	Ordo ad recipiendum processionaliter Imperatricem, vel Reginam.	349
XXVI.	Ordo ad recipiendum processionaliter Principissam magnæ potentiæ.	351
XXVII.	De officio quod post Missam solemnem pro defunctis agitur.	352
XXVIII.	De Scrutinio serotino, quo antiqui utebantur, antequam Electus in Episcopum consecraretur.	400
XXIX.	De barba tondenda.	424
XXX.	De officio Psalmistatus.	433

INDEX

ORDINES PONTIFICALES, TUM EXCUSOS, TUM MANUSCRIPTOS, CONTINENS,

IN APPENDICIBUS TITULORUM RECENSITOS.

ORDINES AD IMPONENDAM PŒNITENTIAM IN CAPITE JEJUNII.

I.	Ex manuscripto codice Vaticano, num. 4744.	39
II.	Ex antiquo Ordine Romano apud Hittorpium.	41
III.	Ex manuscripto bibliothecæ Angelicæ.	47
IV.	Ex Græcorum Euchologio apud Goar.	49

ORDINES AD RECONCILIANDUM PŒNITENTES IN CŒNA DOMINI.

I.	Ex manuscripto codice Vaticano.	73
II.	Ex manuscripto bibliothecæ Angelicæ.	76
III.	Ex antiquo Romano ordine.	77

ORDINES AD BENEDICENDUM SACRA OLEA.

I.	Ex manuscripto codice Vaticano.	121
II.	Ex manuscripto bibliothecæ Angelicæ.	125
III.	Ex eodem manuscripto alius.	127
IV.	Ex antiquo Ordine Romano.	129
V.	Ex Euchologio Græcorum.	133
VI.	Ex Allatiano Euchologio.	134

ORDINES AD CELEBRANDUM SYNODUM.

I.	Ex manuscripto bibliothecæ Angelicæ.	165
II.	Ex manuscripto codice Vaticano.	167
III.	Ex antiquo Ordine Romano.	169
IV.	Ex eodem alius.	174

ORDO SUSPENSIONIS, DEGRADATIONIS SACRORUM ORDINUM.

Ex manuscripto codice Vaticano. 238

ORDO EXCOMMUNICANDI ET ABSOLVENDI.

Ex manuscripto codice Vaticano. 266

ORDINES AD RECONCILIANDOS APOSTATAS, SCHISMATICOS VEL HÆRETICOS.

I.	Ex manuscripto codice Vaticano.	285
II.	Ex Methodio patriarcha C. P., apud Goar.	286
III.	Ex Liturgia Græcorum.	288
IV.	Ex Euchologio Patriarchali, apud eumdem.	289

Digitized by Google

Pag.
V. Ex eodem alius. 290
VI. Ex bibliotheca regia, Parisiis. *ibid.*

ORDINES DE ITINERATIONE PRÆLATORUM.

I. Ex libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ. 296
II. Ex libro I sacrarum S. E. R. Cæremoniarum. *ibid.*

ORDO AD RECIPIENDUM PRÆLATUM.

Ex manuscripto codice Vaticano. 308

VARIÆ MISSÆ DEFUNCTORUM.

Pag.
Ex libro Sacramentorum S. Gregorii Papæ. 384

ORDINES RITUS OLIM SERVARI SOLITI CIRCA DEFUNCTOS.

I. Ex manuscripto codice Floriacensi. 388
II. Ex manuscripto Pontificali Salisburgensi. 391
III. Ritus sepeliendi Clericos Romanæ Fraternitatis. 398

INDEX TITULORUM

ADDITAMENTORUM AD PONTIFICALE ROMANUM.

Monitum. 443
TITULUS I. Ritus Pontificalis pro Baptismo parvulorum. 447
II. Ritus Pontificalis pro Baptismo adultorum. 453
III. De sacramento Matrimonii contrahendo coram aliquo Prælato. 465
IV. De benedictione nuptiarum a Prælato conficienda. 470
V. Appendix. Instructio pro simplici Sacerdote sacramentum Confirmationis administrante. 474
VI. Ritus et formula benedictionis Apostolicæ. 479

Digitized by Google

INDEX RERUM

QUÆ IN TRIBUS TOMIS COMMENTARIORUM IN TRES PARTES ROMANI PONTIFICALIS CONTINENTUR.

Numeri romani tomum, arabici paginam denotant. — Littera A *primam columnam,* B *secundam cujusque paginæ designat.*

A

AARON, ejusdem criminis reus ac soror ejus Maria, cur solus ipse impunitus, III, 237 B.

ABBAS, idem ac latine *pater*: unde hæc vox, et cur illi qui monasterio præest conveniat, I, 407 A B. — Abbates olim laici erant, 408 A. — Cur postea Clerici et Presbyteri facti, *ibid.* B. — Abbas non potest eligi Religiosus alterius Ordinis seu Religionis, 418. — Eligendus debet esse professus, *ibid.*

Abbatis benedictio, I, 407 sqq. — Olim dicta Ordinatio; et quando aut quomodo incœpta, 408 B, 409, 441 B. — Quid conferat Abbatibus benedictio, *ibid.* — In quibus conveniat et differat a consecratione Episcopi, *ibid.* — Constitutio Benedicti XIII de benedictione Abbatis, 410 A. — Mandati Apostolici necessitas pro benedictione committenda, 410. — Abbatis benedicendi ritus, 410 sqq. Benedictio Abbatis auctoritate Apostolica, 431 sqq.; auctoritate Ordinarii, 473 sqq. — Abbates qua die benedici debeant, 411. — Abbas benedicendus debet jejunare, cum Episcopo, *ibid.* — Abbas benedicendus Missam cum Episcopo benedicente celebrat; non tamen profert verba consecrationis, 465. — Neque communicat se, ut Episcopus consecrandus, *ibid.* — Quando ei mitra imponatur, aliaque Pontificalia ornamenta, 466 sqq. — Et quomodo installetur, 466. — Benedicit populo per ecclesiam cum mitra et baculo, 469.

Abbas Christianis virtutibus præditus esse debet, I, 441. — Res monasterii debet fideliter custodire, easque in usus Monachorum, fratrum, pauperum ac peregrinorum erogare, 444.

Abbatum baculus Pastoralis antiquus, I, 459 B. — Itemque eorum annulus, 461. — Qua formula a Papa dabatur baculus Abbati Casinensi, 459 A. — Et annulus aliis Abbatibus, 461 sq. — Abbatis sigillum proprium cum imagine olim concessum, 416 B. — Abbates degradabantur per eorum sigilli fractionem in capitulo, III, 204 A.

Abbates exempti, qui, I, 431 A. — Juramentum præstant fidelitatis et obedientiæ Sedi Apostolicæ, 462 sqq. — Olim Romam, confirmationis et benedictionis causa, venire solebant, 437 B. — Abbatis exempti examen ante benedictionem, 440 sqq. — Abbates non exempti obedientiam Ordinario promittere tenentur, 446.

Abbates ad Concilium vocati venire tenentur, I, 439. — Etiam ad Episcopale sive diœcesanum, *ibid.* — Quando in Conciliis sententiam dicere, iisque subscribere cœperint, *ibid.*

HONORIUS Papa I corporale S. Birino donat, II, 382 B.

HONORII imperatoris magnificum funus, III, 363 B.

HOSPITALITAS peregrinorum præcepta Abbatibus a S. Benedicto, I, 444 B. — Quanti facta in monasteriis, *ibid.* sq. — Cur requisita in eligendo ad Episcopatum, III, 405 B.

HOSTIA consecrata, cur feria V in Cœna Domini absque Sanguine in sequentem diem servetur, III, 97. — Processio in deferenda sacrata Hostia, antiqua, *ibid.* — Quando incœperit ritus Hostiæ elevandæ in Missa, II, 511 B, sq. — Cur Hostiæ quatuor consecratæ in ecclesia Senonensi in Cœnæ Domini Missa, 100 B. — Ritus

Digitized by Google

Ecclesiæ Græcæ, *ibid.* — Hostiæ duæ alicubi consecrandæ apponebantur in consecratione Episcopi, I, 352.

HUMBERTI DE ROMANIS, Ordinis Prædicatorum, opusculum *De modo prompte cudendi sermones*, laudatur, I, 487; II, 299 A. — Ab auctore nuper cum annotationibus editum, III, 157.

HUNGARIÆ rex, a quo Episcopo coronandus, I, 582 A.

HUMILITAS summa requiritur in eo qui ad Episcopatum est eligendus, III, 407. — Propria debet esse Monachorum virtus, I, 443 A. — Necessaria in virginibus, 541 A.

HUS Joannis degradatio, et ad ultimum supplicium ejus damnatio, III, 236. —Vid. JOANNES.

HUSSITÆ hæretici, cur dicti *Calicularii*, II, 446 B.

HYMNUS, *Veni creator Spiritus*, tribuitur S. Ambrosio Episcopo, I, 240 A, vel potius Carolo Magno. — Non usurpatus antiquitus in Ordinatione Presbyteri, *ibid.*

Hymnus cantari solitus in Barensi ecclesia a pueris ante benedictionem chrismatis, III, 130 B.

HYSSOPUS fidem designat, et cur adhibetur in consecratione altaris, II, 103 sq., 113 sq. — Hyssopus adhibita in Lege veteri, et quid figurabat, 206. — Cur adhibeatur in pluribus ab Ecclesia, *ibid.*

I

ICONOCLASTARUM furor in sacras imagines, II, 398.

IGNATII (S.), Episcopi et Martyris Antiocheni, Epistolæ quot, II, 297 A. — An fuerit parvulus ille quem Dominus advocatum statuit in medio, I, 329 A. — Cur ei manus impositæ non fuerint ab Apostolis in ejus electione ad Episcopatum, *ibid.*

IGNATIUS (S.), Patriarcha Constantinopolitanus, cereum de sua consecratione mittit Gregorio archiepiscopo Syracusano, I, 119 A.

IGNITEGIUM vox, quam importet horam, I, 294 B.

ILLEGITIMI, quomodo sint irregulares, I, 103 sq. — Ut ordinari possint in minoribus Ordinibus, sufficit eis dispensatio Episcopi, 104 B, sq. — Ut ad majores Ordines ascendere possint, indigent dispensatione Apostolicæ Sedis, *ibid.* — Illegitimorum irregularitas, quando primum introducta, et quæ ejus introductionis causa, 104 A. — Quibus modis tollatur, 105.

ILLIBERITANUM Concilium, cur a multis improbetur, II, 304. — A Mendoza viro eruditissimo et ab aliis propugnatum et defensum, *ibid.* — Hujus Concilii Canon de cereis non accendendis in cœmeteriis, ut explicandus, 305.

ILLITERATOS ad sacros Ordines promovere peccatum lethale, I, 86. — Durante scientiæ defectu, non possunt dispensari ut ordinentur, *ibid.* — Si ad Ordines sint promoti, quid agendum, *ibid.*

IMAGINES sacræ quas utilitates afferant, II, 434. — Imagines Sanctorum sculpi aut pingi, a Deo non reprobatur, exemplo divinæ Scripturæ, 433 sq. — Imagines sculptas exsecrantur Græci, non vero pictas, 397 B, sq. — Imaginibus Sanctorum qualis cultus exhibendus, 434 sq.— Imaginum usus in Ecclesia ex veteri Testamento, 397 sq. — Imagines Sanctorum in Ecclesiis depingi solitæ ab initio nostræ Religionis, 418. — Imagines Sanctorum ubique expressæ post datam Ecclesiæ pacem, 422 B, sq. — Imagines sacras, cur vetuerit in parietibus depingi Concilium Illiberitanum, 423.

Imagines sacræ super altaribus collocatæ, II, 424 A. — Delatæ in processionibus Ecclesiasticis, *ibid.* — Et contra hostes in bello, 422. — Imagines sacræ in albis et aliis vestibus Pontificum acupictæ, I, 18 B.

Imagines sacræ quæ vera non nituntur historia, Episcopi auctoritate tollendæ, II, 425. — Et cum discretione, *ibid.* — Imagines sacræ quæ rudibus occasionem errandi præbent, prohibitæ, 425. — Munus est Pastoris populum suum de sacris imaginibus instruere, 426. — Abusus circa imagines sacras omnino eliminandus, 427 B, sq. — An liceat vivos homines depingere sub nomine et habitu Sanctorum, 428. — Imagines profanæ nullatenus in ecclesiis et in monasteriis appingendæ, 429 B. — Imagines illæ tantum exponendæ, quæ sunt ab Episcopis approbatæ, 431 B. — Nondum benedictæ apponi non debent in altaribus, *ibid.* sq. — Imagines Sanctorum lascive expressæ occasiones sunt peccandi, 428.

Imagines sacræ et cruces olim a Carthusianis velari solitæ ante Sextam in feria IV Cinerum, detegendæ in Parasceve, III, 16 B. — Olim ad

Digitized by Google

terram depositæ tempore afflictionis, III, 257 B.

Imagines sacras coronandi ritus, et præsertim B. Virginis, a Capitulo Sancti-Petri, II, 408, sqq.

Imago Dei Patris, quomodo exprimatur, et defenditur contra hæreticos illam perperam suggillantes, II, 426 B. — Imagines sanctissimæ Trinitatis, vel Spiritus sancti, si benedicendæ sint, cum ipsarum benedictio in hodierno Pontificali Romano non sit, quid agendum, 36. — Imagines Angeli, vel alicujus S. Prophetæ, Patriarchæ aut sanctæ Viduæ, si benedicendæ sint, an ii tituli exprimi possint in Oratione, 435. — Imagines Sanctorum campanis insculptæ, 512 B. — Imagines sacræ insculptæ in tumulis Christianorum, III, 383 A. — Imagines Christi et Sanctorum depictæ et coronatæ cernuntur in cœmeteriis Urbis, II, 409.

Imago Christi ad Abgarum ab ipso missa, auctoritatibus probatur, II, 418 B. — De cultu ejusdem apud Græcos, 421 B, sq. — Aliæ antiquissimæ Christi Crucifixi imagines, 419 sq. — Una a Nicodemo incisa et Lucæ servata, *ibid.* — Altera a S. Luca Evangelista, *ibid.* — Quantis gemmis et aliis ornamentis sit decorata, 420 A. — Vid. Crux.

Immunitas ecclesiæ, II, 132. — Immunitas confugientibus ad altare, 221. — Postea ampliata ad alias partes ecclesiæ, *ibid.* — Immunitas reis confugientibus ad ecclesiam concessa, 132 B, sq. — Quanto zelo ab Episcopis olim propugnata, 133 sq. — Ab Alarico rege Ariano servata, 134.

Immuratio idem est ac carcere inclusio perpetua, III, 236 B. — Perpetuæ morti comparatur, *ibid.*

Imperator olim dux exercitus dictus, III, 335 A. — Imperatoris titulo, qui omnium primus donatus, *ibid.* — Imperatoris titulus a regibus nonnullis usurpatus, *ibid.* — Imperatoris dignitas ac titulus, cur et quando a Græcis ad Francos translatus, *ibid.*

Imperatori venienti ab Urbem obviam missi a Summo Pontifice Cardinales Legati, III, 339. — Imperatorem excipiendi ritus ex libro Pontificali Patricii, *ibid.* sq. — Imperatore appropinquante ad Urbem, qui ritus ad ipsum excipiendum ordinatus, 341. — Imperatores Christiani recepti solemniter jam olim cum processione, 336 A. — Imperatores etiam gentiles cum solemni processione recepti, 336. — Imperatores ingressuri ecclesiam, arma et diadema ipsum deponebant, II, 130 A. — Imperatores ipsi non consistebant in presbyterio, I, 13 B, sq. —

Imperatores coronati ex privilegio ministrare possunt in Missa, officio Subdiaconi fungentes, I, 603. — In die coronationis, communicare sub utraque specie solebant, *ibid.* — Imperatores ubi inaugurabantur, in throno collocabantur, 615. — In clypeo militum humeris soliti erant gestari, 577.

Imperatores olim pluries coronati, I, 576 B, sq. — Sacro chrismate inungebantur a Græcis, 599 A. — Imperator Constantinopolitanus quo ritu coronaretur, 576. — Imperatorum primus sacro ritu a Pontifice inauguratus, fuit Theodosius junior, 576 A. — Imperatores triplici corona, aurea scilicet, argentea et ferrea coronantur, et cur, 607 sq. — Olim ungebantur a solo Romano Pontifice, 608.

Imperatores et reges in atrio ecclesiæ olim sepulti, II, 294. — Imperatorum quorumdam funus magnificum, III, 363 sq.

Imperatrix vel regina, quo ritu processionaliter sit excipienda, III, 349 sqq.

Impietas Donatistarum contra Eucharistiam, quæ, II, 446 B.

Impositio manus significat gratiæ copiosæ effectum, I, 212 B, sq. — Impositio manuum vel manus Confirmandis, quid denotat, 61 B, sq., 73. — Alia fit a Præsule cum sacro chrismate inungit frontem Confirmandi, 70 B. — Vid. Mitra. — Impositio manuum super caput Abbatissæ in ejus benedictione, nullum imprimit characterem vel tradit potestatem, 492 A.

Incendium ædium in quibus plurima sanctorum Martyrum corpora, sumpta e cœmeteriis sacris asservabantur, Romæ anno 1737 secutum, II, 471 sq. — Incensa XVII sæculo Sancti-Hieronymi Charitatis domo, S. Philippi miraculo, ejus imago in xysto domus depicta, illæsa permansit, III, 438. — Servatum ab ipso incendio majori S. Patris miraculo cubiculum ipsius, *ibid.*

Incensum gratiam exprimit Spiritus sancti, II, 28 B. — Incensationes cur adhibeantur in funeribus, III, 374. — Incensum, in forma crucis, in quinque locis super mensa altaris quod dedicabatur, cremandum, quid, et quanta

Digitized by Google

ejus ritus antiquitas, II, 174 sq.— Quid de hujusmodi cineribus agendum, 175 B. — Incensi grana tria reponenda cum reliquiis Sanctorum in altari consecrando, 61 sq., 152.

INCLUSIO publice pœnitentium seu incarceratio, a feria IV in capite Jejunii usque ad Cœnam Domini fieri solita, III, 15 B, sq. — Quando relaxari cœpit, *ibid.*, 61.

INDEMNITAS rerum Ecclesiæ, quantum Episcopum adstringat, I, 309.

INDULGENTIÆ plenariæ Romano Pontifici reservatæ, II, 67, 199.— Indulgentia benedictionis Papalis, quæ, III, 482 sq.—Non absolvit a censuris, *ibid.* — Indulgentiæ, largiter a S. Pio V et aliis concessæ crucibus, coronis precariis et globulis, a Clemente VIII edito decreto temperatæ, 433. — Indulgentiæ laxiores peccatorum quam antea dari consueverant, ab Urbano II elargitæ in expeditione Terræ-Sanctæ, 532, 535. — Indulgentiæ conferuntur a Legatis Papæ etiam non Presbyteris, ex concessione Summi Pontificis, III, 307. — Etiam plenariæ, 308.

Indulgentiæ, quanta restrictione concedendæ ab Episcopis, III, 308, 329. — Indulgentiæ plenariæ aliquando ab Episcopis concessæ, II, 66 B. — Indulgentiæ moderate concedendæ sunt ab Episcopo in dedicatione ecclesiæ, juxta Concilium Lateranense, IV, 67. — Non ultra annum in die dedicationis, et quadraginta dies in anniversario ipsius extenduntur, 40 (*a*), 67, 199. — Indulgentias concedendi in dedicatione ecclesiæ usus antiquus, 66 sq. — Indulgentias Episcopi etiam absentes per litteras concedebant, ubi aliqua dedicabatur ecclesia, 67 B. — Indulgentia 12 annorum, a variis Episcopis etiam post Lateranense Concilium elargita, in consecratione ecclesiæ, 199 A. — Indulgentia plenaria in dedicatione altaris et anniversario die, a Clemente XII concessa, *ibid.* — Indulgentiæ olim fidelibus concessæ, ut opem constructioni ecclesiæ præstarent, 39. — Indulgentiæ a quadraginta et uno Episcopis elargitæ in dedicatione ecclesiæ Sancti-Salvatoris et alterius ecclesiæ, consequendæ etiam annuatim in aliis festivitatibus, 68. — Indulgentiæ concessæ ad duodecim cruces in parietibus ecclesiæ dedicatæ, 172 B.

INFANTES morientes confirmari possunt, quia majorem gratiam consequuntur et gloriam, I, 45 sq. ; III, 325 B, sq., 474 sq.

Infantes olim ecclesiæ oblati et in partem Cleri assumpti, an statim Clericali tonsura initiarentur, I, 84.

INNOCENTII III Pontificalia ornamenta cum ipsius stemmate Anagniæ servata, I, 298 A. — Angeli monitu solemniter consecrat ecclesiam Sanctæ-Mariæ trans Tiberim, II, 48.

INSCRIPTIO dedicationis ecclesiæ affigenda, II, 195. — Inscriptio dedicationis altarium, ipsis altaribus insculpenda, 197 sq. — Inscriptio lapidis primarii ecclesiæ Massiliensis, 36 A. — Inscriptio lapidis primarii in fundamento ecclesiæ Sancti-Ignatii Romæ positi, *ibid* B. — Inscriptio ecclesiæ Sancti-Hieronymi Charitatis Urbis, 61. — Inscriptio consecrationis basilicæ Sancti-Laurentii a Damaso Papa peractæ, 69 B. — Inscriptiones dedicationis in ecclesia Sancti-Francisci de Paula, civitatis Paulæ, 35 sq.

Inscriptiones sepulcrales, vid. EPITAPHIA.

INSIGNIA GENTILITIA, a quo sæculo in usu esse cœperint, I, 297. — Qui primi ex Pontificibus hæc adhibuerint, 298. — Insignia gentilitia affigendi supellectili Ecclesiasticæ et sacris vestibus atque ecclesiis abusus improbatus, I, 371 ; II, 371 B.

INSTRUMENTUM pacis velum habet ad manubrium, III, 467. — Quando adhibendum, *ibid.* — Vid. PAX.

Instrumenta donationum super altare ponebantur, II, 234 (*a*). — Instrumenta artis consepulta cum corporibus defunctorum, III, 364 A. — Instrumenta martyrii cum Martyrum corporibus consepulta, 364 B.

INSUFFLATIONES in Ecclesia antiquissimæ, III, 110.

INTERSTITIA, cur dentur inter unum sacrum Ordinem susceptum et alterum suscipiendum, I, 96 sq. — Cur instituta, et quæ necessitas et utilitas dicatur ut in iis dispensetur, 97 sq. — Interstitia inter minores Ordines dispensari ab Episcopo possunt, 96. — Religiosi an a suis Superioribus dispensari valeant, 98 A. — Quæ hodie Ecclesiæ praxis, *ibid.*

INTRONIZATIONIS novi Episcopi ritus, I, 360 sq. — Quo ritu fiebat ex Rituali Senonensi, III, 300 B. — Intronizatio apud Græcos, ut olim per-

Digitized by Google

ageretur, I, 361 B. — Apud nos Latinos novus Episcopus intronizatus, lecta sacra Scriptura, sermonem in eam faciebat, qui *enthronisticus* dicebatur, 362.

IPHIGENIA, vid. EPHIGENIA.

IRREGULARITAS amentium et furiosorum, I, 105 B. — Hæc irregularitas non admittit dispensationem, durante defectu usus rationis, *ibid.* — Irregularitas ex defectu natalium, quando primum introducta, 103 sqq. — Irregularitas militiæ adscriptorum, 107 B. — Servorum, 105 B, sq. — Ratiociniis publicis adstrictorum, 106 B.— Homicidarum, 106. — Accusantium in judicio sanguinis, *ibid.* — Judicum et aliorum cooperantium in causa sanguinis, *ibid.* — Irregularitas ex defectu scientiæ, 86. — Vid. ILLITERATI.

ITER agere Episcopum pede non dedecet, III, 292. — Exempla de ea re veterum sanctorum Episcoporum, 293. — Iter agenti orationes et preces præmittendæ, *ibid.* sq.

ITINERARIUM Prælatorum, quid, III, 293. — Itinerarium flexis genibus una cum suis recitare consuevit S. Carolus, *ibid.* — Illud a Clericis peregrinantibus recitandum statuit, 294 A. — Itinerarium Clericorum non modo antiquum, sed et Missa pro iter agentibus, quæ habetur in libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, 295 sq.

IVO Carnotensis Episcopus, a S. Petro Damiani summe laudatus, II, 122 B.

J

JACOB benedicens filiis, cancellatas super eorum capita manus ponit, II, 94 B. — Emit terram in sepulturam, 312 sq.

JANUARII (S.), Episcopi et Martyris, sanguis quotannis ebullit Neapoli, dum e regione ejus capitis est repositus, II, 466 B.

JANSENISTARUM nomine inuruntur ab æmulis homines probi, et Sacerdotes optimi Missionarii, quod priscam Ecclesiæ disciplinam servent in directione animarum, III, 32 A.— Dictum de ea re cardinalis Joannis Bona, *ibid.*

JEJUNIA, cur habenda ante Ordinationes, I, 154. — Maxime ab Episcopo, III, 412. — Consecrando in Episcopum, ejusque Consecratori die præcedenti ipsam consecrationem præceptum jejunium, I, 202 sq. — Ante consecrationem ecclesiarum adhiberi solitum ab Episcopo, II, 60 sq — Et ab iis qui petunt ecclesiam consecrari, *ibid.*

Jejunium impositum apud Græcos olim reconciliandis hæreticis, III, 270.

Jejunium Quadragesimale olim, non a feria IV Cinerum, sed a Dominica inchoatum, III, 13. — Quid ex antiquissima consuetudine observatum in Ecclesia Mediolanensi, 14 A.

JEREMIÆ Prophetæ ecclesia erecta a Constantino Magno in loco ejusdem martyrii, II, 88 A.

JOACHIMUS (B.), Florensis monasterii Abbas in Calabria, concessionem Constantiæ imperatricis sedentis in sellula audire noluit, jussitque humiliter eam in terra sedere, III, 42 *not.*

JOANNA II, regina Utriusque-Siciliæ, jussione Papæ Martini V coronata, I, 632.

JOANNES CHRYSOSTOMUS (S.) calumnia inustus, quod extra altare Ordinationes Presbyterorum et Diaconorum fecerit, I, 124 A.

JOANNIS DAMASCENI (S.) cultus et devotio erga Deiparam, II, 536 A.

JOANNES HUS, in sua hæresi pertinax, qualiter fuerit degradatus, III, 220 B. — Post sententiam ductus ad ultimum supplicium, 236.

JOB primus omnium pœnitentium exemplum exhibuit, III, 22 B.

JUDEX laicus, non nisi præcedente canonica depositione, potest Clericum condemnare, III, 192. — Judices et alii cooperantes in causa sanguinis, irregulares, I, 107. — Judices olim, non nisi jejuni, leges et judicia discernebant, III, 154 B.

Judices causarum eligendi in Synodo, III, 147. — Judicandi causas tum spirituales, tum sæculares suarum diæceseon summa olim potestas apud Episcopos, ex auctoritate S. Pauli, confirmata ab imperatoribus Christianis, I, 324. — Judicandis causis, etiam sæcularibus, affixos Episcopos a Spiritu sancto, asseverat S. Augustinus, *ibid.*

JULIANUS Apostata fuit primum Lector in ecclesia, I, 163 B. — Idololatriam, quam deinde amplexus est, ritibus Christianis vestiri studuit, III, 347 B. — Ejus reverentia erga deorum templa, II, 130 B.

JULIUS II, e Romanis Pontificibus primus omnium barbam promisit extremis vitæ suæ annis, I, 428 A.

Digitized by Google

JURAMENTUM præstitum a Presbytero in sua Ordinatione proprio Episcopo, I, 259 sq. — Juramentum fidelitatis et obedientiæ Episcopo suo præstabant olim Clerici Ecclesiæ Placentinæ, 260 A. — Erat in usu apud alias Ecclesias, *ibid.*

Juramentum fidelitatis præstitum ab Electo in Episcopum ante consecrationem, a quo originem habuit, I, 304 sq. — Juramenti fidelitatis formula a S. Gregorio VII præscripta, 305. — Illam non modo Romani Pontifices in concessione Pallii a nonnullis Metropolitanis et ab Episcopis passim exigebant, sed etiam Metropolitani a suis Episcopis suffraganeis, *ibid.* — Juramentum fidelitatis ab Episcopis Romano Pontifici præstandum, novis auctum articulis et clausulis, 306 A.

Juramentum fidelitatis et obedientiæ Sedi Apostolicæ tenentur jurare Abbates exempti ante suam benedictionem, I, 432. — Alia juramenti formula, 438 B. — Idem juramentum præstandum ab Abbatissis exemptis, 487 sq.

Juramenti formula recitanda in Synodo, III, 147 sq. — Non recitabatur ante concilium Tridentinum, *ibid.*

Juramentum de tuenda conservandaque Fide Catholica, fieri solitum a regibus in earum coronatione, I, 588 B, sq. — Varii ritus, 589. — Præstitum ante Evangelia et Sanctorum reliquias, 590 B, sq. — De servanda Ecclesiæ libertate, *ibid.* — Variæ fidelitatis jurandæ formulæ a regibus fieri solitæ, 591 sq. — Vid. LUDOVICUS XVI et NAPOLEO. — Juramentum præstatur a reginis in earum inauguratione, 634.

Juramentum necessarium, quale ut quis absolvi possit ab excommunicatione majori, III, 247.

Juramentum olim præstari solitum super campanas, II, 522 B. — Et super reliquias Sanctorum, 470. — Jurare Sacerdotibus licet aliquando, et pro qua causa, I, 435.

JUSTINUS imperator bis coronatus, primum ab Episcopo, postea a Summo Pontifice, I, 576 B. — Ritus quo fuit coronatus, *ibid.*

K

KYRIE ELEISON compluries dictum in dedicatione ecclesiæ, II, 125 sq. — Cantatum in exsequiis defunctorum, III, 375.

L

LABARUM, Romani exercitus signum, in effigiem crucis mutatum a Constantino Magno, II, 383 B, 399.

LABORANTES. Vid. COPIATÆ.

LAC et mel, cur baptizatis olim daretur, I, 46 B, 565 B, sq. — Vinum quoque, *ibid.*

LAICI in ecclesia extra cancellos, etiam imperatores, II, 15. — Laici publice pœnitentes non poterant in Clerum adlegi, III, 179. — Laici homines sepeliebantur in habitu cuilibet ordini proprio, 363 A. — Laici, quo sæculo exclusi ab electione Episcoporum, 410.

LAMBERTINUS Prosper S. R. E. cardinalis, laudatur, II, 459 A; III, 326.

LAMINA aurea a SS. Jacobo et Joanne Apostolis pro mitra, I, 31 B, sq.

LAMPADES in Urbis sacris cœmeteriis frequenter reperiuntur, II, 305. — Superstitiosi ritus damnati, *ibid.* — Lampadum et cereorum usus semper in Ecclesia, *ibid.*

LANCEÆ, seu hastæ, cui vexillum alligabatur, benedictio, II, 580.

LAPIS primarius ad fundamentum novæ ecclesiæ construendæ, a Summo Pontifice aliquando missus, II, 30. — Ejus benedictio, 23 sqq. — Ritus varii, 28. — Ejus forma, 22. — Signum crucis in eo sculptum, 30 A, 35. — Lapis primarius aliquando positus a fundatore illius, 33. — Epocha signatus, 35 B, sq. — Quo ritu ab Episcopo in fundatione ecclesiæ benediceretur, 44 sqq. — Plures Episcopi adhibiti, 33.

Lapidis rubei fragmen, cur adhibitum in consecratione altaris, II, 103 B.

Lapides quinque signati in quatuor angulis et in medio altaris construendi positi, II, 28 B.

LATERANENSIS baptisterii a Constantino constructi forma, II, 19.

LAURUS olim cum cadaveribus in tumulo posita, II, 311 B; III, 383 A.

LECTIONES in Missa Ordinationum, quot olim erant, et quales, I, 122 sq. — Cur recitantur in Ordinationibus lectiones, *ibid.*

LECTORATUS Ordo, in Ecclesia quam antiquus: etiam infantibus olim collatus, et ejus gradus, I, 161. — Omnino distinctus a Tonsura apud

Digitized by Google

Græcos, 139. — Lectoratus ordinem conferendi jus Abbati in suo monasterio, unde, 430 sq. — Lectoratus ordine insignito ritus tradendi sacrum codicem, 166. — Illo ordine olim principes insigniti, 163.

Lectorum officium, I, 163 sqq. — In Ecclesia Latina, aliquando Evangelium in Missa legebant, *ibid.* B. — Inter alia sua munera custodiebant sacros codices, 167 A. — Prædicatores verbi Dei dicti, et an vere prædicare possint, 165. — Lectoris degradandi ritus, III, 228.

Legati Apostolici facultatem deferendi mitram et crucem ante se, primum accepere a S. Leone Papa IV, I, 397. — Legati Apostolici, etiamsi non sint Episcopi vel S. R. E. Cardinales, quo ritu processionaliter sint recipiendi, III, 288 sq. — Quomodo suscipiendi et honorandi a Prælato loci et a magistratu, 304 sq. — Quo honore excepti in Oriente, in Anglia, in Hispania, in Gallia et Neapoli, 301 sqq. — Ubi ad ecclesiam pervenerint, thuris suffitu honorandi a Prælato loci, 305. — Per viros clarissimos eis occurrere soliti imperatores, 301 B. — Legati Apostolici et alii Clerici, tametsi Sacerdotes non sint, indulgentias concedunt, 307 A.

Legatorum quorumdam fœda avaritia causa fuit, ut aliquando principes a Sede Apostolica obtinuerint, ut nullus ad sua regna mitteretur Legatus, nisi ipsis petentibus, I, 307 A.

Legationes Romanorum Pontificum olim frequentes, I, 307.

Leo III (S.), quam studiosus in consecrandis ecclesiis, II, 55 A. — Titulum imperatoris Carolo Magno tribuit, III, 335 A. — Qua pompa Urbem ingredientem Carolum exceperit, 336 B.

Leo IV (S.) primus ante se deferri facit crucem a Subdiacono inter eundum, I, 397.

Leo IX (S.) contra Nortmannos ducit exercitum, II, 533 A.

Leo X, quo ritu ac cæremoniis duos Cardinales, ob scelera exauctoratos a Julio II, suæ dignitati et honoribus restituit, III, 207 sqq.

Leopoldus, Austriæ rex, et Henricus V imperator, a Cœlestino III anathemate perculsi, quod captivum fecissent Richardum Angliæ regem II, 545 B, sq.

Levitæ in veteri Testamento, idem sunt ac Diaconi in novo, I, 204. — Quomodo Deus Levitis vetuit quicquam possidere, 138.

Liber Evangeliorum alicubi aperiebatur ab Episcopo consecrante, et illum Consecrato tradente, ut ex occurrenti sententia omen de novo Episcopo conjiceretur, I, 348 B. — Liber Evangeliorum super caput novi Episcopi positus, et quo ritu, 326. — Liber Evangeliorum auferendus ab Episcopo in ejus degradatione, III, 216. — Et a Diacono in degradatione ipsius, 223.

Liber Evangeliorum Diacono in sua Ordinatione traditus, an pertineat ad essentialem Diaconatus materiam, I, 216 sq. — Quando cœptus is ritus, *ibid.*

Liber Epistolarum auferendus ab eo qui degradatur ab Ordine Subdiaconatus, III, 224. — Vid. multa in verbo Epistola.

Libri Pastoralis S. Gregorii Magni observantiam pollicebantur electi in Episcopos in Gallia, I, 316 B. — Vid. Pastoralis Liber.

Libri de Sacerdotio S. Joannis Chrysostomi, vere digni ut a quovis Presbytero evolvantur, I, 266.

Lignum vitæ Paradisi terrestris, an fuisset immortalitatis causa primo homini, II, 389. — Fuit typus Dominicæ crucis, 390.

Ligna ecclesiæ dirutæ, in usum privatum non sunt tradenda, II, 370.

Limina ecclesiarum, cur tam venerata, II, 148. — Vid. Portæ.

Limina Apostolorum ab Episcopis visitanda, juxta juramentum ab ipsis in sua Ordinatione præstitum, I, 307 B, sq. — Quoties ab Episcopis adeunda, *ibid.* — Impediti Episcopi, per alios illa visitare possunt, 308 A. — Liminum Apostolorum visitatione, quid intelligitur, *ibid.*

Linea, idem ac rochettum apud nonnullos, I, 19 B. — Sic etiam appellata alba, 18.

Linea tunica talaris in veteri Testamento dicta poderis, I, 17 B. — Illa etiam ab ethnicis in suis sacris adhibita, 18 A.

Linteamina altaris distincta a corporali, II, 193 A. — Linteamina, quot in altari posita, 187. — Linteaminum sive tobalearum usus in Ecclesia antiquissimus, 183. — Eorum meminit S. Optatus Milevitanus, 182 B. — Ipsorum benedictio in Ecclesia est usus antiquus, 183, 375 sq. — Linteaminibus altaris defuncti Sacerdotis corpus obtegere nefas, *ibid.* B. — Linteus candidus quo abstergitur altare chri-

Digitized by Google

smate inunctum, castitatem vitæ significat, 182 A.

LITANIÆ breviores olim recitari consuetæ in ordinationibus ad sacros Ordines, I, 189. — Variatio modernæ Litaniæ ab iis quæ habentur in Pontificalibus antiquioribus, *ibid.* — Sabbato sancto semel dicuntur, licet celebretur Ordinatio, 121 A. — Litaniæ ex Pontificali Romano codice Vaticanæ bibliothecæ, 384 sqq. — Litaniæ dum canerentur, tum in inaugurandis regibus, tum in Ordinationibus Presbyterorum, breviores modernis, et omnes inaugurandi prostrato corpore brachiis extensis jacebant, 594.

Litaniæ recitandæ sub initium consecrationis ecclesiæ, et quo ritu, II, 73 sqq. — Olim bis dicebantur, et quomodo, 86. — Sanctorum nomina quorum reliquiæ in ea sunt ponendæ, recitanda, 85 sq. — Litaniæ dici solitæ in cœmeterii benedictione, 307. — Litaniæ cantandæ in reconciliatione ecclesiæ violatæ, 334.

Litaniæ in celebratione Synodorum cantandæ, III, 143.

LITES et causæ, etiam civiles, olim ab Episcopis judicatæ : vid. JUDICES. — Lites et contentiones in Quadragesima olim minime exercebantur, III, 35 B.

LITTERATI olim Clerici, sed improprie, nuncupati, I, 132. — Vid. ILLITERATI.

LITTERÆ Apostolicæ Urbani Papæ VIII pro Patribus Congregationis Oratorii Sancti-Hieronymi Charitatis, II, 475 sq. — Litteræ Ramberti Cameracensis Episcopi ad alios Episcopos pro ecclesia Sanctæ-Mariæ de Mercato civitatis Sancti-Severini in Piceno, 30 B. — Aliorum id genus litteræ, 40 sqq.

Litteræ Episcopis ordinatis datæ continentes diem et consulem, III, 419, — Cur, *ibid.* — Litteræ communicatoriæ ab ordinatis Episcopis ad alios Episcopos missæ, quid, *ibid.* — Vide TESTIMONIALES LITTERÆ.

Litteræ dimissoriales, quæ, I, 261.

LOCA varia distincta olim in ecclesia, II, 5. — Loci præeminentia assignatur Clericis et Episcopis juxta Ordinationis eorum tempus, III, 196.

LONDINENSIS Concilii sanctio de ecclesiarum dedicatione, II, 55 B.

LOPES Rodericus, Hispanus, laudatur, III, 364 B.

LOTIO manuum post oblationes acceptas, facienda ab Episcopo ordinante, I, 140.

Lotio corporum defunctorum olim communis tam apud nobiles quam apud pauperes, III, 365.

LUCAS (S.) pinxisse beatæ Virginis Deiparæ imaginem fertur, II, 403.

LUCERNÆ ardentes cœlitus demissæ in locum construendæ ecclesiæ, II, 23 B. — Vid. CEREI.

LUCIANUS (S.), Presbyter et Martyr, suomet pectore pro altari utitur ad divinum Mysterium celebrandum in carcere, II, 263 B.

LUCTUS et cantus lugubris gentilium in funeribus mortuorum, improbandus III, 368 B. — Improbatus in funeribus Christianorum, 369 A. — Non est dolendum more gentilium, *ibid.*

LUDOVICUS XVI, rex Francorum, in coronatione sua, verba prætermisit ad hæreticorum exterminationem adtinentia, I, 591 B.

LUTHERUS familiariter cum diabolo disputavit, et ab eo convictum se fatetur, III, 271.

M

MABILLONII, cæteroqui eruditissimi, levis ratio cur Romani Pontifices solerent Ordinationes habere mense decembri, I, 111 A.

MACHABÆIS (SS.) martyribus erecta ecclesia Antiochiæ, II, 88 A.

MAFORTE, seu Mavorte, quod veli genus adhibitum in consecratione virginum, I, 559 B.

MALACHIAS (S.), Archiepiscopus, itinera sua pedibus agebat, non equo vectus, III, 293 A. — Ejus moderatio in visitatione suæ diœcesis, 312 B.

MALEDICTIONES in eum inflictæ, qui excommunicabatur solemniter, III, 258. — Quomodo id licite fieret, explicatur a S. Thoma, *ibid.* — Variæ formulæ olim usurpatæ, 259.

MALLUM, seu MALLUS, publicus erat conventus in quo majores causæ disceptabantur, III, 15 A.

MANICHÆI militiam tanquam malam aspernabantur, I, 642 sq.

MANIPULUS est ultima Pontificis vestis, et cur eam a Subdiacono accipiat, I, 23 B. — Mappula olim appellatus: quibus concessa, ad quid, ejusque mysterium, usus et antiquitas, *ibid.* sq. — Quando tradi cœptus Subdiacono in Ordinatione, 196. — Manipuli Subdiacono tradendi forma,

Digitized by Google

195 — A Subdiacono in ejus degratione ereptus, III, 224. — Manipuli usus olim, qualis, I, 181 B.

MANSI Dominicus, Congregationis Clericorum Matris Dei, II, 532 B.

MANUS contactu firmatur cordium et animorum conjunctio, et juramentum, I, 260 B. — Manus levare, in sacris litteris, est idem ac jurare atque promittere, 583.

Manus Diaconorum aliquando adhibitæ loco altaris ad celebrationem Sacrificii, II, 265 B, sqq.

Manus Episcopi cur sacro liniantur chrismate, I, 341. — Non vero manus Presbyterorum, 342. — Manus Prælati deosculanda aliquid porrigentis, III, 452 B. — Et sacram Communionem administrantis, I, 254; III, 471, 473 A.

Manuum impositio quando dicatur in Spiritum sanctum, III, 278. — Manus impositio quæ peragitur a Consecrante in consecratione Episcopi, an sit sola materia Episcopum consecrandi, I, 329. — Nonnulli aliquando consecrati Episcopi absque manuum impositione, *ibid.* — Manus impositio super caput electi Abbatis, quo ritu fiat, et unde accipiatur, 408 B, sq., 453. — Manus impositio an materia essentialis et adæquata in Ordinatione Diaconi, 211 sqq. — Manus cur iterum imponantur Diaconis in susceptione Ordinis Presbyteratus, I, 232. — Manuum impositio facienda ab Episcopo in restitutione Depositorum ab exsecutione Ordinum minorum et Subdiaconatus, III, 182. — Non poterat fieri Presbyteris Diaconis et Episcopis lapsis, *ibid.*

Manuum impositio supra pœnitentes olim fiebat ab Episcopo, cur hodie non præscribatur, III, 68, A. — Manuum elevatio in pœnitentibus est signum conversionis et promissionis in posterum non peccandi, 71 B. — Manuum sola impositione reconciliati aliquando hæretici, 278. — Manus dexteræ impositio super caput reconciliandi hæretici, 276 sq. — Est ritus ab Apostolis ductus, *ibid.* — Non est sacramentalis Confirmatio, sed tantum pœnitentialis cæremonia, 278. — Manus dexteræ ostensio et elevatio in consecratione virginum, I, 552 sq. — Cur manus junctas inter ambas manus Episcopi virgines consecrandæ inserant, 527 A.

MANUMISSIO servorum apud Gentiles quo ritu fiebat, III, 249 B.

MARANATHA, quid, III, 243 B.

MAPPULARII vocati qui baldachinum super Pontificem deferunt, I, 14 B, 482 (*d*).

MAPPULA appellatus manipulus, I, 23 B, 195.

MAPPÆ. Vid. LINTEAMINA.

MARIA (SS.) Virgo, omnium prima virginitatem vovit, I, 502. — Post partum Salvatoris, loco virginibus assignato in Templo stetisse dicitur, II, 13 B, sq. — An velamentum capitis gestarit, et cujus coloris vestimenta ipsius, I, 533 B. — Deiparæ funus magnifice ab Apostolis curatum, III, 365 B.

Mariæ (S.), Virginis tituli varii contra hæreticos defenduntur, II, 407.

Mariæ (S.). Virginis imago a S. Luca depicta, II, 403. — Non omnes quæ dicuntur a S. Luca depictæ imagines Deiparæ, tales esse probantur, 404. — Ejus imagines aurea corona quotannis donantur a Capitulo Vaticanæ basilicæ, 408 sq. — Elenchus imaginum hujusmodi usque ad annum 1738 coronatarum, 413 sqq. — S. Mariæ Virginis imagines cum stola nigri coloris non pingendæ, 431 B.

MARIA Clementina, Angliæ regina, specimen pietatis, religionis et sanctitatis exhibuit, et quo anno Romæ defuncta, I, 629 B.

MARTINUS (S.) nunquam ex humilitate sedere voluit in throno Episcopali, I, 12 B. — Consecrat virginem, 510 A.

MARTYRES quomodo sacro oleo inuncti dicantur, III, 95 A. — Cum instrumentis martyrii sepeliebantur, 364 B. — Martyrum natalitia, cur olim in Quadragesima non celebrarentur, 98 A. — Martyrum natalitia denuntiata olim in ecclesiis, 1 sq.

MARTYRARII et custodes Martyrum, qui nuncupati, I, 39 B.

MASSARIUS, id est villicus, III, 49 *not.*

MATRIMONIUM initum post votum solemne castitatis, irritum, I, 552. — Matrimonii ritus nonnulli servati in consecratione virginum, I, 517, 527.

Matrimonii ritus ab Episcopo celebrandi, III, 465 sqq.

MATTHÆUS (S.) Apostolus, Ephigeniam virginem, regis filiam, sacro velamine Deo consecrat, I, 503 A, 552 A, 558.

MAURI Josephus, jurisconsultus Neapolitanus, auctor dissertationis in jure super campanis, II, 522 B, sq.

Digitized by Google

MAURILLIUS (S.), Episcopus Andegavensis, pœnitentiam agit ob defunctum puerum absque Confirmationis sacramento, I, 75 B.

MAVORTE. Vid. MAFORTE.

MAXIMUS Cynicus ordinatus in domo privata ab Ægyptiis Episcopis, improbatus et expulsus est, I, 127 B.

MELCHISEDECH, typus Christi Domini, II, 181 B, 283. — Qua ratione obtulerit panem et vinum, 363 B.

MELETIUS relegatus a Synodo Nicæna, atque suspensus fuit, solo Episcopi nomine retento, III, 194 B.

MEMORIA altaribus consecratis inscribenda, II, 198 B.

MENSA altaris linteamine cooperiri debet, ex Apostolico ritu, et quot mappis cooperienda, II, 375.

Mensæ duæ in sanctuario, ad quid, II, 16 B.

MERATI Cajetanus, Ordinis Clericorum Regularium, vir eruditissimus, laudatur, II, 64 B, 186 B; III, 25 A, et alibi frequenter. — Summo studio, labore, elucubrationibus ac lectione innumerorum fere librorum, celeberrimum opus conscripsit in Additionibus et Observationibus suis ad Gavantum, II, 379.

METROPOLITANI jus antiquum in confirmatione et consecratione Electi in Episcopum, I, 291. — Hodie ad Summum Pontificem devolutum, *ibid.* — Metropolitanorum jura olim in sua provincia circa electionem ad Episcopatus vacantes, III, 403 sq.

MICHAEL (S.) Archangelus erit vox Domini suscitans mortuos ad judicium, II, 310. — Ejus decora, *ibid.*

MICHAELIS CERULARII contra Romanam Ecclesiam calumnia, quod nos Latini barbam radamus, III, 296.

MICHEÆ Prophetæ ecclesia erecta ad ejus sepulcrum, II, 88 A.

MILES, MILITIA et MILITO, quid, I, 645 sq.

Militis creandi forma præscripta in Pontificali, diversa ab illis quibus in Germania antiquitus solebant creari milites, I, 655 B. — Milites creare proprie ad principes pertinet, 645. — Milites benedicendi ritus, a quo tempore incœptus, *ibid.* — Cur ense benedicto accingantur, ex altari desumpto, 646 sq. — Milites olim creabantur ex armigeris, 655 B. — Quod votum emittebant, *ibid.* — Militis Christiani dotes, 654. — Cur ei imponantur calcaria in ejus benedictione, 650. — Alapa cur illi detur ab Episcopo, *ibid.*

Milites Regulares seu Equestres, qui, quando esse cœperint, ad quæ teneantur, et creationis eorum ritus, I, 657 sq. — Vid. CRUCESIGNATI.

Milites et classes benedici solitæ ab Episcopis II, 551 sq. — Et victoriæ relatæ, 552. — Milites sceleribus suis adversam in bellis fortunam excitant, *ibid.* — Exauctorabantur per ablationem cinguli et militarium insignium, antequam plecterentur, III, 192 B. — Militare licitum ex veteri et novo Testamento, I, 643. — Qualis militia antiquitus vetita Christianis, *ibid.* — Militiæ adscripti ordinari non possunt, I, 107 B.

MINISTRARE, idem ac offerre Missæ sacrificium, I, 123 B.

MISSA publica, quæ dicatur, II, 191 A. — Missa celebrata super manibus Diaconorum, 265. — Missæ cæremoniæ, ad quid, I, 4 A. — Missam celebrandam hora tertia matutina, an S. Telesphorus Papa instituerit, III, 85 A. — Missa olim de nocte celebrata, 85 B.

Missa quæ olim celebraretur in Consecratione Episcopi, et quæ nunc, I, 320 sq. — Missa celebrari eo die non debet in eodem altari in quo celebravit Episcopus, 261 B. — Quæ Missa celebranda in benedictione Abbatis, 430.

Missa celebranda in dedicatione ecclesiæ, II, 192 sq. — An necessaria sit: dicenda tamen per totam octavam, 191. — Missæ sacrificium in dedicatione ecclesiæ, a quo decretum, 189. — Unde talis ritus, *ibid.* — Missam celebrare, vel per se vel per alium in dedicatione ecclesiæ, est in arbitrio Episcopi, 190. — Missa in reconciliatione ecclesiæ dicenda, 341, 343 sq. — Missa in consecratione altaris, quæ, 226.

Missa celebrata extra ecclesiam ob necessitatem, et qualiter id sit intelligendum, II, 265. — Missas celebrandi in domibus, seu oratoriis privatis, facultas sublata Episcopis decreto Clementis XI, 267. — Pro ipsis Episcopis moderatum ab Innocentio XIII, *ibid.*

Missa non celebratur a Græcis in Quadragesima, exceptis sabbatis ac Dominicis, sed tantum præsanctificatis communicant, III, 97 B. sqq. — Missa præsanctificatorum, quid, *ibid.*

Digitized by Google

— Cur minime celebretur Missa feria VI in Parasceve, 99. — Missa qualis in reconciliatione pœnitentium, quæ fiebat in feria V Cœnæ Domini, 56. — Feria V in Cœna Domini Missa olim bis celebrata, et alicubi etiam ter, 84 A. — Eo die consueverunt alicubi duo Canonici cum Episcopo concelebrare, *ibid.*

Missa, ex prisco Ecclesiæ ritu, celebrari solita præsente cadavere, III, 352. — Sine Missa sepeliri non solebant olim defuncti, 353. — Missam pro defunctis offerre est ritus ab Apostolis proficiscens, 352, 384 (*a*). — Missæ variæ pro defunctis ex libro *Sacramentorum* S. Gregorii Papæ, 384 sqq. — Missa solemnis non celebratur hodie in exsequiis Cardinalium, 353 B. — Usum hunc correxerat jam Benedictus XIII, qui quidem exsequias Cardinalium fieri de mane cum Missa voluit, ipsisque exsequiis intererat, *ibid.*

MISSI DOMINICI vocabantur antiquitus legati regii adjuncti Episcopis visitantibus diœceses, et quæ eorum munera, III, 319 B.

MISSIONIS Presbyteri qua ecclesiastica, modesta ac exemplari pompa per octo dies celebraverint festum canonizationis S. Vincentii à Paulo, II, 190.

MITRA, quid; ejusque usus in veteri Testamento, apud ethnicos et Christianos, I, 31 sq. — Mitræ apud ethnicos varia interpretatio, 68 B. — Mitra appellatum, regum imperatorumque capitis tegumentum, quod illis in inauguratione solemni dabatur, 612.— Mitra quam Episcopus capiti virginis consecrandæ imponebat, quid esset, 503 B, 510 A. — Dicta etiam *mitrella*, 553 B, sq. — Mitram sacratis Deo virginibus imponi consuevisse primis Christi sæculis, testatur Optatus Milevitanus, 31 B. —

Mitræ Episcopalis nulla fit mentio in antiquis Pontificalibus, neque apud antiquos scriptores, I, 33. — Mitræ Episcopalis originem ad medium circa sæculum decimum nonnulli eruditi auctores referunt, 31 B. — Mitræ antiquitatem, inter alios, vir clarissimus Andræas Saussay, propugnat, 32 A. — Mitræ usum semper in Ecclesia fuisse, sed non quibusvis Episcopis licuisse absque speciali Sedis Apostolicæ facultate, docet Joannes Mabillonius, *ibid.* B. — Mitram Pontificalem sumptam esse ex veteri Testamento, aliqui censent, 31 A. — Mitræ antiquæ forma, et quid ipsa mitra significet, 34 sq., 359. — Mitram Episcopalem perperam hæretici antiqui et nostri temporis, dicteriis impetunt, 34, 359 B. — Mitrarum Episcopalium apud Latinos plures species, 34. — Mitra antiqua Latinorum Episcoporum hodierna humilior, 36 B, sq. — Mitræ ornamentum a Græcis quibusdam probatum et admissum, 33 B. — Mitræ Græcorum a Latinorum mitra diversitas, *ibid.*

Mitra et chirothecæ alicubi imponebantur consecrato Episcopo, capite et manibus adhuc oleo chrismatis inunctis, I, 348 B. — Absque mitra Prælatus non debet Confirmationem conferre, 75 B, sq. — Mitra auferenda ab Episcopo degradando, III, 215.

Mitræ ornamentum concessum aliquando principibus a Romanis Pontificibus, I, 33. — Concessum Abbatibus, et etiam quibusdam Canonicis, *ibid.* — Quando Abbatibus concessum, 413. — Primi Abbates Præmonstratenses ea uti noluere, 414. — Nec Bursfeldenses, *ibid.* sq.— Nec etiam Abbas Cavensis, 413, 414. — Abbati Casæ-Dei, præ modestia eam recusanti, in virtute obedientiæ a Papa imperatus usus, 414 B.— Ad differentiam Episcoporum, quales mitræ pro Abbatibus decretæ, 416 A.

MIXTUM, quid in Regula S. Benedicti, I, 256 A.

MODESTIA, quam necessaria in virginibus, I, 541 A.

MONACHI olim Episcopo subjecti, I, 262, — Monachi admissi in Clerum et ad regimen parochiarum in subsidium Clericorum, III, 21 A. — Ea de re S. Siricii et S. Gregorii Magni sententiæ, I, 89 B. — Monachorum privilegia, ut dare possint pœnitentiam, III, 21. —Vid. REGULARES.

Monachi acriter reprehensi a Fulberto episcopo Carnotensi, quod ausi fuissent Officia celebrare in ecclesia polluta, non reconciliata ab Episcopo, II, 330. — Abbatibus Regularibus reconciliandi ecclesias, qua restrictione concessa facultas, *ibid.* sq.

Monachi, quo ritu excipiebant Episcopum in monasterium Farfense advenientem, III, 300 A. — Monachi Sancti-Benedicti, quo honore reges hospitio exciperent, 346. — Monachorum ritus varii servati olim in Quadragesima, III, 16 B, sq.

Monachi negligentes ad nocturnas Vigilias, sive frequenter iracundia furentes, quomodo puniebantur, III, 196 B. — Monachi facinorosi in pœnam abrasi, 231 A. — Et subjecti pœnæ de-

Digitized by Google

calvationis, *ibid.*, sq. — Cur erga eos mitius in pœnis agendum, 237.

MONIALES contingere non possunt sacra vasa et pallas, I, 517. — Ex quo præcepto teneantur recitare divinum Officium, 567. — In recitatione divini Officii, non possunt dicere *Dominus vobiscum*, 568.

MONASTERIA non ædificanda sine consensu Episcopi, II, 9.

MONITA et præcepta injungenda illi qui ab excommunicatione majori absolvitur, III, 252.

MULIERES sacrorum Ordinum omnino sunt incapaces, I, 83 B. — Ab hæreticis nonnullis ad Ordines sacros et ad Presbyteratum, atque Episcopatum etiam, promotæ, *ibid.* — Mulieres non permittuntur docere et prædicare in ecclesia, 492. — In ecclesia olim a viris separatæ, II, 13 A. — Mulieres astringentes se voto peregrinationis in Terram-Sanctam, tempore expeditionis sacræ crucem assumebant, 540 B, sq. — Mulieres non debent corpora defunctorum deferre, et cur, III, 365 A. — Mulierum abusus modernarum reprehensus, crines sibi abscindentium, ad majorem vanitatem ostendendam, I, 556. — Vid. PRÆFICÆ.

MUNERA oblata ad ornatum ecclesiæ, olim benedicebantur, II, 184 B.

MURI ecclesiæ consecrandæ, cur ter per circuitum aqua benedicta aspergantur, II, 76 sqq.

MUSICES inventor Guido Aretinus, Sancti-Bedicti monachus, I, 10 B. — Musici hominis cantantis insignis descriptio ex S. Aelredo, 11. — Musicorum et instrumentorum musicalium modernus excessus et abusus, *ibid.*, II, 190.

MYSTERIA nostræ Religionis aliqua, cur abscondita, et non omnibus revelarentur, I, 109 B.

N

NAON, locus ecclesiæ qualis, II, 12 B, sq.

NAPOLEO, coronandus imperator a Pio VII, formam juramenti antiquam immutari præcepit, I, 591 B.

NARTHEX in ecclesia qualis locus, II, 12 sq. — Ejus origo, *ibid.*

NATALIUM impedimentum, I, 103 sq. — In Religiosis ordinandis, per professionem religiosam tollitur, 105 A.

NATALITIA. Vid. MARTYRES.

NAZARENA sedes ex Palæstina in Italiam, cur et quomodo et quo translata in regno Neapolitano, et quibus privilegiis exornatus ejus Archiepiscopus sit, I, 400.

NEAPOLI, pauperes Sancti-Januarii comitantur defunctos in eorum funeribus, III, 367 B —

NEOPHYTIS baptizandis cur traderentur cerei exstincti, postea ad *Agnus Dei* accendendi, III, 58 B.

NEULÆ, quas alii *neblas* et *nebulas* vocant, quid sint, I, 481 (*d*).

NICETÆ Pectorati calumnia contra Romanam Ecclesiam, quod nos Latini barbam radamus, III, 424 A.

NOLA, quid, II, 288 A.

NOMINIS mutatio, unde, I, 229 sq. — De eo sunt exempla in S. Scriptura, 430. — Nomen mutare licitum est, nisi ex fraude aut dolo fiat, *ibid.* — Cur mutetur in professione religiosa, 429.

Nomina Episcoporum tum vivorum, tum defunctorum, referebantur in diptychis, I, 261 B. — Nomina Presbyterorum aut Clericorum suspensorum delebantur e tabulis ecclesiæ, III, 197.

NORBERTUS (S.) in sua Ordinatione vestem pelliceam agninam induit, I, 118. — Post Ordinationem suam in Diaconum et Presbyterum, in monasterio Ordinis S. Benedicti, cæremoniis et sacris ritibus addiscendis vacat, 266 A.

NOVARINUS Aloysius, Ordinis Clericorum Regularium, scriptor eruditissimus, III, 261 B.

NOVENDIALES pro defunctis, III, 381. — Novendialium officium olim Romæ in exsequiis S. R. E. Cardinalium, *ibid.* — Novendiales exsequiæ hodie Romæ pro solo Romano Pontifice defuncto, *ibid.*

NOVITIUS, habitu monastico indutus, toto corpore ante altare prostratus, I, 424. — Novitii vestiendi ritus, 420 sqq. — Novitii habitus monasticus aqua benedicta aspersus, 420.

NUDIPEDES accedebant ad ecclesiam publicè pœnitentes, III, 17 sq. — Jussi aliquando Urbis ecclesias sic circuire cum disciplinantibus viris, 18.

NUMA Pompilius in dextera manu fidem sacratam voluit, I, 260 B.

NUMERUS AUREUS, quid, et qua occasione, a quo et quando adinventus, III, 5 B, sq.

NUMISMATA aurea et argentea cum primo lapide posita in fundamentis ecclesiæ, II, 35 A.

Digitized by Google

Numismata cum Salvatoris facie, et B. Virginis puerum Jesum gestantis in gremio effigie, gestata ad collum in signum Catholicæ observatæ Religionis, II, 432 sq.

Numismata, seu monetas, quinque ponere super pectus defuncti, superstitiosum, III, 383 A.

NUMMI aurei et argentei sparsi in vulgus post coronationem imperatoris et regum, I, 621 B.

NUPTIÆ benedicendæ a Prælato, quo ritu, III, 470 sqq.

O

OBEDIENTIA et fidelitas Sedi Apostolicæ præstanda ab Electo in Episcopum, I, 304 sqq. — Obedientiæ juramentum non præstandum a Regularibus Episcopo in actu eorum Ordinationis, 6 B, 261. — Obedientiæ promissio solita fieri proprio Episcopo a Presbytero ordinato, et ritus, 259 sq. — Obedientia ipsa facta olim Episcopo cum juramento omnino prohibita, et cur, 260 A. — Obedientiam promittens Episcopo suo Presbyter ordinatus, manus suas junctas inter Episcopi manus ponebat, 259.

OBLATA, sive oblatio, est panis consecrandus, et cujus figuræ, I, 355 B, sq. — Oblata dicta Eucharistia, quam ex Missa ordinationis recens ordinati Episcopi et Presbyteri, ad quadraginta dies sibi reservabant, 356 — Oblatæ, id est pani consecrando, figura crucis apud Græcos impressa, *ibid.*

OBLATIO panis et vini, cum duobus cereis ardentibus, fit a Consecrato in Episcopum Consecranti, et significatio horum munerum, I, 350 sq. — Eadem oblatio facienda Episcopo ab Abbate ab eo benedicto, 463 sq. — Oblatio auri facienda a rege Pontifici eum consecranti, 618. — Oblationes pretiosæ fieri solitæ ab imperatoribus S. Petro Apostolo, post eorum coronationem, 621. — Oblationes a consecratis virginibus faciendæ Episcopo, 563.

Oblationis puerorum factæ ecclesiis et monasterii ritus, I, 517. — Oblationes panis et vini fieri solitæ in ecclesia a fidelibus qui communicari deberent, quæ a Subdiacono colligebantur, 192 B, sq. — Oblationes fieri solitæ post offertorium, 245. — Oblationes a laicis et Presbyteris ac Diaconis factæ, quæ erant, 246. — Oblationes fidelium per Archidiaconum super altare ponebantur, II, 279 B. — Oblationes quæ super altari fiunt, Deo mancipantur, 438 B. — Oblationes Ecclesiæ faciendæ, quæ Deo sint acceptæ, 353 A. — Oblationes fidelium primum in secretario examinandæ deponebantur, antequam ad altare deferrentur, III, 102 B. — Offerre sacrificium Corporis et Sanguinis Domini, est solius rite ordinati Presbyteri officium, I, 227.

Oblationes et dona olim facta ecclesiæ consecratæ tum a fundatore, tum a consecrante, II, 193 B.

Oblationes ad instar trium Magorum, alicubi in ecclesia fieri solitæ in festo Epiphaniæ, III, 97 B.

OBLATIONARIUM antiquitus, quid, II, 16 B.

OCCUPANTES bona Ecclesiæ anathemate feriuntur, II, 139.

OCTAVA dedicationis ecclesiæ celebranda cum Sacrificiis et sacris concionibus, II, 191 B.

ODONI (S.) Abbati Cluniacensi apparet S. Martinus, III, 217.

OFFICIUM divinum consueverunt virgines Deo consecratæ recitare simul ab antiquissimis temporibus, I, 567.

Officium dedicationis ecclesiæ, an incipiendum a primis Vesperis, vel a qua Hora, et quæ praxis servata a Benedicto Papa XIII, II, 193.

Officium Defunctorum recitandum a Parochis præsente cadavere, antequam sepeliatur, ex jussione Benedicti XIII, III, 399 B.

